
NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8 H
42 - F
9
ROMA

THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ

SECUNDUM VIAM ET DOCTRINAM

D. THOMÆ AQUINATIS, DOCTORIS ANGELICI,

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo & normâ ibidem usitatâ publicè traditæ, & in IV. Tomos digestæ,

TOMUS SECUNDUS

In primam secundæ Partis Summæ Angelicæ

DE ACTIBUS HUMANIS, CONSCIENTIA, PECCATO PERSONALI, ET ORIGINALI, DE LEGIBUS, ET PRIVILEGIIS.

Cum duplici Indice.

AUTHORE

Adm. Reverendo, Relig. & Clarissimo

P. PAULO MEZGER,

Ord. S. Benedicti ex Antiquissimo & Celeberrimo Monasterio SS. Petri ibidem, Theologiæ Doctore & Professore emerito, Celsiss. & Reverend. Principis, & Archiepiscopi Salisburgensis, &c. Consiliario Ecclesiastico, nunc in eadem Universitate S. Scripturæ Professore, & Procancellario.



Cum Licentia & Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ Vindelicorum & DILINGÆ,

Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ.

ANNO M. DC. XCV.

INDEX TITULORUM, TOMI SECUNDI

In primam Secundæ Partis Summæ Angelicæ.

§. 3. Eu-

§. I. *Quid*

TRACTATUS VI.
DE PECCATO PERSONALI.

Disputatio XV.

Disputatio XVI.

Disputatio XVII.

Disputatio XVIII.

§. VI. Co

§.I. Sta-

§. I. Præ-

Articu-

THEO-



THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ TRADITÆ

Secundùm Doctrinam Angelicam

D. THOMÆ AQUINATIS, TOMUS II.

In primam secundæ Partis Summæ Angelicæ.

PROLOQUIUM.

IN priori Tomo contemplabamur DEUM Opt. Max. tanquam optimum speculabile; & primò quidem, prout suis increatis perfectionibus nostrum intellectum absorbet; secundò prout est principium intranearum processionum, & ineffabile mysterium SS. Trinitatis complectitur; tertiò prout est principium creaturarum ad extra, præcipuè creaturæ Angelicæ.

Nunc Eundem consideramus, tanquam finem ultimum, & summum bonum, quod nostris vel bonis actibus assequimur, vel vitiosis deperdimus; primámque Regulam omnis moralitatis. Unde primò loco de humanis actibus, eorum fine, & generalibus principiis disputamus, & recepto more præsentem Tractatum de actibus humanis inscribimus. De quibus etsi multa tractent Philosophi morales, hærent tamen arctati intra luminis naturalis angustias; Theologus verò Divinæ revelationis lumine instructus considerat creaturam rationalem, quatenus elevatam per gratiæ sanctificantis donum, ad ultimum finem supernaturalem, ideoque de humanis actibus, eorumque principiis ut ad ultimum finem supernaturalem relatis tractationem instituit, quamvis etiam Philosophiæ moralis principia tanquam ancillantia suis disputationibus intexat.

TRACTATUS IV.

DE ACTIBUS HUMANIS.

DISPUTATIO I.

DE

Fine humanarum operationum.

SUpponimus ex Philosophia nostra, finem *cuius gratiâ* [juxta definitionem Philosoph. 2. phys. to. 29.] *aliquid fit*, in actu secundo causare per objectivam allicientiam & attractionem ad sui prosecutionem, quam S. D. q. 22. de verit. a. 2. in c. rectè vocat ipsum appeti, sic dicens: *Sicut influere causæ efficientis agere est, ita*

influere causæ finalis est appeti. Hinc fit, quòd cùm hominis voluntati proprium sit formaliter trahi, & allici â fine, ceu primo in operabilibus quoad ordinem intentionis, eidem quoque conveniat agere propter finem: prout concludit S. D. hîc q. 1. a 1. estque ex S. Scriptura certum Psal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem,* aliisque quàm plurimis locis. Nunc finis varias divisiones, & circa ipsum quæstiones discutiamus.

ARTICULUS I.
Quid sit agere propter finem?

SUMMARIA.

1. *Finis cui, & cuius gratiâ.*
2. *Finis qui, & quo.*
3. *Finis operis & operantis.*
4. *Finis ultimus, & intermedius.*
5. *Finis principalis & secundarius.*
6. *Alii actus hominis, alii humani, quoad substantiam, alii quoad modum.*
7. *Operatio voluntatis, alia elicita, alia imperata.*
8. *Deliberatio alia strictè, alia late accepta, alia formalis, alia virtualis.*

§. I.
Variæ divisiones finis.

1. Finis multifariam dividitur. Et primò *cui & cuius gratiâ.* Finis *cuius gratiâ* est res illa, cuius adipiscendæ gratiâ voluntas operatur, ut sanitas, ratione cuius sumuntur amaræ potiones. Finis *cui*, est illud subjectum, in cuius commodum assumitur finis *cuius*, ut homo, cui per amaras potiones sanitas quæritur. Ex utroque integratur, & adæquatur totus finis. Ideòque præsens divisio est quasi totius in partes, ubi *finis cuius* formalis, finis verò *cui*, qui ab illo perficitur, éstque susceptivum ipsius, subit rationem partis materialis.

2. Secundò dividitur finis in finem *qui*, & *quo*, sive in *objectivum & formalem.* In finem *ut res*, & in finem, ut *adeptio rei.* Finis *qui* igitur est id, quod amamus, & coincidit cum fine *cuius.* Finis *quo*, est eiusdem adeptio & consecutio.

3. Tertiò dividitur finis in finem *operis & operantis.* Ille est bonum, ad quod res vel actio ex se ordinatur, uti finis studiorum est scientia. Finis operantis est bonum, in quod operans ordinat ea, quæ facit, ut gloria DEI, si ad illam studia tua ordines.

4. Quartò dividitur finis operantis in *ultimum & intermedium. Intermedius* est, qui quidem ratione sui appetitur, cum dependentia tamen, & subordinatione ad finem ulteriorem: velùti si navigatio propter delectationem, quæ exinde percipitur, assumpta, ulteriùs ordinetur ad locum aliquem, ad quem navigans pervenire intendit. *Ultimus* est, qui non ad ulteriorem, sed ad ipsum omnia referuntur; & subdividitur in *ultimum simpliciter*, ad quem omnia in omni genere referuntur, & in *ultimum secundùm quid*, ad quem omnia in uno rerum ordine referuntur, non autem in alio.

5. Quintò dividitur finis in *principalem & secundarium. Principalis* est, qui per se primò intenditur; *Secundarius* verò, qui non nisi consecutivè, & alio præsupposito fine, uti si officium Canonicum recites principaliter propter cultum Divinum, & secundariò propter fructus beneficii percipiendos.

§ II.
Definitio & divisio actûs humani.

Sciendum primò. Ex actibus, qui procedunt ab homine alios dici actus hominis, alios verò actus humanos. Actus hominis sunt, qui quomodocunque procedunt ab homine, quales illæ quoque actiones sunt, quæ homini conveniunt secundùm gradum genericum, súntque ipsi communes cum brutis: ut crescere, progredi &c. Actus humani propriè sunt, qui conveniunt homini, in quantum est homo, hoc est, in quantum suæ rationalis naturæ gradu specifico excellit supra creaturas irrationales. Ex istis actibus humanis alii dicuntur humani quoad substantiam, alii quoad modum. Actus humanus quoad substantiam est omnis ille, qui ab ipso procedit, quatenùs operante secundùm gradum specificum & differentialem; ut sunt ridere, flere, motus voluntatis primò primi, & indeliberati &c. Actus humanus quoad modum est illa operatio, in qua reperitur modus operandi naturæ rationali proprius. Quod fieri potest dupliciter, primò quòd natura rationalis operetur cum perfecta cognitione finis. Secundò quòd operetur cum indifferentia & libertate. Primò modò, sic amor & fruitio beatifica, qui ex visione beatifica tanquam perfectissima cognitione ultimi finis procedunt, appellari possunt nomine actus humani. Secundò modò, qui est proprius huius loci, & ad statum viatorum potissimùm pertinet, sic definitur actus humanus â S. D. hîc a. 1. in c. actio, cuius homo est dominus, sive, quæ ex deliberata voluntate procedit. Sub qua consideratione deinceps de actibus humanis agetur. 6.

Sciendum secundò. Operationem posse duplici modo â voluntate procedere. Electivè videlicet & imperativè. Actio electiva est, quæ immediatè ex voluntate procedit, ut intentio, electio &c. Actiones imperativæ sunt actus aliarum potentiarum, quatenùs voluntatis motioni actu subjiciuntur, ut sunt ambulare, ridere, comedere &c. qui actus licèt propriè non sint humani, quatenus â suis potentiis proximè procedunt, & rationem præveniunt: sunt tamen, quatenùs ex imperio rationis mediatè procedunt. 7.

Sciendum tertiò. Deliberationem rationis dividi primò in latè & strictè sumptam. Strictè sumpta significat præviam consultationem & inquisitionem de mediis idoneis ad consequendum 8.

dum finem. Latè sumpta significat judicium intellectûs proponens objectum cum indifferentia, & sufficienti lumine ad discernendum inter bonum, & malum. Secundò dividitur in deliberationem formalem, quâ ratio actu deliberat, & in virtualem seu interpretativam, quâ quis habens obligationem & potentiam ad deliberandum, omissâ formali deliberatione, judicat hic & nunc aliquid esse agendum, vel omittendum. Quocunque modo ex prædictis deliberatio accipiatur, sufficit ad denominationem actûs humani: ita ut in definitione actûs humani ly *voluntas deliberata* nil aliud significet, quàm voluntatem regulatam per deliberationem sive strictam, sive latam, sive formalem, sive virtualem: unde etiam peccatum ex ignorantia vincibili est actus humanus, quia procedit ex voluntate saltem virtualiter deliberata.

ARTICULUS II.

Per quos actus homo operetur propter finem?

SUMMARIA.

1. *Omnes actus humani sunt propter ultimum finem.*
2. *Alia amari propter finem est ipsius inadæquatâ tantùm causalitas.*
3. *Amor finis alius formalis, alius causalis.*
4. *Quomodo actus fugæ & imperati sint propter finem?*
5. *Etiam fruitio finis est propter ipsum.*
6. *Etiam necessarij actus voluntatis comprehensorum sunt formaliter propter finem.*
7. *Creaturæ irrationales formaliter non agunt propter finem.*
8. *Objectio Gonetti solvitur.*
9. *Qualis determinatio voluntatis requiratur ad finis causalitatem.*
10. *DEus ex parte sui actûs habet rationem finalem, non causam.*
11. *Nihil creatum est finis ex parte Divinæ voluntatis.*
12. *Datur finalis ratio amoris essentialis, non notionalis in DEO.*
13. *Quomodo creaturæ sint media?*
14. *Ordo intentionis & electionis in Divinis tantùm probat media & fines ex parte volitorum.*

§. I.

Statuuntur actus humani propter finem.

1. QUæstio non de fine operis sed operantis instituta sit CONCLUSIO *Homo per omnes actus humanos propriè formaliter agit propter finem.* S. D. hîc a. 1. in c. Ratio est: quia in omni actu humano reperitur propria causalitas finis, quæ est, ut ipse gratiâ sui, & alia appetantur propter ipsum. Aut enim actus humanus est immediatè circa finem, ut amor & intentio finis; & tunc haud dubiè bonitas finis per tales actus propter se, sive gratiâ sui appetitur: aut est immediatè circa media, & tunc ipsa media, quippe quorum bonitas essentialiter dependet à bonitate finis, amantur & eliguntur propter finem, ad quem consequendum ducunt.

2. Hinc colliges primò: Adæquatam causalitatem finis non in hoc consistere, ut alia amentur propter ipsum, siquidem fini per prius convenit, amari & appeti propter se, quàm alia propter ipsum. Unde cùm S. D. 3. contr. gentes, c. 75. dixit: *Causalitatem finis in hoc consistere, quòd propter ipsum alia desiderentur*, de inadæquata tantùm causalitate locutus fuit.

Colliges secundò. Omnia, quæ fiunt propter finem, fieri *ex amore* finis, vel *formali*, vel *causali*, non autem semper formali. Ex amore formali est fieri ex actu ipso amoris extrinsecè præsupposito; *ex amore causali* est fieri ex bonitate finis objectivè alliciente. Sic intentio finis est ex amore causali, electio mediorum etiam quandoque ex formali. Parùm differunt, qui dicunt, intentionem finis procedere ex amore finis non *transitivè*, quasi aliquid derivatum ex amore formali, sed *intransitivè*, h. e. quòd procedat ut ipse amor, quo modo calor ignem producere dicitur in virtute ignis, ly *in virtute* sumendo intransitivè, ita ut calor sit ipsa virtus ignis, non autem transitivè, quasi ageret ex virtute superaddita. 3.

Colliges tertiò: Etiam actus fugæ, quibus videlicet voluntas aversatur malum, & actus imperatos, qui à distinctis potentiis eliciuntur, esse propter finem. Actus fugæ quidem, quia voluntas nunquam aversatur malum, nisi in virtute boni ex opposito moventis & allicientis. Actus verò imperatos, quia licèt materialiter spectati, quatenùs elicitivè procedunt ex potentiis à voluntate distinctis, non habeant pro objecto finem & bonum; spectati tamen formaliter, & quatenùs à voluntate imperati, sic ab ipsa in finem referuntur. 4.

Colliges quartò. Fruitionem ac delectationem de fine adepto esse actus propter finem elicitos; cùm in istis quoque actibus reperiatur propria motio, & intentionalis causalitas finis. Nam licèt bonitas finis non moveat ad sui fruitionem, nisi ut posita in executione, atque adeò fruitio tantummodò sequatur finem jam in executione habitum, ipsa tamen executio non est ratio movendi, (cùm finis officium sit movere objectivè, non activè, & executivè) sed tantùm conditio necessariò requisita, ut finis objectivè, & ut existens in intentione moveat, quatenùs apprehenditur, & repræsentatur sub ratione boni præsentis & possessi, prout insinuat Angelicus D. q. 31. à 1. ad 2. dicens: *Licèt in eo, qui jam consecutus est bonum, in quo delectatur, cesset motus executionis, quo tendit in finem, non tamen cessat motus appetitivæ partis, quæ sicut prius desiderabat non habitum, ita postea delectatur in habito. Licèt enim delectatio sit quies quædam appetitûs consideratâ præsentiâ boni delectantis, quod appetitui satisfacit, tamen adhuc remanet immutatio appetitûs ab appetibili.* Inde fit, quòd quantò vehementior 5.

hementior præcessit apprehensio, ac desiderium boni, tantò soleat esse intensior delectatio & fruitio de bono obtento.

6. Colliges quintò. Omnes (1) actus liberos esse formaliter propter finem; (2) ex actibus verò necessarijs, illos solùm actus voluntatis, qui à comprehensore eliciuntur, ut amor beatificus & fruitio. Ratio primi est, quòd omnes illi actus ex deliberata voluntate & perfecta cognitione finis procedunt. Ratio secundi est: Ille actus est formaliter propter finem, qui procedit ex perfecta cognitione finis, repræsentante proportionem ipsius ad media, & ad ipsum appetentem. Sed ex actibus à voluntate necessariò elicitis soli actus comprehensoris, nimirum Amor & fruitio procedunt ex perfecta, imò perfectissima cognitione finis, ipsa scilicet visione beatifica Divinæ essentiæ, tanquam Summi Boni adæquatè satiantis voluntatem: econtrà actus necessarij viatoris; videlicet motus primò primi procedunt solùm ex imperfecta cognitione finis, & ut loquitur S. D. tantùm *habens finem quasi imaginatum*: ergò soli actus voluntatis à comprehensore necessariò eliciti formaliter sunt propter finem.

7. Colliges Sextò. Nullam creaturam irrationalem propriè formaliter agere propter finem. Ut hîc a. 2. S. D. Cujus ratio est, quòd nec se ipsas propriè in finem moveant, nec bonitatem finis formaliter h. e. secundùm rationem convenientiæ, & proportionem cum medijs, sed solùm materialiter, hoc est, rem, quæ sibi bona est, apprehendant, de quo plura Philosophi.

§. II.

Solvuntur objectiones.

8. OBijcies primò cum Gonett contra Collig. 4. ex S. D. q. seq. a. 6. ad 1. Primò. Quod non distinguitur ab ipso fine, non est propter finem: sed juxta D. Thom. delectatio in bono, ceu quietatio in ipso, non distinguitur à fine: ergò non est propter finem. Minor colligitur ex loco citato. *Delectatio*, inquit, *propter se, & non propter aliud appetitur, si ly propter dicat causam finalem.* Secundò. Quod per modum complementi connaturaliter sequitur ipsum finem, non ponit in numero cum fine, sed fruitio & delectatio connaturaliter sequuntur possessionem finis. Tertiò. Finis, prout exercet munus causæ finalis est prima causarum, sed finis ut executus est ultimum: ergò ut sic non exercet munus causæ finalis in intentione: Atqui respectu fruitionis & delectationis finis est executus: ergò respectu illorum actuum non exercet munus causæ finalis: nec proinde isti actus sunt propter finem.

Respondeo ad 1. cum Philippo à S. Trin. delectationem illo loco à S. D. non accipi formaliter, tanquam pro actu elicito circa finem, de quo loquimur in præsenti, sed objectivè, prout habet rationem objecti appetibilis respectu alterius actûs, quo appetitur, sub qua ratione & acceptione non ponit in numero cum ipso fine. Sicque patet responsio ad 2. nimirum complementum connaturaliter consequens finem, non ponit in numero cum fine, objectivè spectatum, concedo, formaliter sumptum, nego. Ad 3. Respondeo. Finis ut executus, est ultimum respectu quorumcunque actuum, nego, respectu mediorum, eorúmque actuum, qui ad executionem diriguntur, concedo, & similiter distincto consequente, nego primam & reliquas consequentias. *Inquis.* Posita executione cessat intentio finis; ergò tunc finis non ampliùs movet, & causat in intentione. Respondeo. Cessat finis intentio, prout intentio nominat efficacem prosecutionem finis determinantem ad electionem mediorum, concedo, prout intentio dicit esse apprehensum & intentionale, quod finis habet in intellectu, nego antecedens & consequentiam.

Objicies secundò, contra Colliges 5. causalitas finis consistit in hoc, quòd moveat & determinet voluntatem ad sui amorem, sed DEus clarè visus non movet aut determinat voluntatem ad sui amorem, quippe jam ex se, & ex sua natura ab intrinseco determinatam ac necessitatam ad amandum DEum, ut infrà dicetur. Sed Respondeo, distinguendo minorem. Non movet voluntatem liberè, quod unicum impugnat Adversarius, concedo, non movet, & determinat necessariò, nego. Item voluntas Beati est ab intrinseco determinata ad amandum DEUM, dependenter à visione Divinæ essentiæ sub ratione Summi Boni, concedo, independenter ab illa, nego. Gratis igitur assumit & supponit prædictus Author, tunc solùm adesse motionem & causalitatem finis, quando voluntas ipsa se movet liberè & applicativè; ideóque negare cogitur, quòd respectu amoris beatifici DEus propriè habeat rationem finis. Quæ sanè difficulter sustineri possunt *primo:* quia hac ratione nec actus charitatis, quem Angelus aut Adamus in primo instanti elicuit, fuisset formaliter propter finem, siquidem fuit à DEO specialiter movente & applicante, & à voluntate solùm ut eliciente. *Secundò.* Motio objectiva finis consistit juxta S. D. in appeti gratiâ sui, sed sive appetatur liberè, sive necessariò, appetitur gratiâ sui: ergò necessitas appetitionis non obstat causalitati & motioni finis; modò sub ratione finis sit perfectè cognitus. *Tertiò.* Beatus non minùs habet judicium practicum de DEO super omnia diligendo, nec minùs allicitivè trahitur à bonitate Divina per claram visionem cognita, quàm aliquis Viator habet tale judicium, & trahitur à Divina Bonitate per fidem cognita: imò hæc omnia habet cum majori perfectione, quàm Viator: ergò si iste DEUM liberè amando operatur propter finem, etiam ille necessariò amando DEUM operatur propter finem. *Quartò.* Respectu illius actûs DEUS obtinet formaliter rationem finis, per quem formalissimè attingitur sub ratione finis, sed per amorem beatificum, quo Beatus se & omnia refert in DEUM, formalissimè attingitur DEUS sub ratione finis, & quidem ultimi: ergò. Major est S. D. qui ex eo capite probat, quòd actus voluntarij sint propter finem, quia finis est objectum voluntatis. Minor per se patet. 9.

§. III.

Quomodo DEus dicatur agere propter finem?

RESpondeo. Operationem liberam DEi virtualiter transeuntem, ad extra considerari 10.
posse

posse vel ex parte actûs, & secundum quod operatio dicit in recto, vel ex parte termini extra se relicti, & secundùm quod operatio dicit in obliquo. Si primò modò consideretur, tunc sicuti illa operatio est identificata cum DEo & ipse DEus, sic neque habet causam efficientem, neque finalem, utpote ens à se; habet tamen virtuale motivum, seu rationem finalem, quæ est ipsa increata bonitas DEi, prout dictum in Tract. de DEo. Ita S. D. 1. contr. gentes c. 87. *quamvis autem aliqua ratio Divinæ voluntatis assignari possit, non tamen sequitur, quòd voluntas ejus sit aliqua causa.* Si verò operatio DEI accipiatur ex parte termini, tunc sicut ille terminus est ens creatum, ita habet verè causam finalem in DEo, nempe ipsum DEum: omnia enim propter Semetipsum opeeratus est Dominus, proverb. 16. Dicitur tamen DEUS aliquando etiam habere aliquem finem creatum, veluti cùm dicimus Verbum Divinum propter nos & propter nostram salutem descendisse de cælis. Non ex parte actûs & suæ voluntatis, sed ex parte Rei Volitæ, in quantum unam rem creatam subordinat alteri; sic enim merita & perseverantiam electorum ordinat ad eorundem gloriam, tanquam media ad finem, prout dictum loco citato.

11. Colliges primò. Deum non habere aliquem finem creatum ex parte suæ voluntatis; siquidem increatæ voluntati debetur increatum specificativum: sed tantùm ex parte rei volitæ, in quantum unam creaturam ordinat in usum alterius; quâ de causa S. D. negat hanc propositionem esse veram: *DEus vult hoc propter hoc*: istam verò probat: *DEus vult hoc fieri propter hoc*: quia in priori propositione creatura ponitur pro fine ex parte ipsius voluntatis Divinæ, in altera verò pro fine ex parte rei volitæ. Vide, quæ diximus in Tract. de Deo uno, c. 2. § 2. n. 4. & 6. 11. §. 2. n. 6.

12. Colliges secundo: Dari rationem formalem amoris essentialis DEI; non autem notionalis, quatenùs virtualiter inadæquatè distinguitur ab assentiali. 1. partis, quæ est contra Gonett hic a. 4. Ratio est, quia ut operatio sit propter finem, seu rationem finalem, sufficit, quòd sit ex perfecta cognitione bonitatis suo modò objectivè allicientis. Sed amor essentialis DEI est ex infinita bonitate infinito modo secundùm prioritatem virtualem præcognita, ipsâque bonitas multò magis & perfectius DEo est ratio amandi seipsum, quàm creaturas; ergò amor essentialis in DEO habet rationem finalem. Secunda pars probatur. Amor notionalis ut inadæquatè virtualiter distinctus ab essentiali, ratione suæ infinitæ fæcunditatis, ita est productivus Spiritûs S. ut si per impossibile amor essentialis pro ratione finali non haberet Divinam bonitatem, adhuc tamen esset productivus ipsius: ergò ut sic & quatenùs notionalis non habet rationem finalem.

Dices. Si vellet DEus creaturas propter seipsum, tanquam finem, tunc istæ haberent rationem medij: sed hanc non habet, quia medium habet bonitatem utilitatis ad consequendum finem: atqui nulla creatura est DEO utilis ad consequendam suam bonitatem: ergo. 13.

Respondeo. In medio duplicem habitudinem reperiri, utilitatis seu conducibilitatis ad finem, & ordinabilitatis, ac referibilitatis ad finem. Prima habitudo reperitur in mediis respectu creatæ voluntatis, quæ quia amat amore affectum, & trahitur ab objecti bonitate, idcircò supponit in objecto appetibilitatem, vel respicientiam utilitatis, si est medium, vel absolutam delectabilitatis, aut honestatis, si objectum est finis. Atqui in creaturis respectu Divinæ voluntatis tantùm reperitur habitudo ordinabilitatis, secundùm quam solam media dici possunt; nam omne bonum participatum est referibile ad bonum imparticipatum, à quo emanat: Sed creaturæ amantur à DEO tanquam bona participata, amat quippe illas amore effectivo, non affectivo, communicandò ipsis bonitatem: ergò etiam amantur ut referibilia in infinitam suam bonitatem. Et sic in forma Respondeo ad argumentum, distinguendo sequelam majoris. Haberent rationem medij minùs strictè, prout dicit suæ bonitatis referibilitatem in superius bonum, concedo, prout dicit rationem utilitatis, nego. Et ad probationem. Medium in ordine ad voluntatem creatam, & amorem affectivum dicit bonitatem utilitatis, concedo, medium, quod est tale in ordine ad voluntatem increatam, & amorem effectivum, nego. Ratio constat ex dictis.

Instat Gibbon. Nihil solennius esse apud Theologos, quàm assignare in DEO ordinem intentionis, & electionis; sed electio debet esse circa medium. Item, omnes admittunt voluntatem prædestinativam: sed hæc definitur à D. August. de don. persev. c. 14. *præscientia & præparatio beneficiorum DEI* &c. h. e. juxta Ang. Doct. 1. p. q. 23. a. 1. *ordinatio mediorum, quibus creatura rationalis transmittitur in finem vitæ æternæ.* Et quis neget, DEUM velle nostra opera meritoria propter nostram beatitudinem? Respondeo. Plus ex his omnibus non probari, quàm quòd DEUS creaturas velit tanquam media ex parte voliti, non autem ex parte suæ voluntatis, & per comparationem ad suam increatam bonitatem, quòd ultrò concedimus. 14.

ARTICULUS III.

An & quomodo media ad finem habeant propriam bonitatem?

TRia veniunt in quæstionem. Primò. An dentur fines intermedij, qui ita exerceant causalitatem finalem, ut tamen ad finem ulteriorem referantur, vel utrum omnis finis sit ultimus, vel simpliciter, & in omni genere, vel secundùm quid, h. e. in certa aliqua serie alicujus actionis, vel artis. Posteriorem Vasquez, priorem partem Schola Thomistica cum communi Scholasticorum amplectitur. Secundò an media etiam quà talia habeant intrinsecam bonitatem, seu appetibilitatem, vel utrùm tantummodò per denominationem extrinsecam à bonitate finis sint & dicantur bona: Priorem doctrinam Thomistæ potiores, posteriorem Conradus & Medina sequuntur.

tur. Tertiò. An media pertineant ad objectum formale, vel materiale voluntaris? ubi primam partem docent Gabriel in 1. dist. 38. q. 1. a. 1. Curiel, & Amicus disp. 1. sect. 3. Posteriorem tuentur Joa. à S. Th. Ildephonsus Cæsaraug. Marcus Serra a. 1. dub. 2. alijque Thomistæ.

SUMMARIA.

1. *Dantur fines intermedij.*
2. *Probatur à paritate causarum efficientium.*
3. *Et inductione virtutum moralium.*
4. *Quarum objecta movent in virtute finis ultimi.*
5. *Sitne idem appeti ut finem, & ut ultimum finem.*
6. *An finis sit, cujus gratiâ cætera fiunt.*
7. *Moralium virtutum objecta non sunt fines negativè ultimi.*
8. *Media habent intrinsecam bonitatem.*
9. *Et proportionem utilitatis.*
10. 11. *Objectiunculæ solvuntur.*
12. *Media tamen non pertinent ad objectum formale, sed materiale voluntatis.*
13. *Sunt tamen objectum voluntatis materiale per se, & non per accidens.*
14. *An exclusis mediis finis debeat esse objectum formale omnium actuum voluntatis?*
15. *Et actus virtutum moralium formaliter distinguantur?*
16. *Obijcitur paritas inter conclusiones & media.*
17. *Et comparatio finis ad media, sicut lucis ad colorem.*
18. *Finis omnes actus voluntatis specificat, vel ut quod, vel ut quo.*
19. *Bonitas mediorum specificat virtutes morales, non ipsam voluntatem.*
20. *Disparitas inter veritatem conclusionum, & appetibilitatem mediorum.*
21. *Color non videtur propter lucem, sicut media propter finem.*
22. *In bonitate finis & mediorum reperitur analogia proportionalitatis.*

§. I.

Finis intermedij causalitas finalis.

1. CONCLUSIO Prima: *Dantur fines intermedij, qui verè exercent causalitatem finis.* Est *expressa Philosophi* 1. Eth c. 7. admittentis finem, qui *per se semper, & nunquam propter aliud expetitur*, ut est felicitas; & alius, qui propter se, & rursus *felicitatis gratiâ* expetitur, adeóque est finis intermedius. Nec minùs Angelicus D. 1. 2. q. 12. a. 2. docet, quòd *intentio non solùm sit finis ultimi, sed etiam finis medij.*

2. Ratio ex eodem S. Doct. desumpta est primò à paritate causæ efficientis: sic enim proportionaliter sibi fines subordinantur in finalizando, & objectivè movendo, sicut causæ efficientes in agendo & effectivè movendo: Atqui datur ejusmodi subordinatio in agentibus, ut unius causæ operatio non excludat aliam, quin illa quoque exerceat munus causæ propriè efficientis etiam principalis, uti patet in subordinatione causæ primæ & secundæ: quid ergo obstat, quin etiam in finibus detur ejusmodi subordinatio, in qua finis ultimus admittat finem intermedium propriè moventem in genere causæ finalis cum dependentia tamen à fine ulteriori.

3. Ratio est secundò. Quod appetitur gratiâ sui, & alia propter ipsum, ita tamen, ut appetatur cum subordinatione ad ulteriorem finem, non est finis ultimus, sed intermedius; Atqui dantur multa objecta, qua appetuntur gratiâ sui, alia quoque propter ipsa, ut tamen in ipsis voluntas ultimatò non sistat: ergò dantur fines intermedij. Major liquet, quia finis formaliter est, qui propter se, & alia propter ipsum appetuntur. Minor apparet in virtutibus moralibus, quarum objecta, & fines proximi habent honestatem per se appetibilem, ad cujus consecutionem etiam media idonea eliguntur: nec tamen sunt fines ultimi, cùm contineant honestatem tantummodò creatam, cui ab intrinseco repugnat, ut sit finis ultimus.

Confirmatur. Sicut omne agens hôc ipsô, quod non moveat ut causa prima, movet in virtute causæ primæ; ita omnis finis hôc ipsô, quòd non sit ultimus, movet in virtute finis ultimi: sed objecta proxima, & motiva virtutum non sunt ipse finis ultimus: ergò movent in virtute finis ultimi. Si hoc: ergo sunt fines intermedij. 4.

Dices. Idem est appeti ut finem, & ut ultimum finem, non quidem ultimum positivè, hoc est, ad quem omnia referantur, ultimum tamen negativè, h. e. qui non referatur ulteriùs: ergò in terminis repugnat dari finem intermedium. Antecedens probatur. Bonum, quod refertur ulteriùs, diligitur & appetitur propter aliud; sed quod propter aliud diligitur, non diligitur ut finis, sed ut medium ad finem; ergò finis intermedius, qui refertur ulteriùs, non diligitur ut finis, sed ut medium ad finem: In hoc quippe finis à medijs discrepat, quòd ille sui gratiâ, ista verò propter finem diligantur. Ideóque licèt objecta virtutum moralium non sint fines ultimi positivè, sunt tamen ultimi negativè. 5.

Confirmatur. Illud bonum non potest appeti propter aliud, cujus gratiâ cætera fiunt: sed secundùm Philosophum 2. phys. c. 3. textu 29. finis est, cujus gratiâ cætera fiunt: ergò finis non potest appeti propter aliud, & per consequens non datur finis intermedius. 6.

Respondeo, negando antecedens: ad probationem distinguendo minorem. Quod propter aliud diligitur, non diligitur ut finis &c. sub ratione reduplicata conducibilitatis ad finem, concedo, sub ratione propriæ intrinsecæ honestatis, vel delectabilitatis, nego minorem: ergò finis intermedius, qui refertur ulteriùs, non diligitur ut finis sub reduplicata ratione illius relationis, & conducibilitatis, concedo, sub ratione propriæ intrinsecæ honestatis, vel delectabilitatis, nego consequentiam.

Res exemplo patebit. Ægrotas? appetis sanitatem. En! finem per se utique appetibilem, nec tamen ultimatò; nam si sapis, etiam sanitatem & vitam referes in obsequium creatoris. Nihilominùs ipsa sanitas efficaciter intenta te movet ad quærendas acidulas: adeóque exercet rationem finis (& quod exemplum magis tritum apud Philosophos, quàm sanitas?) Ipsa intrinseca

fecta acidularum præstantia & virtus sanativa fortè cum aliqua delectabilitate conjuncta te impellit, ut hunc locum præ altero eligas: ejus causâ iter suscipis, commoditas & delectabilitas equitationis tibi calcar addit, ut equum compares, cujus ornandi studiò, propter gratiam & formam, quâ te oblectat, cultiorem sellam, frænúmque insternis &c. ubi cernis media medijs, fines finibus subordinatos, nam sanitas obsequio creatoris, sanitati acidula, acidulis equitatio, huic equus, equo ornatus, nummi &c. serviunt, ita, ut in quolibet medio reperiatur tamen propria aliqua delectabilitas & bonitas, quæ propter se moveat ad ulteriora media inquirenda, donec ad ultimum perveniatur.

Ad confirmationem Respondeo. Finis est, cujus gratiâ cætera fiunt, cætera absolutè & in omni genere, nego, id enim fini positivè ultimo solummodò competit, cætera in aliqua rerum serie, concedo. Audi Doctorem Angelicum l. 2. phys. l. 5. sic loquentem: *Ne aliquis credat, quòd solùm, quod est ultimum, sit causa, sicut cujus gratiâ, propter hoc, quòd nomen finis ultimum* quodammodò videtur esse. Est igitur omnis finis ultimum non simpliciter, sed respectu alicujus.

7. Neque potest satisfacere responsio Vasquezij, quòd objecta virtutum moralium sint fines negativè ultimi; siquidem istæ virtutes sunt electivæ, habéntque pro actu primario electionem, quæ versatur circa media ad finem: adeóque motiva, circa quæ versantur, semper positivè ordinant ad altiorem & ultimum finem. Imò in omni actu humano reperiri motionem finis positivè ultimi in seq. disputatione probabimus ex doctrina D. Th. q. 22. de Verit. a. 2. dicentis: *sicut DEus propter hoc, quod est primum efficiens, agit in omni agente; ita propter hoc, quod est ultimus finis, appetitur in omni fine.*

§. II.

An media habeant propriam bonitatem?

8. CONCLUSIO secunda. *Media habent sibi propriam intrinsecam bonitatem.* Ratio est primò. Voluntas est tantùm boni, sed voluntas est etiam mediorum, sive eorum, quæ sunt ad finem: ergò etiam media habent sibi propriam intrinsecam bonitatem. Major est D. Th. hic q. 8. a. 1. minorem habet a. 2. in c. dicens: *Ratio boni non solùm invenitur in fine, sed etiam in his, quæ sunt ad finem.* Et patet ex actu electionis, qui tantùm est circa media.

9. Ratio est secundò. Quia intrinseca proportio, quam media habent ad finem, & ratione cujus eliguntur, est ipsis intrinseca: sed illa proportio est utilitas, & respectiva bonitas propria mediorum: ergò media habent propriam sibi intrinsecam bonitatem. Minor probatur. Convenientia cum voluntate, qua movetur appetitus, est bonitas, sed media per illam proportionem cum fine habent convenientiam cum voluntate, ideóque quantò major est proportio, tantò avidiùs media appetuntur: ergò illa proportio est vera intrinseca bonitas.

10. Oppones primò. Bonum & finis juxta Arist. & D. Thomam inter se convertuntur: ergò ratio boni intrinsecè non invenitur in medijs. Secundò. *Utilia non habent in se, unde desiderentur,* inquit S. D. 1. p. q. 5. a. 6. ad 2. Media sunt utilia: ergò. Tertiò. Movere & allicere appetitum est propria causalitas finis: sed bonitas actualis in hoc consistit: ergò bonitas actualis est soli fini propria.

Respondeo ad primum. Illam authoritatem 11. procedere de bono simpliciter, & absolutè, quod cum fine convertitur, item de bonitate primaria & absoluta, non secundaria & respectiva, quarum illa fini, hæc medijs est propria. Ad 2. similiter Respondeo, Angelicum Doctorem non negare, quòd media aliquo modo desiderentur, sed quòd non desiderentur gratiâ sui. Idcircò addit: *sed desiderantur solùm ut sunt ducentia ad alterum.* Ad 3. Respondeo, Movere & allicere gratiâ sui, & propter se, ita, ut in illo sistat, & quiescat appetitus, est causalitas finis, concedo, secùs, nego.

CONCLUSIO Tertia. *Objectum formaliter* 12. *& adæquatè specificativum voluntatis est sola bonitas finis: media verò sunt objectum materiale per se.* Ita colligitur ex S. D. in 1. d. 45. a. 2. ubi dicit: *Ea, quæ sunt ad finem, habent se materialiter ad objectum voluntatis.* & q. 23. de ver. a. 1. ad 3. *Principaliter voluntas est finis, qui est ratio volendi omnia alia; secundariò autem est eorundem, quæ sunt ad finem.*

Ratio est: quia objectum formale specificativum est, quod ratione sui, & per se primò attingitur, alia verò ratione ipsius: sed sola bonitas finis ratione sui, & per se primò attingitur; media verò ratione finis: ergò objectum specificativum adæquatum voluntatis est bonitas finis: media verò sunt objectum secundarium & materiale.

Dixi tamen in conclusione, esse objectum ma- 13. teriale *per se*, non per *accidens*: quia nempe licèt media non attingantur primariò, & ratione sui, verè tamen attinguntur in seipsis, & secundùm suam propriam intrinsecam bonitatem: objectum verò materiale per accidens est, quod ne quidem in se ipso, & secundùm aliquid sibi proprium attingitur: quemadmodum substantia se habet respectu visûs, à quo non in seipsa, & secundùm aliquid sibi intrinsecum, sed præcisè in alio, nempe colore attingitur.

Confirmatur. Si media pertinerent ad objectum formale voluntatis, non esset adæquata ratio S. D. quòd ideò omnes actus humani sint propter finem, quia finis est objectum voluntatis; daretur enim aliud objectum formale voluntatis, quod non est finis, adeóque actus ad illud terminati non deberent esse propter finem.

§. III.

Solvuntur objectiones.

OBijcies. Si finis esset adæquatum specifica- 14. tivum voluntatis, tunc esset etiam objectum formale omnium actuum voluntatis: sed hoc non est, quia electio, consensus & usus sunt actus voluntatis ex objecto formaliter distincti ab actu intentionis: sed objectum formale consensûs, electionis, usûs, sunt media, sicut objectum intentionis est finis: ergò finis non est objectum formale omnium actuum voluntatis.

Confirmatur 1. Virtutes morales unà cum 15. suis

suis actibus formaliter à se invicem distinguuntur penes diversa objecta formalia: sed hæc objecta sunt diversa media: siquidem istæ virtutes sunt electivæ, & versantur circa media ad finem.

16. Confirmatur 2. Ita se habet finis & media ad voluntatem, sicut principia & conclusiones ad intellectum: ergò sicut ad objectum formale intellectûs non tantùm pertinet veritas principiorum sed etiam conclusionum; sic etiam ad objectum formale voluntatis pertinet non tantùm bonitas finis, sed etiam bonitas mediorum.

17. Confirmatur 3. à S. D. q. 8. a. 2. dicente: ita se habere finem ad media, sicut lux ad colorem: ergò sicut lux non impedit, quin color pertineat ad objectum formale visionis, ita bonitas finis non impedit, quin media pertineant ad objectum formale voluntatis.

18. Respondeo, distinguendo sequelam majoris. Finis esset objectum specificativum omnium actuum voluntatis, vel ut quod, vel ut quô, concedo, utroque modo, nego. Sed non est objectum specificativum electionis, consensûs &c. ut quod, concedo, ut quo, nego minorem, & consequentiam. Ratio & sensus est, quòd equidem diversa media possint formaliter diversificare diversos actus voluntatis, quia tamen ipsorum bonitas est respectiva essentialiter subordinata bonitati finis, à qua voluntas per se primò movetur ad intentionem, & primùm hâc mediante ad electionem mediorum, ita ut bonitas finis sit imbibita in ipsa bonitate mediorum, ideò finis est objectum formale quod, seu ratio formalis, sub qua media appetuntur: quemadmodum contingit in habitu alicujus scientiæ, ubi licèt variæ conclusiones ex diversitate particularium objectorum formaliter terminantium & specificantium specie (ut aiunt) materiali distinguantur; illa tamen diversitas in ordine ad habitum scientiæ se habet materialiter, eò quòd omnia illa objecta particularia referantur ad unum primarium totale, & sub unius principij & abstractionis lumine conveniant.

Unde ad primam Confirmationem Respondeo. Virtutes morales unà cum suis actibus distinguuntur penes diversa objecta formalia, subordinabilia ad finem voluntatis, concedo, non subordinabilia, nego: ergò bonitas mediorum pertinet ad objectum formale ipsarum virtutum & habituum moralium, concedo, voluntatis, nego consequentiam. 19.

Ad 2. confirmationem, quamvis Joa. à S. Thoma neget primum membrum consequentis (& tunc paritas est ipsis Adversarijs solvenda) expeditiùs tamen Respondeo cum Salmanticensibus negando adæquationem paritatis, eò quòd veritas tam conclusionum, quàm principiorum sit de primaria intentione intellectûs; è contrà appetibilitas mediorum non sit de primaria intentione voluntatis, cùm non nisi propter aliud possint esse appetibilia. 20.

Ad 3. confirmationem, esse aliquam, non autem omnimodam paritatem inter finem respectu mediorum, & lucem respectu colorum. Paritas est, quòd sicut color videtur dependenter à luce, & habet intrinsecam visibilitatem; ita media appetuntur secundùm intrinsecam suam bonitatem dependenter à bonitate finis. Disparitas est, quòd color non videatur propter lucem, & quasi sit via conducens ad videndam lucem, sed propter semetipsum visum terminat. Econtrà media amantur propter finem, tanquam via ad ipsum, unde obtento fine non ampliùs appetũtur. 21.

Colliges ex dictis. Bonitatem fini, & medijs competere analogicè secundùm analogiam proportionalitatis; quia hæc dicuntur analoga proportionalitatis, in quibus omnibus ratio analoga intrinsecè reperitur, ita tamen, ut uni principali analogato conveniat primariò, alijs secundariò dependenter ab illo: sed bonitas primariò reperitur in fine, secundariò & tamen intrinsecè reperitur in medijs: ergò. 22.

DISPUTATIO II.
DE
Ultimo fine hominis.

INter fines humanæ vitæ finis ultimus primatum tenet, quippe à quo cæteri fines in movendo dependent. Hunc dari clara S. Scripturæ authoritas evincit, ut Prov. 16. *omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Apoc. 1. *Ego sum Alpha & omega, Principium & finis.* De quo eodémque non partiali, secundùm quid, & in aliquo rerum ordine, sed totali & simpliciter ultimo sit

ARTICULUS I.
An unus homo possit habere plures fines ultimos?

SUMMARIA.

1. *Finis ultimus alius verus, alius apparens.*
2. *Alius formalis & in communi, alius materialis & in particulari.*
3. *Apud RR. alius positivè, alius negativè ultimus.*
4. *Conversio in ultimum finem, alia actualis, alia habitualis.*
5. *Alia in actu signato, alia in actu exercito.*
6. *Potest accipi tendentia in fines ultimos plures copulativè, vel disjunctivè.*

7. Vel

7. *Vel formalis, vel virtualis.*
8. *Vel efficax, vel inefficax.*
9. *Non appetuntur plures fines ultimi formales.*
10. *Ratio S. D. ad demonstrandam necessitatem finis ultimi.*
11. *Quomodo intelligendum axioma: Bonum est diffusivum sui.*
12. *Successivè voluntas potest habere plures fines ultimos.*
13. *Implicantia plurium finium ultimorum ex authoritate & ratione.*
14. *Extenditur etiam ad appetentiam plurium disjunctivè.*
15. *Nec potest unus ultimus finis actualiter, alter habitualiter intendi appetitu efficaci.*
16. *Nec potest unus simul esse positivè, alter negativè ultimus.*
17. *Nec unus formaliter, alter virtualiter simul intentus.*
18. *Possunt tamen esse ejusdem voluntatis duo fines ultimi, unus simpliciter & efficaciter, alius secundùm quid, & inefficaciter.*
19. *An gentiles in cultu plurium Deorum habuerint plures fines ultimos?*
20. *An in intellectu dentur plura prima principia?*
21. *Quomodo peccator per virtutem spei tendat in DEum ut finem ultimum?*

§. I.

Præsuppositæ divisiones.

1. FInis simpliciter ultimus dividitur primò in verum, & apparentem, quorum ille est, qui à parte rei continet omne bonum, estque adæquatè satiativus voluntatis, nempe DEus opt. Apparens est, qui falsò talis apprehenditur, de quo §. sequenti.

2. Dividitur secundò in finem ultimum formalem in communi vel abstracto, quod est bonum ut sic, & beatitudo in communi, abstrahens ab ijs rebus & finibus in particulari, in quibus determinatè reperiri possit: & in finem ultimum materialem seu in particulari, qui est bonum adæquatè satiativum in re determinata constitutum. Præsens quæstio procedit de fine ultimo, prout abstrahit à vero & apparenti, & de fine ultimo in particulari: cùm certum sit, finem ultimum in communi, hôc ipsô, quòd sit abstractus, etiam esse unicum & juxta infr. dicenda, trahere hominis voluntatem ad sui prosecutionem necessitate quoad specificationem, eò quòd in ipso nulla ratio mali admixta reluceat.

3. Dividitur 3. in ultimum positivè, & negativè. Illum appellant, in quem omnia tanquam in optimum desiderabile referuntur; istum ad quem licèt non omnia referantur, ipse tamen nullius ulterioris finis gratiâ appetitur.

4. Intereà varij sunt modi, quibus finis ultimus appeti potest. Primò actualiter, vel habitualiter. Actualiter homo est conversus in ultimum finem, cùm formali actu in ipsum tendit. Habitualiter, cùm vi præteriti actûs est inclinatus & determinatus ad ultimum finem, tametsi nullo actu de facto in ipsum tendat, uti homo peccator dormiens, vel faciens aliquod opus moraliter bonum est habitualiter conversus in creaturam tanquam ultimum finem.

Secundò potest alicui objecto ab homine operante tribui ratio finis ultimi vel in actu signato, vel in actu exercito. In actu signato tribuit, cùm explicitè & expressè judicat, suam summam felicitatem in tali objecto esse constitutam. In actu exercito tribuit, quando ex ipso modo operandi ita se habet, ac si suam summam felicitatem in tali objecto collocaret. Quô modô ordinariè peccator ultimum finem constituit in creatura, quatenùs videlicet Legem DEI, & bonum increatum posthabendo bono creato, neque istud referendo in DEUM, interpretativè judicat (non speculativè, formaliter & in actu signato, aliàs quilibet peccans esset hæreticus, vel ethnicus) illud bonum creatum esse suum finem ultimum. 5.

Tertiò tendentia voluntatis in plures fines ultimos potest accipi de pluribus vel copulativè, vel disjunctivè sumptis. Copulativè, si feratur in plures simul v. g. voluptatem, opes, honorem &c. Disjunctivè, si alterutrum divisim & indeterminatè velit, v. g. vel voluptatem, vel honorem &c. 6.

Quartò appetitus ultimi finis potest esse vel formalis, hoc est, actualis intentio ipsius, vel virtualis, h. e. tendentia causata ex præterita intentione, & relicta in aliquo suo effectu, tametsi actu de fine non cogitetur. 7.

Quintò potest volitio finis ultimi esse efficax vel inefficax. Efficaciter ultimus finis tunc est volitus, quando quis se & omnia sua (sicque etiam omnem habitualem relationem) convertit in ultimum finem. Inefficaciter est volitus, quando quidem ex vi operis nec actu, nec virtute refertur ulteriùs, non tamen omnem etiam habitualem relationem operantis in se convertit, & ab omni alio fine avertit, sicuti licèt finis ultimus à venialiter peccante intentus nec actu, nec virtute referri possit in DEum, quia tamen non destruit habitum charitatis, per quem homo se toto est habitualiter relatus in DEUM, ideò non est efficaciter, sed inefficaciter tantùm intentus. 8.

§. II.

Certiora præmittuntur.

9. CErtum sit primò. Non dari, aut appeti plures ultimos fines in communi: iste enim cùm sit abstractus, etiam est unicus, & cùm in ipso nulla ratio alicujus mali, vel molesti reluceat, à voluntate amatur necessariò quoad specificationem, prout infra pluribus.

10. Certum sit secundò. Dari aliquem finem ultimum humanæ vitæ, esse per rationem demonstrabile. Et quidem ratio Doctoris Angelici a. 4. est. In causis per se subordinatis non datur processus in infinitum: Unde sicut necesse est, perveniri ad primum movens, quia ultima & proxima causa non potest movere nisi in virtute primæ, adeóque si nullum daretur primum movens, nullus omninò daretur motus; ita similiter necesse est perveniri ad ultimum finem, quia fines proximi & immediati non movent, nisi in virtute finis ultimi, adeóque si non daretur finis ultimus, etiam nulla daretur finis motio.

Confirmatur. Sicut in executione voluntas à medijs, sic in intentione à fine incipit: sed implicat, ut in executione voluntas operetur, nisi detur

detur primum medium, ergò etiam implicat, ut in intentione operetur, nisi detur finis ultimus.

Dixi: *in causis per se subordinatis:* quia in finibus, qui tantùm per accidens conjunguntur, cessat ratio conclusionis, ideóque nihil impedit, quin successivè & syncategorematicè plures fines disparati appeti possint in infinitum.

11. Neque dicas: bonum esse diffusivum sui, adeóque quilibet finis, utpote bonum quoddam debebit in ulteriorem finem diffundi, sicque nunquam pervenietur ad finem ultimum, sed dabitur processus in infinitum. Nam istud axioma triplicem admittit sensum & expositionem. Primò. Quòd sit diffusivum alliciendo & trahendo voluntatem. Ita S. D. 1. p. q. 5. a. 4. ad 2. Secundò virtute, non actu. Tertiò. Secundùm capacitatem termini, unde implicante infinitate creatorum finium, & implicat infinita diffusio. Quælibet ex his expositione satisfit objectioni.

12. Certum sit tertiò. Posse eandem voluntatem successivè habere plures fines ultimos. Ita enim homo ex peccatore modò justus, modò ex justo fit peccator transferendo finem ultimum vel à creatura in DEUM, vel à DEO in creaturam. Difficultas est primò, an voluntas pro eodem tempore plures fines totales, positivè vel negativè ultimos copulativè, vel disjunctivè actualiter, vel habitualiter, formaliter, vel virtualiter possit appetere? ubi aliter Thomistæ, aliter Scotistæ, & RR. sentiunt.

§. III.

Resolutio quæstionis.

13. CONCLUSIO: *Voluntas non potest simul tendere efficaciter in duos fines totaliter ultimos.* Ita S. D. hic a. 5. cum suis Discipulis, & non obscurè deducitur ex Verbis Christi Matth. 7. *Nemo potest duobus Dominis servire, non potestis DEO servire, & Mammonæ.* Item ex 3. Reg. 18. ubi Elias Israëlitas objurgans: *Usquequò claudicatis in duas partes? Si Dominus est DEus, sequimini illum.* Cui objurgationi populus naturali lumine convictus, nec verbulum ausus opponere conticuit. *Et non respondit populus ei verbum.*

Ratio est: quia, si appeterentur ejusmodi fines, simul essent simpliciter ultimi ex suppositione, & simul non essent: quia finis simpliciter ultimus appetitur per modum adæquatè satiativi, quasi nihil extra ipsum appetendum relinquatur. Finis quoque simpliciter ultimus dicitur 1. Eth. c. 2. qui ita propter se appetitur, ut cætera omnia propter ipsum appetantur: sed si appeterentur duo ultimi fines, finis A, & finis B, tunc extra finem A, adhuc aliquid apprehenderetur, ut satiativum appetitûs, nempe finis B. idem dixeris de fine B. neuter quoque ex istis duobus ad alterum referretur: ergò neuter esset finis simpliciter ultimus.

Confirmatur primò. Non possunt secundùm meliorem Philosophiam dari simul 2. causæ totales ejusdem generis in ordine ad eundem effectum; sed duo ultimi fines essent 2. causæ totales ejusdem generis respectu ejusdem appetitûs; ergò.

Confirmatur 2. Primum principium cujuslibet generis debet esse unum, sicut & ipsum genus: sed finis ultimus est primum principium in genere appetibilium: ergò debet esse unus. Hinc ad reliquorum solutionem

Inferes primò. Plures ultimos fines non solùm copulativè, sed ne quidem disjunctivè simul appeti posse; Nam etiamsi disjunctivè appeterentur, neuter eorum referretur ad alterum, nec appeteretur ut simpliciter satiativus, & bonum perfectum: sed hoc est contra rationem ultimi finis totalis: ergò. 14.

Inferes secundò; Nec fieri posse, ut homo sit efficaciter conversus in unum finem ultimum actualiter, & in alium habitualiter. Nam efficax conversio necessariò destruit habitualem conversionem in alium finem, siquidem per illam homo se & omnia sua refert in finem; sed si remaneat habitualis conversio in alium finem ultimum, hóc ipsò actualis illa conversio non est efficax. 15.

Inferes tertiò; contra Suar. tract. 1. de act. hum. disp. 3. se. 2. ne quidem simul consistere posse duos fines, quorum unus sit positivè, & alter negativè ultimus, vel quorum uterque tantùm sit negativè ultimus. Non primum, quia cùm finis positivè ultimus dicatur ille, ad quem omnia referuntur, & qui super omnia appretiatur, jam finis positivè ultimus non esset positivè ultimus, si præter se haberet finem negativè ultimum, quippe qui ad ipsum nullatenùs foret relatus. Non etiam secundum, quia voluntas debet habere aliquem finem simpliciter & positivè ultimum, quem super omnia diligat, ut partim constat ex num. 3. partim infrà §. 6. dicetur. 16.

Inferes quartò: Nec simul dari posse duos fines ultimos, quorum unus sit formaliter, alter virtualiter intentus, vel enim uterque appeteretur ut completè satiativus, vel non: vel ordinarentur ad se invicem, vel non. Quidcunque dicatur, cessat ratio finis ultimi, juxta super. dicta: ergò. 17.

Inferes quintò. Non repugnare simul in voluntate duos fines ultimos, quorum unus in ratione finis ultimi sit simpliciter, & efficaciter; alius verò inefficaciter, & secundùm quid volitus. Constat primò: quia peccator in statu peccati mortalis constitutus, potest facere opus moraliter bonum, v. g. dare eleemosynam: sed tunc ratione peccati mortalis est habitu conversus in creaturam: aliàs hoc opus jam non esset moraliter bonum: ergò tunc simul habet duos ultimos fines, non quidem utrumque efficaciter, sed unum efficaciter, & alterum inefficaciter intentos. Constat secundò, In homine justo venialiter peccante, nam cùm peccatum veniale tanquam malum morale nullò modò sit ordinabile in DEUM, venialiter peccans pro ultimo fine habebit creaturam, non quidem efficaciter, sed inefficaciter intentam, & tamen per habitum charitatis, qui per veniale non destruitur, homo tunc efficaciter, habitualiter tamen est conversus in DEUM, ut ultimum finem simpliciter & efficaciter intentum. 18.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò: Gentiles & Pagani de facto existimant esse plures DEos; & in ipsorum cultum 19.

cultum se & omnia sua referunt: ergò de facto habent plures fines ultimos: quia quidquid apprehenditur in ratione DEI, apprehenditur in ratione summi boni, & finis ultimi.

Respondeo. Cùm gentiles profanos Deos coluerint, & colant propter temporalem aliquam felicitatem, honores, divitias &c. potiùs in sua commoditate, quàm in ipsis Dijs finem suum ultimum constituere, posito tamen, quòd etiam in cultum deorum omnia sua referant, aut retulerint, tunc finem ultimum collocâsse in omnibus Dijs simul sumptis, quorum uni frugum ubertatem, alteri tempestatum, alij maris, voluptatum &c. patrocinium & gubernationem tribuebant. Ideóque plures Deos tanquam ultimos fines partiales colebant. Ad probationem Respondeo, quidquid in ratione DEI secundùm veram & adæquatam rationem Deitatis apprehenditur, illud apprehenditur sub ratione summi boni, concedo, quidquid apprehenditur sub falsa & partiali solùm ratione Deitatis, nego.

20. Objicies secundò. Dantur in intellectu plura prima principia, in quæ omnia alia resolvuntur; nec ipsa ad se invicem referuntur: ergò etiam in voluntate possunt dari plures fines saltem negativè ultimi, qui ad se invicem non referantur, ut si quis disparatim in voluptate & divitijs summam suam felicitatem collocet.

Respondeo negando antecedens. Omnia enim principia intellectûs speculativi reducuntur ad istud: quodlibet est, vel non est; & omnia principia intellectûs practici ad illud: declina à malo, & fac bonum.

Objicies tertiò. Qui mortaliter peccat, non ideò amittit Theologicam virtutem spei, per quam tendit in DEUM, ut nostrum finem ultimum, & beatitudinem objectivam: ergò peccatum præter finem ultimum, quem sibi peccando constituit, insuper habet DEUM pro ultimo fine.

Respondeo. Distinguendo alterum membrum 21. antecedentis, tendit inefficaciter in DEUM, concedo, tendit efficaciter, nego. Item tendit in Deum ut finem ultimum aliquando consequendum & possidendum, concedo, ut hîc & nunc super omnia appretiandum, nego antecedens & consequentiam. Quia spes non tendit in DEum sub ea ratione, ut voluntas ipsum super omnia appretiando se & omnia sua in ipsum convertat; hoc quippe proprium est charitatis, quæ DEum respicit, sub qua ratione est super omnia amabilis, adeóque non tantùm ut objectum & finis operis, sed etiam ut est ultimus finis operantis. Spes autem solùm tendit in DEUM, ut aliquando mediantibus Divinis auxilijs possidendum.

ARTICULUS II.

In quo mortaliter peccans constituat suum finem ultimum?

SUMMARIA.

1. *Peccans pro fine simpliciter ultimo habet bonum creatum.*
2. *Idque formaliter est proprium commodum peccantis.*
3. *Authoritas D. Augustini. 4. & D. Thomæ.*
5. *Natura viciata seipsam ultimatò respicit.*
6. *Peccatum ex indiscreto zelo & ignorantia vincibili non habet DEum pro ultimo fine.*
7. *Quomodo fieri possit, ut DEUS ametur plùs, quàm creatura, nec tamen sit finis ultimus?*
8. *Proprium commodum per reflexionem in suppositum peccantis fit finis determinatus.*
9. *Animus statim resipiscendi non tollit, quò minùs peccans efficaciter habeat creaturam pro fine ultimo.*
10. *Sententia Gonetti.*
11. *Eligitur contraria, dicens, finem ultimum peccantis esse bonum proprium inordinatum.*
12. *Quia juxta SS. PP. ultimus finis peccantis est bonum commutabile.*
13. *Idque objective malum.*
14. *Respondetur ad objectiones Gonetti.*

§. I.

Statuitur doctrina Thomistica.

1. SUppono, quòd omnis peccans mortaliter, quantùm ad affectum & interpretativè, constituat suum finem ultimum simpliciter in bono creato. Ita S. D. q. 28. d. Verit. a. 1. peccator, inquit, quantùm ad affectum præponit creaturam creatori diligens plus creaturam, quàm creatorem. Et crebrò indicatur in S. Scriptura. ut Deut. 32. Dereliquit DEum factorem suum, & recessit à DEO salutari suo. Is. 1. *Væ genti peccatrici, dereliquerunt DEUM, abalienati sunt retrorsum.* Jer. 2. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas &c.* In hunc eundem sensum loquuntur SS. PP. & D. Augustinus l. 2. de libero arbit. c. 19. definiunt peccatum mortale, quòd sit *aversio ab incommutabili bono, & conversio ad commutabilia bona.* Ac rursùs 15. de Trinit. *Peccatum ordine neglecto amantes præ te, quod est conditum propter te.*

Et ratio est: actio, quâ quis mortaliter peccat, est actio honesta, adeóque propter aliquem finem ultimum determinatum, ut deinceps dicetur; sed non est propter verum & increatum finem ultimum: ergò est propter finem ultimum apparentem & creatum.

Dubium est. Quodnam sit illud bonum creatum, in quo peccans sibi ultimum finem constituit. Nam Vasq. disp. 5. c. 1. & 3. existimat, ultimum finem saltem negativum peccantis esse ipsum objectum circa quod peccati mortalis, ut est voluptas respectu libidinis; pecunia respectu furti. Curiel existimat peccantis ultimum finem esse aggregatum ex omnibus bonis creatis, circa quod homo peccat. Alij aliter. Thomistarum & nostra est

CONCLUSIO. *Finis ultimus totalis mortaliter peccantis in concreto est ipsemet peccator, ita quidem, ut persona peccantis sit finis cui; proprium verò bonum seu commoditas proprij suppositi sit finis cujus, ad quem referuntur, in eóque adunantur* 2.

particulares & proximi fines intermedii quorumlibet peccatorum, lucrum avari, voluptas libidinosi &c. Ita communis Thomistarum.

3. Probatur primò authoritate Divi Augustini l. 15. de civit. c. 28. dicentis: quòd sicut *amor DEI ædificat civitatem cælestem, usque ad contemptum sui; ita amor sui ædificat civitatem terrenam usque ad contemptum DEI.* Ubi indicat, originem peccatorum esse pravum amorē suiipsius, ita ut ipsemet peccator per inordinatum sui amorem sit primum movens in intentione, ex quo consequuntur operationes præmotæ ad contemptum DEI. Prout etiam indicavit Apostolus ad Philip. 2. de peccatoribus dicens: *Omnes quærunt, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi.* Ipse etiam Aristoteles l. 9. Eth. c. 4. & 8. asseruit: *Pravus sui gratia agit, & tantò magis, quantò pravior est.*

4. Probatur secundò authoritate Doct. Angelici in 2. dist. 42. q. 2. a. 1. dicentis: *Finis ultimus in amore commutabilium bonorum est ipse homo, propter quem omnia alia quærit.* Et infra q. 77. a. 4. *Inordinatus amor sui est causa omnis peccati.* & q. 82. a. 2. *Finis in omnibus temporalibus acquirendis est, ut homo per illa quamdam perfectionem singularem & excellentiam habeat.*

5. Probatur tertiò ratione. Illud habet rationem finis ultimi, cujus intuitu cætera omnia diliguntur, sed intuitu commodi & boni proprii à peccatore cætera omnia diliguntur: ergò. Minor præter authoritates præallegatas probatur. Omnis inclinatio tendit in bonum naturæ, in qua radicatur, est enim appetitus secundùm naturam: sed affectus peccatoris est inclinatio naturæ sibi relictæ: ergò tendit in bonum proprium; uti econtra affectus justi, quia est ex gratia & charitate, est inclinatio naturæ participativè Divinæ, ideòque tendit in bonum Divinum.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

6. Objicies primò: Potest aliquis peccare mortaliter, & nihilominùs plùs DEUM quàm creaturam diligere: ergò peccator non semper constituit finem ultimum in creatura. Antecedens probatur multipliciter. Nam primò peccant aliqui ex indiscreto zelo, existimantes, se obsequium præstare DEO. De quibus Apostolus Rom. 10. dicit, quòd zelum quidem habeant, sed non secundùm scientiam: Atqui talis creaturam DEO non præferret; siquidem peccaret ex nimio studio placendi DEO.

Secundò datur etiam peccatum ex ignorantia vincibili, quo quis facit actionem malam, existimans, se per illam implere præceptum DEI: ut, si vincibili errore quis existimans se facere obsequium pietatis, occidat seipsum, uxorem aut liberos, ne veniant in partem infidelium. Quo casu similiter non peccat ex affectu inordinato erga creaturam, sed potiùs erga DEUM.

Tertiò. Sit quis paratus furari, ita tamen, ut pro furto nolit se exponere periculo vitæ: qui tamē sit paratus etiam cum periculo vitæ profiteri fidem; is utiq; plùs DEUM amat, quàm creaturam; siquidem vitam postponit DEO, non autem lucro pecuniario. & Christus ipse Jo. 13. dixit, quòd nemo habeat majorem charitatem, quàm ut animam ponat pro amicis: & tamen iste peccat mortaliter per voluntatem furandi.

Respondeo, negando antecedens, & ad 1. probationem nego minorem. Nam etiam, qui peccant ex imprudenti zelo, ex inordinato sui amore, inducuntur in eam Judicii pertinaciam, ut negligant disquirere, quænam sit voluntas Dei beneplacens & perfecta: unde non omnis, qui dicit: Domine, Domine, & quomodocunq; honorē Dei pro objecto suæ actionis præfigit, sed, qui eo modò præfigit, quo Lex Divina præscribit, ille ex dilectione DEI operatur: alioquin seipsum magis, quàm Deum amare convincitur. Eadem est responsio ad 2. probationem. Illa quippe negligentia legem & obligationē inquirendi radicatur in proprio amore, virtualiter prælato Legi Divinæ.

Ad 3. probationem Respondeo. In illo casu homo plùs diligit DEUM sub ratione boni particularis, quatenùs est finis operis, & proximum objectum fidei, concedo, sub ratione finis ultimi, & ut est finis operantis, nego. Item diligunt plus DEUM, quàm creaturam, quæ est lucrum furtivum, concedo, quàm creaturam, quæ est proprium commodum, nego. Si enim Deum plus diligeret, quàm proprium commodum, legem DEI amore proprii commodi non transgrederetur. Ad authoritatem ex Jo. 13. Respondeo, Hoc verum esse, quando quis animam, h. e. vitam ponit ex appretiativo amore DEI super omnia: non autem, quando ex sola firma adhæsione ad virtutem fidei (quamvis ut in Tract. d. fid. dicitur, Divina providentia non facilè permittat martyrium, nisi ex charitate imperatum, tunc enim locum haberet illud Apostoli Cor. 13. Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. 7.

Objicies secundò. Finis simpliciter ultimus peccatoris debet esse determinatus; sed bonum, proprium satiativum non est finis ultimus formalis in communi, quem omnes æquè justi ac injusti appetunt: nemo enim est, qui non velit sibi benè & beatè esse: ergò non est finis determinatus in particulari. 8.

Respondeo distinguendo minorem. Bonum proprium satiativum in communi, ut præcisum à deordinata est recurva reflexione in proprium suppositum est finis ultimus formalis in communi non determinatus, concedo, bonum, vel potiùs commodum proprium deordinatè reflexum & restrictum ad proprium suppositum cum subtractione à regula superiori, nego minorem. Atque per ly proprium intelligimus illam recurvam ac deordinatam reflexionem boni convenientis ad proprium suppositum, in quo peccator cum subtractione à Divina regula & vero fine ultimo pravè conquiescit.

Objicies tertiò: qui peccatum committeret animo statim resipiscendi, non efficaciter converteretur in creaturam ut finem ultimum, & tamen peccaret mortaliter: ergò non in omni peccato mortali creatura est finis simpliciter ultimus efficaciter intentus. Antecedens probatur à pari. Qui ageret pœnitentiam animò brevi iterum peccandi, non seriò converteretur in DEUM ut finem ultimum; ergò pariter, qui committe- 9.

ret

ret peccatum animô ſtatim reſipiſcendi, non ſeriò converteretur in creaturam ut ultimum finem.

Reſpondeo, negando primum membrum antecedentis, & paritatem probationis. Diſparitas eſt, quòd, ut quis ultimum finem interpretativè, & quoad affectum ſimpliciter ponat in creatura, ſatis eſt, quòd pro unico inſtanti Deum, ejuſque legem & amicitiam creaturæ poſtponat, grave præceptum transgrediendô, ut autem efficaciter convertatur in Deum, tanquam finem ſimpliciter ultimum, debet habere propoſitum efficax Deo ſemper & pro ſemper adhærendi, ejúſque legem ſervandi, quale non habet, qui pœnitentiam agit, vel potiùs ſimulat cum animo ſtatim iterum peccandi.

§. III.

Hoc bonum proprium peccatoris eſt inordinatum.

MAnet ergò, bonum illud creatum, in quo voluntas peccatoris ultimatò quieſcit, eſſe bonum proprium. Non eodem tamen modo hoc bonum proprium Thomiſtæ explicant Gonett de peccatis. diſp. o. a. 2. cum Salmanticenſ. Vult eſſe bonum proprium & perfectivum naturæ appetentis, prout abſtrahit à creato & increato, honeſto & delectabili, connotat tamen privationem gratiæ & charitatis. Et in hunc finem, ait, omnes actus peccatoris ſive malos, ſive moraliter bonos referri cum hoc diſcrimine, quòd mali ſeu peccaminoſi ſiſtant in bono proprio, cauſando ſimul privationem gratiæ & charitatis, actus vero moraliter boni præſcindant ab illa privatione. At verò Jo. à S. Th. hic a. 7. Gibbon diſp. 3. dub. 4. §. 2. docent, ultimum finem peccatoris conſiſtere in bono proprio creato inordinato & contrario legi Divinæ, ſive prout habet conjunctam pri-
11. vationem debitæ ordinationis in regulam Divinam & rectæ rationis.

Hanc poſteriorem ſententiam amplector & probo primò. Niſi ultimus finis peccatoris eſſet bonum proprium inordinatum, amor ſui & ſuperbia non rectè dicerentur *radix & initium omnis peccati*. Conſequens eſt contrarium S. Scripturæ & D. Th. infrà q. 84. a. 2. & 22. q. 162. a. 1. ſequela quoad 1. membrum probatur: velle bonum, quod abſtrahit ab inordinato, ut ſic non eſt initium peccati: ſed amor ſui eſſet velle ſibi bonum tali modo abſtrahens: ergo non eſſet initium peccati. Ideo S. D. q. 8. de malo. a. 1. ad 19. dicit: *capita vitiorum includunt inordinatum ſui amorem.* Eadem ſequela quoad 2. membrum probatur. Peccatum ſuperbiæ eſt appetitus excellentiæ inordinatæ & indebitæ, ut conſtat ex dictis in Tract. de Ang. c. 8. §. 3. *de peccato Angelorum*: ergò ſi radix omnis peccati eſt ſuperbia, debet af-
12. fectus peccatoris reſpicere excellentiam, ſeu bonum proprium inordinatum.

Probatur ſecundò. Ex modo loquendi SS. PP. homo per mortale peccatum avertitur ab increato & incommutabili bono, & convertitur ad bonum commutabile: ſed bonum proprium ut abſtrahens à creato & increato, non eſt bonum creatum commutabile: ergò ut ſic non eſt ultimus finis peccantis mortaliter.

Confirmatur primò. Ultimus finis peccantis eſt irreferibilis in Deum; ſed bonum proprium hominis ut ſic non eſt irreferibile in DEUM: ergò.

Confirmatur ſecundò: Illud bonum proprium vel admittit, vel excludit ordinem debitum in finem ſuperiorem. Si admittit, jam nec eſt finis ultimus, nec peccaminoſus. Si excludit, hôc ipsô eſt bonum inordinatum.

Unde non dicas cum Gonet loco citato, finem mortaliter peccantis exinde ſatis eſſe irreferibilem in DEUM, quòd connotet privationem gratiæ & charitatis.

Nam contrà eſt: quòd ideò connotat gratiæ & charitatis privationem, quia cauſat, & exclu- 13
dit: ſed non cauſat & excludit, quam quia eſt bonum contrarium ordini charitatis & legis Divinæ: ergò.

Probatur tertiò hac ratione: Finis ultimus per actum peccati ultimatè intentus debet eſſe objectivè malus; ſed bonum proprium ut abſtrahens ab honeſto & inhoneſto non eſt finis objectivè malus: ergò nec eſt finis ultimus mortaliter peccantis. Minor eſt certa. Major probatur. Actus rationem boni vel mali moralis non tantùm accipit ab objecto, ſed etiam ex fine, ut hic a. 3. docet S. D. & ex dicendis conſtabit: ſed finis ultimus non minùs exercet rationem finis, quàm alij fines proximi & intermedij: ergò ſi iſti ſunt objectivè mali & inordinati, etiam finis ultimus peccantis debet eſſe objectivè malus & inordinatus, præſertim cùm in ultimo fine reperiatur prima ratio finalizandi, à qua omnes intermedij fines in finalizando dependent.

Confirmatur. Finis quantumvis ſecundùm ſe & ex objecto bonus, e. g. largitio eleemoſynæ, tamen in actu exercito efficitur objectivè malus, quando eſt ratio eligendi malum medium v. g. furandi; ergò quantumvis bonum proprium ſecundùm ſe abſtractè conſideratum non ſit inordi-
natum, tamen quia in actu exercito hic & nunc 14.
eſt ratio finalis ultima eligendi finem proximum mortaliter peccaminoſum, & mortaliter malum, etiam erit objectivè malum & inordinatum.

Dices primò. Bonum inordinatum referri poteſt ulteriùs, ut ſi fureris ob dandam eleemoſynam: ſed ultimus finis peccantis non poteſt referri ulteriùs: ergò bonum inordinatum non eſt ultimus finis peccantis.

Secundò ſequeretur, quòd omnes actus eliciti in ſtatu peccati mortalis, etiam ex objecto morali boni eſſent peccata mortalia: quia haberent pro fine ſimpliciter ultimo bonum proprium peccatoris inordinatum.

Reſpondeo ad 1. Bonum inordinatum particulare, ut eſt in propoſito lucrum furtivum inordinatum poteſt referri ulteriùs, concedo, bonum proprium præſcindens ab hoc vel illo in particulari, quod dicimus eſſe finem ultimum peccantis, nego majorem; & pariter diſtincto conſequente, nego conſequentiam.

Ad 2. nego ſequelam & probationem diſtinguo. Illi actus moraliter boni pro fine ultimo tantùm habitualiter intento haberent bonum proprium inordinatum, concedo, actualiter in

tento

tento, nego: Sed actus habentes pro fine ultimo actualiter intento bonum proprium inordinatum, sunt moraliter mali, concedo, tantùm habitualiter intento, nego minorem & consequentiã.

Si petas, in quem igitur finem ultimum referatur actio peccatoris moraliter honesta, ut est largitio eleemosynæ?

Respondeo, referri inefficaciter in DEUM, ut ultimum finem secundùm quid. Quorum ratio patebit ex a. sequenti.

ARTICULUS III.

In quo venialiter peccans constituat finem ultimum?

SUMMARIA.

1. *Status controversia.*
2. *Quo sensu admitti possit, venialiter peccantem habere creaturam pro fine ultimo negative?*
3. *Quid sit, omnia habitu referri in finem ultimum?*
4. *Venialiter peccantis finis ultimus est proprium commodum inordinatum.*
5. *Inefficaciter intentum.*
6. *Ideò non est ultimus finis simpliciter.*
7. *Ad finem simpliciter ultimum sufficit, ut in ipsum omnia referantur actu, vel habitu.*
8. *Peccatum veniale non dicitur fieri propter DEum.*
9. *Peccans venialiter inhæret bono temporali, non ut fruens, sed utens.*
10. *Quo sensu veniale peccatum non sit contra legem DEI.*
11. *Quid sentiendum de peccatore faciente opus moraliter bonum.*

§. I.

Præsuppositâ.

1. FActâ duplici hypothesi, primò, quòd homo quolibet actu humano feratur in aliquem finem ultimum, etiam determinatum & materialem, ut in art. seq dicemus. Secundò, quòd peccatum veniale ceu malum morale sit irreferibile in DEUM, nec tamen destruat habitum gratiæ & charitatis, quo justus habitualiter est conversus in DEUM ut ultimum finem, exurgit non levis difficultas, an non venialiter peccans simul & semel habeat duos fines simpliciter ultimos, unum nempe DEUM vi gratiæ & charitatis, alterum bonum proprium, vi peccati venialis irreferibilis in DEUM.

2. Et quidem Suarez, Vasq. Gibbon affirmant, venialiter peccantem pro fine negativè ultimo habere illam creaturam, cujus gratiâ à lege deflectit, licèt enim in illam non omnia referat, ipsam tamen non refert ulteriùs, quæ sententia si per creaturam ceu finem negativè ultimum, intelligat bonum proprium inordinatum, quod sub ratione finis actualis, & ex parte operis nec actu, nec virtute refertur in DEUM, benè tamen habitu, & ex parte operantis, in re est nostra sententia, & solo loquendi modo differt. Si verò intelligat objectum peccati venialis, quod ulteriùs nec actualiter, nec habitualiter refertur, sustineri non potest.

Primò. Quia hac ratione DEUS non esset finis simpliciter ultimus peccantis venialiter: sed hoc est absurdum: ergo. Sequela probatur. Finis simpliciter ultimus requirit, ut quæcunque appetuntur, aliquo modo in ipsum referantur: sed illæ creaturæ & objecta peccatorum venialium, ceu fines negativè ultimi nullo modo referuntur in DEUM: ergò

Secundò. Potest unum objectum peccati venialis referri ad aliud, uti cùm quis propter vanam gloriam leviter mentitur: ergò objecta peccatorum venialium non sunt fines negativè ultimi.

Tertio. Omnis inclinatio â natura proveniens (ut antè dictum,) ultimatò tendit in bonum illius naturæ: ergò etiam peccatum veniale ultimatò non sistit in bono & objecto particulari, quod appetitur, sed ulteriùs in bonum proprium ordinatur.

Pro hujus difficultatis solutione notandum est ex S. D. infr. q. 88. a. 1. ad 7. & 3. 2. 2. q. 24. a. 10. ad secundum, q. 7. de malo a. 1. ad 4. ad rationem ultimi finis simpliciter sufficere, ut omnia in ipsum referantur, si non actu vel virtute, saltem tamen habitu, & sic in homine justo peccata venialia, eorumque objecta habitu referri in Deum. Porrò hæc habitualis relatio plus non dicit, quàm quòd veniale peccatum ex vi sua non destruat, sed relinquat habitum charitatis, qui suâpte naturâ est efficax ad omnia actu referenda in Deum, quæcunque sunt referibilia in ipsum. Et quia ex habitu charitatis homo ita est affectus erga DEUM tanquam finem ultimum. ut sit paratus omne bonum creatum, etiam id, cujus gratiâ venialiter peccat, deserere, si propterea Divinam gratiam se amissuram sciret, ideò ratione hujus habitualis affectûs in DEUM, adhuc ipsum, quantumvis venialiter offendat, appretiativè amet super omnia, & præfert cuicunq; bono creato, ac proinde habet pro fine ultimo simpliciter; sicut ex opposito, si peccator facit aliquod opus moraliter bonum, illud ipsum opus habitualiter refertur in bonum proprium tanquam ultimum finem simpliciter, quia per illum actum non aufertur efficax dispositio voluntatis, quâ pro amicitiæ Divinæ recuperatione non vult recedere à bono proprio, quod inordinatè diligit, sicque creaturam interpretativè & appretiativè plùs quàm DEUM diligit. Quo posito 3.

§. II.

Resolutio Thomistica.

CONCLUSIO. *Finis ultimus actualis peccantis venialiter est* [1] *ipsius bonum proprium inordinatum*, [2] *inefficaciter* intentum, [3] *quod proinde est finis ultimus non simpliciter, sed secundùm quid.* 4.

Primæ partis ratio est: Omnis actûs moraliter mali finis ultimus est bonum proprium inordinatum: sed peccatum veniale est actus humanus moraliter malus, præsertim si non sit veniale ex defectu deliberationis: ergò. Major ex dictis in a. præcedenti deducitur: Inclinatio naturæ non quiescit ultimatò in aliquo bono particulari

liali, quod non poteſt apprehendi ut ſatiativum appetitûs, ſed reflectitur tandem in proprium commodum, idque inordinatum, ſiquidem eſt excluſivum ſaltem actualis relationis in DEum: ſed peccatum veniale eſt talis inclinatio: ergò.

5. Secundæ partis ratio eſt: Illud bonum eſt ſub ratione ultimi finis efficaciter volitum, quod omnem relationem operantis non ſolùm actualem, & virtualem, ſed etiam habitualem in ſe convertit, ideóque appretiativè diligitur ſuper omnia: ſed bonum proprium, in quod homo per peccatum veniale convertitur, non ita in ſe rapit omnem habitualem relationem operantis, ut vi iſtius operationis omnis habitualis ordinatio in alium finem ultimum deſtruatur: ergò in ratione finis ultimi non eſt efficaciter volitum.

6. Tertiæ partis ratio eſt ex dictis: quia finis ſimpliciter ultimus eſt, qui appretiativè diligitur ſuper omnia, atque omnia propter ipſum; ſed bonum proprium non ita à venialiter peccante diligitur, ſiquidem peccato veniali gratia & charitas, quibus homo habitualiter ordinatur in DEUM, non deſtruuntur. E contrà finis ſecundùm quid, & in ratione finis actualis ultimus eſt, qui ex vi præſentis volitionis neque actu, neque virtute refertur in alium finem: ſed ita ſe habet bonum proprium inordinatum in peccato veniali; ergò.

§. III.

Solvuntur objectiones.

7. OBijcies primò: Ad finem ſimpliciter ultimum requiritur, ut voluntas ſe & omnia in ipſum referat: ſed peccans venialiter non ſe & omnia ſua refert in DEUM: ergò non habet DEUM pro ultimo fine ſimpliciter. minor probatur. Peccatum veniale eſt irreferibile in DEum: ergò peccans venialiter non omnia ſua refert in DEUM.

Reſpondeo diſtinguendo majorem. Requiritur, ut voluntas ſe & omnia in ipſum referat, vel actu, vel habitu, concedo; actu ſemper, nego. Sed peccans venialiter ſe & omnia ſua non refert actu in DEUM, concedo, in habitu, nego minorem & conſequentiam. Ad probationem conceſſo antecedente, ſimiliter diſtinguendo conſequens: ergò peccans venialiter non omnia refert in DEUM, actu concedo, habitu, nego conſequentiam.

Inquis. Implicat illud, quod eſt eſſentialiter irreferibile in DEUM, quocunque modo referri in DEUM: ſed peccatum etiam leviſſimum eſt eſſentialiter irreferibile in DEUM: ergò nec actu, nec habitu poteſt referri in DEUm. Quomodo ergo peccans venialiter omnia ſua habitualiter refert in DEUM?

Reſpondeo. Implicat quocunque modo peccatum veniale referri in DEUM poſitivè, & ex parte actûs, concedo, negativè & ex parte ſuppoſiti, nego. Senſus eſt, quòd homo juſtus per habitum gratiæ & charitatis ita ſit converſus in DEUM, & in illa animi diſpoſitione conſtitutus, ut nolit quicquam eorum committere, quo ſciat violandam eſſe converſionem & amicitiam cum DEO: Unde ſi ſciret per aliquod peccatum veniale Divinam amicitiam eſſe deſtruendam, mallet illud intermittere, quàm Divinam amicitiam violare. Voluntas igitur hominis juſti gratiâ & charitate inſtructi abſolutè vult omnia ſua opera tendere ad conſervandam charitatem & amicitiam cum DEO, vel poſitivè, in quantum eſt parata elicere actus bonos referibiles in DEUM, & conducibiles ad augmentum charitatis; vel negativè, in quantum in actibus defectuoſis & irreferibilibus in DEUM, ita tamen timore & amore DEI temperat & refrænat affectum, ut virtualiter & interpretativè malit ab iſto actu deſiſtere, quàm Divinam amicitiam violare. Ex qua voluntatis diſpoſitione adhuc DEUS manet appretiatus ſuper omnia. Et hanc poſteriorem relationem habitualem vocamus negativam, quia eſt habitualis diſpoſitio voluntatis cauſans negationem nimiæ adhæſionis ad objectum creatum, quâ violari poſſet amicitia Divina. Illam priorem vocamus relationem poſitivam, quia eſt diſpoſitio in actus virtuoſos poſitivè inclinans.

Dices. Actus, qui fiunt propter DEUM, ſunt moraliter boni: ſed peccatum veniale fit propter DEUM; quia habitualiter ſaltem refertur in DEUM: ergò erit moraliter bonum. Reſpondeo negando minorem. Neque enim habitualis relatio præſertim negativa ſecundùm ſuperiorem explicationem tribuit actui moralitatem: neque ratione ipſius finis formaliter, vel virtualiter influit in actum. 8.

Objicies ſecundò: Qui peccandò venialiter inordinatè amat aliquod bonum creatum, v.g. pecuniam, luſum &c. vel amat illud, ut fruens vel utens, quia juxta regulam D. Auguſtini l. 83. q.q. omnis qui amat aliquid, aut amat utens, aut fruens. Sed ſi utitur, non peccat, quia uſus rei utendæ non eſt inordinatus. Si fruitur, tunc in illo collocat finem ultimum ſaltem negativè. 9.

Reſpondet S. D. infr. q. 88. a. 1. ad 3 qui venialiter peccat, inhæret bono temporali, non ut fruens, ſed utens. Ad probationem in contrarium Reſpondeo. Uſus ſtrictè acceptus non dicit inordinationem, concedo, uſus latè acceptus pro quolibet amore directè vel indirectè relato in alium finem, nego. Sic enim eſt malus, & dicitur abuſus.

Inquis. Si peccans venialiter habet pro fine ultimo bonum proprium, tunc illo fruitur: quia amor finis ultimi eſt fruitio: ſed frui rebus utendis eſt proprium peccati mortalis: ergò. Reſpondeo. Fruitur bono proprio, prout fruitio latiùs accepta ſignificat amorem excluſivum actualis relationis in alium finem ultimum. Non fruitur bono proprio, prout fruitio ſtrictiùs accepta excludit omnem etiam habitualem relationem in alium finem ultimum.

Inquis. Si peccatum veniale haberet pro ultimo fine bonum proprium, non tantùm eſſet præter, ſed contra legem DEI, ſed hoc eſt contra doctrinam S. D. 10.

Reſpondeo. S. D. in eo ſenſu negare, quòd peccatum veniale ſit contra legem DEI, quaſi nimirum deſtruat ordinem, finem & legem charitatis. non autem quaſi non contineat inordinationem aliquam repugnantem legi Divinæ.

Inferes.

11. Inferes. Hactenùs dicta proportionaliter esse accommodanda ad actum moraliter bonum ab homine in statu peccati mortalis constituto elicitum. Tunc enim vi habitualis adhæsionis efficacis ad bonum creatum & commutabile etiam actus moraliter bonus, actualiter, sed inefficaciter relatus in DEUM habitu & negativè refertur in finem ultimum proprii commodi, eò quòd illa conversio sit nimis debilis, quam ut possit eradicare habitualem relationem ad finem malum super omnia appretiatum.

Sed quid dicendum, si constitutus in statu peccati mortalis peccet venialiter? Respondeo tunc peccatum veniale per se inefficaciter actu referri in bonum proprium inordinatum, quia ex se non est sufficiens destruere habitum charitatis; per accidens tamen etiam habitu efficaciter convertitur in finem ultimum inordinatum, quia nimirum per accidens est in subjecto, quod se & omnia per antecedens peccatum mortale retulit in bonum proprium inordinatum: neque illum actum sufficienter revocavit.

ARTICULUS IV.

An, quæcunque vult homo, velit propter aliquem finem ultimum?

SUMMARIA.

1. *Homo in omni sua operatione intendit finem ultimum formalem.*
2. *Saltem implicitè & interpretativè.*
3. *Imò etiam formaliter, vel virtualiter.*
4. *Quid sit actus otiosus?*
5. *Bonum creatum, etiam dum inordinatè appetitur, servat habitudinem ad bonum in communi.*
6. *Omnis actus humanus est propter aliquem ultimum finem determinatum.*
7. *Efficaciæ intentionis duplex acceptio.*

§. I.

An & quomodo in omni actu humano intendatur finis ultimus formalis?

1. CErtum est primò: hominem in omni sua operatione finem ultimum formalem, h. e. bonum & felicitatem in communi appetere: *Omnis enim,* (ut præclarè Boëtius l. 2. de consol. prof. 2.) *mortalium cura, quam multiplicium studiorum labor exercet, diverso calle procedit, sed ad unum beatitudinis finem nititur pervenire.* Atque in hoc appetitu homines omnes conveniunt, *quoniam verum est,* (inquit D. Aug. l. 13. de Trinit. c. 5. *quòd omnes homines beati esse velint, idq; unum ardentissimo amore appetant, & propter hoc cætera quæcunque appetant.* Et ita D. Th. a. 7. *Quantùm ad rationem ultimi finis omnes conveniunt in appetitu finis ultimi, quia omnes appetunt suam perfectionem adimpleri, quæ est ratio ultimi finis, ut dictum est. Sed quantum ad id, in quo ista ratio invenitur* (nempe finem ultimum materialem in particulari) *non omnes conveniunt in ultimo fine.* Hæc S. D.

Et Ratio est: quòd cùm bonum sit adæquatum voluntatis objectum, quicquid appetit voluntas, vel appetit per modum boni perfecti, vel per modum boni tendentis ad perfectam beatitudinem. Si primum, jam appetit ipsam suam beatitudinem; si secundum, fertur in illud bonum propter suam beatitudinem; sive ut expleat appetitum, sicque in omni suo actu beatitudinem inquirit.

2. Unde certum est secundò, voluntatem in omni suo actu non quidem explicitè & actualiter, saltem tamen implicitè & interpretativè (quod aliqui, licèt minùs propriè, appellant virtualiter ex parte operis) tendere in finem hunc ultimum. Non semper actu tendit, quia, ut docet experientia, non semper actu cogitamus de fine ultimo, quoties circa objecta particularia occupamur. Tendit tamen saltem interpretativè & implicitè: ad hoc enim sufficit, quòd voluntas feratur in bonum imperfectum, quod tanquam pars & inchoatio boni perfecti ad illud suâpte naturâ referatur: atqui voluntas in omni sua operatione saltem tendit in aliquod bonum imperfectum, bono perfectè satiativo subordinatum, sicque tam bonis, quàm malis commune est, ut tendant in suam beatitudinem: nam *& qui malus est, malus non esset, nisi inde se beatum esse posse speraret,* inquit D. August. tract. de Epicur. c. 3.

Verùm, etiámne in omni suo actu humano hunc ultimum finem formaliter vel virtualiter (ly *virtualiter* propriè sumendo pro intentione influente per aliquam virtutem & effectum à se relictum) intendit? Negat Contensonus & existimat, aliquando tantum tacitè quæri beatitudinem, & finem ultimum in aliquo suo radio, quatenùs per omnem actum in omni objecto quæritur aliquid pertinens ad beatitudinem, puta honestas, delectatio, pax, &c. 3.

Sed Respondeo & dico, finem ultimum formalem in omni actu humano vel formaliter, vel virtualiter intendi: Ratio est. Tunc homo in omni sua operatione deliberata formaliter vel virtualiter agit propter ultimum finem in communi, quando omnem ipsius operationem deliberatam præcedit formalis intentio finis ultimi in communi, & absque morali interruptione in aliqua sua virtute effectu, & determinatione perseverat: sed hoc fit: ergò. Minor probatur. Quotiescunque homo aliquid de novo incipit operari, ad quod non erat determinatus ex præcedenti volitione finis in communi, toties de novo electionem finis in particulari præcedit formalis intentio finis in communi; sed hoc modò omnem operationem humanam propter aliquem finem in particulari præcedit intentio finis ultimi in communi, vel formaliter vel virtualiter influens: ergò. Major, in qua est difficultas, probatur inprimis ex D. August. 11. d. Trinit. c. 6. dicente: *Omnes istæ atque tales voluntates proprios fines habent, qui referuntur ad finem illius voluntatis, quâ volumus beatè vivere.* Deinde ex D. Th.

ex D. Th. infr. q. 9. a. 6. ad 3. ubi hæc habet : *DEUS movet Voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle.* Ex quibus sic ducitur argumentum. Nunquam homo seipsum de novo movet & applicat ad volitionem finis in particulari, nisi priùs à DEO moveatur ad volitionem finis in communi; ergò priusquam homo seipsum determinet ad volitionem finis, & boni in particulari, movetur ad volitionem finis in communi. Major est doctrina Doct. Angel. alibi pluribus expendenda. Minor probatur. Proprius operandi modus in homine est, ut procedat ab universalibus ad particularia, sæpè etiam intentio finis in particulari est mala & peccaminosa, quæ proinde à DEO ut speciali motore provenire non potest: ergò tantùm intentio finis in communi est à DEO ut speciali motore.

4. Sed dices primò : Hac ratione nullus actus humanus erit otiosus: quia otiosus est, qui ad nullum finem ordinatur: sed si omnis actus humanus refertur ad beatitudinem, nullus caret suo fine: ergò.

Respondeo, negando sequelam, ejúsque probationem distinguo : Actus otiosus est, qui ad nullum finem proximum convenientem & honestum ordinatur, concedo, ad nullum finem ultimum, nego. Nam ne actus sit otiosus, SS. PP. requirunt piam utilitatem, aut justam necessitatem: finis autem ultimus in communi, in quem voluntas necessariò fertur, cùm de se sit indifferens, ut applicetur ad finem particularem honestum, vel turpem, nullam actui tribuit moralitatem.

5. Dices secundò. Tametsi bonum creatum, ex cujus inordinato amore homo peccat, sit quædam participatio Divinæ bonitatis, non tamen illud appetendo dicimur hoc interpretativè & implicitè velle propter DEUM: ergò licèt bonum particulare sit pars & inchoatio quædam boni ut sic, non sequitur, quod homo amando bonum particulare, illud interpretativè velit propter bonum ut sic.

Respondeo, negando consequentiam & paritatem, quia bonum creatum, quatenùs à peccatore inordinatè diligitur, sicque substat malitiæ morali, non ampliùs est participatio Divinæ bonitatis, sed eidem opponitur, fitque irreferibile in illam: E contrà etiam, ut substat malitiæ, servat habitudinem ad bonum & beatitudinem in communi: quia non alia ratione à peccatore appetitur, nisi ut satiet & expleat appetitum: quæ appetitùs expletio est ipsa hominis beatitudo, & finis ultimus in communi.

§. II.

An etiam semper intendatur finis ultimus materialis.

Adhuc dubitatur. An omnis actus humanus sit insuper propter aliquem finem ultimum materialem, sive determinatum in particulari formaliter vel virtualiter intentum? Respondeo cum Gonet contra Contensonum aliósque plures, & dico esse. Nam licèt actus aliquis inefficax simplicis complacentiæ versari possit circa ultimum finem in communi & abstracto, efficax tamen intentio fertur in aliquem finem ut obtinendum; atqui finis ultimus obtineri non potest ut in communi & abstracto, sed ut determinatus ad certum subjectum: ergò efficax intentio finis ultimi fertur in illum ut determinatum in particulari: Sed omnis operatio hominis deliberata est vel ipsa intentio efficax finis ultimi, vel ex illa derivatur: ergò omnis operatio hominis diliberata est propter finem ultimum etiam determinatum, & in particulari. 6.

Sed dices. Si omnis actus humanus est vel ipsa efficax intentio, vel derivatur ex intentione efficaci finis ultimi: quomodo peccans venialiter pro fine ultimo inefficaciter volito habebit bonum proprium, veluti in Art. præcedenti affirmavimus? Respondeo efficaciam actûs posse dupliciter sumi, primò pro vi determinativa ad electionem mediorum pro consecutione finis utilium, & sumimus ita in præsenti; Secundò pro vi exclusiva omnis habitudinis in alium finem simpliciter ultimum, sive pro vi appretiativa finis ultimi super omnia, quo sensu accepimus efficaciam in §. præced. 7.

Potest igitur aliquod peccatum veniale efficaciter versari circa ultimum finem, quatenùs habet vim determinativam ad electionem mediorum pro consecutione ipsius; potest etiam sub alia ratione inefficaciter versari, quatenùs videlicèt non habet vim appretiativam ultimi finis super omnia, neque exclusivam omnis alterius habitudinis in alium finem ultimum.

DISPUTATIO III.

DE

Hominis beatitudine.

Ad q. 2. & 3. D. Th.

Considerato fine ultimo hominis in communi, designandum est illud bonum, in quo finis ultimus, & veræ naturæ rationalis Beatitudo consistat, quam Boëtius 3. de consol. appellat *statum omnium bonorum aggregatione perfectum.* D. Augustinus

stinus 5. de civit. c. 1. *rerum omnium optandarum cumulatam plenitudinem.* Formalius Angel. Doct. hic a. 1. *Bonum totaliter quietans & satians appetitum.*

Dividitur beatitudo sic accepta primò in naturalem, quam in statu Naturæ puræ, vel integræ solis naturæ viribus homo potest consequi; & in supernaturalem, ad quem non nisi per supernaturalia auxilia evehitur, de qua nobis sermo. Secundò in essentialem, & accidentalem, quarum illa occupatur in summo Bono per se primò & essentialiter satiativo; ista verò in bonis & objectis inferioribus & accessoriis, ut humanitate Christi, gloria corporis &c. Tertiò in formalem & objectivam, quæ simul sumptæ beatitudinem adæquatè constituunt. Formalis est operatio, quâ assequimur summum Bonum, quod totaliter explet, & satiat appetitum. Nunc primò de beatitudine objectiva, tum de formali, ejúsque proprietatibus; tandem de accidentali inquiramus. Unde sit

ARTICULUS I.

De Objectiva beatitudine hominis.

SUMMARIA.

1. *Fides docet, beatitudinem hominis consistere in bono increato.*
2. *Status quæstionis.*
3. *Existentia, attributa, & subsistantiæ relativæ intrinsecè pertinent ad constitutionē objecti beatifici.*
4. *Visa essentia parit connaturale desiderium videndi necessaria adjuncta.*
5. *Disparitas inter existentiam coloris respectu oculi, & existentia Divinæ essentiæ respectu visionis beatificæ.*
6. *Alia est in Deo ratio primi principii, & finis ultimi.*
7. *Ut relationes pertineant ad objectum beatificum, sufficit, quòd sint termini intrinseci Divinæ essentiæ.*
8. *Absoluta sunt priora relativis sola virtuali prioritate à quo.*
9. *Beatitudo non dicit perfectionem secundùm omnia sibi intrinseca.*
10. *An si per impossibile DEUS non esset Trinus, nihilominùs foret objectum beatificum?*
11. *Prioritas originis in DEO non impedit simultatem cognitionis.*
12. *Quomodo Pater æternus habeat è se ipso beatitudinem?*
13. *Sola Divina essentia est objectum formale visionis, ut est cognitio, non ut est beatifica.*

§. I.

In quo consistat objectiva beatitudo?

1. CErtum est ex S. Script. Hominis objectivam beatitudinem consistere in solo bono increato. Ita Psal. 16. dicitur. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Ps. 12. *Quid mihi est in cælo, & a te quid volui super terram?* Unde eleganter D. August. l. de Mor. Eccl. c. 8. *Bonorum summa DEUS nobis est, DEUS est nobis summum Bonum &c.*

Ratio est. In illo solo bono consistit objectiva beatitudo, quod solum potest satiare rationalem appetitum: sed solum bonum increatum Divinæ Essentiæ potest satiare hominis rationalem appetitum: ergò. Minor probatur primò. Solus ultimus finis potest ultimò explere, & satiare appetitum, quia quidquid propter aliud appetitur, non ultimatò satiat appetitum: sed solum bonum increatum est hominis finis ultimus; sicut est primum principium ipsius: ergò. Secundò potentia respiciens bonum universale, non satiatur aliquo objecto mutilato & particulari, sed intellectus & voluntas sunt potentiæ respicientes objectum universale, & amplissimum; ille verū, ista bonū ut sic: ergò satiari non possunt ab ulla creatura, quæ est bonum mutilatum, particulare, deficiens; sed ab illo solo expleri possunt, qui est ens per essentiam, in se continens omne verum, & omne bonum. Neque refert, quòd intellectus & voluntas hominis sint potentiæ finitæ: sunt enim potentiæ subjectivè & entitativè finitæ, objectivè tamen infinitæ; ideóque petunt expleri ab objecto infinito, non tamen modo infinito.

Aliam subtilem & metaphysicam quæstionem 2. excitant Scotistæ: an existentia & Trinitas Personarū ingrediatur metaphysicè essentiale objectū beatitudinis supernaturalis, ita, ut si per impossibile, (nam possibilem esse visionē Divinæ essentiæ sine existentia & Personalitatibus negavimus in Tract de DEO) visio Divinæ essentiæ non attingeret exercitā rationem existentiæ, neque subsistentias relativas Personarum, adhuc tamen Divina essentia esset objectum verè beatificum; sicque rationes existentiæ & personalitatum non sint de primario & essentiali, sed secundario, vel integrali tantùm conceptu objecti beatifici.

CONCLUSIO. *Non solùm essentia, sed etiam* 3. *Trinitas sive subsistentiæ relativæ Personarum & attributa pertinent intrinsecè ad constitutionem objecti beatifici.* Ita communiter Thomistæ cum S.D. 2.2 q. 2. a. 8. ad 3. Ratio fundamentalis est, quòd de ratione metaphysica objecti beatifici est, ut satiet & expleat omne justum desiderium, & appetitum Beati; sed essentia Divina præcisa ab existentia, attributis & personalitatibus non satiaret omne justum desiderium & appetitum beati: ergò. Minor probatur. Beatus desiderat Deum videre quidditativè & intuitivè, ut in se est, & subsistit: sed si tantùm videret Divinam essentiam præcisam ab existentia & relationibus, non videret illam ut in se est, tum quia non videret esse, quod est quidditativum constitutivum Divinæ essentiæ & distinctivum visionis intuitivæ ab abstractiva cognitione; tum quia non videret modos & terminos, in quibus essentia Divina subsistit.

Adde, quòd visâ essentiâ est connaturale de- 4. siderium ad videndas proprietates cum essentia necessariò & formaliter connexas; sed attributa & proprietates relativæ necessariò & formali-

maliter cum Divinæ essentiæ sunt connexæ: ergò Beatus habet connaturale desiderium videndi relativas proprietates. Vide, quæ diximus loc. cit.

§. II.

Solvuntur objectiones.

5. Objicitur primò Si Deus destructo colore conservaret visionem ipsius; oculus adhuc tam benè recrearetur visione pulchri coloris non existentis, quàm recreabatur visione illius existentis: ergò etiam intellectus tam benè potest recreari visione Divinæ essentiæ tantùm objectivè existentis, quàm nunc recreatur visione ejusdem exercitè existentis.

Respondeo primò, negando antecedens; quia, quidquid sit de possibilitate talis visionis, destructo colore visio non eodem modo perficeret oculum, quo priùs, siquidem non maneret intuitiva, nec repræsentaret colorem, ut in se est, sed fieret quodammodò abstractiva, in quantum repræsentaret colorem præcisè secundùm aliquod esse terminativum & objectivum in oculo.

Respondeo secundò. Existentiam non esse intrinsecum constitutivũ coloris, sicut est constitutivum Divinæ essentiæ; neque objectum oculi essentialiter exigere, ut sit adæquatè satiativum, hoc est autem prædicatum essentiale Divinæ essentiæ in ratione objecti beatifici, ut sit adæquatè satiativa: non autem esset adæquatè satiativa, nisi esset clarè visa, ut in se est.

6. Objicitur secundò. Ad rationem objecti beatifici satis est, quòd se Divina essentia exhibeat tanquam ultimum finem, & summum Bonum, sed essentia Divina etiam præcisis personalitatibus exhibet se ut summum Bonum, ergò. Minor probatur. In tantum DEUS habet rationem ultimi finis, in quantum habet rationem primi principii; sed ratio primi principii DEO convenit, ut est unus, non ut est Trinus, adeóque præcisis relationibus: ergò etiam hoc modo ipsi convenit ratio ultimi finis & summi Boni.

Confirmatur 1. Relationes Divinæ in nostra sententia, tradita in disp. de DEO Trino, non superaddunt perfectionem ad essentiam: ergò essentia Divina præcisis relationibus habet rationem summi Boni beatificantis.

Confirmatur secundò. Ratio summi Boni & beatitudinis pertinet ad perfectiones absolutas; sed perfectiones absolutæ sunt priores relativis: ergò etiam per prius convenit Divinæ essentiæ ratio summi boni & beatitudinis, quàm concipiantur proprietates relativæ.

Respondeo negando majorem: Licèt enim idem ens, quod est primum principium, sit etiam finis ultimus, & hæc duo inter se convertantur, in quantum ex se mutuò inferuntur, non tamen eadem sunt formalia prædicata beatitudinis, & ultimi finis, quæ sunt formalia prædicata primi principii, cùm ratio beatitudinis, & finis simpliciter ultimi importet essentiam DEI clarè & quidditativè in se visam, ideóque omnimodè satiativam, at ratio primi principii tantùm importet perfectionem naturali lumine cognoscibilem.

7. Ad 1. confirmationem nego consequentiam, ut enim personalitates relativæ intrinsecè pertineant ad rationem objecti beatifici, satis est, quòd sint termini intrinseci, in quibus essentia Divina subsistit, & sine quibus, ut in se est, quidditativè videri nequit.

Ad 2. confirmationem Respondeo. Ratio summi Boni pertinet ad perfectiones absolutas, quæ tamen necessariò includant aliquid relativum, concedo, quæ non includant, nego. Rursùs Absoluta sunt priora relativis, præcisè secundùm virtualem prioritatem à quo, concedo, secundùm virtualem prioritatem in quo etiam in cognoscendo, nego. 8.

9. Instabis primò. Beatitudo dicit perfectionem, relationes non dicunt perfectionem: ergò ratio beatitudinis convenit Divinæ essentiæ independenter à relationibus.

Respondeo cum distinctione. Beatitudo secundùm se totam & adæquatè sumptam, nego, inadæquatè sumpta, & secundùm rationem magis primariam, concedo. Nam adæquatè sumpta includit terminos intrinsecos, in quibus subsistit.

Instabis secundò. Si per impossibile DEUS tantùm esset unus, & non Trinus in Personis, adhuc essentia Divina esset objectum beatificum: ergò personalitates non sunt de ratione intrinseca ipsius.

Respondeo, quòd in hac hypothesi impossibili Divina essentia esset objectum beatificum alterius rationis, quàm nunc est; quia enim tunc aliter subsisteret in se, quàm nunc subsistit, etiam posset esse aliò modò clarè visa. 10.

Objicitur tertiò. Pater æternus est beatus visione suæ essentiæ, quatenùs præcisæ à personis: ergò personalitates non pertinent ad objectum beatificum. Antecedens probatur. Pro illo priori originis, quo Pater æternus cognoscendo suam essentiam producit Filium, Filius non ingreditur objectum cognitionis, quia pro illo priori essentia nondum intelligitur Filio communicata, nec Filius intelligitur productus, & tamen pro illo priori Pater æternus intelligitur beatus visione suæ essentiæ: ergò est beatus visione suæ essentiæ quatenùs præcisæ à personalitatibus. 11.

Confirmatur 1. Pater habet beatitudinem à se ipso independenter à Personis; ergò Personæ non pertinent ad objectum beatificum ipsius.

Confirmatur 2. Sola essentia Divina, ut virtualiter distincta à personalitatibus & attributis est objectum formale tum increatæ, tum creatæ visionis: ergò etiam se solâ præcisis personalitatibus & attributis potest esse objectum beatificum.

Respondeo, negando antecedens, ejúsque probationem, quia, ut dictum in disput. de DEO, ordo sive prioritas originis non impedit, sed exigit simultatem durationis & cognitionis. Ideóque etiam pro illo priori originis, quo Pater producit Filium, natura Divina intelligitur communicata, & Filius productus pro posteriori originis, h. e. ut accipiens naturam communicatam à Patre.

Ad 1. confirmationem distinguo antecedens. Pater habet beatitudinem à seipso principiativè, h. est. per exclusionem alterius principii, à quo illam accipiat, concedo, objectivè, h. e. per exclusionem alterius Personæ concurrentis in ratione objecti, nego. 12.

13. Ad 2. Confirmationem Respondeo inprimis per illam nimium probari; cùm enim essentia Divina sit etiam motivum formale comprehensivæ visionis, sequeretur, quod DEUS seipsum posset comprehendere non visis Personis, quod nemo concesserit. Secundò igitur distinguo antecedens. Est objectum formale visionis, ut est cognitio, concedo, ut est beatifica, nego. Nam visio sub ratione cognitionis exigit pro objecto formali motivo id, ratione cujus omnia in DEO sunt intelligibilia, sed hoc est essentia Divina, cujus essentiale constitivum est ipsum intelligere actualissimum. At verò sub ratione beatifica exigit pro formali objecto id, quod est summè satiativum & certificativum, quod non est, nisi essentia Divina ut in se clarè visa.

ARTICULUS II.

An beatitudo formalis consistat in operatione creata?

SUMMARIA.

1. *Variæ sententiæ de beatitudine.*
2. *Beatitudo formalis ponenda in operatione creata.*
3. *Quæ non est partis sensitivæ, sed rationalis.*
4. *Christi humanitas non beatificatur formaliter per unionem hypostaticam.*
5. *Increata DEI visio, non potest esse beatitudo formalis.*
6. *Neque substantialis illapsus Divinæ essentiæ in animam beati.*
7. *Neque gratia sanctificans, vel lumen gloriæ.*
8. *Neque potest à solo DEO procedere.*
9. *Exponitur modus loquendi SS. PP.*
10. *Disparitas inter hypostasin & visionem.*
11. *Substantia animæ est beatificabilis mediatè.*
12. *Beatitudo formalis est maxima perfectio sub ratione actualitatis ultimæ assecutivæ summi boni.*
13. *Quid sit gratia consummata?*
14. *An homo beatificet seipsum?*
15. *An Christus formaliter sit beatus per unionem hypostaticam?*

§. I.

Statuitur beatitudo formalis in operatione creata.

1. VAria fuerunt de hoc puncto Antiquorum placita: nam Henricus Gandavensis, Hugo de S. Victore, & quidam DD. Parisienses contendebant, beatitudinem formalem consistere in intimo illapsu Divinitatis intra animam beati. Qui illapsus quadruplicem patitur expositionem. Primò, quòd ipsa DEI essentia intimè penetrans substantiam Beati, illam quodammodò in se transformet, sicut ignis ferrum candens. Secundò, quòd DEUS intimè unitus intellectui Beati eundem per suámmet increatam visionem faciat & denominet videntem beatum. Tertiò [prout Amicus Henricum exponit disp. 2. sec. 4.] quòd ipsa animæ substantia per donum habituale gratiæ consumatæ fiat unita Divinæ essentiæ. Quartò, quòd solus DEUS actum visionis & fruitionis beatificæ in anima Beati efficiat, istâ passivè solùm se habente.

2. Vera & communis Duce Divo Thoma hîc art. 1. & secundò, sententia est, beatitudinem formalem creaturæ rationalis consistere in ipsius propria, creata, & elicita operatione. Cujus ratio est primò. Beatitudo formalis hominis est vita secunda ipsius juxta illud Rom. 6. *Gratia DEI vita æterna.* Et Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum DEUM.* Sed vita secunda hominis est operatio ipsius: ergò.

Secundò. Ultima hominis perfectio in genere vitæ intellectualis, assecutionis & possessionis Summi Boni, est operatio vitalis ipsius: sed beatitudo est ultima hominis perfectio in genere vitæ intellectualis. Major probatur. Quamdiu homo est in potentia perfectibili per actum secundum in genere vitæ intellectualis, tamdiu non habet ultimam perfectionem ejusdem generis; sed, si careat operatione vitali, est in potentia perfectibili per actum secundum in genere vitæ intellectualis: ergò.

Tertiò. Assecutio & possessio Summi Boni formaliter assecurativa Beati non potest intelligi absque vitali operatione ipsius; sed beatitudo formalis est adeptio & possessio Summi Boni formaliter assecurativa: ergò. Tandem sequenti §. constabit beatitudinem formalem consistere in actu visionis; sed hic est operatio vitalis: ergò.

Ex quo inferes 1. Hanc operationem vitalem non esse partis sensitivæ, sed rationalis, siquidem hæc sola est capax attingendi DEUM, ut finem ultimum & supernaturalem, uti pluribus insinuatum in Tract. de DEO. 3.

Inferes secundò: Quamvis unio hypostatica sit absolutè major perfectio, quàm visio beatifica, sítque fundamentum ipsius, quia Christo ratione unionis hypostaticæ debetur visio beatifica, Christum tamen non esse beatum formaliter per unionem hypostaticam, sed per visionem beatificam. Ratio ex dictis est: quòd unio hypostatica non sit operatio vitalis, nec unio assecutiva Summi Boni, qualem tamen esse visionem, mox dicemus. 4.

§. II.

Rejectio aliarum opinionum.

INferes tertiò: Beatitudinem formalem non posse consistere in increata visione DEI, quâ ipse est beatus. Ratio ex dictis patet: quia visio increata DEI non potest denominare Beatum vitaliter operantem, & videntem, ipsúmque in genere naturæ intellectualis intrinsecè ac ultimatò perficere; sed hoc totum requiritur ad beatitudinem formalem: ergò. 5.

Inferes

6. Inferes quartò. Beatitudinem formalem non posse consistere in illapsu Divinæ essentiæ in substantiam animæ, nisi per illapsum intelligas concursum Divinæ essentiæ per modum speciei intelligibilis ad causandam beatificam visionem. Ratio est eadem, quia illapsus ille non est vitale exercitium & operatio Beati. Adde, quòd ille illapsus non sit perfectior in ratione unionis, quàm sit unio hypostatica, quæ tamen animam Christi beatam formaliter non reddit.

7. Inferes quintò: Beatitudinem non posse consistere in lumine gloriæ, aut alio dono habituali, quia habitus nec dicit ultimam actualitatem & perfectionem, neque assecutionem Summi Boni, quam essentialiter dicit beatitudo.

8. Inferes sextò. Neq; per absolutam Dei potentiam fieri posse, ut beatitudo formalis procedat à solo DEO, anima Beati tantùm se habente passivè. Sic enim non esset operatio vitalis Beati; neque posset ipsum denominare videntem & viventem, aut vitaliter consequentem Summum Bonum, quod repugnat beatitudini formali.

Neque opponas antiquum illud: posse Deum se solô, quidquid potest cum causis secundis efficientibus: hæc enim propositio fallit; quotiescunque effectus habet essentialem dependentiam à causa creata, & quoties causa creata non solùm habet rationem causæ efficientis, sed etiam formalis vel subjectivæ & materialis respectu sui effectûs: atqui visio tanquam ex propria differentiali ratione vitale exercitium videntis & viventis vitâ intellectivâ, habet essentialem dependentiam à principio conjuncto creato, neque tantùm dicit habitudinem effectûs ad videntem tanquam ad suum principium effectivum, sed etiam habitudinem formæ informantis ad subjectum à se connaturaliter actuabile: hæc quippe duo sunt necessaria requisita ad vitam creatam in actu secundo, primò, ut sit actus vitæ elicitus à principio intrinseco vitali, secundò, ut in eodem recipiatur; vivere enim est moveri ab intrinseco, & à se operari.

Nec obstat, quòd in visione beatifica verbum intellectuale creatum, quod aliàs ab actu intelligendi dependet, à DEO suppleri dicimus: non enim suppletur secundùm adæquatam rationem verbi, nempe tam quoad rationem expressionis, tam quoad rationem speciei repræsentantis; sed secundùm inadæquatam rationem speciei repræsentantis, quæ sufficit ad terminandum actum visionis, éstque absolutè ab actuali expressione sive ab habitudine ad visionem exprimentem separabilis. At verò si DEUS se solo produceret visionem, intellectu Beati solummodò passivè & subjectivè se habente, deberet illam producere sub adæquata ratione operationis & visionis vitalis; cùm aliàs talis visio Beatum nec determinaret videntem, nec viventem, nec proinde sufficeret ad beatitudinem, hoc autem implicare ex dictis constat.

Petes. An saltem visio, aut alius actus vitalis v.g. amor secundùm inadæquatam rationem qualitatis, non verò operationis vitalis, à solo DEO produci, & in intellectu poni posset? Citantur pro hac sententia Capreolus & Cajetanus ab Amico hîc disp. 2. sect. 5. Verius tamen existimo, non posse: quia implicat poni in rerum naturâ genus, non positis differentijs specificis & individualibus v.g. poni animal Platonicum, quod nec esset homo, nec brutum: sed poni visionem, aut actum alium vitalem præcisè secundùm rationem qualitatis, non secundùm rationem actûs vitalis, nihil est aliud, quàm poni rationem genericam (qualitatis) non positis differentijs specificis (vitalitatis intellectivæ) ad determinatam speciem contrahentibus: ergò. Minor probatur. De ratione specifica actûs vitalis est, esse actum secundum, à principio intrinseco, esse tendentiam potentiæ in suum objectum &c. Ratio verò qualitatis est ipsi generica, & communis cum non vitalibus: ergò.

Confirmatur. Implicat rem poni, non positâ suâ essentiâ; sed essentiâ actûs vitalis est esse vitalem, esse tendentiam in objectum à principio intrinseco, præsertim in actu amoris, qui per essentiam est voluntarius, & consequenter à principio intrinseco: ergò implicat actum vitalem poni à principio purè extrinseco, relictâ ratione vitalitatis.

§. III.

Solvuntur objectiones.

9. Objic. 1. SS. PP. comuniter affirmant, in visione & amore beatifico animam transformari in DEUM, sicut ferrum candens in ignem, & diaphanum in lucem, ità ut anima cum suis potentijs appareat, quasi aliquid Divinum; atqui hic modus loquendi significat substantialem quemdam illapsum & unionem ipsius esse, vel intelligere Divini cum animâ Beati.

Nec est assignabilis implicantia talis unionis. Nam quomodo de facto personalitas Verbi Divini cum natura humana Christi; & secundò essentia Divina in ratione speciei intelligibilis immediatè unitur cum intellectu Beati. quid ergò repugnat increatam DEI intellectionem seipsâ uniri intellectui creato ad ipsum formaliter constituendum in esse intelligentis & videntis Divinam essentiam?

Respondeo: SS. PP. esse exponendos de transformatione partim participativa per lumen gloriæ, quo eleventur ad Divinum modum intelligendi, partim intelligibili per contemplativam defixionem in Divinam essentiam sibi in ratione speciei intelligibilis intimè unitam. Ratio verò implicantiæ petitæ est, quòd illa unio substantialis Beatum redderet ex hypothesi, & non redderet vitaliter videntem, fruentem &c. Siquidem implicat Divinam essentiam vel operationem vitaliter conjungi aut radicari in anima, vel potentia Beati; aut ab illo vitaliter procedere.

10. Hinc patet, quid sit dicendum ad positas instantias & paritates. Neque enim vel personalitas Verbi in humanitate, vel species intelligibilis in intellectu Beati habet rationem exercitij & operationis vitalis, sed illa termini hypostatici, ista motivi determinativi, & objecti terminativi intelligibilis: atqui beatitudo formalis ex propria ratione est exercitium vitale, & operatio vitalis Beati, ideóque debet in ipsa natura Beati tanquam principio immanenti radicari & originari.

Dices. Non minùs intelligere Divinum est infinitum in genere operandi, & eminenter continet omnem creatam operationem, quàm esse Divinum sit infinitum in genere essendi, & suppositandi, & eminter continet omnem hypostasin creatam: ergò si personalitas Divina potest per seipsam uniri naturæ, & supplere hypostasin ipsius, etiam Divinum intelligere poterit per seipsum uniri intellectui creato, & supplere creatam intellectionem ipsius.

Respondeo, negando consequentiam & paritatem. Non enim hypostasis sic originatur in ipsis naturæ visceribus, sicuti potentiæ & operationes; è quarum diversitate cognoscitur naturæ diversitas: unde sicut natura Divina substantialiter & immediatè cum creata natura non potest uniri, vel eandem supplere, sic neque Divina operatio humanæ naturæ immediatè uniri, aut creatam operationem potest supplere. Quæ eadem causa est, quòd olim PP. & Concilia ex diversitate operationum, diversitatem voluntatum & naturarum in Christo contra Eutychianos, & Monothelitas intulerint.

11. Objicitur 2. Anima non tantùm secundùm suas potentias, sed etiam secundùm suam substantiam est beatificabilis, sed hoc modo tantùm beatificatur, vel per illapsum ipsius Divinitatis, vel per gratiam sanctificantem: ergò.

Confirmatur 1. Beatitudo est perfectissima animæ unio cum DEO: sed unio essentiæ Divinæ per illapsum cum substantia animæ est perfectior, quàm illa, quæ fit cum potentia per modum objecti: ergò.

Confirmatur 2. Perfectissimæ formæ debetur perfectissimum subjectum: sed animæ substantia est subjectum perfectius, quàm sint potentiæ: ergò beatitudo, quæ est forma perfectissima, debet recipi immediatè in ipsa substantia animæ.

Respondeo ad 1. negando minorem. Nam per visionem Divinæ essentiæ potentiæ quidem ut quod & immediatè beatificantur, ipsa verò substantia animæ mediatè & ut quo beatificatur.

Ad confirmationem primam Respondeo. Beatitudo est perfectissima unio in genere consecutionis, concedo, in genere unionis, nego. Aliàs deberet esse unio hypostatica: sed unio Divinæ essentiæ cum intellectu Beati videntis DEUM, est unio perfectissima in genere unionis transeat, in genere assecutionis, nego minorem & consequentiam.

Ad 2. distinguo majorem. Perfectissimæ formæ debetur subjectum perfectissimum absolutè, nego, juxta formæ proportionem, concedo: sed animæ substantia est subjectum absolutè perfectius, concedo, juxta proportionem formæ recipiendæ, nego. Hæc enim cùm debeat esse vitalis operatio, pro suo immediato & proportionato susceptivo perfectissimo debet habere potentiam vitalem perfectissimam.

Objicies tertiò. Formalis beatitudo est omnium maxima perfectio in ordine perfectionum supernaturalium, sed maxima perfectio supernaturalis est gratia sanctificans: habitus quoque supernaturales sunt perfectiores ipsis actibus, quos producunt: ergò gratia sanctificans, aut aliud habituale donum potiùs habet rationem beatitudinis formalis, quàm aliqua operatio vitalis. 12.

Confirmatur. Gratia consummata est ejusdem rationis cum gratia habituali sanctificante: sed gloria est gratia consummata: ergò consistit in ipsa gratia sanctificante.


Respondeo distinguendo majorem, est omnium maxima perfectio sub ratione ultimæ actualitatis assecutivæ summi boni, concedo, sub quacunque ratione, nego: sed gratia & habitus supernaturales sunt perfectiores suis operationibus, sub ratione entitatis, & principij productivi, transeat, sub ratione actualitatis ultimæ, & assecutivæ summi boni, nego minorem & consequentiam.

Ad confirmationem nego majorem: nam gloria ideò vocatur gratia consummata, quòd sit illa supernaturalis operatio, in qua tanquam ultimato fine & termino consumantur omnes gratiæ in hac vita concessæ, & hæc est supernaturalis operatio. 13.

Obij. 4. Si beatitudo consisteret in vitali operatione, cujus principium elicitivum & effectivum foret ipsemet Beatus, tunc sequitur, quòd homo præmiaret & beatificaret seipsum: sed hoc est absurdum; cùm præmium æternæ beatitudinis debeat esse à DEO tanquam præmiante. 14.

Respondeo ad 1. membrum primò; sequitur, quòd homo præmiaret seipsum, ut quo, concedo, ut quod, nego. Præmium ut quo nihil est aliud, quàm assecutio præmij ut quod, & hæc utique est ab illo, qui præmiatur. Præmium verò ut quod nempe ipsum summum Bonum beatificum est à præmiante. Secundò negando utrumque membrum sequelæ: ut enim homo præmiaret & beatificaret seipsum, deberet principia & media eliciendi actum assecutivum summi Boni habere in sua potestate: atqui illa dantur à DEO, nempe lumen gloriæ, & ipsa Divina essentia concurrens in ratione speciei intelligibilis.

Colliges ex dictis: quamvis Christus Dominus præter visionem beatificam Divinæ essentiæ habuerit unionem hypostaticam, non tamen fuisse beatum formaliter per ipsam hypostaticam unionem, sed per visionem Divinæ essentiæ: quia nimirum, licèt unio hypostatica sit major perfectio, quàm visio, & fundamentum ipsius visionis, in quantum ipsa debebatur animæ Christi per hypostaticam unionem, non tamen hæc unio, sed visio fuit unio assecutiva summi Boni, quæ est essentialis ratio formalis beatitudinis. 15.



ARTI-

ARTICULUS III.

In quânam operatione rationali consistat beatitudo formalis?

SUMMARIA.

1. *Varij actus Beatorum.*
2. *Beatitudo accipitur vel integraliter, vel formaliter.*
3. *Varietas sententiarum.*
4. *Removetur a beatitudine formali actus voluntatis primò ex naturâ & inductione actuum voluntatis.*
5. *Secundò ex naturâ amoris.*
6. *Tertiò ex natura beatitudinis objectivæ.*
7. *Quartò ex natura consecutionis illius.*
8. *Eliditur responsio Adversar.*
9. *In sola visione consistere beatitudinem formalem ostenditur authoritate.*
10. *Essentiale requisitum beatitudinis formalis, quòd sit primordialis consecutio & possessio Summi Boni convenit soli visioni.*
11. *Item quòd sit primò distinctiva statûs patriæ à statu viæ.*
12. *Finis aliquando significat acquiescere in re possessâ.*
13. *Quo sensu comprehensio pertineat ad voluntatem?*
14. *D. Augustinus loquitur de beatitudine integrali.*
15. *Beatitudo formalis est intima unio consecutiva, non prosecutiva.*
16. *Quomodo beatitudo formalis adæquatè debeat satiare naturam intellectualem?*
17. *An & quomodo beatitudo teneat suum objectum?*
18. *Visio quomodo DEUM assequatur sub ratione Summi Boni?*
19. *An visio sit perfectissima operatio?*
20. *Qualis esset beatitudo hominis in purâ naturâ.*
21. *An & qualis datur beatitudo in hâc vitâ?*

§. I.

Præsupposita ad resolutionem Quæstionis.

1. NOtandum primò. Plures esse actus, quos Beati circa suum objectum beatificum eliciunt. Primus est clara & intuitiva DEI visio; de quâ 1. Jo. 3. *Videbimus eum sicuti est.* Secundò eliciunt actum amoris & charitatis, unde 1. Cor. 13. dicitur: *Charitas nunquam excidit.* Tertiò. Gaudium & delectationem: ideò *Matth.* 13. *Servus bonus & fidelis jubetur intrare in gaudium Domini sui.* Quia verò duplex est amor, videlicet amor amicitiæ seu benevolentiæ, quo amatur divina bonitas ut bona DEO; alter concupiscentiæ, quo amatur Divina bonitas ut bona videnti: ideò huic amori duplici respondet gaudium duplex, unum quo gaudet de omni bono DEI, quatenùs est bonum ipsius DEI: alterum, quo gaudet de eodem, quatenùs à se possesso.

2. Notandum secundò. Beatitudinem dupliciter posse considerari. Primò integraliter, prout dicit statum collectum ex omnibus bonis, quibus Beatus perficitur, Secundò formaliter & essentialiter, prout dicit primam assecutionem Summi Boni; ex quâ ceu fonte primordiali cætera bona cuncta promanant. Si primo modò accipiatur, certum est, in illa actus tam intellectûs, quàm voluntatis includi, quâ de causâ in S. Script. & SS. PP. modò visionis, modò fruitionis, modò gaudij nomine nuncupatur. Si accipiatur modo posteriori, variè sentiunt Authores, quorum sententiæ (ut jam exoletas relinquam) præcipuæ sunt tres.

Prima, quæ est Alberti M. D. Bonaventuræ, Suarezij, Amici. Disp. 2. sect. 6. docet beatitudinem formalem consistere in actu utriusque potentiæ, intellectûs & voluntatis, nempe simul in visione & amore. Altera est Scoti in 4. d. 49. q. 1. dicentis, illam in solo actu voluntatis, & quidem in amore amicitiæ consistere. Tertia est D. Thomæ, ejúsque sequacium, qui illam in solâ clarâ visione Divinæ essentiæ adæquatè collocant, & reliquos actus amoris, delectationis, fruitionis tanquam proprietates inseparabiles consequi docent. 3.

§. II.

Excluditur actus voluntatis.

CONCLUSIO prima. *Beatitudo formalis, nec adæquatè, uti vult Scotus, nec inadæquatè, uti vult prima sententia, consistit in actu voluntatis.* 4.

Ratio est primò. Actus voluntatis non potest esse consecutio Summi Boni: ergò in illo nec adæquatè, nec inadæquatè consistit beatitudo formalis. Consequentia patet: Anteced probatur. Omnis actus voluntatis circa ultimum finem, aut est desiderium illius, aut gaudium, delectatio & fruitio ipsius, aut simplex amor: sed nullus ex istis actibus potest esse consecutio illius ultimi finis. Ergò. Major patet ex sufficienti enumeratione: vel enim finis seu bonum est absens & sic est desiderium ipsius, vel est præsens, sicque est gaudium de ipso, vel fruitio ipsius, vel abstrahitur à præsentiâ & absentiâ, sicque est simplex amor. Minor probatur: Desiderium est de bono absenti, ergo non est consecutio ipsius: Delectatio & fruitio tendunt in bonum jam possessum; ergò supponunt consecutionem & possessionem boni. Amor simplex præscindit à præsentiâ: ergo nec ipse dicit possessionem.

Probatur Secundò. Amor amicitiæ, quo delectamur de bono DEI, quatenùs bona DEI sunt, (in quo Adversarij vel totam beatitudinem formalem, vel partem illius collocant) non potest esse forma, quâ Beati consequantur, & beatificè possideant illud bonum, quod amant; ergò nulla ratione potest in illo beatitudo formalis constitui. Anteced. prob. Beatitudo formalis cùm sit consecutio & possessio Summi Boni consistit in illo actu, qui est forma conjungens Beato bonum infinitum: sed amor amicitiæ non est talis forma. Ergò: Minor prob. Amor qui sistit in bono amici, ut bonum amici est, non est forma conjungens illud bonum cum amante, sed amor amicitiæ sistit in bonis DEI, ut sunt bona ipsius: ergo 5.

ergò non est forma conjungens illa bona cum Beato.

6. Probatur tertiò. Operatio, in quâ formalis beatitudo consistit, debet esse adeptio objecti beatifici, sed quâ ratione DEUS est objectum amoris amicitiæ, non est objectum beatificum: ergò. Min. prob. DEUS rationem objecti beatifici non obtinet prout est nostrum Summum Bonum, sui possessione rationalem appetitum adæquatè satians; atqui amor amicitiæ non tendit in DEUM, quatenùs est nostrum, sed quatenùs est suum Summum Bonum: ideo etiam posito amore amicitiæ non sequitur amantem beatificari; ut patet in viatore, qui licèt per actum charitatis specie & numero indistinctæ à charitate patriæ feratur in DEUM, inde tamen ne quidem partialiter beatificatur. Confirm. Eâ ratione DEUS est nostra Beatitudo objectiva in patriâ, quâ ratione per actum spei ad ipsum tendimus in viâ: sed per actum spei tendimus ad ipsum, prout est nostrum Summum Bonum, nos sui possessione beans: ergò ut sic, & non ut est suum Summum Bonum est beatitudo objectiva.

7. Probatur Quartò. Operatio præsupponens consecutionem Summi Boni, uti non est prima illius consecutio, ita nec beatitudo formalis: atqui amor amicitiæ præsupponit consecutionem Summi Boni; ergò. Minor probatur. Amor amicitiæ ex se abstrahit à præsentiâ vel absentiâ objecti, estque indifferens ad actum desiderii, vel gaudii: Si enim bonum sit absens, gignit desiderium; si sit præsens, parit gaudium. Ergò quòd magis pariat gaudium, quàm desiderium, quòdque sit conjunctus cum Summo Bono, potiùs quàm sejunctus, non habet ex propriâ naturâ, sed ex suppositione alterius actûs, quo obtinetur possessio, & præsentia Summi Boni.

8. *Respondent* Adversarii: quòd amor amicitiæ præsupponat quidem in Beatis consecutionem, & possessionem Summi Boni in genere intellectivo, & sub ratione Summi Veri, non tamen in genere affectivo, & sub ratione Summi Boni.

Sed *contra est primò.* Ad genus affectivum non pertinet consequi, sed prosequi objectum: quia voluntas, quæ tam est boni absentis, quàm præsentis, non habet ex propriâ ratione, ut faciat sibi objectum præsens, illud trahat, teneat, consequatur, sed ut ab objecto trahatur & alliciatur, atque in illud inclinetur: ergò ne quidem in genere affectivo amor potest esse prima consecutio Summi Boni.

Contra est secundò. Quòd etiamsi actus voluntatis esset aliquo modo consecutivus sui objecti, tamen in prævio actu intellectûs tanquam in radice contineretur, atqui essentia metaphysica beatitudinis formalis dicit illam primam consecutionem Summi Boni, quæ alias operationes circa illud radicaliter continet, & tanquam proprietates effundit: ergò essentia beatitudinis formalis non in actu voluntatis, sed intellectûs quæri & reperiri debet.

Contra est tertiò. Quòd licèt ratio, *sub quâ* intellectus fertur in objectum, non sit ratio boni, sed veri, tamen intra rationem primi Veri, quod intuetur intellectus Beati, etiam continetur ratio ultimi finis & Summi Boni; hæc enim omnia repræsentantur per claram DEI visionem: ergò Beatus videndo DEUM, etiam illum consequitur secundùm rationem finis ultimi, & Summi Boni. Nam secundùm omnem illam rationem (ita ut termini reduplicativi non designent rationem *motivam sub quâ*, sed *terminativam quæ*) Beatus DEUM consequitur, quæ ipsi repræsentatur in visâ DEI essentiâ; sed etiam ratio finis ultimi & Summi Boni adæquatè & inamissibiliter satiativi, ipsi repræsentatur in visâ DEI essentiâ: ergò etiam secundùm hanc rationem Summi Boni DEUM per visionem consequitur. Igitur

§. III.

Statuitur sola visio.

CONCLUSIO secunda. *Beatitudo formalis in solo actu intellectûs, nimirum clara DEI visione consistit.* Ita S. D. *hic a.* 4. Conformiter Sacræ Scripturæ quæ sæpenumerò hanc visionem ceu vitam & mercedem æternam proponit: Jo. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum DEUM verum.* Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.* 1. Jo. 3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Jo. 17. *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Consonant in eandem sententiam SS. Patres. Nazianz. *Or. ad plag. grand. Regnum cælorum est contemplatio Trinitatis.* Ambros. *l. 2. de offic. c. 2. Scriptura Divina vitam beatam in cognitione posuit Divinitatis.* Præcipuè D. Augustin. lib. 1. *de Trin. c. ult. Visio, quâ contemplabimur immutabilem DEI substantiam, sola est Summum Bonum.* Soliloq. *cap.* 36. *Hæc est plena beatitudo, & tota glorificatio hominis, videre faciem DEI sui.* Et paulò pòst. *Visio ergo tua est tota merces, & totum gaudium, quod expectamus.* 9.

Probatur ratione primò. Illa operatio essentialiter constituit beatitudinem formalem, quæ ex suo intrinseco conceptu est prima consecutio & possessio Summi Boni, ex quâ velut radice & fonte aliæ operationes & potentiarum perfectiones promanant. Sed una sola clara DEI visio est ab intrinseco prima assecutio & possessio Summi Boni, quæ alias operationes & potentiarum perfectiones radicaliter continet, & ceu proprietates effundit: ergò illa sola formalem beatitudinem constituit. 10.

Minor quoad 1. membrum probatur. Illius potentiæ actus per se primò consequitur objectum, cujus proprium munus est objectum ad se trahere, & facere intimè præsens; sed hoc facit actus intellectûs, utpotè potentiæ repræsentativæ, qui objectum ad se trahit, & intimè conjungit intelligenti, vel in esse intentionali & objectivo, si illud objectum uniatur mediante specie distinctâ, vel in esse reali, si illud per seipsum obeat munus speciei intelligibilis. Econtrà actus voluntatis potentiæ cæcæ & nullatenùs repræsentativæ, non facit objectum sibi præsens, sed est pondus & inclinatio in objectum, à quâ voluntas trahitur. Jam verò talis actus intellectûs, in proposito, est clara DEI visio: ergò illa sola

sola est prima consecutio & possessio Summi Boni. Alterum membrum ejusdem minoris facilè patet : quia visio est radix amoris necessarii, summæ delectationis, omnimodæ impeccabilitatis, aliarúmque perfectionum, quæ ad eandem per modum proprietatum consequuntur.

11. *Probatur secundò.* Per illam operationem beatitudo formalis essentialiter constituitur, per quam status termini ac patriæ per se primò distinguitur à statu viæ ; sed hoc fit per solam claram visionem DEI. Ergò. Minor probatur. Amor est ex se indifferens ad statum viæ & patriæ, & eadem est charitas in patriâ, quæ est in viâ : *Charitas enim*, teste Apostolo, *nunquam excidit.* Rursus, si per possibile, vel impossibile videns DEUM non amaret ipsum, tamen esset comprehensor, & extra statum puri viatoris, econtrà si amans DEUM non videret ipsum, non ideò esset comprehensor, & extra statum viatoris : ergò id, per quod status patriæ per se primò distinguitur à statu viæ, non est amor, sed clara DEI visio.

§. IV.

Exponuntur authoritates oppositæ.

12. Objicies quasdam authoritates, quibus videtur evinci, partim quòd fruitio pertineat ad essentiam beatitudinis, partim quòd essentia Beatitudinis pertineat ad voluntatem. Nam primò D. August. *L. 8. de Civ. c. 9.* inquit : *Nemo Beatus est, qui eo, quod amat, non fruitur.* Secundò Doctor Angelic. *hic quæst. 11. a. 3. ad 3.* dicit : *DEUS est ultimus finis, sicut res, quæ ultimò quæritur, fruitio autem sicut adeptio hujus ultimi finis.* Et *quæst. 4. a 3. ad 2. Sicut ad voluntatem pertinent spes & amor, ita & comprehensio & delectatio.*

Respondeo ad 1. Fruitionem ibi nen accipi strictè, quo sensu citatus S. Pater *Lib. de Doctrina Christ. cap. 4.* dicit : *Frui est amore adhærere alicui rei propter seipsam* ; sed latè, prout significat fructum capere, vel acquiescere in re possessâ, ex qua fructus percipitur. Quo modo fruitio pertinet ad ipsam visionem, quia Beati videndo DEUM maximo suo fructu illum possident. Eâdem responsione satisfit ad 2. nisi malis dicere, S. Doct. loqui de adeptione completivè non formaliter sumptâ, quo sensu verum est, quòd fruitio pertineat ad complementum beatitudinis & adeptionis.

13. Ad 3. dico, ibidem ly *comprehensio* non accipi pro actu, quo DEUM consequimur, sed pro habitudine voluntatis ad finem jam habitum & possessum, sub quâ acceptione pertinet ad dotes animæ inf. referendas : ita enim se exponit ipsemet S. D. *in respons.* ad 3. dicens : *Comprehensio non est aliqua operatio præter visionem, sed quædam habitudo ad finem jam habitum.*

14. *Objiciunt* etiam Scotistæ authoritatem S. P. Augustini. Nam *primò* L. 10. *confess. cap. 22.* inquit : *Hæc sola est vita æterna gaudere ad te, de te, propter te*, subdit *cap. 23.* Beata vita *est gaudium de veritate*, *Rursùs serm. 53. de temp.* dicit : *Charitas est summum præmium in cælo, quia in perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent sancti perfecto amore DEI.*

Respondeo, D. Augustinum, aliosque P. P. aliquando loqui de beatitudine integraliter acceptâ & omnibus numeris absoluta ; mentem verò hujus Sancti D. satis constare è textibus pro nostrâ conclusione allegatis, & ex illo ipso *Sermone 53. de tempore.* Ubi post verba ab Adversariis citata, hæc subdit : *Quem quia præsentem vident, suaviùs diligunt, dulciùs fruuntur.* En ! quemadmodum S. Pater dilectioni & fruitioni præsupponat DEUM clarâ visione præsentem & præobtentum.

Objiciunt secundò. Beatitudo formalis est intima unio cum Summo Bono ; sed talis unio est amor. Ergò. Min. probatur : quia *amor* à D. Dionysio appellatur *virtus unitiva.* à D. Augustino *L. 8. de Trinit. cap. 10. Junctura quædam duo aliqua copulans, vel copulare appetens* : Ex quâ amicus vocari solet, *alter ego.* 15.

Respondeo, distinguendo majorem. Beatitudo formalis est intima unio cum DEO consecutiva, & quasi effectiva, quæ pertinet ad intellectum, concedo. prosecutiva & affectiva quæ pertinet ad voluntatem, nego. Illa facit objectum præsens, ista supponit ; sicut enim objectum debet supponi conveniens subjecto, ut illud voluntas appetat, ita debet supponi unitum, ut in illo quiescat. Unde cùm SS. PP. amorem appellant unionem, affectivam illam & prosecutivam intelligunt.

§. V.

Rationes objectivæ.

Objicies ex ratione primò. Beatitudo formalis debet adæquatè satiare naturam intellectualem in quantum est satiabilis : sed sola visio non ita adæquata satiat naturam intellectualem : ergò. min. probatur. Natura intellectualis non tantum est satiabilis secundùm potentiam intellectivam sed etiam appetitivam ; sicuti Summum Bonum non tantùm est natum objectivè explere intellectum, sed etiam voluntatem. Atqui visio solummodò satiat intellectum non autem voluntatem, quæ non nisi suo proprio actu satiari potest : ergò sola visio non satiat naturam intellectualem, in quantum est satiabilis. 16.

Respond. disting. majorem. Beatitudo formalis debet adæquatè satiare naturam intellectualem inquantùm est satiabilis, secundùm omnes potentias æqualiter, nego. Secundùm unâ formaliter; secundùm alias causaliter seu radicaliter, concedo. & pariter dist. min. nego consequentiam: & ad probationem dist. min. visio tantùm satiat intellectum non voluntatem formaliter concedo ; causaliter & radicaliter nego. Ergò non satiat totam naturam intellectualem secundùm omnes potentias formaliter, concedo secundùm intellectû formaliter, secundùm voluntatem causaliter & radicaliter, nego consequentiam. Ratio est: quòd solus intellectus est satiabilis per se primò per modû assecutionis & possessionis sui

sui objecti : voluntas verò etiamsi suo modo satietur formaliter per actum proprium, non tamen est satiabilis per modum assecutionis & possessionis objecti, sed ex ipsavisione, tanquam assecutione & possessione Summi Boni, amor ipsius,quo voluntas satiatur, connaturaliter sequitur; & sic visio etsi non formaliter, tamen causaliter & radicaliter etiam satiat voluntatem.

17. Instabis. In illo actu consistit beatitudo formalis, quo tenemus & adipiscimur objectum beatificum. Atqui Summum Bonum non tantùm tenetur actu visionis, sed etiam amoris, siquidem DEUS non est objectum amoris sub ratione Summi Boni minùs quàm objectum visionis sub ratione Summi Veri & intelligibilis. Ergò non minùs in actu amoris, quàm visionis consistit beatitudo formalis.

Respond. vel neg. min. Quia ut dictum per actum amoris non tam voluntas tenet & possidet objectum, quàm ipsa tenetur & possidetur ab objecto. Vel Dist. min. Summum Bonum non tantùm tenetur actu visionis; si tentio impropriè accipiatur pro quacunque tendentiâ in objectum concedo. Pro assecutione & possessione ipsius, nego. Unde licèt Summum Bonum sit æquè objectum amoris, quàm visionis, & per utrumque actum utramque potentiam expleat, non tamen est objectum æquali modo: quia objectum visionis est ut assequibile, & sic in actu visionis fundat rationem beatitudinis formalis; objectum verò voluntatis & amoris est ut prosequibile, & sic præsupponit beatitudinem formalem tanquàm possessionem sui per visionem intellectualem.

18. Urgebis ex Amico. DEUS non tantùm est assequibilis sub ratione primi Veri, sed etiam sub ratione Summi Boni; sed sub ratione Summi Boni est objectum amoris & voluntatis, siquidem ratio Summi Boni pertinet ad sphæram voluntatis, non intellectûs: ergò. DEUS non tantùm est assequibilis prout est objectum visionis & intellectûs; sed etiam prout est objectum amoris & voluntatis.

Respond. dist. maj. DEUS est etiam assequibilis sub ratione Summi Boni, inquantùm τὸ *sub ratione* reduplicat formalem rationem *qua* ipsius assequibilitatis & Summi Boni, concedo. Inquantùm reduplicat rationem *sub qua* utriusque, sic nego majorem. Sed sub ratione Summi Boni tantùm est objectum amoris, in quantum ly ratione Summi Boni reduplicat rationem *qua* est assequibilis nego: in quantum reduplicat rationem *sub qua* est assequibilis, concedo minorem, & nego consequentiam.

Sensus est: Summum Bonum potest formaliter considerari prout est formalis terminus alicujus actûs, & hoc est secundùm rationem *qua*, & rursùs prout est motivum formale alicujus actûs, & hoc est sub ratione *sub quâ*. Itaque secundùm priorem considerationem & reduplicationem DEUS etiam sub ratione summi Boni est assequibilis; siquidem Beati per actum visionis DEUM cognoscunt ut suum summum Bonum, & cognoscendo assequuntur & possident: sed tunc ratio boni tantùm habet vim terminativam, formalem verò rationem motivam habet ratio veri, quia Summum Bonum videtur, non ut ad se alliciens & trahens intellectum (quæ est ratio formalis sub quâ ipsius boni, sicut ejus ratio attrahibilitatis est ratio formalis sub quâ ipsius Veri) sed ut per ipsam visionem attractum & repræsentatum in intellectu: unde in ipso summo bono ratio assequibilitatis adhuc pertinet ad rationem veri non ad rationem boni. Secundùm posteriorem verò rationem, & prout Summum Bonum est formale motivum actûs, sic est objectum amoris & voluntatis, quia ut sic habet allicientiam & attractionem appetitûs, & sic prosequibilitatem, quod non pertinet ad rationem veri, sed ad rationem boni ut sic, & sub hâc consideratione non est assequibile sed prosequibile. Patet igitur, DEUM sub ratione Summi Boni esse assequibilem, inquantùm etiam infinita sua bonitas in suâ essentiâ repræsentata visionem terminat,non verò est assequibilis in ratione Summi boni, sed tantùm prosequibilis, in quantum suâ bonitate ad sui prosecutionem allicit: sic enim sui assecutionem & prosecutionem jam præsupponit.

Objicies secundò. Beatitudo formalis consistit in perfectissimâ operatione naturæ rationalis: sed hæc est amor amicitiæ. Ergo. Min. probatur inprimis authoritate D. Augustini 15. de Trinit. cap. 19. dicente: *In donis DEI nihil majus esse charitate* deinde: Illud est melius & perfectius, cujus oppositum est pejus: sed odium DEI, quod opponitur charitati, est pejus, quàm privatio visionis, quæ opponitur claræ visioni DEI ergò. Secundò voluntas tanquam potentia formaliter libera, & aliàs modus ad operandum, est nobilior, quàm intellectus: ergò etiam actus voluntatis est nobilior, quàm actus intellectûs. Tertiò quod ad aliud ordinatur est minùs nobile, quàm illud ad quod ordinatur: sed visio ordinatur ad DEI amorem: quia ideò Beati DEUM vident, ut toto affectu in ipsum rapiantur. Ergò. Quartò. Ordo Seraphim, qui denotatur ab ardore charitatis, est perfectior quàm Ordo Cherubim, qui denotatur à plenitudine sapientiæ: ergò præstantior est actus charitatis, quàm cognitionis. Quintò. Perfectio hominis maximè satiativa illa censeri debet, quàm homo ipse maximè desiderare debet, & quam DEUS ab homine petit maximè desiderari, sed hæc est perfectissimus amor DEI in patria. ergò.

Respondetur. Nego min. & ad authoritatem D. Augustini; illum loqui de donis hujus viæ, quæ sunt virtutes Theologicæ; & sic secundùm Apostolum major horum est charitas. Ad rationem disting. maj. Illud est melius,cujus oppositum est specialiter pejus concedo. Secundùm quid, & in aliquo tantùm genere, nego. Sed odium DEI est pejus quàm carentia visionis, in genere moris concedo. Specialiter & in genere physico nego min. & conse-

quen-

quentiam. Ad secundum quoque similiter disting. antecedens: voluntas est nobilior secundùm quid & quatenùs in genere causæ efficientis alias potentias applicans concedo: specialiter nego. Nam ut voluntas secundùm suam libertatem subordinetur intellectui tanquàm dirigenti & radicaliter libero, iste tanquàm superior & director voluntatis specialiter est nobilior. Ad tertium disting. maj. quod ordinatur ad aliud ceu medium intrinsecum ad finem, est minùs nobile, concedo, ceu essentia ad proportionem nego. Sed visio ordinatur ad amorem ut essentia ad proportionem concedo: ut medium ad finem, nego minorem & consequentiam. Ad quartum respondeo. Istas denotationes Seraphini & Cherubini tribui non ab amore & cognitione patriæ, sed ab amore & cognitione viæ; ubi verum est quòd amor sit perfectior, quàm obscura cognitio viæ. Ad quintum. Nego minorem. Nam homo specialiter desiderat, & DEUS ab ipso petit desiderari vitam æternam, non physicè secundùm suam essentialem & primariam rationem, sed ut est in se, & secundùm suam adæquatam integritatem, & ut sic primariò visionem, secundariò includit charitatem.

§. VI.
Corollaria.

20. COlliges ex dictis primò. Quòd si homo non fuisset elevatus in finem supernaturalem, ipsius formalis beatitudo naturalis consisteret in solâ contemplatione DEI quà auctoris naturæ. Ratio est: quia beatitudo formalis est actualis consecutio finis ultimi, ex quâ aliæ operationes naturæ rationalis perfectivæ dimanant; sed consecutio DEI ut ultimi finis in statu naturæ non elevatæ in finem supernaturalem alia non esset, quàm perfectissima cognitio & contemplatio DEI ceu primi intelligibilis & Authoris naturæ, ex quâ consequeretur connaturaliter amor ipsius: ergo beatitudo naturalis consistet in naturali & purissimâ contemplatione Deitatis. Minor ex dictis constat, quia primum intelligibile non alio actu consequimur, quàm quo illud facimus nobis intelligibiliter præsens; sed hoc non aliter fit, quàm per actum intellectûs. Ergo.

Colliges secundò. Beatitudinem hujus viæ 21.
apud Matth. c. 5. octo gradibus distinctam, esse beatitudinem in spe, ut habet S. Doctor. 1. 2. q. 69. a. 1. & magis in sensu causali, per modum causæ & meriti, quàm in sensu formali. Præter quam tamen beatitudinem datur in hâc vitâ quædam participatio & inchoatio futuræ beatitudinis, quasi formalis, & hæc consistit in actu divinæ contemplationis, ut habet idem S. D. in 2. 2. q. 8. a. 4. quo intellectus prævio charitatis impulsu raptus & per donum sapientiæ elevatus intendit in imaginem divinæ bonitatis (non intuitam sed abstractam) quatenùs super omnia appretiabilis. Quæ altissima contemplatio perfectorum propria, & nobilissima unio animæ cum DEO, quæ haberi potest in hâc vitâ, est quidam prægustus æternæ gloriæ, possessio divinitatis, & ut inquit cit. S. D. quædam inchoatio beatitudinis, quæ hîc incipit, ut in futuro continuetur.

DISPUTATIO IV.
DE
Proprietatibus beatitudinis.

COnsideratâ beatitudinis essentiâ, nunc illius consectanea & parerga inspicimus. Ea sunt vel necessariò connexa, vel in ornatum adjuncta. Primi generis sunt necessitas & inamissibilitas. Secundi generis sunt dotes animæ & corporis, ac demum aureolæ. Nunc de singulis singillatim.

ARTICULUS I.
Quâ necessitate Beati DEUM ament?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis de necessitate exercitii.*
2. *Defenditur necessitas exercitii.*
3. *Expenditur Locus Doct. Angelici.*
4. *Non potest Beato imponi præceptum desistendi ab amore beatifico.*
5. *Necessitas non variat speciem actûs.*
6. *Quandonam diversitas applicationis inducat diversitatem objecti?*
7. *Quomodo actus amoris in Christo fuerit liber?*
8. *Necessitas reperitur tàm in amore concupiscentiæ, quàm benevolentiæ.*

§. I.
Assumitur necessitas tam exercitii, quàm specificationis.

COnsequitur claram DEI visionem amor suavissimus. Sicut enim DEUS *in illa beatitudine* (teste D. Augustino *l. ult. de civit. cap. ult.*) *sine fine videbitur, ita sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur.* 1.

In secula seculorum laudabunt te. Inquit Psalmista *Ps. 83.* Sed an etiam necessariò? Duplex in nostræ voluntatis actibus necessitas distinguitur: una, quæ vocatur specificationis, quando voluntas potest quidem actum circa tale objectum suspendere; posito tamen, quòd in actum prodire velit, non potest non actum talis speciei elicere: quo modo voluntas viatoris licèt non sit occupata in jugi exercitio amandi beatitudinem in communi, si tamen circa illam versari velit, non potest non amare, ideóque est necessitata quoad specificationem.

2. Altera est necessitas exercitii, quâ voluntas arctatur, ut ne quidem actum possit suspendere, vel ab eo desistere. Beatorum voluntatem quoad specificationem necessitari ad amandum DEUM facilè consentiunt Theologi: quæ enim umbra mali posset apparere in clarâ visione Summi & infiniti Boni, ut voluntatem Beati ab amore transferret in odium? Restat igitur sola quæstio de libertate exercitii, ubi Scotistæ libertati, Thomistæ ex opposito favent favorabili & felicissimæ necessitati amandi DEUM.

CONCLUSIO. *Beati sunt necessitati ad amandum DEUM etiam necessitate exercitii.*

Ratio est, sublatâ potentiâ suspendendi exercitium amoris, inducitur necessitas exercitii; sed per claram DEI visionem aufertur potentia suspendendi exercitium amoris: ergò per illam inducitur necessitas exercitii. Minor probatur. Potentia suspendendi vel omittendi actum amoris fundatur essentialiter in indifferenti propositione, quâ & ipsum exercitium amandi sub aliquâ ratione molesti, ejusque intermissio sub aliqua ratione optabilis repræsentatur: sed est impossibile, ut clara DEI visio, quâ Beatus suam summam, æternamque beatitatem in hoc ipso exercitio consistere perspicuè videt & judicat, tali indifferenti propositione exercitium DEUM amandi sub ratione molesti erroneè repræsentet: *Cùm enim ad fontem vitæ devenerimus, erit nobis delectabiliter impressa sitis simul & satietas; sed longè aberit a siti necessitas, longè a satietate fastidium, quia sitientes saturabimur, & saturi sitiemus.* Teste D. Gregorio in moral. Ergò est impossibile, ut Beatus habeat potentiam suspendendi actum & exercitium amoris.

Confirm. Quando totaliter expletur & adæquatur potentia ab objecto, tunc non manet in illâ facultas resistendi, aut ad aliquid divertendi: In eo quippe liberi agentis operatio à necessarii agentis operandi modo discernitur, quòd istius vis & potentia operandi ita adæquatur ab objecto proposito, ut non sit in manu ipsius, illud respuere, aut in oppositum divertere, dum econtrà liberi agentis facultas non ita adæquatur & subigitur ab objecto proposito: sed ab essentia Divina clarè visa totaliter expletur potentia Beati: nam objectum voluntatis adæquatum est bonum. DEUS autem clarè visus est omne bonum, & ut sic cognitum, unde dictum *Exod. 33. Ego ostendam tibi omne bonum. Ergò.*

(o)

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò authoritatem D. Thomæ, *infra q. 10. a. 2. in c.* dicentis, quòd *voluntas quantùm ad exercitium à nullo objecto ex necessitate movetur.* 3.

Respond. Sermonem S. D. esse de objecto creato vel increato, tantùm abstractivè, non autem intuitivè cognito, uti colligitur ex adjuncta ratione: *Quia*, inquit, *cogitationem à tali objecto avertere possumus*, quod Beati tamen non possunt.

Objicies *secundò.* Posset Beato imponi præceptum desistendi ab amore; ergò tunc Beatus posset liberè cessare ab amore, quia materia præcepti debet esse libera. 4.

Dico. Adversariis incumbere probationem possibilitatis istius præcepti, hoc ipso quippe quòd negatur libertas actûs, etiam negatur illius contentibilitas sub præcepto: unde hæc possibilitas ad probandam libertatem non rectè assumitur. Ratio ulterior, cur tale præceptum sit impossibile, est primò; quia implicat, à DEO prohiberi & effici moraliter objectivè malum, quod per essentiam est supernaturaliter & moraliter bonum, ac honestum, sed amor beatificus DEI super omnia est per essentiam supernaturalis & honestus, ergo. *Secundò*, quia sequeretur, quòd quis posset amando DEUM peccare, quod non modò absurdum, sed & ridiculum est, nempè averti à DEO, dum in ipsum efficaciter ut in ultimum finem convertitur; habere contemptui, cùm super omnia appretiat; offendere dum diligit.

Objicies *tertiò.* Idem specie est actus charitatis in viâ, qui est in patriâ; ergò sicut ille non inducit necessitatem, ita nec iste. 5.

Respondetur primò. Inde nimis probari, quia probatur, quòd amor patriæ etiam debet esse liber quoad specificationem, cùm tali modo charitas viatorum sit libera. Respondetur secundò ad 3. nego consequent. quia libertas & necessitas non pertinent ad speciem actûs.

Objicies *quartò.* Diversitas applicationis non causat diversitatem objecti, sed fides & visio tantùm sunt diversæ applicationes ejusdem objecti, nempe DEI ut Summi Boni: ergo non causant diversitatem objecti: ergo sicuti DEUS liberè est volitus & amatus in viâ, sic etiam erit liberè amatus in patriâ. 6.

Respondeo distinguendo majorem. Diversitas applicationis non causat diversitatem objecti, in agente habente eundem modum operandi, concedo: in agente habente duplicem modum operandi, liberum & necessarium, nego: tunc enim diversa applicatio objecti facit, quòd objectum, anteà cum indifferentiâ repræsentatum, non ampliùs cum indifferentiâ judicii repræsentetur, adeòque actum liberum terminare non possit.

Objic. *quintò.* Amor Christi D. quamvis regulatus scientiâ visionis, fuit liber quoad exercitium, quia fuit meritorius; ergò etiam amor beatorum potest esse liber quoad exercitium. 7.

Respon-

Respondeo, quòd actus charitatis in Christo fuerit liber & meritorius, non quatenùs regulabatur per lumen gloriæ, & scientiam visionis, sed quatenùs regulabatur lumine scientiæ infusæ: prout suo loco dicetur.

8. *Inferes* ex dictis. Necessitatem amandi Deum in Beatis non tantùm esse quoad amorem benevolentiæ, sed etiam quoad amorem concupiscentiæ; Siquidem exercitium amandi DEUM, etiam ut suam beatitudinem, absque ullâ admixtione molestiæ, & consequenter absque indifferentiâ Beatis repræsentatur.

ARTICULUS II.

An Beati sint ab intrinseco impeccabiles?

SUMMARIA.

1. *Beati de potentiâ ordinariâ sunt impeccabiles.*
2. *Varietas sententiarum de potentiâ absolutâ.*
3. *Beatitudinis status ab intrinseco excludit proximam peccandi potentiam ratione summæ felicitatis.*
4. *Inamissibilitatis.*
5. *Securitatis ab omni pœnâ, & incompossibilitate cum amissione finis ultimi.*
6. *Visio beatifica ab intrinseco causaliter excludit omne peccatum mortale.*
7. *Etiam veniale.*
8. *Non tantùm actuale, sed etiam habituale.*
9. *Visio beatifica etiam formaliter excludit peccatum mortale.*
10. *Imò & veniale.*
11. *Quod extenditur etiam ad visionem transeuntem.*
12. *Visio beatifica formaliter excludit potentiam peccandi.*
13. *Disparitas, cur tristitia componi possit cum visione, non autem peccatum.*
14. *Exponitur modus oppositionis inter visionem & peccatum.*
15. *Ratio disparitatis: cur auxilium actuale non tollat potentiam peccandi, tollat verò visio.*
16. *Ad visionem essentialiter requiritur gratia sanctificans.*
17. *Compositio libertatis cum impeccabilitate.*

§. I.

Astruitur sententia Thomistica.

1. Certum est, Beatos de facto nec peccare, nec secundùm viam & potentiam ordinariam posse peccare, prout habetur tum ex *Apoc.* 21. *Non intrabit in eam (civitatem cælestem) aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium. Is.* 35. *Via sancta vocabitur, & non transibit per eam pollutus. Hebr.* 12. *Pacem sequimini, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit DEUM,* tùm ex communi doctrinâ Catholicâ, quæ purgatorium adstruit, quo residuæ post hanc vitam peccatorum maculæ deleantur, ut animæ possint in cælum recipi. Tùm ex ratione S. D. petita è communi ratione beatitudinis. Beatitudo includit rectitudinem voluntatis, sed rectitudo voluntatis excludit omne peccatum: ergò etiam beatitudo excludit omne peccatum. Major inde constat, quia beatitudo est consecutio Summi Boni, & unio creaturæ rationalis cum ultimo fine, sed ista includit rectitudinem voluntatis, sine qua creatura rationalis esset deordinata ab ultimo fine. Min. pariter constat: Ex eò voluntas est & dicitur recta, quòd quicquid amat, illud amat sub ordine ad debitum ultimum finem: sed amare viam sub ordine ad verum finem ultimum, non stat cum peccato, quod essentialiter est deordinatio & aversio à debito fine ultimo: ergò rectitudo voluntatis non stat cum peccato. Quæstio superest, an ipsa exclusio peccati sit tanta, ut ab intrinseco etiam de potentia absoluta excludat omne peccatum actuale, vel habituale, vel etiam potentiam ipsam peccandi.

Circa quam quæstionem triplex potissimùm est authorum sententia. Prima docet, Beatos extrinseco DEI favore, ipsos ad sui amorem perenniter excitantis, non autem ex intrinsecis principijs reddi simpliciter & proximè impeccabiles. *Ita Scotus in* 1. *dist.* 1. *q* 4. *& dist.* 49. *q.* 6. Secunda docet, Beatos etiam ab intrinseco esse impeccabiles, cujus tamen causa non sit ipsa visio, sed amor fruitivus subsequens visionem, ita ut sublato illo amore posset peccatum cum visione componi. Hanc tenet Ægidius de præsent. & tribuitur Capreolo, & Soto. Tertia docet, Beatos esse ab intrinseco simpliciter impeccabiles potentiâ tam proximâ, quàm remotâ, ex naturâ ipsiusmet visionis non tantùm radicaliter, sed etiam formaliter repugnantis cum omni peccato tam actuali, quàm habituali, tam mortali, quàm veniali, tam in sensu composito, quàm diviso visionis. Ita *B. Thom.* 3 *cont Gent. c.* 62. *& hic q.* 4. *a.* 4. quem præter ejus Discipulos ex Rec. sequitur *Suar. disp.* 10. *solut.* 1. *n.* 9. *Lorca, Martinez,* alijque. 2.

CONCLUSIO prima. *Beati sunt proximè impeccabiles ab intrinseco & ex naturâ beatitudinis.* 3.
Ratio est primò. Beatitudo est *status omnium bonorum aggregatione completus*; ac proinde quemadmodum ab intrinseco affert omnem felicitatem, & omne bonum, ita proscribit omnem miseriam, & omne malum: sed quis nescit, peccatum esse magnum imò maximum malum, miseriam & infelicitatem, cùm etiam D. Augustino teste, *nihil sit infelicius felicitate peccandi*: ergò Beati ex ipsius beatifici statûs intrinsecâ exigentiâ excludunt proximam peccandi potentiam: proximam, inquam; nam remota cùm nil aliud sit, quàm naturalis defectibilitas, in operando consequens naturam creatam ex nihilo, adeòque defectibilem in essendo, per statum beatificum minimè tollitur. Quæ ratio non tantùm probat repugnantiam peccati actualis, sed etiam habitualis, nec tantùm mortalis, sed etiam venialis; cùm non minùs habituale & veniale, quàm actuale & mortale peccatum sit magnum malum, & magna miseria.

Secundò. Beatitudo est ab intrinseco inamissibilis, ut sequenti articulo ostendemus: ergo ab 4.

abintrinseco excludit omne id, per quod amitti potest: sed admissâ possibilitate peccandi posset amitti beatitudo: ergo beatitudo ab intrinseco excludit possibilitatem peccandi. Subsumptum constat: quia amissâ rectitudine voluntatis & perfectâ felicitate, quam beatitudo includit, eandem quoque amitti necesse est: sed per peccatum tanquàm summam miseriam & voluntatis perversionem amittitur felicitas & rectitudo voluntatis: ergò.

Tertiò. Beatitudo ab intrinseco excludit omnem pœnæ metum: ergo & omnem culpam: nam reatus pœnæ pressò pede culpam consequitur, unde si culpa cum statu beatifico componi posset, beatitudo ab intrinseco neque culpæ, neque pœnæ metum auferret.

Quartò. specialiter probatur de peccato mortali. Implicat simul consistere ejusdem ultimi finis adeptionem & amissionem: sed beatitudo formalis, ut dictum, est ultimi finis adeptio: peccatum verò mortale est ipsius amissio: ergo implicat simul consistere peccatum mortale cum formali beatitudine.

CONCLUSIO secunda. *Visio beatifica non tantùm radicaliter & causaliter, in quantum fundat amorem fruitivum, ab intrinseco excludit omne peccatum actuale, & habituale, tam mortale, quam veniale, sed etiam formaliter.*

Prima pars de radicali & causali repugnantiâ cum omni peccato mortali facilè ostenditur: Amor beatificus intrinsecè & essentialiter excludit omne peccatum, tanquam formalis amicitia formam odibilitatis, tanquam vita mortem spiritualem, tanquam concursio efficax aversionem, & directe quidem excludit peccatum actuale, indirectè verò habituale ceu necessariam sequelam alterius terminativè voluntariam, ut suo loco dicetur: Sed visio beatifica ab intrinseco necessitat ad ejusmodi amorem tam quoad specificationem quàm quoad exercitium juxta dicta præcedenti articulo, Ergo etiam ab intrinseco necessitat radicaliter & mediatè ad exclusionem peccati.

Confirmatur Primò. Implicat gratiam sanctificantem consistere cum peccato mortali tàm habituali quàm actuali: Sed actus charitatis inseparabiliter conjungitur cum gratiâ sanctificante: ergo nequit consistere cum peccato tam actuali, quàm habituali.

Confirmatur secundò. Implicat voluntatem efficaciter converti in duos fines simpliciter ultimos: sed si unà cum actu charitatis consisteret peccatum mortale sive actuale, sive habituale, converteretur voluntas efficaciter in duos fines simpliciter ultimos. Ergo.

7. Secunda pars de repugnantia causali visionis cum omni peccato veniali pariter probatur: Omne peccatum veniale includit inordinatum affectum ad creaturas, sed visio beatifica per amorem fruitivum excludit omnem inordinatum affectum ad creaturas, siquidem per visionem beatificam necessitatur voluntas ad DEUM in exercitio super omnia perpetuò diligendum, & (ut loquitur *S. Doctor*) *omnia alia sub ordine ad ipsum*, sed implicat aliqua diligi inordinatè, & tamen diligi sub ordine ad DEUM.

Neque existimes hinc tantùm probari repugnantiam cum peccato veniali actuali, non item cum habituali, seu macula per peccatum veniale relicta. Contra enim est, quòd macula peccati venialis juxta ea, quæ dicemus in Tract. de peccatis, formaliter consistit in privatione extensivi fervoris charitatis, quâ nempè habitus charitatis propter inordinatam adhæsionem ad res creatas à peccatis venialibus relictam circa illorum objecta est minùs expeditus ad eliciendos vel imperandos actus virtuosos. Sed ista privatio extensivi fervoris repugnat cum beatificâ visione: ergò. Min. probatur. Nam visio beatifica sicuti repræsentat DEUM ut Summum Bonum super omnia appretiabile, ita etiam determinat voluntatem ad omnia alia &c. DEUM amandum propter DEUM, sivè ut loquitur S. Doctor sub ordine istius summi finis: Atqui ista determinatio formaliter excludit omne impedimentum inordinatæ adhæsionis ad res creatas, adeòque omnem extensivam tepiditatem charitatis. 8.

Tertia pars est, quòd visio beatifica etiam præscindendo ab amore formaliter excludat omne peccatum. Ita sentit Isidorus lib. 1. de summo bono c. 12. dicens: *Quamvis Beati sint mutabiles naturâ, non tamen sinit eos contemplatio mutari divina.* Et Anselmus noster de casu diab. c. 7. *Angeli boni sunt adepti quidquid potuerunt velle, nec plus vident, quàm plus velle possint, & ideò peccare non possunt.* Ratio de peccato mortali est primò, quòd implicet, adeptionem & possessionem ultimi finis simul consistere cum ejus amissione: sed visio beatifica formaliter est ultimi finis adeptio & possessio; ex opposito peccatum mortale est essentialiter ejus amissio: ergo visio beatifica formaliter excludit omne peccatum mortale. 9.

Ratio est secundò; quòd peccatum mortale sit mors animæ causaliter, si est actuale; formaliter si est habituale, visio verò beatifica *vita æterna.* Illud extinguat omnem supernaturalem Dei similitudinem; ista efficiat simillimum ac penè divinum: *cùm enim apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est*; illud includat distortam voluntatis inclinationem in bonum creatum & amorem sui, hæc radicaliter contineat & essentialiter inclinet in ordinatissimum amorem DEI. Illud evertat totum ordinem supernaturalem gratiæ & charitatis; Ista essentialiter pertineat ad ordinem supernaturalem ac præsuppositivè includat gratiam sanctificantem: unde etiam vocatur gratia consummata: nam assimilatio creaturæ rationalis cum DEO, & participatio secundùm perfectissimam operationem vitæ intelligibilis, non tantùm essentialiter præsupponit participationem virtutis proximæ intellectivæ sed etiam radicalis, quæ est gratia sanctificans. Sed per visionem creatura rationalis DEO assimilatur secundùm perfectissimam operationem vitæ supernaturaliter intellectualis. Ergo.

Ratio est tertiò. quòd sit impossibile, ut Deus hominem admittat ad visionem suæ essentiæ, quin ipsum diligat, sitque eidem pacatus: nam primò si divinæ suæ amicitiæ argumentum Christus posuit Divinorum mysteriorum communicationem.

tionem. Joan. 15. *Jam vos dixi amicos, quia quæcunque audivi à patre meo, nota feci vobis.* Quantò maius argumentum amicitiæ est *manifestare seipsum*, intimámque essentiam inspiciendam non tantùm offerre, sed intellectui videntis intelligibili unione conjungere? *Secundò.* DEUS diligit justum effectivè, ipsi communicando jus ad hæreditatem; ergò etiam tribuendo ipsam hæreditatem visionis æternæ. *Tertiò*; etsi visio non sit ipsa forma amicitiæ & charitatis, tamen illam radicaliter continet, & ita voluntatem reddit inclinatam, & dispositam ad amandum DEUM, ut sine miraculo extraordinariæ potentiæ voluntas ab amore diverti non possit: sed ejusmodi amor radicalis non stat sine dilectione DEI. DEUS enim *diligentes se diligit, & prior diligit.* Jam verò DEUS diligit *infundendo bonitatem* h. e. gratiam gratum facientem & destructivam omnis peccati habitualis: ergò hoc ipso, quòd homo etiam constitutus in peccato admitteretur ad visionem Divinæ essentiæ, destrueretur omnis macula peccati habitualis.

10. Ratio est quartò, universaliter probans de omni peccato etiam veniali: Omne peccatum includit practicum errorem, & defectuosum dictamen rationis, ut suppono ex Tract. de pecc. Sed visio beatifica formaliter excludit omnem errorem practicum & dictamen defectuosum, ac practicam suasionem alicujus objecti inordinabilis in DEUM; siquidem est per essentiam infalsificabilis, & formaliter determinat voluntatem ad DEUM super omnia perpetuò diligendum, & omnia propter ipsum.

Ratio est quintò. Quòd si visio per absolutam potentiam staret cum peccato, deberet DEUS miraculosè conservare peccatum, sicque conservatio (quòd tamen nec in fieri, nec in conservari potest dependere à DEO) ipsi ut authori speciali adscriberetur, quod est absurdissimum.

11. *Inferes* ex dictis, etiam visionem tantummodò transeuntes communicatam, repugnare cum omni peccato tam actuali, quàm habituali: nam & ista, cùm repræsentet DEUM ut Summum Bonum, hic & nunc practicè amabile super omnia, sitque efficax consecutio finis ultimi, ideò est mediata, & virtualis retractio omnis cujuscunque, peccati: neque, ut dictum, potest absque gratiâ homini communicari.

Neque obstat, quòd juxta doctrinam D. Th. visio transiens non destruat habituale donum fidei: nam habitus fidei, cùm sit entitas positiva, non destruitur nisi per habitum positivum, aut actum inductivum habitûs oppositi, qualis non est lumen & visio transiens: at verò habituale peccatum, ut dicemus *in Disp. de vit. & pec.* est moralis & voluntaria privatio gratiæ, quam visio, ceu virtualis & radicalis retractio peccati, essentialiter supponens gratiam sanctificantem, mediatè saltem expellit.

12. CONCLUSIO *tertia. Visio beatifica formaliter ab intrinseco excludit proximam potentiam peccandi*

Ratio est potentiâ proxima peccandi essentialiter fundatur in indifferentia judicii proponentis aliquod objectum amabile etiam neglecto ordine debiti finis ultimi: sed visio beatifica essentialiter repugnat cum tali indifferentia judicii. Ergò. Majorem suppono ex dicendis de libertate. Min. probatur ex sup. art. quia clara DEI visio DEUM repræsentat & judicat Summum Bonum etiam in exercitio super omnia amabile, & quidquid attingit, attingit sub ordine ad istum ultimum finem: sed ejusmodi judicium excludit prædictam indifferentiam ergò.

Confirmatur ex hactenus dictis. Ubi est intrinseca repugnantia peccandi, ibi non est proxima potentia peccandi; sed visio beatifica affert intrinsecam repugnantiam peccandi, ergò tollit proximam potentiam peccandi.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. Quamvis actualis tristitia repugnet cum statu beatifico, tamen per absolutam potentiam fuit conjuncta in Entitate Christi, ergò tametsi per se repugnet actuale peccatum cum statu beatifico, tamen per absolutam DEI potentiam conjungi poterit. 13.

Respond. nego consequentiam: quia dolor & tristitia repugnant beatitudini integrali in aliquâ suâ perfectione accidentali: peccatum verò repugnat beatitudini formali & essentiali, quatenùs est inamissibilis adeptio Summi Boni eundem repræsentans & judicans amabilem appretiativè super omnia.

Objicies secundò. Si visio non posset per absolutam potentiam conjungi cum peccato: tunc esset inter utrumque oppositio: sed non est: ergò. Min. probatur. Nam primò visio & peccatum sunt in diversis subjectis, visio nimirum in intellectu; & peccatum, si sit actuale, in voluntate; si habituale, in ipsâ substantia animæ. Secundò peccato tanquam privationi gratiæ non opponitur nisi gratia sanctificans; ergò si DEUS elevans hominem in peccato existentem ad beatificam visionem nollet infundere gratiam sanctificantem, remaneret in peccato habituali: privationes verò non destruerentur nisi per formam oppositam. 14.

Respond. nego min. & ad 1. probationem distinguo antecedens. Sunt in diversis subjectis quoad aliquam rationem concedo, quoad omnem nego. Ergò visio beatifica non opponitur formaliter peccatò quoad omnem rationem in se, vel in peccato repertam, concedo: Quoad aliquam, nego. Itaque visio beatifica formaliter directè opponitur peccato, quatenùs istud includit erroneum & defectuosum dictamen rationis, secundùm quod est in eodem subjecto proximo, in quo est visio; quatenùs verò peccatum dicit formalem & malitiosam conversionem voluntatis in bonum commutabile, sic opponitur indirectè & causaliter, determinando videlicet voluntatem ad perenne exercitium amoris DEI super omnia. Rursus peccato habituali formaliter directè non opponitur, ut est actus intellectûs sed ut est formaliter perfecta vita supernaturalis, præsuppositivè & essentialiter connotans gratiam sanctificantem tanquam vitam radicalem in substantia animæ. Unde patet

Respon-

responsio ad secundam probationem. Nam concesso antecedente nego consequentiam: eò quòd visio beatifica ipsam gratiæ vitam ex naturâ rei exigat, tanquàm essentialem sui radicem.

15. Objicies tertiò: Non obstante, quòd actuale auxilium gratiæ sit incompossibile cum actu odii, nihilominùs stat cum ipso potentia ad odium: dicendum ergò etiam, non obstante quòd visio beatifica sit intrinsecè incompossibilis cum peccato, non ideo destruit potentiam peccandi.

Respondeo negando consequentiam: non enim adæquata ratio, cur visio ab intrinseco tollat potentiã peccandi, est ejus icompossibilitas cum peccato, sed quia formaliter tollit omnem errorem practicum, & indifferentiam judicii repræsentantis aliquod objectũ amplectendum, quod sit irreferribile in DEUM. Econtrà auxilium efficax non tollit istam indifferentiam judicii, sed eâdem relictâ voluntatis libertatem modo liberæ naturæ consentaneo in actum redigit.

16. Objicies quartò. Non videtur impossibile, ut gratia habitualis suppleatur per auxilium actuale sicut actus fidei, quamvis sit vitalis vitalitate supernaturali, tamen potest elici à peccatore, in quo desinente gratiâ manet fides: demus ergò, quòd DEUS per auxilium actuale intellectum peccatoris elevet ad sui visionem, macula peccati remanebit cum visione; quippe quæ non tollitur nisi per formam oppositam gratiæ sanctificantis, quam in hoc casu abesse supponimus.

Respondeo: visionem quantumvis transeuntem essentialiter præsupponere vitam gratiæ sanctificantis, quia est operatio perfectissima & ultima actualitas vitæ intellectualis supernaturalis, præsupponens unionem essentiæ divinæ cum intellectu Beati, eundem sub ratione speciei intelligibilis complentis in actu primo, & determinantis ad actum secundum visionis: quæ cuncta supponunt naturam Beati per gratiam sanctificantem jam collocatam radicaliter in gradu & statu vitæ intellectualis supernaturalis, & participativè divinæ. Instantia de fide non est ad rem; quia fides, tanquam prima inchoatio & remota dispositio ad vitam inchoativè divinam, potest esse inchoativè tantùm ideòque imperfectè vitalis vitâ supernaturali: dum econtrà visio ceu consummata perfectio vitæ supernaturalis debet esse perfectè & consummativè vitalis.

Objicies quintò. Si DEUS potest Beato 17. injungere præceptum de aliquo actu (v. g. custodia hominis) liberè implendo, tunc Beatus potest peccare: sed DEUS hoc potest: ergò & Beatus potest peccare. Sequela probatur. In illâ hypothesi, quâ Beatus ex divino præcepto liberè custodiret hominem, posset etiam non custodire, sed non custodiendo peccaret, ergò posset peccare.

Respondeo: admissâ possibilitate talis præcepti, nego sequelam; ad cujus probationem vel nego consequentiam, quia fit transitus à sensu diviso posito in majori, ad sensum compositum in minori. Vel distinguo maj. posset non custodire τò *non custodire* accipiendo præcisivè & pro sensu diviso præcepti, concedo: accipiendo privativè, neg. maj. Sed non custodiendo peccaret, accipiendo non custodiam privativè & pro sensu composito præcepti, concedo, accipiendo præcisivè & pro sensu diviso præcepti, nego min. & consequentiam. Sed de hoc ex instituto in Tract. de Incarnatione, ubi de merito & impeccabilitate Christi agetur.

ARTICULUS III.

An Beatitudo sit ab intrinseco inamissibilis?

SUMMARIA.

1. *Doctrina fidei contra Origenem.*
2. *Visionis intrinseca inamissibilitas deducitur ex ejus virtute satiativâ.*
3. *Et judicativa.*
4. *Quomodo differant visio perpetua, & non perpetua.*
5. *Visioni non repugnat anxietas circa partem beatitudinis accidentalem; benè circa essentialem.*
6. *Visio beatifica debet per se & non ratione alicujus extrinseci satiare appetitum.*
7. *An ex inamissibilitate sequatur indestruibilitas visionis?*
8. *Responsio quorumdam de physicâ indestruibilitate.*
9. *Impugnatur.*
10. *De essentia visionis est, ut videat se duraturum in æternum.*
11. *Perpetuitas est prædicatum essentiale Beatitudinis.*
12. *Denominatio beatitudinis contingenter prædicatur de creaturâ.*
13. *Responsio ad difficultatem.*
14. *Instantia depellitur.*
15. *Judicium virtuale visionis est infalsificabile.*
16. *Necessitate consequenti DEUS Visionem beatificam tenetur conservare in æternum.*
17. *Alicujus creaturæ visio in divinâ essentiâ est necessaria.*

§. I.

Adstruitur inamissibilitas intrinseca.

1. PErpetuitatem & inamissibilitatem beatitudinis fides docet declarata in Concil. Lateran. *c. firmiter. de Sum. Trin.* contra Origenem lib. 1. periarch. c. 5. affirmantem, nec damnatorum supplicia, nec beatorum præmia æternùm duratura. Illam perspicuis verbis tradit S. Script. cùm *Matth. 25. Jo. 22. Petr. 5.* appellat *vitam æternam gaudium, quod nemo tollet à nobis, hæreditatem, & coronam incorruptibilem, incontaminatam, inmarcessibilem. Nullo enim modo,* inquit August. 15. *de Trin. c. 8 esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna.* Verùm uti priùs de impeccabilitate, ita nunc controvertitur

titur de inamiſſibilitate, an illa beatitudini ab intrinſeco, & ex ejus naturâ, an ſolùm ab extrinſeco favore, & gratuitâ DEI voluntate proveniat? ubi contra Scotum *in 4. diſt. 49. q. 6.*

2. CONCLUSIO. *Beatitudo eſt ab intrinſeco inamiſſibilis.* Ita S. D. hîc q. 5. a. 4. in c. Ratio eſt primò. Beatitudo ab intrinſeco, & ex ſuâ eſſentiâ eſt forma perfectè quietans & ſatians appetitum naturæ rationalis : ſed niſi ratione ſui & ab intrinſeco eſſet inamiſſibilis, etiam ratione ſui & ab intrinſeco non ſatiaret & quietaret appetitum. Ergò nec foret beatitudo. Minor probatur : Appetitus rationalis non ſolùm intendit poſſeſſionem Summi Boni, ſed etiam poſſeſſionis ſecuritatem, quâ non habitâ eſt conſtitutus in anxietate & formidine illam amittendi: ergò forma, quæ ratione ſui & ab intrinſeco habet ſatiare & quietare appetitum, debet ab intrinſeco, & ratione ſui afferre ſecuritatem de non amittenda Summi Boni poſſeſſione; quod non facit, niſi ſecum afferat ſuimet intrinſecam inamiſſibilitatem.

3. Ratio eſt ſecundò. Tunc beatitudo eſt ab intrinſeco inamiſſibilis, quando eſt de ipſius eſſentiâ, ut judicet, ſe in perpetuum duraturam: ſed eſt. Ergò. Major probatur. Implicat, ut judicium beatitudinis ſit falſum. Ergò ſi eſt de eſſentia beatitudinis, ut judicet, ſe perpetuò duraturâ, hoc ipſo eſt de eſſentiâ ipſius, ut in perpetuum duret. Minor etiam probatur. Beatitudo formalis conſiſtens in actu viſionis intellectualis judicativo, virtualiter ſatiat per modum judicii, niſi judicet ſe perpetuò duraturam, cùm aliàs relinquat locum formidini ſuæ amiſſionis. Ergò.

§. II.

Solvuntur objectiones.

4. DIces primò. Viſio perpetua & non perpetua ſunt ejuſdem rationis; ergo, ſi perpetua ad beatificandum ſufficit, ſufficit etiam non perpetua.

Reſpondeo. Sunt ejuſdem rationis in ratione viſionis & operationis, concedo; in ratione quietantis & beatificantis, nego. De quo ſtatim infrà.

5. Dices ſecundò. Non eſt de ratione beatitudinis, ut depellat omnem anxietatem; aliàs Chriſtus Dominus ſummâ preſſus anxietate, non fuiſſet verè beatus. Ergò etiam non eſt de ratione beatitudinis, quòd ſit inamiſſibilis. Conſeq. patet, quia hanc aſſignamus rationem inamiſſibilitatis, quòd aliàs beatitudo non pelleret omnem anxietatem.

6. Objic. tertiò. Sufficienter ex parte Beati tollitur omnis formido & anxietas, ſi is cognoſcat ſuam viſionem fore perpetuam; ſed hoc fieri poteſt, ſi Beatus cognoſcat decretū divinum de perpetuandâ viſione, tametſi viſio beata ab intrinſeco non afferat hanc perpetuitatem : ergò tametſi viſio beata non ſit ab intrinſeco inamiſſibilis, adhuc ſufficienter tolli poteſt omnis formido & anxietas.

Reſpondeo. Tollitur illo caſu omnis formido per ſe, & ex vi beatitudinis, nego: per accidens, concedo. Eſt autem beatitudini eſſentiale, ſatiare perfectè appetitum, & conſequenter per ſe debet omnem oppoſitam formidinem depellere.

§. III.

Proponitur difficultas de indeſtruibilitate viſionis.

HInc tamen emergit non levis *difficultas*: quomodo deſtruibilitas intrinſeca viſionis beatæ componi poſſit cum intrinſeca inamiſſibilitate, h. e, ipſa indeſtruibilitate ipſius? nec enim aliter beata viſio, quàm ſui deſtructione amitti poteſt. Porrò viſionē beatâ eſſe intrinſecè & ſimpliciter deſtruibilem, videtur deduci ex communi conſenſu PP. & Theologorum docentium contra Ariagam diſp. 15. phyſ. ſe. 2. Omnem creaturam eſſe ab intrinſeco deſtruibilē & defectibilem, ut inſinuatur Sap. 11. *Quomodo aliquid poſſet manere, niſi tu voluiſſes, aut quod à te vocatum non eſſet conſervaretur?* 7.

Cujus *Ratio eſt* : Quòd rerum conſervatio ſit earundem continuata productio : ergò, ſicut implicat, creaturam, quæ eſſentialiter eſt ens ab alio, & contingens ſecundùm exiſtentiam, habere intrinſecā neceſſitatem eſſendi in fieri & produci ; ita ſimiliter implicabit, ut habeat intrinſecam neceſſitatem eſſendi in conſervari: & ſicut cùm producitur, exiſtentia ipſi contingenter convenit, ita contingenter convenit, dum conſervatur. Vide, quæ pro hâc ſententia doctè & fusè proponuntur à Magnif. D. P. Benedicto Pettſchacher *in theſ. de act. hum. th. 4. concl. 3.*

Exiſtimant nonnulli Thomiſtæ, ſe huic difficultati ſatisfacere, ſi dicant : viſioni beatæ convenire ab intrinſeco indeſtruibilitatē phyſicâ ex principiis intrinſecis, correſpondentem ordinariæ potentiæ DEI, quemadmodum & animæ rationali, & Angelis, & cœlis convenit, præſertim cùm juxta alibi dicta, viſio beata menſuretur æternitate participatâ : Non autem convenire intrinſecam indefectibilitatem, aut indeſtruibilitatem logicam ab extrinſeco correſpondentē potentiæ DEI extraordinariæ, quæ ſola repugnat creaturæ. 8.

Contra quam tamen reſponſionem facere videtur primò. Quòd, juxta hunc dicendi modum, de ratione viſionis beatæ tantùm foret radicalis & exigitiva perpetuitas, h. e. connaturalis exigentia & inclinatio ad ſui perpetuitatem, orta ex principiis intrinſecis ipſius viſionis : ſed hæc radicalis perpetuitas non ſufficit, primò, quia etiam viſio tranſeunter communicata connaturaliter habet hanc exigentiā, & tamen quia per extraordinariā DEI potentiam actu non perpetuatur, ideò non beatificat videntem. Et certè quis neget, majorem indefectibilitatem eſſe de ratione beatitudinis, quàm quæ conveniat Angelo, animæ rationali, cœlo? ſed indefectibilitas memorata eſt his omnibus cōmunis. Secundò. Non ſatis eſt, quòd beatitudo certificet de potentiâ intrinſecâ ſuæ æternitatis & non amiſſionis, ſed debet etiam certificare videntem de actuali ſua æternitate, & non amiſſione, aliàs enim non omnimodè depellit omnem formidinem & anxietatem; ſiquidem ſtante inclinatione & aptitudine connaturali ad perpetuitatem, adhuc poteſt per abſolutam DEI potentiam deſtrui, prout de viſione tranſeunte dictum eſt, & ſicuti ſtante connaturali exigentia & aptitudine accidentis ad inhærendum in ſubjecto, poteſt tamen actualis inhærentia deſtrui. Unde

Contra est secundò. Prædicata essentialia ne quidem logicè & per absolutam DEI potentiam ab essentiâ separari possunt; sed inamissibilitas sumpta pro perpetuatione durationis est essentiale prædicatum beatitudinis: ergò nec per absolutam potentiam à beatitudine separari potest. ergò beatitudo nec per absolutam potentiam est destruibilis. Minor partim fuit ostensa, partim ex subjiciendis constabit.

§. IV.

Satisfit propositæ difficultati.

10. ANtequam propositæ difficultati respondeam, prænotandum primò. De essentiâ visionis beatificæ quà talis esse, ut repræsentet se duraturam in æternum, quod fit, in quantum in Divina essentia repræsentat decretum, quo DEUS decrevit, se beato comunicare per totam æternitatem, sicque virtualiter reflectitur supra seipsam. Hæc videtur esse mens expressa S. D. *hic q. 5. a. 4. in c.* ubi dicit: *Requiritur igitur ad veram beatitudinem, quòd homo certam habeat opinionem, bonum, quod habet, nunquam se amissurum.* Et *ratio* sæpiùs insinuata est, quòd de essentia visionis beatificæ, quà talis, est, ut ex propria ratione sit depulsiva omnis anxietatis, atque perfecta possessio summi boni; sed tunc tandem est depulsiva omnis anxietatis & perfecta possessio summi boni, quando omnimodè certificat de summi boni possessione, nunquam amittenda, adeòque de sui perpetuitate, æterna Duratione, ergò. Major est D. Augustini loco supra cit. dicentis: *Vita æterna beatissima esse non potest, nisi de sua fuerit æternitate certissima.* Minorem habet idem S. P. paulò post ita loquens: *Etiam ipse justus non vivit, ut vult, nisi eò pervenerit, ubi mori, falli, offendi non possit, eique sit certum, ita esse futurum.*

11. *Prænotandum* secundò. Perpetuitatem esse prædicatum essentiale beatitudinis perfectæ, ne quidem divinitùs dispensabile: Sublatâ quippe perpetuitate, imò & certificatione ipsius, secundùm hactenùs dicta, appetitus & voluntas omnimodè contenta, quieta, & satiata esse non potest, unde remota perpetuitate, beatitudo esset & non esset talis.

12. *Prænotandum* tandem *tertiò*. Denominationem & prædicatum beatitudinis nulli creaturæ ex principiis ipsius intrinsecis convenire posse, atque adeò esse beatam & beatificam, de ipsâ visione DEI non nisi contingenter prædicari: quia ex opposito manifestè sequeretur, quòd aliqua creatura esset ab intrinseco indestruibilis etiam per absolutam DEI potentiam, quod in propositione difficultatis sup. n. 4. dici non posse, rectè probatum est. Constat etiam, aliquam visionem DEI (qualis est, quæ è speciali DEI privilegio quibusdam sanctis viatoribus probabiliter fuit communicata,) transeunter communicatam, non fuisse beatam, adeòque hoc prædicatum à visione esse separabile, quamvis intereà inficiandum non sit, visionem DEI radicaliter saltem ex natura rei esse beatificam, eò quod per essentiam sit adeptio & assecutio summi boni. His positis,

13. Respondeo, visionem beatificam esse ab intrinseco indestruibilem, si formaliter & in sensu reduplicativo sumatur, quatenùs est beatifica: sin verò sumatur materialiter, & in sensu specificativo secundùm physicam & creatam entitatem visionis, quæ est beata, sic esse ab intrinseco ad modum cujuscunque alterius creaturæ, destructione Logicâ per subtractionem divini conservativi concursûs, non physicâ, ex principiis intrinsecis ortâ, destruibilem. *Rationem dubitandi*, quòd omnis creatura sit intrinsecè destruibilis, distinguo: est intrinsecè destruibilis ratione suæ intrinsecæ entitatis, concedo; ratione formæ cujuscunque ab extrinseco sibi contingenter superadditæ, nego. Nam beatitudo est formalis denominatio, visioni beatificæ per extrinsecum DEI decretum, quo illam gratuitò ad statum beatificum elevat, contingenter superaddita.

Dices: etiam beatitudo est forma creata, & sic visio beatifica quà talis est quid creatum: ergò adhuc sequitur, aliquam creaturam esse ab intrinseco indestruibilem. *Resp.* est forma creata subjectivè (quatenus est participata beatitudo) transeat; objectivè, nego; quia pro objecto habet essentiam divinam & in illa decretum de perpetuâ sui communnicatione. 14.

Instabis. Etiam visio in esse visionis est objectivè infinita, quia terminatur ad essentiam DEI clarè visam, nec tamen est intrinsecè indestruibilis. *Resp.* terminatur ad essentiam divinam, ut summum bonum præcisè adeptum, concedo; ut summum bonum inamissibiliter adeptum & possessum, nego; hoc enim ipsi convenit præcisè quatenùs est beatifica.

§. V.

Corollaria ex dictis.

INferes ex dictis *primò*. Judicium virtuale visionis beatificæ, quo se judicat æternùm duraturam, esse intrinsecè infalsificabile. *Primò*. Quia si esset falsificabile, visio beatifica quà talis non esset simpliciter indestruibilis; sed hoc est falsum ex dictis, ergo. *Secundò*. Quia fides est intrinsecè infalsificabilis, ergò multò magis visio: quæ de indestruibilitate possent objici, solves ex dictis. 15.

Inferes secundò. Non posse à DEO produci visionem ut beatificam, quin DEUS decernat eandem conservare in æternum, idque decretum videnti manifestet. *Ratio primi* est: quia alias visio esset & non esset beatifica, utpotè destituta omnimodâ certificatione suæ perpetuitatis. *Ratio secundi* est: quia inamissibilitas visionis beatæ est inamissibilitas cognita & judicata, cùm visio non possit videntem aliter assecurare & certificare de suâ inamissibilitate nisi modo cognoscitivo & enuntiativo; sed nisi manifestaretur decretum divinum de suâ conservatione, illa inamissibilitas non esset cognita & judicata, cùm decretum, sicuti Beato est ratio videndi alia creata, ita maximè suam visionem, ejusque perpetuitatem. 16.

Inferes tertiò. Licèt absolutè dari possit visio divinæ essentiæ in tam tenui gradu, ut nulla ex creaturis tam actualibus quàm possibilibus distinctè & determinatè appareat, secundùm ea, quæ dixi in disp. de DEO, cap. 6. §. 3. tamen visionem beatam dari non posse, quin aliquam 17.

liquam creaturam, videlicet seipsam in divinâ essentia conspiciat, siquidem ex hactenùs dictis est essentiale visioni quà beatæ, ut sit in se virtualiter reflexa, seque judicet duraturam in æternum. Neque hinc sequitur, aliquid creati admiscendum fore primario objecto visionis, sed tantùm objecto secundariò, quamvis tantâ necessitate, ut nisi perpetuitas visionis exhiberetur, nec divina essentia esset actualiter beatitudo objectiva, nec visio formalis. Patet ex dictis.

ARTICULUS IV.

Quale sit gaudium & fruitio Beatorum?

SUMMARIA.

1. *Quid & quotuplex sit gaudium, vel delectatio.*
2. *Amor amicitiæ & concupiscentiæ in Beatis non distinguuntur.*
3. *Gaudium Beatorum ab habitu charitatis.*
4. *Cur in hàc vitâ amor concupiscentiæ pertineat ad virtutem spei?*
5. *Objectum primarium & directum gaudij est solus DEUS.*
6. *Diluitur instantia de amore proximi.*

§. I.

Sítne delectatio Beatorum ab habitu charitatis?

1. *NOtandum primò.* Quòd omnis Inclinatio in bonum, illius boni obtentu & possessione quietatur. Sicut ergo ad motum & inclinationem lapidis quies sequitur, quamprimùm ille pervenit ad suum centrum, ita cùm natura rationalis possidet suum bonum & finem, quam desideravit, gaudet & delectatur de illo; quæ delectatio si sit de fine ultimo, fruitio nominatur. Hoc in Beatis est duplex, velut & ipse amor Summi Boni: nam amorem amicitiæ seu benevolentiæ, quo DEUS amatur ut in seipso & sibiipsi summè bonus consequitur gaudium & delectatio de bono divino ut est bonum ipsius DEI: & exprimitur per illa verba *Apoc. 19. Quoniam regnavit Dominus DEUS noster omnipotens, gaudeamus, & exultemus, & demus gloriam ei.* Amorem verò concupiscentiæ, quo amatur DEUS, ut est summum bonum, & æterna felicitas ipsius Beati, sequitur etiam gaudium & delectatio de DEO, ut est summa satietas & beatitudo animæ, quod expressit Regius Psaltes Ps. 15. *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo.*

2. *Notandum secundò.* Utrumque amorem amicitiæ & concupiscentiæ in Beatis probabiliùs non distingui: Ratio est: Amor sequitur cognitionem: sed eodem actu visionis beatificæ repræsentatur Divina bonitas, ut est DEO, & ipsi Beato summè bona: ergo eodem quoque amoris actu voluntas poterit ferri in bonitatem divinam ut DEO & ut Beato bonam: ergo idem actus erit amor amicitiæ, & concupiscentiæ. Quæstio nunc est, à cujus virtutis habitu procedat delectatio, quæ sequitur amorem concupiscentiæ, & quodnam sit objectum primarium ac divinum ipsius: nam quòd delectatio & fruitio consequens amorem amicitiæ pertineat ad virtutem charitatis divinæ, sicut & ipse amor, facilè consentiunt Authores.

3. CONCLUSIO prima. *Delectatio Beatorum, quâ gaudent de DEO tanquam Summo Bono beatificante & à se possesso, procedit ab habitu charitatis.* Ita communiùs Thomistæ. Ratio est. Ejusdem virtutis est amor & delectatio nata consequi amorem: sed amor concupiscentiæ, quo DEUS ut finis ultimus & objectum beatificum perfectè satians à Beatis diligitur, est actus charitatis Min. probatur, partim quia, ut not. 2. dixi, amor amicitiæ & concupiscentiæ in Beatis probabiliùs non distinguuntur; partim quia non est alia virtus Theologica assequibilis, cui debeat tribui amor concupiscentiæ. Non enim fidei, quæ est in intellectu, ut per se patet. Non spei, quia spes non manet in patriâ, partim quia tendentia ac via desinunt obtento termino atque spes est via & tendentia ad beatitudinem radicata in ipsâ fide: ergò obtentâ beatitudine & sublatâ fide spes desinit; partim quia ablato formali motivo virtus non subsistit: sed motivum & objectum formale spei, quod est obtinenda beatitudo ceu bonum arduum auxilio divino assequibile, non manet in patriâ, ergo nec manet spes, quâ de causa Apost. Rom. 8. *Spes quæ videtur*, inquit, (h. e. cujus objectum non jam ut assequendum creditur obscurè, sed ut possessum videtur clare,) *non est spes, nam quod videt quis, quid sperat?*

Dices. Amor convipiscentiæ, quam habemus in viâ pertinet ad virtutem spei. Respond. negando consequent. Quia in hâc vita amor concupiscentiæ est ipsum desiderium, quo beatitudinem appetimus tanquam bonum arduum & absens: atqui in patriâ cessat ratio desiderij, absentiæ, & arduitatis, unde beatitudo actum spei ampliùs terminare non potest. 4

§. II.

Quodnam objectum primarium delectationis?

CONCLUSIO secunda. *Objectum imediatum primarium & divinum hujus delectationis est ipse DEUS.* Ratio est primò. Illud est objectum primarium & divinum tam amoris, quàm delectationis, quod primario & directè per claram visionem repræsentatur ut summè amabile & delectabile: sed solus DEus primariò & directè sic repræsentatur, ut suprà ex dictis de Visione, ergo. Ratio est secundò. Objectum primarium & directum virtutis Theologicæ est quid divinum & increatum, prout ex instituto dicitur in Tract de fide: sed amor & delectatio patriæ sunt actus virtutis Theologicæ, & quidem charitatis secundùm dicta; ergo habent pro objecto primario & directo visionem & beatitudinem formalem, quæ est aliquid creatum; sed DEUM & beatitudinem objectivam, tanquam objectum increatum. 5

Dixi objectum primarium & directum; sicut enim ipsa visio secundariò repræsentat seipsam, sic etiam amor concupiscentiæ & delectatio poterit secundariò & indirectè terminari ad visionem; quemadmodum spes istius vitæ secundariò fertur in adeptionem Summi Boni tanquam objecti primarii.

6. Dices: Etiamsi actus primarius alicujus virtutis Theologicæ directè debeat terminari ad objectum increatum & divinum: non tamen necesse est, ut actus secundarius ita terminetur: sic enim dilectio hominis propter DEUM, quæ est actus secundarius charitatis; habet proximum pro objecto terminativo. Subsumo. Sed delectatio est actus secundarius charitatis: ergò nihil obstat, quò minùs pro objecto directè & immediatè terminante habeat creatam visionem.

Respondeo dist. majorem: nisi ille actus in accipiendo objectum terminativũ totaliter dependeat ab actu primario, concedo. Si totaliter ab illo dependeat, nego: sed delectatio est actus secundarius charitatis, ita tamen ut totaliter ab amore concupiscentiæ, qui est actus primarius, dependeat, concedo. Ut nõ totaliter dependeat, nego min. & consequentiam. Cùm enim nullatenùs possit esse delectatio, nisi de objecto, quod amatur: ideò necesse est, illud objectum directè objici delectationi, quod objicitur amori: atqui amori concupiscentiæ in patriâ directè objicitur DEUS: ergò & delectationi. Ex quibus datur disparitas ad instantiam: quia amor proximi propter DEUM ab amore DEI dependet quidem in accipiendo objectum motivum, cùm utriusque sit idem motivum, dum & DEUS propter se & proximus amatur propter DEUM, non verò accipiendo objectum terminativum; quia amor proximi non ita sequitur amorem DEI per modum proprietatis necessariò emanantis, sicuti delectatio & gaudium consequitur amorem boni possessi.

ARTICULUS V.

De consectaneis accidentalibus ad beatitudinem

SUMMARIA.

1. *Cur dotes assignentur animæ beatæ?*
2. *Definitio dotis.*
3. *Numerus dotium.*
4. *Consistunt non in operatione, sed habitu.*
5. *Objecta authoritas D. Thomæ exponitur.*
6. *Cur gratia sanctificans non constituat dotem?*
7. *Cur dotes non sint in Angelis?*
8. *Neque in Christo?*
9. *Quid sit dos corporis?*
10. *Exponitur impassibilitas.*
11. *In quo consistat subtilitas.*
12. *Quid sit dos agilitatis?*
13. *Quid sit dos charitatis?*
14. *Dotes redundant ex gloria animæ.*
15. *Definitio aureolæ.*
16. *Ternarius aureolarum ostenditur.*
17. *Cur aureola non respondeat voluntariæ paupertati & obedientiæ?*
18. *Requisita ad aureolam virginitatis.*
19. *Corollaria inde deducta.*
20. *Requisita ad aureolam Martyrii.*
21. *Corollaria exinde deducta.*
22. *Requisita ad aureolam Doctoratûs.*
23. *Aureola principaliter subjectatur in voluntate.*
24. *Christus non habet aureolas.*
25. *Nec Angeli.*
26. *Reunio corporum non pertinet ad essentialem,*
27. *Benè ad accidentalem & extensivam perfectionem beatitudinis.*

§ I.

Exponuntur dotes animæ beatæ.

1. NOtandum primò. Cùm in æternâ beatitudine spirituale quoddam matrimonium ineatur inter animam & DEUM: ideò animæ tanquam sponsæ communiter à Theologis assignari quasdam dotes, per analogiam ad illam dotem, quæ in matrimonio carnali sponsæ assignatur partim in matrimonii solatium & onerum sublevationem, partim in ipsius sponsæ ornatum. Prout *dicitur L. Dotis ff. de jure dotium.*

Notandum secundò. Dotem animæ à S. D. in 4. d. 49. q. 4. a. 1. sic definiri: *Dos est ornatus animæ, vita sufficiens, in æternâ beatitudine jugiter perseverans.* Ubi significantur tres conditiones ad rationem dotis requisitæ. Primò quòd conferatur à Christo Sponso vel totâ sanctissimâ Trinitate ad ornatum & jucunditatem animæ: neque enim ulla ibi sunt onera matrimonii, pro quibus sustinendis in matrimonio carnali dos tribui solet. Secunda est, ut conveniat in patriâ, seu beatitudine æterna, quia tunc solum sponsa in domum sponsi introducitur, fitque indissolubile matrimonium inter animam & Christum, quâ de causâ dicitur *Apoc. 19. Venerunt nuptiæ agni, & uxor ejus præparavit se, & datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti & candido.* Tertiò requiritur habitudo ad Sponsum Christum, quia debet esse donum sufficiens ad suavem unionem cum Christo. His positis in numero dotium facilè conveniunt Authores: potissima discrepantia reperitur in exponenda illarum entitate: dum aliqui volunt illas in actu, ut Vasquez & Martinez: alii in habitu, ut communiter Thomistæ; alii in utroque constituunt, ut Lorca hîc disp. 22. 2.

CONCLUSIO prima. *Tres sunt dotes animæ beatæ, videlicet, visio, comprehensio, & fruitio.* Ita Thomistæ *ex S. D. hîc q. 4. a. 9.* 3.

Ratio est: Illa dona sunt dotes animæ beatæ, quæ ita sufficiunt ad ornatum animæ, suavemque ejus unionem cum Christo, ut simul respondeant dotibus animæ justæ, quibus in hâc vita

vita spiritualem atrimonium inchoatur ; & ad futurum disponitur : sed tria sunt ejusmodi dona videlicet ; visio ; quæ respondet fidei, & tollit cognitionis obscuritatem ; comprehensio, quæ succedit spei, & tollit ipsius anxietatem ; fruitio, quæ respondet charitati, eique superaddit quietem in bono possesso.

4. CONCLUSIO secunda. *Dotes animæ non consistunt in operatione, sed in aliquo dono habituali : & quidem* [1.] *dos visionis in lumine gloriæ ; quatenùs est habitualis clarificatio intellectûs, eundem proximè disponens ad intimam unionem cum divinâ essentiâ in ratione speciei intelligibilis :* [3.] *dos comprehensionis in eodem habitu luminis gloriæ quatenùs fundante relationem præsentiæ ad DEUM ceu bonum possessum :* [4.] *Dos verò fruitionis consistit in habitu charitatis ut causante beatificam fruitionem.*

Ratio primæ partis ex *S. D. in Suppl. q. 95 a. 2. in c.* est : quòd nomine dotis non intelligitur ipsa unio & conjunctio cum DEO, sicuti neque in matrimonio carnali dotis nomine significatur copulatio ipsa matrimonii : sed dos significat ornatum & dispositionem animæ ad intimam unionem cum DEO : atqui operationes beatificæ visionis & fruitionis significant ipsam actualem unionem & conjunctionem cum DEO: ergò dotes beatæ animæ non in operatione, sed in aliquo habitu ad illam operationem disponente & influente debent consistere.

Ex quo cæteræ partes conclusionis facilè sequuntur, nam sicuti actualis visio & comprehensio Summi Boni est actus ipse visionis, sic habitualis est lumen gloriæ, sub diversâ tamen formalitate ; nam visio dicitur, quatenùs clarificat intellectum, eumque proximè disponit ad unionem divinæ essentiæ sub ratione speciei intelligibilis : comprehensio verò dicitur, quatenùs in anima causat relationem intimæ præsentiæ cum divinâ essentiâ ceu bono possesso. Rursùs : sicuti fruitio actualis primaria est actus charitatis seu amor tum benevolentiæ tum concupiscentiæ. Secundaria est delectatio consequens amorem, sic fruitio habitualis nil est aliud ; quàm habitus charitatis, ex quo summa tùm dilectio Summi Boni, tùm delectatio de ipso promanat.

5. Dices primò S. D. hic q. 4. a. 3. animæ dotes explicat nominibus importantibus operationem, Rursùs Loco cit. ad 2. dicit, quòd sicut ad voluntatem pertineant spes & amor, ita etiam comprehensio & delectatio. Ergò comprehensio non est lumen gloriæ.

Respondeo. Aliquando operationem exprimi per vocem significativam principii habitualis : uti cum actus voluntatis per τὸ *voluntas* in S. Scriptura frequenter exprimitur : aliàs verò è converso per nostram operationem significativam habitus exprimuntur ; eò quòd habitus connotent operationes à quibus significantur. Et sic in præsenti per nostram operationem expriamentia significatur quid habituale. Ad secundum Respondeo primò, quòd secundùm S. D. comprehensio ad voluntatem pertineat objectivè & terminativè, non autem subjectivè ; h. e. quòd dos comprehensionis non sit intrinsecè recepta in voluntate : sed quòd per ipsam Summum Bonum jam comprehensum fiat objectum voluntatis, & terminus amoris fruitivi.

Respondeo secundò ; comprehensionem ad voluntatem pertinere consecutivè, non formaliter, h. e. quòd jam suppositâ formali & intellectivâ comprehensione, etiam in voluntate resultet relatio præsentiæ ad DEUM ; quæ non est ipsa dos animæ, sed eandem ex parte intellectûs jam præsupponit.

Objicies secundò. Gratia sanctificans non constituit dotem in patriâ : quia illam anima etiam possidet in viâ. Ergò neque charitas, cùm sit etiam communis viæ & patriæ.

Respondeo, negando causalem antecedentis : 6.
nam ratio, cur gratia sanctificans non constituat dotem, hæc est : quia in supernaturalibus se habet per modum naturæ & primæ radicis supernaturalium bonorum; adeòque sicut in naturalibus natura nec dotem nec matrimonium constituit : sic neque gratia in supernaturalibus, sed utrique præsupponitur.

Colliges primò. Cur prædicta dona super- 7.
naturalia in Angelis non appellentur dotes, cùm tamen æquè in ipsis, quàm in beatis animabus reperiantur ? Quia nimirum dos dicit habitudinem ad Christum tanquam Sponsum : sed hæc dona in Angelis non dicunt habitudinem ad Christum tanquam sponsum ; nam sponsus cum sponsâ debet habere similitudinem naturæ, atqui Angelici spiritus dissimilem habent naturam cum Christo.

Colliges secundò. Cur eadem dona, quam- 8.
vis excellentissimè possessa à Christo, in ipso tamen non habebunt appellationem dotis ? Quia videlicèt ipse est sponsus, & respectû suorum electorum non acceptor, sed dator bonorum supernaturalium.

§. II.

Dotes corporis gloriosi.

CORporum reassumptionem, seu resurrectio- 9.
nem fides docet, in quâ justorum corpora eadem quidem numero, ut erant in hâc vitâ, accidentaliter tamen erunt longè perfectiora, omni nimirum defectu & deformitate absoluta, prout indicatur ad Ephes. 4. *Donec occurramus omnes in virum perfectum &c.* Unde D. Aug. 22. de Civ. c. 19. *Non est macris, pinguibúsque metuendum, ne ibi etiam tales sint, quales si possent, nec hic esse voluissent.* Nempe ; cùm ad multarum operationum sibi connaturalium exercitium anima corporis consortio indigeat, æquum erat, ad beatitudinem omni ex parte complendam etiam corpus animæ sociari ; & quidem eò decore & perfectione instructum ; quæ competunt animæ beatæ dignitati ; & statui omnium bonorum aggregatione perfecto. Porrò speciales illæ corporum gloriosorum perfectiones etiam à Theologis dotes nominantur ; & communiter quatuor recensentur, videlicet ; impassibilitas, subtilitas, agilitas, & claritas, his versibus enumeratæ :

Clari, subtiles, agiles, impassibilesque,
Omnes quadruplici gaudebunt dote Beati.

Rationem congruentiæ dat S. D. 4. contra gentes c. 86. Sicut anima beata elevatur ad gloriam

riam cœlestium spirituum, ita congruum est corpus Beati elevari ad proprietates cœlestium corporum; sed quatuor potissimùm sunt proprietates corporis cœlestis; quòd nempe sit clarum, impassibile, facillimè loco mobile, expers elementarium fæcum & impuritatum: ergo corpus gloriosum quatuor istas proprietates participabit. Restat inquirere, in quo consistant enumeratæ dotes corporis gloriosi. Unde

Quæres primò. In quo consistat impassibilitas? Respond. In omnimodâ exclusione cujuscunque læsivæ, aut corruptivæ qualitatis causatâ ex perfectâ subjectione corporis ad animam. Sicut enim radix corruptivæ alterationis est imperfecta subjectio materiæ ad suam formam, ita vice versâ radix incorruptionis est perfecta subjectio materiæ ad formam: uti patet in corporibus cælestibus. Hanc impassibilitatis dotem indicavit *Jo. Apoc.* 21. *Mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.*

Quæres secundò. Quid sit dos subtilitatis? Respond. Esse immunitatem ab omni crassitie terrenæ concretionis, & fæcibus operationum valdè materialium vitæ vegetativæ, quæ in nostro mortali corpore reperiuntur: quâ de causâ corpus gloriosum Apostolus *corpus spiritale* appellavit 1. Cor. 15. dicens: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Neque, tamen ut quidam malè existimant, ex dote subtilitatis habebunt corpora gloriosa virtutem corpora solida penetrandi, ut docet S. D. in 4. dist. 44. q. 2. a. 2. Siquidem subtilitas non aufert à corpore glorioso quantitativam dimensionem, ex quâ impenetrabilitas, sitûsque distinctio connaturaliter promanat. Unde penetratio, quâ gloriosum Christi corpus clauso sepulchro exivit, per clausas fores intravit, non ad dotem subtilitatis, sed specialem & miraculosam operationem divinæ virtutis est referenda: ex quâ pariter clauso virginis utero corpus ipsius passibile & mortale exivit.

12. Quæres Tertiò. Quid sit dos agilitatis? Respond. Esse promptissimam facilitatem, quâ ad omnē motū localem voluntati & potentiæ executivæ Beatorum sua corpora obedient, quæ significata reperiuntur Is. 40. *Assumens pennas ut aquilæ, current & non laborabunt &c.* Sap. 3. *Tanquam scintillæ in arundineto discurrent.* Dices: corpora Beatorum non amittent gravitatem; siquidem erunt etiamnum mixta: atqui gravitas impedit corpora, ne pro lubitu sursum moveri possint. Respond. Etiamsi aliqua gravitas (longè tamen minor quàm nostrorum corporum) in corpore glorioso fortè in actu primo remaneat, gravitationem tamen in actu secundo per dotem agilitatis impediri, quotiescunque beato placuerit moveri motu levitationis.

13. Quæres quartò. Quid sit dos claritatis? Respond. Esse lucidam qualitatem ejusdem rationis cùm luce solis, quia præstat eundem effectum formalem. Illam exhibuit Christus clarificatus in monte Thabor, quando *facies ejus splenduit sicut sol.* Matt. 17. Ipsius quoque mentio fit Sap. 3. *fulgebunt justi sicut sol &c.* & 1. Cor. 15. *Seminatur corpus in ignobilitate, surget in gloriâ &c.*

Sed erintne Beatorum corpora etiam transparentia & perlucida, ita ut non minùs in profundo luceant, quàm in superficie? Respond. affirmat. & imò colligitur ex illo Job. 28. *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum.* In quæ verba S. Greg. 18. Moral. c. 31. *patebit*, inquit, *corporalibus oculis ipsa etiam corporis humani harmonia*, h. e. interna constitutio. Idque videtur convenientiùs tam pro ornatu & pulchritudine corporum, quàm pro voluptate aspicientium. Neque refert, quòd corpora gloriosa sint servatura suum colorem: neque enim color præcisè impedit transparentiam, aut causat opacitatem, cùm reperiantur vitra & gemmæ coloratæ, quæ tamen transparent.

Quæres quintò. Unde promanent dotes corporis gloriosi? Respond. Promanare ex gloriâ animæ, per ejusdem redundantiam in corpus. 14.
Ita S. D. 4. cont. gentes. c. 86. & ratio congruentiæ est, quòd ex gratiâ tum viæ tum patriæ promanent virtutes infusæ morales, quibus corporeæ vires subijciuntur imperio rationis: ex gratiâ innocentiæ promanabat donum integritatis, quo appetitus sensitivus contineatur sub obedientia partis rationalis. Ergo similiter ex gratia consummata promanant perfectiones propriæ statui corporis gloriosi. Nec refert, quòd istæ sint materialis; gratia verò sit qualitas spiritualis: nam etiam potentiæ corporeæ & sensitivæ ex animâ rationali, quantumvis spirituali resultant in corpore.

§. III.

Aureolæ Beatorum,

Quæres primò. Quid sit aureola? Respond. 15.
Ex *S. D. in 4. dist. 49. q. 5. a. 5. esse privilegiatum præmium privilegiatæ victoriæ respondens.* Sive: accidentale gaudium de operationibus à se factis, quæ habent rationem excellentis victoriæ.

Explicatur. Sicuti præmium essentiale visionis beatificæ Corona appellatur; Trin. 4. quia tribuitur legitimè certantibus, post superata mortalis vitæ certamina; sic etiam gaudium & præmium aliquod accidentale correspondens alicui speciali pugnæ & victoriæ, corona nominatur, sed tum ad distinctionem Coronæ seu prœmij essentialis appellatur nomine diminutivo Aureola, hoc est, quasi Corolla aurea. Contra Occasionem Theologi sumpserunt ex c. 25. Exod. ubi postquam DEUS præcepit mensam tabernaculi ornari coronâ aureâ, præcepit eidem supponi aliam coronam aureolam, ubi Glossa in sensu anagogico per primam coronam auream intelligit præmium essentiale Beatorum, per aureolam verò præmium accidentale.

Quæres secundò. Quæ & quot sint aureolæ? 16.
Respond. Tres esse aureolas, videlicet, Virginitatis, Martyrij, & Doctoratûs.

Ratio est: Tot sunt aureolæ, quot sunt præmia & coronæ accidentales de aliqua operatione heroicâ habente rationem excellentis victoriæ, si etiam in certo aliquo pugnæ genere, præstantissimæ, sed ejusmodi victoria est triplex: ergo etiam est triplex aureola. Min: probatur: Pugna spiritualis est triplex, juxta triplex genus appetitûs, nimirùm concupiscibilis, irascibilis, & rationalis. Prima est contra carnem, altera contra mundum, tertia contra Dæmonem. Sed contra carnem

nem perfectissima victoria est perpetua virginitas, contra mundum, martyrium, contra Dæmonem doctoratus. Ergo. Min. Explicatur & probatur. In genere appetitûs concupiscibilis non est major hostis quàm concupiscentia carnis, contra quam quotidiana pugna, rara victoria. Ergò etiam in hoc genere præstantissima victoria competit virginitati, quæ triumphat de concupiscentia carnis.

Secundò. In genere appetitûs irascibilis non est major victoria contra superbiam mundi terrentis quàm in illo heroico actu fortitudinis, quo maximum malum tollatur ad persistendum in bono virtutis: sed non est majus malum secundùm inclinationem appetitûs irascibilis propulsandum, quàm ipsa mors: ergo in illo actu quo mors ipsa tollatur ex motivo retinendæ virtutis, est perfectissima hujus generis victoria. Tertiò In genere appetitûs rationalis contra Dæmonem, illa est perfectissima victoria, quâ non tantùm proprius, sed etiam alienus intellectus perficitur in agnitione divinæ veritatis, ut exinde superet errores, quibus dæmon intellectum inficere, & his mediantibus voluntatem nititur avertere ab ordine ultimi finis: sed hæc victoria obtinetur per Doctoratum. ergo.

17. Dices. Votum perpetuæ paupertatis, quo superatur amor divitiarum, nec non victoria propriæ voluntatis per votum obedientiæ, sunt etiam actus heroici habentes rationem excellentis victoriæ: ergo etiam ipsis debetur aureola, & consequenter non sunt tantùm tres aureolæ.

Respondeo. Etiamsi istis quoque heroicis operationibus & victoriis in cœlo speciale gaudium præmiumque respondeat, hoc tamen non dici aureolam, quo neutra victoria est in suo genere difficillima & præstantissima: nam sicut concupiscentia carnis longè major est, quàm concupiscentia divitiarum; ita etiam victoria, quâ omnis illa carnis concupiscentia superatur per virginitatem perpetuam, in genere pugnæ contra appetitum concupiscibilem major & perfectior est, quàm victoria, quâ per votum voluntariæ & perpetuæ paupertatis superatur amor divitiarum. Rursùs sicut in genere pugnæ contra appetitum irascibilem fugientem difficultates occurrentes in prosecutione virtutis, bonum virtutis conjunctum cum jacturâ vitæ, & tolerantiâ tormentorum usque ad mortem, est bonum magis arduum quàm sit bonum virtutis & conformatio cum divinâ voluntate conjuncta cum abnegatione propriæ voluntatis; ita etiam victoria, quæ per martyrium obtinetur contra terrores mortis impedientes à bono virtutis, est major quàm victoria propriæ voluntatis per obedientiam: quamvis & ista propter quandam similitudinem cum priori spirituale martyrium appelletur à Sanctis.

18. Quæres Tertiò. Quid requiratur ad obtinendam aureolam Virginitatis? Respond requiri perpetuam carnis incorruptionem ab omni voluntariâ delectatione venereâ non tantùm in actu, sed etiam in proposito. Ita deducitur è D. Augustino Lib. de virginit. c. 13. ita definiente virginitatem, quòd sit *in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio*, h. e. propositum perpetuò se continendi.

19. Unde sequitur primò. Filiam Jephte quæ flevit suam virginitatem, & Abelem, qui si supervixisset, habuisset præceptum nubendi, SS. quoque Innocentes Martyres pro Christo occisos non potiri aureolâ virginitatis; siquidem non habuerunt propositum perpetuæ continentiæ.

Sequitur Secundò. Etsi Beatissima Virgo caruerit omni inclinatione fomitis, non tamen caruere aureola virginitatis: quia quòd ipsa pugnam & rebellionem carnis non senserit, evenit ex heroicâ præstantiâ gratiæ & virtutis: Atqui præstantia gratiæ & virtutis non tollit præmium, sed auget

Sequitur Tertiò. Frigidos & eunuchos non destitui aureolâ virginitatis, si habeant voluntatem, etiamsi forent potentes, nihilominùs servandi virginitatem: tum quia impedimentum per accidens obortum non impedit actum virtutis; tum quia etiam isti possunt tentari à dæmone ad actus venereos.

Sequitur quartò. Quamvis per interruptionem interni propositi servandæ virginitatis non ita perdatur aureola virginitatis, quin per pœnitentiam & renovationem propositi conjunctam cum externa corporis incorruptione in fine vitæ recuperari possit: ab eo tamen, qui voluntariè corporis corruptionem est passus, recuperari non posse: siquidem essentialis materia, circa quam virginitas versatur, est voluntaria corporis incorruptio, quo sensu Hier. dixit, *Cùm DEUS omnia possit, virginem tamen lapsam reparare non posse.*

Sequitur quintò. Involuntariam aut voluntariam corporis corruptionem aureolæ Virginitatis non obesse: Unde D. Lucia ad Tyrannum dixit: *si me invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam* h. e. per toleratam violentiam novum addetur præmium.

Quæres quartò. Quænam sint requisita ad obtinendam aureolam martyrij? 20.

Respond. primò. Requiritur mors actualiter secuta, vel naturaliter secutura, nisi fuisset divinitùs impedita, ut in S. Joanne Evangelista, qui in ferventis olei dolium immissus ab Ecclesiâ ut Martyr colitur, quamvis inde illæsus exierit. Ratio est, quòd prærogativa desumitur ex verbis Christi: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Sed animæ h. e. vitæ propter Christum perditio significat mortem. Secundò requiritur, ut quis puniatur propter fidem vel aliam virtutem relatam ad fidem: non enim tantùm *pœna*, inquit D. August. *sed causa martyrem facit.* Et deducitur tùm ex superiori textu tùm ex altero Matt. 10. *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Quæ Christi sive verbalis, sive realis & ipso opere exhibita confessio significat aliquam protestationem fidei in Christum, sive explicitam & directam, sive indirectam & implicitam, quando mors sequitur ex motivo virtutis supernaturalis è revelatione divinâ & fidei assensu derivato. Tertiò requiritur in adulto voluntas saltem habitualis moriendi propter fidem, siquidem de viâ ordinariâ nulli adulto confertur gratia secundum proprij arbitrij dispositionem, prout latiùs deduxi in Tr. de sacr. bapt. Hinc

21. Hinc sequitur primò. Si exilium & carcer cum acceleratione mortis propter Christum sustineantur usque in finem vitæ, sufficere ad aureolam martyrij.

Sequitur secundò. Diuturnas persecutiones non sufficere ad aureolam martyrij, si quis posteà in pace moriatur. Sequitur tertiò. Quamvis infantes propter Christum occisi non habuerint voluntatem moriendi pro Christo, tamen habere aureolam martyrij: quia in ipsis non requiritur major voluntas ad martyrium, quàm ad baptismum. Sequitur quartò. Milites contra infideles pugnantes si occidantur, non consequi aureolam martyrij; quia non vincunt mortem voluntariè sustinendo pro Christo: sed potiùs pro viribus à se repellunt. Sequitur quintò. Beatissimæ Virgini competere aureolam martyrij, quia gladius compassionis sub Cruce, quæ causabatur à summâ dilectione vivacissimâ fide quam ipsa profitebatur stans sub cruce, ita pertransivit animam ipsius, ut, nisi fuisset miraculosè servata, mori debuisset.

22. Quæres quintò. Quidnam requiratur ad obtinendam aureolam Doctoratûs? Respond. ut quis non solùm ipse sit illustratus doctrinâ divinâ, sed eandem quoque frequentatis actibus in alios derivet, rectâ intentione alijs prædicando divina mysteria, &, quæ docuerit, opere implendo; nam qui fecerit & docuerit, hic magnus vocatur in regno cœlorum: Ita indicatur Dan. 12. *qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*; ubi docti, hoc est habentes in se doctrinam, splendori firmamenti comparantur, qui verò ad justitiam (h. e. sanctitatem supernaturalem) alios erudiunt, splendori stellarum, qui cœlestem incomparabilitatem superat.

23. Colliges primò. Aureolam tanquam gaudium accidentale principaliter subjectari in voluntate, ita tamen ut exinde decor specialis redundet in corpus, è quo excellentis victoriæ prærogativa dignosci possit. In quo verò decor iste consistat incertum est, & in alterâ vitâ patebit.

24. Colliges secundò. Christum D. non habere aureolas, quia aureolæ significant aliquod præmium diminatum, ijs competens, qui per imitationem aliquid participant de plenâ & perfectâ Christi victoriâ: unde dicitur. Apoc 3. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecū in throno meo, sicut & ego vici.* Unde Christus non acceptor sed distributor aureolarum longè excellentius habet insigne suæ victoriæ, quàm sit aureola Beatorum.

Colliges tertiò. In Angelis non dari aureo- 25. las. nam de aureola virginitatis & martyrij per se patet: de doctoratûs aureolâ inde constat: quia homines docere & illuminare est ipsis commune, non speciale; nec ad ipsorum meritum, sed officium pertinet.

Quæres tandem: An reunio corporum in re- 26. surrectione pertineat ad animæ beatitudinem? Respond. non pertinere ad essentialem, benè autem ad accidentalem & extensivam perfectionem beatitudinis. Prima pars, cui aliquandò contradixit Joannes XXII. tanquam Doctor privatus, existimans, animas defunctorum ante resurrectionem non pervenire ad suam beatitudinem, & claram DEI visionem, est definita in Flor. & Trid. Sess. 25. in Decret. de ven. SS. deducitur è S. Script. Luc. 23. cùm Christus ad latronem dixit: *Hodie mecum eris in paradiso.* Nam cùm de loco paradisi id nequeat intelligi, siquidem Christus post mortem descendit ad limbum, tantùm intelligi potest de paradiso gloriæ; nam, ut S. August. ep. 57. *Generale paradisi nomen est, ubi feliciter vivitur.* Item ex Apostolo Philip. 1. *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo: & 2. Cor. 5. Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quòd ædificationem ex DEO habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis* &c. Eph. 4. *Ascendens* Christus *in altum, captivam duxit captivitatem*, h. e. animas Patrum è limbo liberatas, quâ de causâ etiam dicitur spoliasse infernum. Ratio congruentiæ ex S. D. est duplex: quia aliàs non esset facilior modus intrandi cœlum post passionem Christi, quàm ante, si resurrectio corporum ad beatificam visionem foret expectanda. Secundò, quia animæ in peccato mortali decedentes ante corporum resurrectionem statim rapiuntur ad infernum: ergo cùm aliàs DEUS sit liberalior in præmiando, quàm severus in puniendo, etiam animæ justorum ad gloriam acquirendam non expectant corporum reassumptionem.

Secundæ partis ratio est: quia licèt ipsi visioni 27. beatificæ nulla major intensiva perfectio accedere possit ex corporis unione, tamen animæ gloria redundabit in corpus, & anima plures operationes sibi connaturales exercebit in corpore, quod sufficit ad majorem extensivam gloriæ & beatitudinis perfectionem.

DISPUTATIO V.

DE

Voluntario in genere.

ad. q. 6.

Expedito fine ultimo, nunc propiùs ad ipsos humanos actus accedimus, eorúmque rationem genericam, in quâ omnes conveniunt, nempe rationem voluntarij cum Angelico Doctore expendimus. De quo

ARTI-

ARTICULUS I.

Quid & quotuplex sit voluntarium?

SUMMARIA.

1. *Acceptio voluntarij.*
2. *Definitio voluntarij.*
3. *Excluduntur motus naturales cognitionis expertes.*
4. *Item actus intellectûs primò primi.*
5. *Perfectum voluntarium etiam reperitur in actibus necessarijs voluntatis:*
6. *Quamvis in actibus liberis voluntas magis se moveat applicativè.*
7. *Imperfecta cognitio causat voluntarium imperfectum.*
8. *Unde aliud est voluntarium perfectum; aliud imperfectum.*
9. *Aliud necessarium, aliud liberum.*
10. *Divisio voluntarij in formale, habituale, virtuale.*
11. *In physicum, & morale.*
12. *In expressum, & interpretativum.*
13. *In voluntarium in se, & in alio.*
14. *In directum, & indirectum.*

§. I.

Definitio & subjectum voluntarij.

1. NOtandum. Licèt τὸ voluntarium aliquando strictiùs pro libero, aliquando latiùs pro objecto volito, aut omni illo quod est gratum & conforme inclinationi sive elicitæ sive innatæ accipiatur; hoc tamen loco & propriè accipi pro spontaneo motu voluntatis seu appetitûs vel elicito, vel imperato, à quo etiam effectus subsecuti denominationem voluntarii sortiuntur. In quâ acceptione est voluntarii definitio à S. D. hic q. 6. a. 1. tradita, & nostra

2. CONCLUSIO. *Voluntarium est, quod est a principio intrinseco, cum cognitione finis.*

Ratio est: Per id benè definitur voluntarium, per quod adæquatè distinguitur ab involuntario & non voluntario tanquam extremo adæquatè opposito: sed per datam definitionem ita distinguitur, ergo. Min. probatur. Involuntarii privativi & negativi duæ sunt causæ, violentia & ignorantia: sed utraque excluditur per datam definitionem, violentia, quòd sit à principio intrinseco, cùm violentum sit à principio extrinseco; ignorantia verò, quia est cum cognitione finis: ergo per datam definitionem voluntarium rectè distinguitur à suo extremo opposito. Hinc

3. Colliges primò. Voluntarium non reperiri in motibus naturalibus gravium, levium, & animæ vegetativæ: licèt enim sint à principio intrinseco, non tamen præsupponunt cognitionem.

4. Colliges secundò. à ratione voluntarii excludi illos actus intellectûs qui præveniunt voluntatis imperium; tales quippe actus quamvis possint ex alio actu intellectûs procedere, uti conclusio ex præmissis, non tamen procedunt à voluntate operante ex cognitione finis.

Colliges Tertiò. Perfectum voluntarium reperiri in omni actu voluntatis conjuncto cum perfecta cognitione finis: siquidem omnis ille actus perfectè participat definitionem voluntarii, sive sit actus liber, sive necessarius; unde etiam amor beatorum elicitus cum perfectissima cognitione ultimi finis est perfectè voluntarius; siquidem τὸ à principio intrinseco non significat liberam sed solùm intrinsecam propositionem in actum quæ vel maximè reperitur in amore fruitivo beatorum, in quo voluntas omnes suas vires impendit in actum. 5.

Neque dicas: Voluntas liberè operans se ipsam magis movet ad actum, quàm voluntas necessariò operans: ergo actus liber est magis & perfectiùs voluntarius, quàm actus necessarius. Nam Respond. dist. antec. se magis movet applicativè, transeat: elicitivè, nego. Atqui ut actus sit à principio intrinseco, æquè habetur, si sit à principio elicitivè, quàm si sit applicativè. 6.

Colliges quartò. In actibus necessariis appetitûs habentibus imperfectam cognitionem finis, reperiri voluntarium tantùmmodò imperfectum: quia nimirum imperfectè voluntarii definitionem participant: Unde motus necessarii voluntatis, qui vocantur primò primi, quia non destituuntur omni etiam imperfectâ cognitione finis, habent voluntarium imperfectum: imò juxta S. D. a. 2. aliqui motus brutorum procedentes saltem ex imperfecta cognitione finis materialiter sumpti dici possunt imperfectè voluntarii. 7.

§. II.

Divisiones voluntarij.

VOluntarii divisiones sunt variæ & multæ. Et primò dividi in voluntarium perfectum, quod est cum perfecta; & imperfectum, quod est cum imperfecta cognitione finis. 8.

Secundò. In necessarium & liberum: Illud est quod procedit à voluntate ut determinata ad unum; Istud verò, quod procedit à voluntate indifferenti ad utrumlibet. 9.

Tertio in formale seu actuale, habituale, & virtuale. Formale est, quod pendet à voluntate ut actu influente: habituale, quod semel actu volitum non est retractatum, quo modo aliqua intentio dicitur habitualiter perseverare, quamdiu non est retractata. Virtuale, quod pendet ab actu præterito non retractato, permanente in aliquo suo effectu, vel determinatione. Sic v. g. Missæ celebratio est formaliter voluntaria, quando formalis intentio celebrandi physicè durat, tunc est volunta- 10.

ria virtualiter, quando ipsa quidem formalis intentio actu præterijt, per aliquam distractionem interupta, non tamen fuit retractata, sed reliquit aliquem effectum ex se causatum, ut est progressio, lectio &c. Unde ad voluntarium virtuale requiritur primò non retractatio actûs; secundò permanentia intentionis in aliquo effectu subsecuto. Ac Tertiò, ut docet Laym. Th. Mor. l. 1. tr. 2. c. 3. ut operans maneat in eâ animi dispositione, in quâ talis operatio sub ejus liberum arbitrium cadere possit. Unde consecratio prolata à Sacerdote, qui post intentionem consecrandi incidit in amentiam vel ebrietatem, non est virtualiter voluntaria.

11. Quartò dividitur voluntarium in *physicum* & *morale*. Illud est, quod physicè; istud, quod moraliter & imputativè procedit à voluntate. Ac rursùs subdividitur in morale propriâ & alienâ voluntate. Morale propriâ voluntate est actus præteritus, non retractatus, & in prudentum judicio quoad aliquem effectum perseverans, donec relaxetur, ac dissolvatur: sic vota, promissiones, contractus moraliter manent ratione obligationis, quam pariunt, quousque hæc relaxentur. Sic peccatum præteritum non retractatum moraliter perseverat in peccatore.

Morale voluntarium alienâ voluntate est illud, quod ex alterius quidem suppositi voluntate procedit, hîc & nunc tamen reputatur pro actu propriæ voluntatis. Et hoc fieri potest quadrupliciter. Primò, si quis consentiat, ut alius agat suo nomine, uti fit in procuratore: tunc enim actus procuratoris reputatur voluntarius ipsi principali. Secundò, cùm quis authoritate superioris, vel juris pro altero constituitur: sic voluntas tutoris habetur pro voluntate pupilli in ordine ad alliciendum. Tertiò, cùm voluntas naturaliter subijcitur voluntati alterius, quo modo voluntas patris censetur voluntas filij impuberis. Quartò, cùm quis ex pacto, & sub certa conditione aliquid acceptat pro se, & in se contentis: quo modo Adami peccatum est omnibus posteris moraliter voluntarium; quia Adamus tam pro se, quàm pro omnibus suis descendentibus in se contentis acceptavit justitiam originalem, propagandam, si non peccaret; & consequenter non propagandam, sed denegandam posteris, si peccaret.

Quintò dividitur voluntarium in *expressum* 12. & *tacitum*, seu interpretativum: Illud est, quod actu expresso & formali à voluntate procedit: istud, quod prudentum judicio, vel fictione juris censetur à voluntate procedere. Sic actus subditi censetur interpretativè voluntarius Superiori, quando illum, sciens & potens impedire, non impedit.

Sexto dividitur voluntarium in voluntarium 13. in se, & in alio. In se voluntarium est, quod seipso terminat voluntatem. In alio est, quod licèt in seipso non sit formaliter volitum, sequitur tamen ex alio formaliter volito, ut potuerit & debuerit prævideri secuturum ex ipso. Sive deinde contineatur in altero tanquam in causâ, uti rixa dicitur esse voluntaria in causâ, cùm quis ebrius rixatur, sciens se habere consuetudinem rixandi in ebrietate. Sive contineatur tanquam inferius in superiori, aut pars in toto: Sic infanticidium est voluntarium in alio, cùm quis prægnantem occidit, sciens, vel culpabiliter ignorans esse prægnantem.

Septimò dividitur voluntarium in *directum*, 14. & *indirectum*. Directum est, quod procedit ex positivo voluntatis influxu, sive procedat immediatè, ut furtum à fure, sive mediatè ut mors ex veneni porrectione. Indirectum (quo nomine Moralistæ sæpè appellant voluntarium in causâ) propriè illud est, quod licèt à voluntate positivè non exeat, eidem tamen imputatur, quasi exiret; quia ab habente facultatem vel obligationem impediendi non impeditur, quâ ratione destructio exercitûs & interitus militum est indirectè voluntarius illis Ministris, qui cùm possent & deberent necessarium commeatum providere, suâ tamen negligentiâ providere intermittunt.

ARTICULUS II.

An detur voluntarium indirectum sine omni actu?

SUMMARIA.

1. *Ad voluntariam omissionem requiritur actus intellectûs.*
2. *Datur in voluntate pura omissio negativa.*
3. *Non datur libera omissio omnium prorsus actuum collectivè.*
4. *Triplex modus, quo omissio cum actu conjungitur.*
5. *Status quæstionis.*
6. *Authoritas D. Th. pro sententia negante.*
7. *Ratio prima petita ab exercitio vitali.*
8. *Ratio secunda à transitu in actum secundum.*
9. *Ratio Tertia à connexione cum voluntate.*
10. *Exponuntur objectæ authoritates.*
11. *Quo sensu pura omissio sit extremum libertatis?*
12. *Quomodo possit voluntas ab aliquo objecto necessitari?*
13. *In denegatione concursûs omissio tantùm foret negativa.*
14. *Quid si DEUS præciperet, semper aliquid operari.*
15. *Quæ sit distinctio inter præcepta affirmativa & negativa?*
16. *An liberum indirectum requirat puram omissionem.*
17. *Authoritas D. Tho. pro possibilitate puræ omissionis liberæ.*
18. *Ratio ex naturâ libertatis contradictionis,*
19. *Et indifferentia ad suspendendum actum.*
20. *Voluntarium indirectum plus non requirit, quàm non agere, cùm potes & debes agere.*

21. *Ratio*

21. *Ratio, cur dari possit pura omissio peccaminosa, non autem meritoria.*
22. *Non datur pura omissio indifferens in individuo.*
23. *Non sequitur, quòd Angelus potuisset in primo instanti peccare per puram omissionem.*
24. *Voluntas per puram omissionem mutat ultimum finem negativè & interpretativè, & ipsa mutatur theologicè non physicè.*
25. *Exponitur authoritas S. D. de actu remoto & intellectûs.*
26. *Exercitium vitale morale potest esse sine actu.*
27. *Imò non omne exercitium libertatis est vitale.*
28. *Voluntas per puram omissionem moraliter transit ab actu primo ad actum secundum.*
29. *Non omne voluntarium positivè procedit à voluntate.*
30. *Quomodo in purâ omissione voluntas se habeat humano modo.*

§. I.

Exponitur status quæstionis.

EAdem quæstio proponi solet his terminis: utrum dari possit pura omissio libera sine omni voluntatis actu? Ubi

1. Suppono primò. Non posse dari puram omissionem liberam & voluntariam absque omni actu intellectûs: nam ubi nulla est cognitio finis, ibi non est voluntarium. Et ubi non est propositio indifferens, ibi non est liberum: sed ubi nullus est actus intellectûs, ibi neutrum reperitur: ergo.

2. Suppono secundò. Posse dari in voluntate puram omissionem alicujus, vel omnis actûs, quæ sit merè negativa, nec proinde voluntaria: quando nimirum nullum objectum vel prosequendum vel fugiendum voluntati proponitur veluti quoditiana experientia in amentibus & dormientibus testatur.

3. Suppono Tertiò. Non posse voluntatem esse liberè & privativè suspensam ab omni actu circa omnia objecta collectivè sumpta: Nam ad hoc requireretur, ut voluntas præsuppositivè esset in actu primo proximo constituta ad eliciendos omnes actus circa omnia objecta collectivè: sed hoc est impossibile; cùm nec intellectus omnia illa objecta possit simul proponere.

4. Suppono quartò. Triplici modo posse aliquem actum cum omissione conjungi. Primò, ut actu interiori voluntatis directè tendat in omissionem, v. g. ut instante præcepto audiendi Sacrum, dicat: Volo omittere Sacrum. Secundò, ut voluntariè ponatur actus exterior, ex quo prævidet aliquis secuturam omissionem actûs præcepti, quamvis ille actus exterior non comitetur, sed antecedat omissionem: e. g si quis in suû nocumentû protrahat potum, lusum, studium &c. ex quo prævidet, se deinde matutino tempore, quo Sacrum deberet audire, non evigilaturum. Tertiò, ut voluntariè ponat actum, qui simul est incompossibilis cum auditione Sacri: v. g. ut studeat, ludat, &c. quo tempore scit, aut posset & deberet scire, se esse obligatum ad audiendum Sacrum. Primo modo omissio est directè & immediatè in se voluntaria. Secundo modo est mediatè voluntaria & in causâ. Tertio modo est indirectè vel etiam interpretativè voluntaria.

5. Nullum ex tribus prædictis modis esse determinatè necessarium, & quemlibet ad voluntariam omissionem sufficere in comperto est: Controversia tamen est, an voluntas aliquando, propositâ sibi per intellectum facultate & obligatione exercendi aliquem actum, illum purè omittendo, & nullum alium actum ponendo, qui sit directè vel indirectè causa vel occasio illativa ejusmodi omissionis (quamvis aliquem actum merè per accidens & concomitanter se habentem fortè conjungat) tamen voluntariè illum actum omittat, sicque peccaret peccato omissionis saltem interpretativè voluntario. e. g si quis sacerdos videns hominem submergi cogitet de impertiendâ absolutione, & tamen nec velit nec nolit illum absolvere, sed supposito utroque actu simpliciter omittat absolutionem, sitne hæc omissio voluntaria? In hujus quæstionis resolutione quia reperiuntur Thomistæ Thomistis contrarij. Pro negativa stant Philipp. à S. Trinit. Jo. à S. Tho. Gonet, Salmantic. Magnificus P. Petschacher in Thes. de act. hum. Th. II. cum Mag. Sent. Bonav. Capreolo, quæ & mihi placuit in Thes. de Act. hum. c. 3. §. 2. Affirmativam tuentur Medina, Sylvius, Curiel, Corneio, Godous hîc disp. 21. §. 2. Illustriss. Redinus q 3. a. 1. Controv. 5. Eandem tenent Durandus, Marsilius, Suarez, Valentia, Isambertus q. 71. disp. 6. a. 2.

§. II.

Fundamenta sententiæ negantis.

Sententia negans possibilitatem puræ omissionis liberæ nititur primò authoritate D. Th. inf. q. 71. a. 5. dicentis: *Si in peccato omissionis consideretur id, quod per se pertinet ad rationem peccati, sic aliquando est omissio absque omni actu tam exteriori, quàm interiori: si verò in peccato omissionis intelligantur etiam causæ, vel occasiones omittendi, sic non est omissio absque aliquo actu.* Ubi sensus est, quòd, licèt omissio quà talis, & ex natura omissionis, non requirat aliquem actum, quasi constitutivum sui, sic enim formaliter est carentia actus, tamen ex parte operantis, & quatenùs ipsi voluntaria requirat aliquem actum, qui saltem sit causa vel occasio ipsius: sicuti multa alia non possunt poni sine altero, quod tamen non est de intrinseca essentia ipsius, uti volitio poni non potest sine voluntate, essentia sine existentia &c. Sic ipse claris verbis exprimit q. 2. de malo a. 1. in c. loquens: *Per se loquendo potest esse aliquod peccatum, ad quod non requiritur aliquis actus, qui sit de essentia peccati. Si autem consideretur id, quod requiritur ad peccatum, ut causa peccati, sic oportet, quòd ad quodlibet peccatum etiam omissionis aliquis actus requiratur, & c. Ad hoc ergò, quòd omissio sit peccatum, requiritur quòd omissio causetur ex aliquo actu voluntario.* 6.

Probatur secundò ratione. Exercitium vitale non potest esse sine omni actu; sed libera omissio includit exercitium vitale; ergò includit aliquem 7.

quem actum. Major probatur, quia exercitium vitale essentialiter est motus ab intrinseco: motus autem ab intrinseco non est sine aliquo actu voluntatis. Minor etiam probatur: exercitium libertatis formaliter est exercitium vitale: sed libera omissio est exercitium libertatis. Ergò. Major probatur: Potentia formaliter libera est potentia formaliter vitalis: ergò & exercitium potentiæ formaliter liberæ est exercitium formaliter vitale.

Nam potentiæ specificantur & denominantur ab actibus; ideò si actus & exercitium potentiæ liberæ non esset formaliter vitale, etiam potentia formaliter libera non esset, & denominaretur formaliter vitalis. Antecedens verò ex hoc constat, quòd libertas sit perfectio, & proprietas vitæ, essentialiter includens & supponens vitam, seu potentiam sese movendi ab intrinseco.

Confirm. Si voluntas in actuali exercitio suæ libertatis esset suspensa ab omni actu, haberet se modo mortuo; sed hoc est absurdum. seq. prob. Si voluntas non vivat in actu primo, etiam habet se modo mortuo in actu primo: ergò si non vivat in actu secundo, habebit se modo mortuo in actu secundo: Atqui non vivit in actu secundo, sine omni suo motu & actu, cùm vivere vitâ secundâ sit moveri ab intrinseco. ergò.

Neque dicas. Puram omissionem esse exercitium libertatis non physicum, sed morale: idéoque non necessariò includere actum vel motum vitæ. Nam *contrà* est. quòd implicat esse exercitium vitale, quod non sit physicum: cùm vita sit per essentiam perfectio physica: sed exercitium libertatis, sive sit contrarietatis, sive contradictionis, semper est exercitium vitale: ergo semper est exercitium physicum. Minor probatur: libertas in actu primo sive sit contrarietatis, sive contradictionis, semper est perfectio vitalis: ergò etiam libertas in actu secundo, sive exercitium illius, semper est exercitium vitale.

8. Probatur Tertiò. Ratione S. D. insinuata in cit. q. de malo. Ut omissio fiat in actu secundo voluntaria, & peccaminosa omittenti, necesse est aliquid assignari, per quod omissio ex voluntaria in potentia fiat voluntaria in actu, & ipsa voluntas ab actu primo & potentia omittendi intrinsecè transeat ad actum secundum omittendi: sed hoc aliud esse non potest, quàm actus voluntatis: ergo. Min. probatur: nam, quicquid extrinsecum assignaveris, non sufficit ad voluntarium, cùm voluntarium essentialiter requirat causam intrinsecam. Quicquid autem est intrinsecum, illud æquè adfuit in actu primo, nempe propositio indifferens in intellectu, & voluntas suspensa ab actu.

9. Probatur quartò. Omne voluntarium debet à voluntate positivè procedere: sed pura omissio sine omni actu non potest à voluntate procedere. ergò. Min. probatur. Nihil potest à voluntate procedere, nisi voluntas ad hoc ipsum sit inclinata & determinata à suo adæquato objecto; neque enim ulla potentia fertur extra suum objectum: sed voluntas sine omni suo actu non potest esse ab objecto suo adæquato & specificativo determinata. ergò. Min. probatur. Voluntatis objectum adæquatum est bonum & finis, sed hic non trahit & determinat voluntatem sine suo actu: tum quia causalitas finis est appeti, & in multorum Thomistarum sententiâ est ipse actus amoris; tum quia non potest intellligi voluntatem immutari & trahi à fine, sine intrinsecâ & passivâ immutatione sui. ergò.

Confirmatur. Voluntas nunquam refugit malum ex motivo retrahente nisi in virtute boni attrahentis per amorem sui: Atqui omissio voluntaria est quædam fuga actûs præcepti propositi sub motivo retrahente; v. g. omissio sacri est fuga ipsius quatenùs impedientis actum studij, lusûs &c. Ergo præsupponit amorem boni, qui in proposito est affectus erga studium, lusum &c.

§. III.
Objectiones solvuntur.

Objicies primò è S. Script. ubi Luc. 12. imputatur peccatum *scienti bonum facere, & non facienti.* Adeóque significatur omissionem actûs conjunctam cum advertentia, esse sufficienter voluntariam. 10.

Secundò authorit. S. D. 2. 2. q. 79. a. ult. ad ult. & pluribus locis dicentis, quòd aliquod peccatum possit esse absque omni actu.

Respond. ad 1. Eo loco, & similibus significari, quòd ratio peccati, propter quod aliqui puniuntur, consistat in omissione boni, non autem, quòd illa omissio sit absque omni actu.

Ad secundum quoque dico, S. Doctoris mentem esse, peccatum omissionis, secundùm id, quod in peccato per se consideratur, esse sine actu: non autem secundùm ea, quæ per modum causæ, vel occasionis etiam per accidens conjuncta in peccato omissionis spectantur: quo modo S. Doctor seipsum exposuit *loc sup. cit.*

Objicies ex ratione primò. Quod libertas immediatè respicit pro suo extremo, potest esse exercitium libertatis; sed libertas contradictionis pro suo extremo immediatè respicit puram omissionem: ergò. Minor probatur. Libertas contradictionis respicit contradictoriè opposita, sicut libertas contrarietatis respicit contrariè opposita: sed contradictoriè opposita sunt actus & ejus pura omissio, sive agere & non agere: ergò libertas contradictionis pro suo altero extremo respicit puram omissionem. 11.

Respond. negando minorem, & ad ejus probationem dist. min. Contradictoriè opposita sunt actus & ejus pura omissio, quæ sit pura omissio respectu omnis actûs, nego: respectu determinati actûs & objecti, concedo minorem: & similiter distincto consequente, nego conseq. Rursùs. Contradictoriè opposita, quæ respiciuntur à libertate contradictionis, sunt agere & non agere, prout non agere dicit negationem omnis actûs, nego: prout dicit negationem alicujus determinati actûs, concedo. Ratio ex dictis est, quia voluntas libera respicit suum exercitium, prout natum est causari & egredi ex voluntate: sed negatio vel omissio actûs non est nata & apta causari à voluntate, nisi ratione alicujus actûs, & quatenùs omissio actui determinato, non quatenùs omni actui voluntatis opponitur. Ergo etiam ut sic à libera voluntate respicitur.

Objicies secundò. Voluntas creata à nullo 12.
objecto

objecto potest in hâc vitâ necessitari quoad exercitium: ergò sicuti voluntas potest suspendere suum actum circa determinatum objectum: ita poterit suspendere omnem actum circa quodlibet objectum.

Respond. Imprimis nego consequentiam; quia proceditur à sensu distributivo ad collectivum. Secundò. dist. antec. à nullo objecto determinatè sumpto potest quoad exercitium necessitari, concedo. A nullo objecto indeterminatè & vagè sumpto, quasi voluntati sit liberum, ut in exercitio suæ libertatis omnem omnium objectorum collectionem deserat, sic nego. Hoc enim tam est impossibile, quàm impossibile est voluntati ferri extra suum objectum.

13. Objicies tertiò. Posset DEUS denegare voluntati concursum ad ullum actum: ergò in eo casu voluntas purè omitteret actum oppositum.

Respond. In illo casu puram omissionem non fore voluntariam & privativam, sed merè naturalem & negativam.

14. Objicies quartò. Posset DEUS facere præceptum semper exercendi aliquem actum: sed hujus præcepti transgressio non foret alia, quam pura omissio libera. Ergò posset dari pura omissio libera.

Respond. Quòd cùm DEUS non possit nisi bonos actus præcipere, violatio illius præcepti non fieret per puram omissionem, sed vel per actum malum, vel omissionem actui non bono conjunctam.

15. Objicies quintò. Si non daretur pura omissio libera, præcepta affirmativa non sufficienter distinguerentur à negativis, cùm utrumque præceptum foret de actu positivo.

Respond. negando sequelam. Quia distinctio inter præcepta negativa & affirmativa non ex hoc sumitur, quòd negativa præcipiant puram negationem, cessationem, & suspensionem ab omni actu, sed quòd per se & directè præcipiant omissionem actûs determinati (quemadmodum & affirmativa præcipiunt actum determinativum) eo modo, quo voluntariè causari & poni potest: quæ cùm liberè & voluntariè sine aliquo actu vagè & indeterminatè sumpto causari non possit, mirum non est, si præcepta negativa indirectè & per accidens, nempe non ex conditione objecti sed subjecti aliquem actum, non determinatè, sed vagè sumptum, ceu causam vel occasionem ipsius omissionis præcipiant.

16. Objicies sextò. Ad hoc, ut voluntas non agat, cùm potest & debet agere, nullus actus requiritur: sed voluntarium indirectum in hoc consistit, quòd voluntas non agat, cùm posset & deberet agere: ergò voluntarium indirectum non requirit aliquem actum.

Respond. voluntarium indirectum in hoc consistere, quòd voluntas cùm posset & deberet agere, liberè non agat: atqui liberè non agere, absque interventu alicujus actûs, ipsam non posse, abundè ostensum est.

§. IV.

Fundamenta sententiæ affirmantis.

17. CONCLUSIO. *Probabilius est, dari posse puram omissionem liberam sine omni voluntatis actu causaliter, vel occasionaliter conjuncto cum illa.*

Fundamentum ex authoritate D.Th. est primò, hîc q. 6. a. 3. in arg. sed contra ita arguentis: *Illud cujus domini sumus, dicitur esse voluntarium*, sed nos domini sumus ejus, quod est agere & non agere, velle & non velle: ergò sicut agere & velle est voluntarium, ita & non agere & non velle. Et in c. *Quia igitur voluntas volendo & agendo potest impedire hoc, quod est non velle & non agere, imputatur ei, quasi ab ipsa existens, & sic voluntarium potest esse absque actu: quandoque quidem absque actu exteriori cum actu interiori, sicut cùm vult non agere: aliquando autem & absque actu interiori, sicut cùm non vult. Et ad primum dicit voluntarium esse à voluntate indirectè, sicut à non agente*. Et infra.

Similia habet q. 2. de malo a. 1. ad. 2. & 4. præsertim verò in 2. sent. d. 35. q. 1. a. 3. ubi sic habet: *Quidam autem dicunt, quòd in peccato omissionis semper oportet aliquem actum esse, per quem aliquis retardatur ab impletione præcepti, vel mandati, seu interiorem voluntatis, ut cùm aliquis vult præcepto non obedire, vel exteriorem, ut cùm aliquis facit aliquem actum per quem ab expletione præcepti impeditur: & ponitur exemplum de illo, qui nimis vigilat, & non potest surgere horâ debitâ, sed ista opinio non videtur necessitatem habere; cùm enim voluntas libera sit, nec ad aliquid faciendum vel non faciendum determinetur, potest prætermittere aliquid, nihil de opposito cogitando, nec de aliquo, quod sit impedimentum ejus. Denique in 2. ad Annibald. dist. 35. q. un. a. 2, ad 2. Omissio*, inquit, *non de necessitate voluntaria dicitur propter voluntatis actum, sed propter hoc quod in potestate voluntatis consistit.*

A ratione fundamentum est primò Illud potest esse exercitium, quod libertas pro suo extremo immediatè respicit: sed libertas contradictionis pro suo extremo immediato respicit puram omissionem: ergò. Min. probatur: sicut libertas contrarietatis immediatè respicit opposita contrariè, sic libertas contradictionis immediatè respicit opposita contradictoriè: sed opposita contradictoriè sunt actus & ejus negatio, hoc est agere & non agere; ubi non agere tanquam actui contradictoriè oppositum est pura omissio, ergò libertas contradictionis puram omissionem actûs immediatè respicit. 18.

Secundò. De ratione libertatis est, ut proposito quocunque objecto sub indifferentia possit voluntas circa illud actum elicere, vel omittere: ergò proposito v.g. objecto & præcepto dilectionis DEI potest circa illud suum actum suspendere & intermittere. 19.

Neque dicas: quamvis circa hoc determinatum objectum possit actum suspendere, necessarium tamen esse, ut circa aliud objectum aliquem actum exerceat, ad hoc ut ista omissio fiat saltem indirectè voluntaria. Nam contra est: quòd non sit major ratio de uno, quàm de altero objecto: unde si voluntas potest suspendere suum actum circa objectum dilectionis DEI, non est ratio, cur non possit etiam suspendere circa aliud objectum. Contra est etiam clara authoritas S. D. in 2, ad Annibald. d. 35. q. un. a. 2. ad

ad 3. dicentis: *Omissio non de necessitate voluntaria dicitur propter voluntatis actum, sed propter hoc, quòd in potestate voluntatis consistit.*

Confirmatur. Esto quòd voluntas simul occupetur in alio actu, quando omittit actum præceptum v. g. dilectionis vel contritionis, tamen fieri potest, ut ille actus sit planè disparatus, & nullam habeat incompossibilitatem cum actu præcepto, quo casu merè concomitanter, materialiter, & per accidens se habet ad omissionem, ita enim adest, ac si abesset: e. g. in casu quo sacerdos videns aliquos submergi, negligit ipsos absolvere, in casu quo solemnis minister sacramenti cogitans se esse in statu peccati mortalis, negligit elicere contritionem, ibi neque aspectus submersionis, neque administratio sacramenti est causa, vel occasio omissionis, cùm utraque sit compossibilis cum actu opposito, ergo saltem in tali casu omissio illa voluntaria & peccaminosa egreditur è solâ libertate voluntatis absque aliquo actu; ratione cujus dici possit voluntaria, ac proinde est pura omissio. Quæ enim per accidens adsunt, ita adsunt, acsi non adessent: sed uterque actus in ordine ad omissionem se habet per accidens: ergò ita se habent, quasi abessent: nec proinde puram omissionem impediunt.

20. Tertiò. Ad hoc ut voluntas non operetur, cùm possit operari, nullus actus requiritur: sed voluntarium indirectum, ut est omissio libera peccaminosa, consistit in hoc, quòd voluntas non operetur, cùm potest & debet operari: ergò voluntarium indirectum, ut est omissio libera, haberi potest sine actu.

Confirmatur primò. Ad voluntarium interpretativum & morale sufficit, aliquid reduci in voluntatem tanquam causam suo modo moraliter concurrentem: ut constat in ignorantia vincibili: sed pura omissio aliquando reducitur in voluntatem tanquam causam, ergò pura omissio potest esse interpretativè voluntaria: Min. probatur. Illud reducitur in voluntatem tanquã causam moralem, quod ab ipsa dependet tanquam domina, sed pura omissio ita ab ipsa dependet: quia voluntas æquè est domina sui non agere & non velle, quàm sui agere & velle: sicuti in gubernatorem tanquã causam reducitur cessatio gubernationis, quia in ipsius potestate non minùs est cessare à gubernando, quàm gubernare navim.

Confirmatur secundò. Volitio interpretativa nihil aliud est, quàm ipsa voluntas ita se habens circa aliquid acsi vellet illud, sive quòd voluntas sit in eá dispositione, ut prudenter possimus interpretari, voluntatem hoc velle: sed ita contingit, cùm voluntas habens plenam advertentiam actûs præcepti est negligens in operando, quamvis nullum alium actum adhibeat: ut patet in gubernatione navis primùm adductâ in exemplum. Sicut enim rectè dicimus, gubernatorem velle omittere gubernationem navis, vel nolle gubernare navim: sic etiam in aliis omissionibus rectè dicitur aliquem voluisse sacrum, breviarium &c. omittere.

§. V.

Solvuntur objectiones.

21. Objicies primò. Si daretur pura omissio libera & voluntaria, tunc etiam daretur pura omissio bona & meritoria, vel certè indifferens in individuo: consequens non videtur contentaneum doctrinæ S. D. & repugnat doctrinæ à nobis inferiùs docendæ, uti nunc supponitur. Ergò. Sequela probatur. Pura omissio actûs præcepti potest esse mala, quia potest esse interpretativè voluntaria; ergò etiam pura omissio actûs prohibiti poterit esse bona & meritoria, quia poterit esse interpretativè voluntaria: si enim sufficit ad voluntarium interpretativum in omissione actûs præcepti æquivalentia puræ omissionis cum voluntate omittendi, æquè sufficiet in omissione actûs prohibiti, v. g. furandi, æquivalentia omissionis cum voluntate omittendi furtum, quæ est bona moraliter.

Si dicas: ideò deesse bonitatem moralem, quia bonitas & honestas ex objecto non refunditur in exercitium voluntatis nisi directè ametur; tunc saltem sequeretur altera pars & membrum sequelæ maj. nam per se talis omissio non est bona, defectu bonitatis objectivæ directè moventis voluntatem. Sed neque est mala; quia per omissionem furti impletur præceptum non furandi, neque ipsa repugnat regulis rationis: ergò est indifferens.

Resp. Nego utramque sequelam: & ad primæ prob. Respond. disparitatem esse: quòd malum tanquam aliquid defectuosum ex se idoneum sit terminare voluntarium tam directum quàm indirectum, ideóque etiam venenum suæ malitiæ refundat in puram omissionem indirectè voluntariam: ut inquit S.D. 1. 2. q. 71. a. 5. ad 1. *Peccatum potest contingere, sive aliquis faciat, quod non debet, sive non faciendo quod debet:* atqui bonum honestum ex natura boni intantùm communicat voluntati suam bonitatem, in quantum directè amatur.

Ad alterius sequelæ probationem quamvis aliqui concedant sequelam, existimantes solum positivum libertatis exercitium non posse esse indifferens, quia tantùm ex suppositione, quòd voluntas operari velit, tenetur operari ex fine naturæ rationali quà tali consentaneo, qui non admittit puram indifferentiam.

Meliùs tamen cum Godoy q. 71. tr. 3. d. 21. 22. §. 8. sequela negatur, & dicitur, omnem puram omissionem esse vitiosam, quia omne exercitium voluntatis, ipsi quà rationali proprium, est subjectum regulis naturæ rationalis quà talis: atqui istæ non minùs prohibent otiosam omissionem, quàm commissionem, cúmque exercitium purè negativum voluntatis sit otiosum, utpotè non ordinatum in bonum finem, hoc ipso etiam erit vitiosum.

Neque refert, quòd per omissionem furti, v. g. impleatur præceptum negativum non furandi, sicut enim istud præceptum negativum potest impleri etiam per omissionem furti elicitam ex pravâ intentione, & tamen non ideò fit moraliter bona: sic etiamsi per puram omissionem ex nullo fine formaliter procedentem præceptum furandi impleatur, potest esse vitiosa, eò quòd voluntas in libero suo exercitio, quod ipsi quatenùs naturæ rationali competit, omittit opponere debiti finis honesti circumstantiam, de quo plura inferiùs.

Neque

Neque ex hoc solo potest sortiri bonitatem, quòd sit omissio actûs prohibiti; cùm ut sic sit indifferens, ut procedat ex voluntate tantùm vel malè regulata.

Objicies secundò. Ex purâ omissione sequeretur, quòd Angelus potuisset peccare in primo instanti peccato puræ omissionis, sed hoc est contra dicta in Tr. de Angelis. Ergo. Sequela probatur: quia in primo instanti habuit libertatem contradictionis, quæ pro altero extremo respicit puram omissionem: potuisset igitur in primo instanti purâ saltem omissione omittere dilectionem DEI super omnia: sed sic omittendo peccâsset; siquidem in primo jam instanti habuit præceptum amandi DEUM super omnia.

Respond. neg. sequelam. Et quidem ex duplici capite: primò, quia primum practicum judicium indifferentiæ non potuit esse defectuosum, utpotè à DEO immissum: sed judicium illud præcedens omissionem fuisset defectuosum, quippe conjunctum cum practicâ negligentiâ advertendi ad debitum finem & præceptum. Secundò, quia in primo instanti Angelus à DEO movebatur motu vitæ supernaturalis, & circa ultimum finem supernaturalem: sed iste est motus positivus & bonus bonitate supernaturali. Ergò. Neque refert, quòd in primò instanti Angelus habuerit libertatem contradictionis: habuit enim illam ut posset omittere actum dilectionis potentiâ antecedente, & pro sensu diviso tùm efficacis motionis, tum præcepti dilectionis, concedo. Habuit potentiâ consequente & pro sensu composito præcepti & efficacis motionis à DEO ut causa speciali causatæ, nego.

Objicies tertiò. Si quis posset peccare per puram omissionem, tunc voluntas absque omni suo actu posset mutare suum finem ultimum: sed hoc videtur absurdum. Ergò.

Sequela est certa: nam qui peccando mortaliter fit ex justo injustus, mutat suum finem ultimum: sed per puram omissionem aliquis peccaret mortaliter; ergò per puram omissionem absque ullo voluntatis actu posset aliquis mutare suum finem ultimum. Minor probatur. Voluntas non mutat ultimum finem, nisi tendat & se suaque convertat in finem ultimum; sed sine suo actu non tendit, nec & sua convertit in finem ultimum: ergò.

Confirmatur primò. Voluntas non potest mutare finem, nisi ipsa fuerit intentionaliter attracta & mutata à fine: sed hoc sine aliquo ipsius actn non potest intelligi, ergò.

Confirmatur secundò. Voluntas, dum peccat & mutat finem ultimum, mutatur: sed non mutatur sine suo actu ergò.

Respond. vel negando minorem, vel dist. majorem: posset absque omni suo actu formali mutare finem ultimum, concedo. Absque omni suo actu tam formali, quàm interpretativo, nego majorem. Et pariter dist. min. nego consequent. Itaque cùm voluntas post plenam advertentiam negligit elicere actum præceptivum, purè omittendo ipsum, in prudentum æstimatione ita se habet, acsi vellet ipsum omittere, non obstante præcognitâ legis transgressione, & jacturâ divinæ amicitiæ, ideòque hæc pura omissio virtualiter, sive æquivalenter & interpretativè habetur pro actu, nempe voluntate, omittendi, & contemptu legis divinæ.

Ad probationem min. disting. maj. Voluntas non mutat ultimum finem positivè, nisi tendat in ipsum, concedo: non mutat negativè & interpretativè, sic nego.

Similiter ad primam confirmationem. Voluntas non mutat ultimum finem positivè nisi quatenùs ab ipso attracta, concedo: non mutat negativè, nego. Et similiter distincto consequente, nego consequentiam.

Ad secundam confirm. disting. maj. mutatur moraliter & theologicè, concedo: in quantum nempe peccaminosam omissionem ex necessitate consequitur subtractio & privatio gratiæ & charitatis, per quam homo priùs erat habitualiter ordinatus in DEUM: mutatur physicè quasi per entitativam mutationem aut gratiæ expulsionem, nego.

§. VI.

Respondetur ad fundamenta oppositæ sententiæ.

AD primum ex authoritate D.Th. desumptum 25. respondeo, S. Doct. loqui de occasionibus vel causis tantùm remotis; & sic verum est, quòd aliquis actus voluntatis accedat, saltem ille, quo voluntas applicat vel incipit applicare intellectum practicum ad proponendam sibi obligationem actûs præceptivi, qui tamen non obstat puræ omissioni & suspensioni actûs.

Ad secundum respond. primò disting. maj. 26. Nullum exercitium vitale physicum & positivum potest sine omni actu, concedo. Nullum exercitium vitale, morale, & negativum, nego maj. sed omissio libera est exercitium libertatis vitale negativum & morale, concedo. Physicum & positivum, nego minorem & consequentiam. Ratio est: quòd vitale exercitium negativum, est ipsa negatio exercitii vitalis positivi, dependens tamen à voluntate, quæ, ut inquit S. Doctor, sicuti est domina sui agere, ita etiam sui non agere.

Respond. secundò cum Godoy loc. sup. cit. ne- 27. gando min. quòd omne exercitium libertatis, sit vel includat exercitium vitale. Cujus ratio est: quia, licèt voluntas, etiam ut libera libertate contradictionis, adæquatè sit entitas positiva; non tamen est adæquatè principium activum, sed est etiam principium non activum, seu principium negationis actûs. Ex quo sequitur non omne exercitium voluntatis, ut liberæ libertate contradictionis, esse quid positivum; sed prout comparatur ad ipsam ceu principium agendi, sic esse positivum; prout ad ipsam comparatur ceu principium non agendi, sic esse exercitium negativum, seu omissivum. Unde, quòd voluntas sit potentia volendi, non est adæquatus sed inadæquatus conceptus ipsius; cùm sit æquè potentia non volendi.

Ad probationem nego paritatem inter libertatem habitualem & exercitium ipsius, seu libertatem actualem: nam libertas habitualis seu potentialis adæquatè sumpta pro uno saltem

tem extremo semper respicit actum positivum & vitalem, atqui exercitium libertatis cùm tantùm terminet unam inadæquatam rationem libertatis, potest esse formaliter non vitale, siquidem voluntas ut libera libertate contradictionis, sicut secundùm unam inadæquatam rationem est principium volendi, & sic exprimit vitalitatem; ita secundùm alteram inadæquatam rationem etiam est principium non volendi, & sic non exprimit vitalitatem. Inquis: ergò voluntas, dum peccat per puram omissionem, habet se modo mortuo ?

Respond. Si nil aliud intelligas per esse mortivum, quàm carentiam actûs vitalis ipsius potentiæ peccantis, sic non esse absurdum, quia tunc idem significat, ac voluntatem peccare nihil agendo ; ipse tamen homo non dicetur peccare se habendo modo mortuo : tum quia non caret vitâ radicali, à principiis proximis operandi vitaliter, tum etiam quia non caret actu vitali intellectûs, ratione cujus voluntas fit proximè expedita ad actum secundum.

28. Ad tertium Respond. Voluntatem non quidem physicè, sed moraliter transire de actu primo ad actum secundum, & omissionem fieri voluntariam in actu, in quantum voluntas, per præviam advertentiam constituta in actu primo & potentiâ proximâ ad ponendum actum ex intrinsecâ suâ efficaciâ conjungitur cum omissione opposita illi actui hîc & nunc eliciendo, si voluntas maluisset se positivè ad actum, quàm negativè determinare ad actûs omissionem.

Dices: omissio opposita actui jam erat in actu primo voluntatis, siquidem nihil aliud est, quàm carentia actûs : ergò ratione hujus omissionis non rectè dicitur voluntas transire ab actu primo ad actum secundum.

Confirmatur. Ut omissio actûs de novo fiat, necesse est illam fieri ex aliquo suo opposito tanquam termino à quo, sed nullum oppositum est assignabile; siquidem negatio & omissio actûs sunt potiùs eadem quàm opposita.

Resp. negando antecedens, & ad ejus probat. dist. antecedens, omissio actûs nihil est aliud quàm carentia ut egrediens à voluntate habente potentiam proximam actûs oppositi, concedo: quàm carentia actûs absolutè, sic nego : priori modo est mera negatio voluntatem seu subjectum connotans, modo posteriori est privatio actûs voluntatem seu principium connotans, sub priori ratione est in voluntate, sub posteriori à voluntate.

Ad confirmationem nego min. & dico, quòd omissio actûs fiat ex sui negatione, seu non esse: nam in priori instanti & actu primo, antequam voluntas se negativè determinaret ad actûs omissionem, sic præscindebat tam ab actu, quàm ejus omissione.

Instabis : Non datur negatio negationis, ergo si negatio actûs fit ex sui negatione, fit ex affirmatione alicujus positivi.

Respond. negatio negationis absolutè est affirmatio, concedo : negatio negationis sub certâ ratione, nimirum, ut egredientis à voluntate, nego maj. atqui omissio actûs fit ex negatione sui absolutè, nego ; ex negatione sui ut egredientis à voluntate, concedo min. & nego consequentiam. Nam inter negationem negationis ut à voluntate egredientis & inter ipsum actum datur medium, nempe negatio existens in voluntate & ab ipsa non egrediens.

Ad quartum respondeo negando majorem : 29 cùm enim pura omissio non procedat à voluntate ut est principium agendi & volendi, sed ut est principium non agendi & non volendi, idcircò ab ipsâ non positivè sed negativè, non physicè sed moraliter procedit.

Ad probat. min. pariter dist. maj. Nihil potest à voluntate positivè & ut à volente procedere, nisi ad hoc voluntas sit mota & inclinata à fine, concedo : nihil potest negativè & omissivè ab ipsâ, tanquam à non volente procedere, nego. Sicut enim tunc omissio pura est à voluntate tanquam à non agente, ita etiam à fine, tanquam à non movente : solum enim, quando voluntas movetur, petit à fine moveri.

Ad confirm. Respondeo primò. Illam nimis probare : quia probat omnem omissionem esse directè voluntariam: Non fuga mali, ut est odium v. g. in virtute boni oppositi, est directè voluntaria, sed omissio esset fuga mali in virtute boni oppositi : ergò.

Respondeo secundò negando suppositum, quòd pura omissio sit fuga mali, & ex motivo retrahente : sed est omissio boni non adæquantis capacitatem appetitûs, idque non ex attractione motivi, sed ex intrinsecâ potestate voluntatis fundatâ in indifferenti propositione intellectûs.

Dices. Voluntas in nullo suæ libertatis exercitio ferri potest extra suum objectum adæquatum, quod est bonum : sed non potest versari circa bonum nisi tendendo in illud. Respondeo dist. min. non potest versari circa bonum positivè nisi tendendo in illud, concedo. negativè & omissivè, nego.

Instabis. Voluntas per omissionem peccans 30. debet se habere humano modo, & non brutali : atqui non omittendo finem non se habet modo humano. Ergò. Min. proinde probatur, quia ex eo distinguitur à modo brutali operandi quod operatur propter finem.

Respondeo, debet se habere humano modo penes inadæquatum distinctivum à modo brutali operandi, concedo : penes adæquatum, nego majorem, & pariter distinguo min. & nego consequentiam. Duplici quippe titulo homo liberè operans distinguitur à brutali modo operandi, primò titulo libertatis, secundo titulo agendi propter finem, unde cùm liberè omittit, distinguitur à modo operandi brutorum ex uno & inadæquato titulo libertatis, non autem ex altero agendi propter finem.

Adhuc dices : ut voluntas omitteret humano modo, deberet omittere rationabiliter : ergò. minor probatur. Quia omittere rationabiliter est ita omittere, ut interroganti possit reddere causam & motivum suæ omissionis, quod non potest nisi omittat propter finem.

Respond. neg. min. & ad ejus probationem dist. rationabiliter omittere est ita omittere in aliquo sensu, concedo : in omni nego. Quia ly ratio-

rationabiliter potest habere triplicem sensum, primò ut significet omittere conformiter ad rationem: Secundò, omittere ex motione finis. Tertiò omittere omissione supponente & connotante pro regula judicium rationis indifferens: quamvis ergò primo & secundo modo pura omissio non sit rationabilis, est tamen in tertiâ & postrema acceptione.

ARTICULUS III.

An ut omissio, ejusque effectus sit interpretativè voluntarius, requiratur obligatio ponendi actum oppositum?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis exponitur.*
2. *Ut omissio sit imputabilis requiritur obligatio ponendi actum oppositum.*
3. *Non item ut sit voluntaria.*
4. *Eliditur evasio Advers. de dominio in potentiâ.*
5. *Quomodo actus sit debitus inesse subjecto, ut ejus omissio sit privativa?*
6. *Nullius rei omissio est voluntaria, nisi evius datur advertentia.*
7. *Ut effectus ex omissione secutus sit voluntarius omittendi requiritur obligatio.*
8. *Ratio a priori.*
9. 10. *Ratio ab absurdis.*
11. *Objectiones 12. solvuntur.*

§. I.

Defenditur voluntaria omissio sine obligatione.

1. Duplex & distincta est quæstio, una de omissione, altera de effectu, qui ex omissione sequitur. Et quæritur de utroque, an aliqua legis obligatio ad hoc sit necessaria, ut vel omissio, vel effectus inde secutus accipiant rationem voluntarii. v. g. an illi, qui nullam habet obligationẽ audiendi Sacrum, omissio Sacri sit voluntaria, si illo tempore deambulet, videns ex hâc suâ deambulatione secuturam omissionem Sacri: Nam si illa omissio non cognoscatur, nullum erit voluntarium, cùm hoc necessariò requirat cognitionem. Ad neutrum obligationẽ requirit Amicus, Rasler & Th. Sanchez. Ad utrumque Medina & Gonet. Ad effectum omissionis voluntarium requirit obligationem, non ad voluntariam omissionem Jo. à S. Th. Gibbon, Contensonus, Godoy, Rhedingus. Ubi totus cardo quæstionis vertitur in assignandâ illâ ratione, vi cujus omissio, & effectus inde secutus habeant connexionem & dependentiam à voluntate, ut voluntarii dici possint. De quo sit

2. CONCLUSIO prima. *Ut omissio sit imputabilis in culpam, requiritur, ut voluntas debuerit agere: ut verò sit voluntaria, sufficit, quòd non egerit, cùm tamen proximè potuerit agere.*

Ratio primæ partis est: quia ubi nulla est prævaricatio legis, nulla est imputatio in culpam: sed ubi nulla est obligatio legis, nulla potest esse prævaricatio ipsius: ergò tunc etiam nulla potest esse imputatio in culpam.

3. Ratio secundæ partis est ex S. D. hîc. Illud est voluntarium cujus domini sumus, & quod est in nostrâ potestate: atqui etiam sine obligatione Sacrum omittere, v. g. tempore quo studemus, est in nostrâ potestate, nosque sumus domini istius omissionis: ergò hæc omissio est voluntaria.

Respondent: cujus actu Domini sumus, illud nobis esse voluntarium in actu, & illud cujus Domini sumus in potentiâ, etiam esse nobis voluntarium in potentiâ: & sic omissionem Sacri esse voluntariam studenti illo tempore in potentiâ, quia nimirum continetur in potestate voluntatis tanquam in causâ; non autem esse actu voluntariam, quia voluntas sine obligatione nullam exercet causalitatem respectu ipsius, ac proinde non facit illam à se actu dependere. 4.

Sed contra est primò. Ut aliqua negatio fiat indirectè voluntaria, sufficit, quòd necessariò connectatur cum actu directè voluntario, ex quo secutura cognoscitur: sed etiamsi absit obligatio, omissio Sacri necessariò connectitur cum actu studendi, & cognoscitur ex illo secutura. Ergò. Major probatur: Hoc ipso quòd generans inducit formam in materiam, quæ est incompossibilis cum omni aliâ formâ, causat in materiâ indirectè absentiam & privationem aliarum formarum. Item hoc ipso malitia alicujus actûs sit indirectè volita, quia infallibiliter connectitur cum objecto delectabili directè volito. Ergo dum voluntas liberè & cum cognitione causat actum impossibilem cum auditione Sacri, etiam indirectè & actu causat omissionem Sacri.

Contrà est Secundò. Omissio non potest fieri actu indirectè voluntaria ratione alicujus quod est extrinsecum voluntati: sed obligatio est extrinseca voluntati, & tenet se ex parte legis: ergo obligatio non potest esse ratio, cur omissio fiat actu voluntaria.

Contrà est Tertiò. Obligatio supponit voluntarium liberum: ergo non causat:

Neque dicas: Supponit voluntarium in potentiâ, concedo: actu, nego. Nam moralitas quæ nascitur ex obligatione præsupponit voluntarium etiam in actu: potest enim actus concipi voluntarius & liber priusquam concipiatur bonus vel malus, nisi concipiatur etiam actu voluntarius & liber: ergo etiam priùs concipitur voluntarium indirectum actu, quàm concipiatur obligatio; siquidem ista non est constitutivum voluntarii, sed moralitatis.

Contrà est quartò, præsertim in suppositione puræ omissionis: ideo omissio est voluntaria, quia pendet à voluntate, quæ propter liberta-

tatem contradictionis æquè est domina sui non velle, quàm sui velle ; sed hoc dominium & libertatem habet independenter & præsuppositivè ad obligationem. Ergò.

§. II.
Objectiones solvuntur.

5. Objicies primò. Ut aliqua omissio sit indirectè voluntaria, debet interpretativè contineri in aliquâ actione, quæ est incompossibilis cum actu opposito omissionis, v.g. ut omissio Sacri sit indirectè voluntaria, debet contineri in actu lusûs, vel studii, qui simul sit incompossibilis cum auditione Sacri. Sed hoc fieri non potest sine aliqua obligatione. Ergò. Major inde videtur admittenda, quia hoc est indirectè voluntarium, quod habet connexionem cum alio directè voluntario ; sed nisi omissio Sacri saltem interpretativè contineatur in actu studii v. g. non apparet aliqua connexio, ergò. Minor quoque probatur : ut omissio Sacri contineatur in actu studii sitque non merè negativa sed privativa, tunc debet actus oppositus, nimirum auditio Sacri, esse debitus inesse subjecto ; nam aliàs actus studii haberet se merè concomitanter & per accidens ad auditionem Sacri : & omissio Sacri non esset absentia formæ debitæ inesse subjecto, sed si absit obligatio audiendi Sacrum, studium merè concomitanter se haberet ad omissionem, & ipsa omissio non esset absentia formæ debitæ inesse subjecto, ergò.

Respond. primò ex hypothesi sententiæ admittentis puram omissionem, negando majorem tam argumenti quàm probationis. Quia ut omissio sit indirectè voluntaria, sufficit, ipsam connecti cum voluntate suspendente & retrahente influxum directum in actum oppositum, ad quem hic & nunc fuit proximè expedita.

Respond. secundò, permissâ majore negando minorem ; & ad probationem dist. majorem ; debet actus oppositus, nimirum auditio Sacri esse debitus inesse subjecto, per ly debitum intelligendo debitum legale, vel morale obligationis, nego. Hoc ipsum enim est in quæstione: intelligendo debitum quasi naturale physicæ dispositionis, & proximæ possibilitatis, concedo. Nam privatio à Philosopho definitur absentia formæ in subjecto apto, sed quado subjectum, nempe voluntas est disposita ad aliquem actum per præviam advertentiam, jam est proximè apta habere aliquem actum, & sic omissio opposita jam est absentia formæ in subjecto apto.

Instabis. Ista dispositio tantùm facit, ut voluntas possit agere ; atqui secundùm S. D. hîc q. 6. a. 3. ut omissio sit indirectè voluntaria, non sufficit posse, sed requiritur insuper debere agere : *Voluntas*, inquit, *volendo, & agendo potest impedire hoc, quod est non velle & non agere, & aliquando debet* ; ideò non velle & non agere imputatur ei, quasi ab illa existens.

Respond. S. Doctorem manifestè loqui de voluntario indirecto non quà libero, sed insuper quatenùs imputabili in culpam.

6. Objicies secundò. Si incompossibilitas omissionis v.g. studii cum auditione Sacri esset sufficiens causa, quòd omissio Sacri esset voluntaria studenti, penè infinitarum rerum omissiones eidem essent voluntariæ, tot nimirum actuum, quot sunt incompossibiles cum actu studii : sed hoc videtur ridiculum, ut v. g. homini dormitum concedenti voluntariæ sint omissiones omnium actuum, qui vigiliam requirunt.

Respond. negando sequelam ; quia illorum solummodò actuum omissiones fiunt voluntariæ, quorum ut mox possibilium adest in intellectu practica confusa vel explicita advertentia, quod enim nullo modo cognitum, etiam non est voluntarium : unde, qui voluntariè somnum capit, indirectè tantùm vult omissionem illorum actuum, quos saltem confusè cognoscit hîc & nunc somno impediendos.

Instabis. Illa advertentia tantùm proponit auditionem Sacri v. g. ut possibilem eligi, non ut actu eligendam, sicque tenet se ex parte potentiæ & actûs primi : ergò non potest esse ratio, cur omissio Sacri sit magis voluntaria in actu, quàm in potentiâ.

Respondeo neg. antecedens: nam advertentia rationis proponit auditionem Sacri pro sequenti instanti etiam actu eligendam, non ex obligatione, sed ex suppositione, si ita voluntas se determinaverit: unde etiam distingui potest consequens. Ergò advertentia ut præsupposita ad actuale impedimentum audiendi Sacrum non facit voluntarium in actu, concedo : ut conjuncta cum actuali & voluntario impedimento, nego : tunc enim omissio jam est indirectè à principio intrinseco nempe voluntate, & cum cognitione finis, nimirum cum advertentia rationis.

§. III.
Resolvitur quæstio de effectu ex omissione secuto.

CONCLUSIO secunda. *Ut effectus ex omissione secutus verè sit indirectè voluntarius omittenti, requiritur præceptum & obligatio ponendi actum, ex cujus omissione sequitur ejusmodi effectus.* 7.

Probant aliqui authoritate S. D. hîc q. 6. a. 3. in c. dicentis : *Sciendum, quòd non semper id, quod sequitur ad defectum actionis, reducitur sicut in causam in agens ex eo quòd non agit, sed solùm tunc cùm potest & debet agere* ; Ergò ex mente D. Th. non sufficit proxima potentia ad agendum oppositum, sed ulteriùs requiritur debitum seu obligatio ponendi actum oppositum omissioni.

Verùm hæc authoritas parum favet, cùm enim S. D. hoc ipsissimo loco non tantùm loquatur de effectu secuto, sed etiam de ipsa omissione, sequeretur quòd etiam ad omissionem voluntariam obligatio requireretur, quod tamen paulò antè negavimus. Igitur S. D. ibidem tantùm loqui videtur de voluntario imputabili in culpam.

Probatur ergo ratione primò. Quando ex parte voluntatis nullum reperitur principium intrinsecum, quo physicè vel moraliter influat in aliquem effectum, eumque reddat voluntarium,

rium, recurrendum est ad aliquod principium extrinsecum, ratione cujus saltem moraliter & interpretativè talis effectus à voluntate procedat & dependeat; sed in voluntate omittente aliquem actum indebitum nullum reperitur ejusmodi principium: ergò recurrendum est ad aliquod principium extrinsecum, ratione cujus effectus ille connexionem ac dependentiam moralem à voluntate accipiat. Atqui nullum ejusmodi est assignabile, præterquam obligatio præcepti ad ponendum actum oppositum omissioni: ergò sine hâc effectus non potest esse voluntarius. Major claret ex terminis. Minor probatur. Inprimis negationes non habent virtutem physicam causativam effectûs ut per se patet; sed neque moralem: hæc enim alia non esset, quàm quòd daretur sufficiens fundamentum prudenter arbitrandi, quòd talis effectus v. g. submersio navis à voluntate dependeat: sed absque obligatione præcepti nullum est tale fundamentum: ergò. minor probatur: sublatâ obligatione effectus non sequitur ex vi omissionis, estque præter imò sæpe contra intentionem omittentis: v g. submersio navis, quæ directè sequitur ex violentiâ fluctuum, non sequitur ex omissione gubernationis in eo qui non habet obligationem, quantumvis artem gubernandi calleat; ergò nullum est fundamentum, cur censeatur à voluntate procedere, vel dependere. Tam antecedens quàm consequentia deducitur ex doctrina Thomistarum adversantium; qui omnes negant DEUM esse causam peccati per denegationem auxiliorum efficacium, quantùmvis videat iis denegatis hominem infallibiliter peccaturum, eò quòd peccatum non sequatur ex vi negationis auxiliorum sed ex vi liberi arbitrii defectuosè operantis: ergò similiter submersio navis (eadem est ratio de aliis) non potest adscribi voluntati tanquam causæ, in eo qui nullam habet obligationem navim gubernandi, eò quòd submersio non sequatur ex vi omissionis, sed cum ea solùm per accidens conjungatur. Unde

9. Probatur secundò ab absurdis. Sequitur enim, omnia peccata hominum & Angelorum esse DEO voluntaria, quod tamen piæ aures abhorrent; siquidem ea per auxilium gratiæ efficacis impedire potuisset.

Respondet Amicus, non esse absurdum, cùm addito directè, peccata permissivè esse DEO voluntaria. Sed contra. Tametsi permittenti & impedire omittenti permissio sit voluntaria, hæc tamen est insufficiens ut propterea res permissa dicatur voluntaria permittenti, cùm multi defectus à Superioribus ex rationabili causa permissi sint ipsis prorsus involuntarii, uti & peccata DEO. Vel ergò per τὸ permissivè voluntarium intelligis permissionem esse voluntariam, & tunc extra rem: vel ulteriùs intelligis præter permissionem ipsa peccata esse voluntaria, & tunc manet absurditas sequelæ.

10. Insuper sequitur, eum qui omitteret aliquam actionem ad quam nullo præcepto obligatur, v. g. cilicium, disciplinam, quâ posset impedire impuros motus, ex quibus pollutio sequitur, eundem peccaturum peccato mollitiei. Sequela probatur: omnis voluntaria pollutio est peccaminosa & intrinsecè mala: sed in hoc casu pollutio esset voluntaria secundùm fundamenta Adversariorum; ergo esset intrinsecè mala & peccaminosa. Unde à fortiori sequitur, eum qui prosequeretur actionem honestam, cujus prosequendæ jus habet, cum periculo tamen secuturæ pollutionis absque suo consensu, nihilominùs peccaturum mortaliter, eò quòd non removeat causam, ex quâ effectus iste per accidens sequitur, quod tamen est contra communem Theologorum. Dices fortè: pollutionem directè voluntariam esse intrinsecè malam, non item voluntariam indirectè. Contrà est: quòd etiam indirectè voluntaria sit intrinsecè mala, quando subest proximum periculum consensûs; quia tunc adest obligatio præcepti ad omittendum actum, aliàs ex sua specie licitum; ergò quòd aliquando non sit mala, ideo est, quòd non sit voluntaria, non quòd sit voluntaria indirectè.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. Qui vult causam & antecedens, vult etiam effectum cum causa connexum, si videat illum exinde secuturum: sed omissio est suo modo causa effectûs subsecuti: quia sine eâ non sequeretur, & illâ positâ prævidetur secuturus: ergò, cui omissio est voluntaria, eidem quoque effectus ex tali omissione secutus est voluntarius. 11.

Respondeo primò, distinguendo majorem: si effectus sequatur per se, & ex vi illius causæ vel antecedentis, concedo majorem; si non ex vi illius antecedentis, sed alterius causæ, & per accidens, nego majorem; & sic distinctâ minore, nego consequentiam. Secundò nego min. non enim, ut aliquid sit causa, sufficit, quòd sine ea effectus non sequeretur.

Objicies secundò. Ut effectus omissionis sit imputabilis in culpam, sufficit illum fuisse prævisum in omissione conjunctâ cum obligatione non omittendi actum oppositum: ergò ut sit sine imputabilitate voluntarius, sufficit ipsum fuisse prævisum in omissione non conjuncta cum obligatione non omittendi. 12.

Resp. negando consequentiam: nam sine obligatione non solùm deest sufficiens principiũ imputabilitatis, sed etiã voluntarii interpretativi, ut antea ostendimus. Si dicas: in omissione imputabilitas ad peccatum præsupponit voluntarium: ergò etiã in effectu. Respondeo disparitatem esse, quòd in omissione adsit principium intrinsecum idque necessariò præsuppositum; nempe vis dominativa voluntatis, in effectu verò nullum intrinsecum haberi potest, sed tantùm extrinsecum & morale, quod est obligatio.



DISPUTATIO VI.

DE

Voluntario libero.

VOluntario in communi & genericè considerato ; subnectimus præcipuam speciem ipsius, nempe voluntarium perfectum & liberum , actibus hominis proprium, cujus præliminaris notitia multum conducit ad expediendas difficultates in Tract. de gratia & merito occurrentes.

ARTICULUS I.

De existentia & essentia libertatis.

SUMMARIA.

1. *Triplex acceptio libertatis juxta oppositionem cum servitute, coactione, necessitate.*
2. *Quid indifferentia contrarietatis & contradictionis?*
3. *Quid indifferentia privativa & negativa?*
4. *Quid indifferentia potentialis & actualis?*
5. *Activa, non passiva indifferentia est de essentia libertatis.*
6. *Doctrina fidei de existentia liberi arbitrii.*
7. *Libertas est formaliter in sola voluntate:*
8. *In intellectu verò radicaliter.*
9. *Est formaliter etiam in actu voluntatis.*
10. *Libertas potentialis adæquatè identificatur cum volnntate.*
11. *Nec minùs libertas actualis est adæquatè intrinseca actui voluntatis,*
12. *Et identificata cum illo.*
13. *Deducitur doctrina de actu dilectionis in Christo.*
14. *Vindicantur Bannez & Alvarez à calumniâ.*
15. *Definitio libertatis.*

§. I.

Acceptiones libertatis & indifferentiæ.

1. NOmen libertatis triplici sensu accipitur. Primò prout opponitur servituti, sive civili, de quâ loquuntur jura, sive morali servituti peccati, de qua 2. *Petr.* 2. *Ille est servus peccati, qui facit peccatum.* Et *Rom.* 6. *Liberati a peccato servi facti estis justitiæ.*

Secundò, prout opponitur coactioni ab extrinseco, quâ libertate gaudent omnes actus voluntatis eliciti, quantumvis necessarii ; siquidem omnes spontanei sunt & voluntarii.

Tertiò propriè hoc loco accipitur, prout opponitur necessitati, sicque essentialiter dicit quandam indifferentiam ad actus, terminos, objecta contrariè (si est indifferentia, vel libertas contrarietatis, & quoad specificationem) opposita, ut amorem & odium , bonum & malum &c. vel ad terminos & objecta contradictoriè (si est indifferentia vel libertas contradictionis, & quoad exercitium) opposita, ut agere, non agere ; amare, non amare.

Ipsa quoque indifferentia variè dividitur : nam ut prætermittam modò insinuatam divisionem in indifferentiam *contrarietatis* & *contradictionis*, indifferentia aliquando est *passiva*, si sit indeterminatio ad aliquid recipiendum : aliquando *activa*, si ad aliquid agendum : aliquando partim activa, partim passiva, si sit utroque modo indeterminata uti voluntas humana respectu suorum actuum elicitorum.

Secundò dividitur indifferentia in *privativam* & *negativam*, quæ posterior aliquando etiam positiva, vel objectiva vocatur. Negativè indifferens dicitur, quod ex se non magis est determinatum ad hoc objectum quàm ad illud, uti DEUS in priori signo rationis ante decretum creandi mundum, potest concipi negativè indifferens, eò quòd ex se non sit magis determinatus ad productionem quàm non productionem mundi. Privativa indifferentia dicit carentiam utriusque actûs oppositi, v.g. volendi, nolendi. Negativa verò consistit cum ipsomet actu. 3.

Tertiò dividi potest indifferentra in *potentialem* & *actualem*. Potentialis incidit cum privativa, & dicit puram potentiam sive actum primum indeterminatum ad actus oppositos. Indifferentia actualis (de qua potissima est difficultas) dicit actuale exercitium liberi arbitrii ad alterutrum oppositum. 4.

Si jam *quæras* : quænam indifferentia ex modo relatis sit essentialis libertati ? paucis cum Alvarez lib. 12. de auxil. & com. Thomist. *Respondeo.* Non passivam vel potentialem sed activam & actualem, non privativam sed negativam, contradictionis non contrarietatis, esse de ipsius essentia. *Ratio est:* Libertas, tanquam perfectio simpliciter simplex, formaliter & secundùm suam essentiam reperitur in DEO : sed indifferentia passiva & potentialis non reperiuntur in DEO, velut ostendimus in Tract. de DEO: reperitur verò indifferentia negativa, activa, actualis, contradictionis. Ergò non illa sed ista est de essentia libertatis. 5.

§. II.

Existentia & subjectum Libertatis.

DAri liberum hominis arbitrium, & ex illo actum liberum, non tantùm prout opponitur 6.

nitur coactioni, sed etiam necessitati, fides docet, definita inprimis contra Stoicos & Manichæos, inevitabili necessitatis fatalis jugo omnia subjicientes, in Concilio Bracharensi 1. c. 9. & contra Lutherum & Calvinum liberum arbitrium peccato Adami extinctum asserentes, in Trident. Sess. 6. can. 5. Fundamentum primarium est è S. Scripturæ locis plurimis, ut Deut. 30. v. 19. Gen. 4. Eccl. 31. v. 10. &c.

Ratio est primò à priori: Voluntas tanquam potentia cœca sequitur ductum intellectûs, ità ut si intellectus exhibeat omnimodum rationem boni (quod adæquatum est voluntatis objectum) totum quoque trahat appetitum: si non exhibeat omnimodam, sed aliquam admixtam rationem mali, hoc ipso non trahat totum appetitum: atqui intellectus non repræsentat in objectis particularibus omnimodam rationem boni, cùm nulla ex istis habeant necessariam connexionem cum bono in communi, & hoc ipsum experientia doceat: Ergò etiam voluntas circa nullum objectum particulare necessitatur.

Ratio est secundò à posteriori: si non daretur liberum arbitrium, nulla essent hominum merita vel demerita: sed consequens est absurdissimum, & contra omnem mortalium sensum, teste D. Augustino *lib. de duab. anim. c. 11. Unde dicerem, neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui id non faciat quod facere non potest. Nonne ista cantant & in montibus Pastores, & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum.*

7. Porrò liberum arbitrium seu libertas formaliter in solâ voluntate, radicaliter verò reperitur in intellectu. Ratio primi est, quòd illi potentiæ competit formalis libertas, quæ ex suapte natura invenit in proprio objecto objectivam indifferentiam: sed hanc in suo objecto connaturali invenit voluntas, non autem intellectus; ergo. Minor probatur: Bonum contractum ad inferiora in particulari habet objectivam indifferentiam; eò quòd semper habeat admixtam rationem mali, etsi, quâ parte trahit, ex altera terreat appetitum. Sed voluntas per suos actus versatur circa bonum particulare & contractum: Ergò.

Adde, quòd nullibi magis resplendeat libertas, quàm in electione, qui est proprius actus voluntatis: & quòd independenter ab actu & influxu voluntatis nullus actus denominationem liberi sortiatur.

8. Cæterùm, quòd libertas in intellectu formaliter reperiri non possit, Ratio est: quia objectum intellectûs perfectè cognitum, non relinquit indifferentiam ad assensum, vel dissensum, vel utriusque omissionem. Aut enim objectum apparet omnino verum, aut falsum, aut dubium, aut probabile. Si omnino verum, intellectus est determinatus ad assentiendum: si planè falsum, est determinatus ad dissensum: si dubium, tunc hæret inter assensum & dissensum: si probabile, tunc ambiguitas intellectûs tollitur per impulsum voluntatis. Radicaliter nihilominus indifferentia reperitur in intellectu: quia voluntas tanquam cæca potentia non alia de causa fertur indifferenter in suum objectum, nisi quia illud ab intellectu partim sub ratione boni, ex quâ possit appeti, partim cum defectu bonitatis, ex quo respui possit, proponitur; ideoque formalis indifferentia voluntatis originatur & radicatur in judicio intellectûs indifferenter proponente objectum.

Non autem minùs formaliter libertas reperitur in actu quàm in potentiâ voluntatis. Nam primò: Non minùs actus liber intrinsecè differt à necessario, quàm potentia libera intrinsecè differt à necessariâ: ergò sicuti libertas est intrinseca potentiæ, sic etiam actui. Secundò: Libertas divina est actui divino adæquatè intrinseca, ut dictum in 1. p: ergo etiam creata libertas in actu secundò est actui adæquatè intrinseca. Tertiò: In actu secundo debet relucere perfectio, quæ continetur in actu primo, ideoque, & actus potentiæ necessariæ habet intrinsecam necessitatem, & actus potentiæ vitalis intrinsecam vitalitatem: ergò etiam exercitium actuale potentiæ liberæ quâ talis debet esse formaliter liberum. 9.

§. III.

Entitas & definito libertatis.

Hinc intelliges, libertatem potentialem & in actu primo aliud non esse, quàm virtutem & efficaciam electivam voluntatis ab ipsa realiter indistinctam, quæ in obliquo connotat objectivam judicii indifferentiam, tanquam radicem essentialem, ac proinde esse voluntati adæquatè intrinsecam. Ratio est, quia positâ objectivâ rationis indifferentiâ, hoc ipso formaliter & seclusо omni alio voluntati ab intrinseco competit indepentencia dominativa & electiva, ut possit vel per prosecutionem in illud tendere, vel illud fugiendo respuere; siquidem ipsius intrinseca proportio & capacitas à tali objecto non expletur: sed hæc dominativa & electiva independentia est ipsamet libertas: ergò. 10.

Sed quid dicendum de libertate actuali, quæ videlicet reperitur in actibus elicitis voluntatis? Molina vult esse denominationem extrinsecam; Thomistæ communiter, esse perfectionem intrinsecam, quam multi in censum referunt entitatum modalium. Respondeo cum Gibbone disp. 9. dub. 4. esse perfectionem actui voluntatis adæquatè intrinsecam, & ab illo indistinctam, ita ut in recto dicat actum voluntatis, in obliquo verò connotet electivam & dominativam voluntatis efficaciam regulatam per judicium objectivè indifferens, vi cujus iste actus voluntatis potuisset absolutè non poni. 11.

Ratio est primò. Actus principii necessarii habet intrinsecam necessitatem, & actus potentiæ vitalis habet intrinsecam vitalitatem, quia in actu secundo debet intrinsecè relucere perfectio, quæ continetur in actu primo: ergò ex eodem capite actus potentiæ intrinsecè liberæ habet intrinsecam libertatem.

Secundò. Non minùs actus liber intrinsecè differt à necessario, quàm potentia libera differt à necessaria: sed ista differt intrinsecè: ergò & ille.

Tertiò. Libertas divina, tanquam perfectio simpliciter simplex & adæquatè increata, est actui divino adæquatè intrinseca (cùm non detur in DEO libertas per modum actûs primi, ut ostendimus in tract. de DEO.) ergò etiam libertas participata in actu secundò est actui adæquatè intrinseca.

12. Hanc ipsam porrò perfectionem esse realiter indistinctam ab actu libero, præter universalem rejectionem entitatularum (quam ex Philosophia, suppono,) probatur: Sicuti potentia activa formaliter constituitur agens in actu secundo per ipsum exercitium agendi, ita potentia in actu secundo libera formaliter constituitur per exercitium libertatis: sed exercitium libertatis habetur & concipitur pro illo instanti, pro quo concipitur actus egrediens à potentiâ indifferenti, & regulata per indifferens judicium rationis præsuppositivè ad quemcunque modum vel respectum &c. Ergò totus conceptus libertatis in actu secundo salvatur per ipsummet actum elicitum, quatenus connotat judicium indifferens, ceu essentialem suam regulam & radicem, quâ ablatâ mox desinit tribuere denominationem liberi. Sicut ergò in multorum Philosophorum sententia veritas est intrinseca perfectio cognitionis, quæ tamen in recto nihil dicit ab ipsa cognitione distinctum, sed hoc ipso, quòd objectum extra cognitionem existens ita se habeat, prout cognitio illud enunciat, tribuit denominationem veri; si aliter existat, tribuit denominationem falsi: ita libertas est intrinseca perfectio in actu elicito voluntatis, ut nihil in recto dicat ab ipso actu realiter distinctum: sed actus ipse, quamprimùm connotat propositionem indifferentem intellectûs, tribuit denominationem liberi; hâc remotâ tribuit denominationem necessarii. Unde sicut in illorum Philosophorum sententia, mutatâ connotatione objecti, idem actus potest ex vero transire in falsum, ita idem actus voluntatis, mutato judicio intellectûs ceu necessario connotato, potest ex necessario in liberum, vel ex libero transire in necessarium: veluti cùm motibus primò primis accedit deliberatio; vel cùm actus charitatis in ultimo vitæ instanti liber necessariò continuatur in patria.

13. Hinc intelliges primò: cur multi Theologi probabiliter admittant, eundem actum dilectionis in Christo, simul fuisse & liberum, quatenus erat actus viatoris, regulatus lumine scientiæ infusæ; & necessarium, quatenus erat actus comprehensoris regulatus lumine gloriæ. Eadem quippe entitas juxta diversa connotata potest tribuere diversas denominationes: unde si in Christo compossibile fuit duplex judicium, unum, quo sine indifferentia vi luminis gloriæ; alterum, quo cum indifferentia vi scientiæ infusæ repræsentabatur amabilitas Divinæ bonitatis, non est, cur juxta hæc diversa connotata idem actus dilectionis non possit simul tribuere denominationem liberi & necessarii.

Intelliges secundò. Ab Ysamberto & Petro 14.
à S. Joseph immeritò imponi Bannes & Alvarez, quasi totam liberi arbitrii indifferentiam collocarent in indifferentiâ judicii, non autem in voluntate: non enim formalem sed radicalem solùm indifferentiam tribuunt judicio intellectûs, ut ex ipsorummet verbis ostendit Illustrissimus Rhedingus *hic q. 3. a. 2. controv. 2. a. 6. & 7.*

Sic expositâ humani arbitrii libertate nunc 15.
definitionem inspiciamus. Definiunt Thomistæ, quòd sit *Dominium sui actûs ad opposita, vel, facultas voluntatis & rationis ad utrumlibet.* Cujus definitionis sensus est; quòd libertas importet independentiam agentis ab objecto, vi cujus potest versari, vel actu ita versatur circa unum objectum, ut æquè possit versari circa oppositum. Unde juxta hanc definitionem, actus liber ille erit, qui *procedit à facultate, seu à voluntate indeterminata ad utrumlibet.*

Communior est altera definitio; libertas est *facultas, quæ positis omnibus requisitis ad agendum potest agere, & non agere.* Et actus liber est, *qui procedit à suo principio, ut positis omnibus prærequisitis potuerit non procedere.* Quæ quidem definitio duas includit difficiles & celebres quæstiones. *Primò*, quænam sint illa *requisita ad agendum*, & an inter illa divina physica præmotio sit computanda? *Secundò*, utrùm ly *posse agere & non agere*, sit accipiendum in sensu composito, vel diviso? ad quas quæstiones dum Thomistæ & Molinistæ diversissimè respondent, etiam hæc data definitio ab utrâque parte in certo sensu acceptatur, in alio repudiatur: ut utrique difficultati satisfiat, sit

ARTICULUS II.

An inter necessaria requisita ad agendum sit prædeterminatio physica?

SUMMARIA.

1. *In quibus RR. cum Thomistis conveniant & discrepent?*
2. *Expositio physica prædeterminationis.*
3. *Adstruitur prædeterminatio authoritate S. Scripturæ & Conciliorum.*
4. *Expenditur efficacia illarum authoritatum.*
5. *Motio asserta a Script. & Concil. non est simultanea:*
6. *Nec tantùm moralis,*
7. *Locus S. August. contra motionem moralem,*
8. *Et simultaneum tantùm concursum.*
9. *Prima conditio prædeterminationis, ut sit applicatio virtutis ad operandum, ostenditur ex D. Th.*
10. *Item secunda conditio, ut sit prævia.*
11. *Ac tertia, ut non sit tantùm moralis, sed physica.*

12. *Fun-*

12. *Fundamentum prædeterminationis est essentialis & physica dependentia omnis entis creati à causa prima,*
13. *Et causalitas physica causæ primæ.*
14. *Certitudo prædestinationis, & efficacia gratiæ.*
15. *Prioritas dignitatis & universalitatis non salvat dependentiam causæ secundæ,*
16. *Neque decretum applicativum omnipotentiæ.*
17. *Prædeterminatio se habet per modum qualitatis fluentis.*
18. *Thomistica doctrina prædeterminationis toto cœlo distat à Calvinismo.*
19. *Concursus indifferens inutilis & implicatorius.*
20. *Exponitur objecta authoritas S. Script.*
21. *Expenditur locus Jo. Damasceni;*
22. *Et D. Augustini.*
23. *Ad objectas querelas Corozaitarum respondetur.*
24. *Adversariorum replica eliditur.*
25. *Querelam istam jam D. Augustinus amovit.*
26. *Objecta quædam loca ex S. D.*
27. *Aut nihil probant, aut nobiscum contra Adversarios loquuntur.*
28. *Prædeterminatio non obstat divinis exhortationibus:*
29. *Nec est causa desperationis.*
30. *Prædeterminatio uti est determinatio causalis, ita est causaliter, non voluntaria formaliter.*
31. *Insufficientia concursûs moralis ostenditur.*

§. I.

Sententia Thomistica.

1. PRo meliùs penetrando statu quæstionis sciendum, in quibus Thomistæ defensores prædeterminationum, cum Molinistis & Scientiæ mediæ assertoribus conveniant, in quibus discrepent. Conveniunt *primò*, quòd aliquod liberum decretum DEI circa nostras liberas actiones sit necessarium. *Secundò*, quòd operatio libera debeat aliquo modo dependere à causa prima. *Tertiò*, quòd DEUS concurrat physicè concursu simultaneo. Quartò, quòd ad bonam actionem voluntas à DEO moraliter præmoveatur. Quintò, quòd ipsa voluntas creata se determinet ad operandum. Hæc omnia certa sunt inter Catholicos D. D.

Discrepant autem primò, quòd Thomistæ divinis decretis tribuant intrinsecam & absolutam ex parte actûs efficaciam, quâ independenter ab omni suppositione consensûs, vel liberæ determinationis nostræ in scientia media prævisæ, DEUS liberas nostras actiones prædefiniat. Quod negant scientiæ mediæ Patroni. Secundò quod illi velint ejusmodi efficaci decreto in tempore respondere efficacem executionem, seu motionem divinam, quæ non tantùm simul cum voluntate operetur, sed eandem præterea efficaciter excitet ad operandum. Unde tertiò docent, quòd ista motio sit verè realis & physica, naturâ prior quàm libera operatio: utpote causalitas causæ primæ, ratione cujus operatio creata à primo agente dependet. Quam eâ de causâ quòd liberam voluntatis determinationem prioritate naturæ præveniat, antiquo & minimè novo nomine prædeterminationem appellant. Hæc autem omnia pro paradoxis libertatis humanæ impedimentis habentur à Molinistis.

Ne porrò nescio quod spectrum sive monstrum tibi imagineris in physicâ præmotione seu prædeterminatione (tam gratiosè nimirum aliquando prædeterminatio à suis impugnatoribus depingitur) en! genuinam ipsius descriptionem. *Est physica & realis motio, à solo DEO procedens, causæ creatæ transeunter impressa, & prioritate naturæ precedens ipsius operationem, per quam causa creata efficaciter excitatur & applicatur ad operationem, conformiter suæ naturæ eliciendam.* 2.

Dicitur primò, *physica motio*, ut distinguatur à motione tantùm morali & objectiva, quæ tantùm est propositio objecti ad modum consilii vel suasionis.

Dicitur secundò, *à solo DEO procedens*: quia est causalitas causæ primæ quà talis, realiter ab actu voluntatis aut alterius causæ creatæ distincta; unde differt à concursu simultaneo, qui non distinguitur ab operatione causæ creatæ, sed simul ab ipsa procedit. Dicitur tertiò, *transeunter impressa*: ut significetur, illam non se habere per modum qualitatis & principii permanentis, sese tenentis ex parte actûs primi, sed per modum virtuosæ motionis, quæ pro immediato termino respicit operationem & pertinet ad actum secundum. Dicitur quartò, *prioritate naturæ pracedens*; quia cùm se teneat ex parte actûs secundi, sitque ipsa applicatio virtutis activæ ad operandum, secundùm temporis durationem semper cum ipsa operatione conjungitur. Dicitur quintò, *causam creatam efficaciter applicans*; quo indicatur, quòd præmotio non det posse operari, sed illud supponat sitque unicum ipsius munus, ut causam, præcipuè liberam, reducat ad actum secundum operandi. Dicitur sextò, *convenienter suæ naturæ*, nempe ad liberè operandum, si est causa libera; (& tunc propriè vocatur prædeterminatio) ad necessariò operandum, si est causa necessaria: prædeterminatio quippe nec dat nec tollit posse liberè operari. Non dat, quia supponit, & est posterior ipso posse: non tollit, quia ex se infert & causat actum convenientem naturæ liberæ, qualis est tantùm actus elicitus cum indifferentia & potentia ad utrumlibet. His positis

CONCLUSIO. *Ad omnem actum liberum essentiale requisitum est physica prædeterminatio.* 3.
Ita Schola Thomistica, & plurimi quos referunt & sequuntur Salmanticenses *in p. tr. 3. d. 10. dub. 8. Probatur primò* S. Scripturæ & Conciliorum authoritate. Nam Proverb. 21. dicitur: *Cor regis in manu DEI, sicut divisiones aquarum, quocunque voluerit, vertet illud.* Ezech. 36. *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, &c.* Philip. 2. *DEUS est, qui operatur in nobis velle & perficere.* Consilium Arausicanum *Can. 9. Quoties*, inquit, *bona agimus, DEUS in nobis & nobiscum, ut operemur, operatur.* Tridentinum contra Calvinum & Lutherum *Sess. 6. can. 4.* anathema dicit, *si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à*

DEO

DEO motum & excitatum, non posse dissentire si velit. Accedit authoritas Catechismi Romani authoritate ejusdem Concilij Tridentini editi, qui p. 1. de primo Symboli artic. ita habet. *Non solùm autem universa, quæ fiunt, providentia suâ tuetur, atque administrat, verùm etiam, quæ moventur & agunt aliquid, intimâ virtute ad motum atque actionem ita impellit, ut quamvis causarum secundarum efficientiam non impediat, præveniat tamen: cùm ejus occultissima vis ad singula pertingat & quemadmodum Sapiens ait: Attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.*

4. Quarum authoritatum omnium vis in tale argumentum contrahitur: Motio, quâ DEUS nostras voluntates efficaciter *vertit & trahit quò voluerit, facit ut faciamus, operatur ut operemur, excitat & movet* ad operationem infallibiliter consequentem, præveniendo impellit ad actionem, est ipsa, quam tuemur, prædeterminatio physica; sed ejusmodi motionem adstruunt prædictæ authoritates: ergò etiam adstruunt nostram physicam prædeterminationem. Major probatur. Hæc motio, de quâ loquuntur Scriptura, & Concilia, nec est simultanea, nec moralis tantùm: ergo est prævia & physica & consequenter ipsamet prædeterminatio.

5. Primum membrum antecedentis probatur primò: quia simultaneus concursus non vertit & flectit voluntatem, sed potiùs ipse flectitur ad voluntatis arbitrium, cùm ideò DEUS cum hac numero & specie actione concurrat; quia se voluntas ad illam determinavit, ut ex decursu ampliùs constabit: sed neque concursus simultaneus excitat, movet, impellit ad operandum, nec per illam DEUS operatur ut operemur, neque prævenit efficientiam causæ secundæ: siquidem iste concursus hanc operationem & efficientiam solummodò concomitatur, neque in recto ab ipsa operatione distinguitur, neque ipsam pro suo termino respicit: sicuti, cùm duo homines concursu simultaneo movent lapidem, non dicitur unus alterum impellere, ad movendum excitare, prævenire motionem, &c. sed tantummodò juvare.

Secundò. In illo sensu Concilium Arausicanum affirmat hanc motionem, in quo illa negabatur à Pelagianis & Semi-Pelagianis, contra quos agebatur. Rursus in hoc sensu Tridentinum affirmat, liberum arbitrium à DEO motum posse dissentire; in quo sensu Calvinus & Lutherus hoc ipsum negabant; quia illorum hæresin retundere Concilio propositum erat: sed neque Pelagiani negabant concursum simultaneum, ut probat *Alvar. L. 1. de auxil. disp. 1.* nec erat discrepatio cum Lutheranis & Calvinistis, an arbitrium posset resistere motioni concomitanti, quæ jam supponit ipsam operationem; & fatentibus Advers. à Calvinistis neque tunc neque modò deducitur in controversiam. Ergò Concilia tantùm poterant præviam motionem intelligere, quippe à quâ fatale jugum libero arbitrio imponi isti hæretici calumniosè querebantur; in hoc quidem pares, quòd ex ista prævia motione jacturam libertatis falsâ sequelâ deducerent; in hoc impares, quòd Pelagiani & Semipelagiani in gratiam liberi arbitrii mallent gratiam prævenientem examinare: Calvinistæ verò in gratiam efficacis præmotionis mallent arbitrii libertatem evertere.

Alterum membrum antecedentis probatur *inprimis* hâc ipsâ ratione: nam neque Pelagiani negabant motionem præviam moralem, quemadmodum patet ex verbis Pelagii à D. Augustino L. *de gratia Christi c. 7.* relatis. *Nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cœlestis illuminat* Et c. 10. *Revelatione sapientiæ in desiderium DEI stupentem suscitat voluntatem.* Quod etiam ex hoc patet: quia Pelagiani & Semi-Pelagiani negabant illam motionem, quam existimabant inferre præjudicium libertati, & fatalem necessitatem inducere: sed hæc non est motio moralis, ut nemini dubium est sed neque nostrorum temporum hæreticis venit in mentem, ut negarent, posse liberum arbitrium resistere ejusmodi motioni, quæ in solo consilio, suasione & objecti propositione consisteret. Secundò. Per motionem moralem non rectè dicitur DEUS habere *in manu sua cor* hominis, & *quocunque voluerit, illud vertere*: ergò debet intelligi motio physica. Antec. prob. tam ex D. Augustino quàm D. Th. Nam ille in l. de corr. & grat. affirmat, *DEUM magis habere in sua potestate voluntatis hominum, quàm ipsi suas*: ergo non minùs DEO competit potestas physicè movendi voluntatem ad actus liberos, quàm conveniat ipsi homini. Iste *in 3. contr. gen. c. 89.* hunc eundem Scripturæ locum exponens: *hoc ipsum*, inquit, *quod Salomon dixit*, cor Regis in manu DEI, &c *ostendit non solùm divinam causalitatem ad potentiam voluntatis extendi, sed etiam ad actum ipsius.* Atqui physica DEI causalitas extenditur ad potentiam voluntatis: ergò juxta expositionem S. D. Salomon vult physicam DEI causalitatem, h.e. motionem, influere in actum voluntatis. 6.

§. II.

Authoritas S. P. Augustini & D. Thomæ Aquinatis.

Probatur assertio nostra secundò authoritate S. P. Augustini *lib. d. grat. & lib. arb. c. 16.* *Certum est, nos velle, cùm volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est*, quòd præparatur voluntas à Domino. Et posteà: *Certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit*: Faciam, ut in justificationibus meis ambuletis. Sed per concursum simultaneum DEUS non facit ut faciamus, non facit ut velimus, non præparat voluntatem; per moralem etiam motionem non præbet vires efficacissimas, cùm illa sit intrinsecè fallibilis, & impedibilis per voluntatem, neque infallibilitatem ex scientia media (ut aliunde suppono) habere possit. *Rursus epist. 2. ad Simplicianum: Illud autem nescio, quo modo dicatur, DEUM frustra misereri, nisi nos velimus; si enim DEUS miseretur, etiam volumus: ad eandem quippe DEI misericordiam pertinet, ut velimus; DEUS est enim qui operatur in nobis & velle & operari pro bonâ voluntate,* Atqui si per motionem moralem DEUS miseretur, non sequitur infallibiliter: Si DEUS miseretur, 7.

non

non sequitur infallibiliter; si DEUS miseretur, etiam volumus, cùm morali DEI motioni sæpius resistamus.

8. Concursum quoque simultaneum ut insufficientem jam rejecit prædictus S. Pater loc. cit. ad simplic. dicens: *Si propterea solùm dictum est: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis DEI, quia voluntas sola non sufficit, ut justè rectéque vivamus, nisi adjuvetur misericordiâ DEI; potest hoc modo dici: Igitur non miserentis est DEI, sed voluntatis est hominis, quia misericordia DEI sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur: illud autem nescio, quomodò dicatur &c.* Ita S. Pater.

9. Probatur tertiò authoritate D. Thomæ, quæ quidem in proposito tam ex claritate, quàm copiâ textuum, totiusque doctrinæ Angelicæ consequentiâ tam manifesta esse videtur, ut non sine magna violentia trahi possit in partem oppositam. Ita breviter ostendo: *Omne agens creatum à DEO movetur ad suam operationem* (sic habet 1. *p. q.* 105. *a.* 5. *&* 1. 2. *q.* 109. *a.* 1. aliisque pluribus locis) *& quidem tali motione, quæ habet omnes conditiones ad physicam prædeterminationem requisitas*, ergò juxta doctrinam D. Thomæ DEUS physicè prædeterminat omnes causas secundas, etiam liberas, ad operandum. Antecedentis pars altera, in qua est difficultas, probatur: *Conditiones* prædeterminationis physicæ sunt tres. Primò, ut non sit mera conservatio virtutis activæ, sed vera quædam impressio, motio, & applicatio virtutis ad agendum. Secundò, ut non sit tantùm simultanea, sed prævia. Tertiò, ut non sit tantùm moralis, sed etiam physica. Et ecce *primam conditionem* in terminis habet S. D. 1. 2. p. 109. a. 1. *Actio*, ait, *cujuscunque agentis creati dependet à DEO quantùm ad duo: uno modo, in quantum ab ipso habet perfectionem sive formam* (virtutem operandi) *alio modo, in quantum ab ipso movetur ad agendum.* Et q. 3. de pot. a. 7. *Tertio modo*, inquit, *dicitur una res esse causa actionis alterius, in quantum eam movet ad agendum; in quo non intelligitur collatio, aut conservatio virtutis activæ, sed applicatio virtutis ad actionem; sicut homo est causa incisionis cultelli ad incidendum, movendo ipsum. Et hoc ipso modo*, subdit, *moveri à DEO creaturas: Sic ergo DEUS est causa applicationis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi, & in quantum applicat actioni.* Viden', utrobique distingui motionem & applicationem virtutis à collatione formæ & virtutis operativæ.

10. *Secunda conditio* constat *primò* ex modò dictis: neque enim causa simultanea dicitur alteram concausam movere & applicare, sed juvare. *Secundò*, quia ita D. Th. habet in terminis 3. contr. gentes. c. 149. dicens: *Quòd motio moventis præcedit motum mobilis ratione & causâ. Tertiò*, quia loco sup. cit. comparat hanc motionem cum motione causæ principalis *ad incisionem cultelli*: & 1. p. q. 103. a. 8. cum impressione, quâ à sagittante determinatur inclinatio sagittæ in scopum: sed motio, quam artifex vel causa principalis imprimit instrumento, est prævia & prior naturâ, ergò. *Quartò: Quia* (sunt verba S.D. loc. cit. de pot. a 3.) *in operatione, quâ DEUS operatur movendo naturam, non operatur natura*: Atqui in simultaneo concursu simul operatur natura. *Quintò*, quia ut habet q. 22. de verit. a. 8. *Actio voluntatis non tantùm est à voluntate ut immediatè agente, sed à DEO ut primo agente, qui vehementiùs imprimit*: sed ratione concursûs simultanei non foret à DEO ut primo agente, ut deinceps latiùs expendemus *Sextò*, quia juxta eundem S. D. in 1. p. q. 105. a. 2. ad 1. hàc motione DEUS *creaturas tangit secundam virtualem contactum*: quod est in se recipere impressionem divinam, & immutari à DEO, ut ex alibi dictis suppono.

Tertia tandem *conditio ostenditur primò*: Movere moraliter, est movere ex parte objecti, & movere physicè est movere ex parte voluntatis: sed ex doctrina D. Th. DEUS utroque modo movet voluntatem, & maximè ex parte voluntatis: ergò DEUS movet voluntatē non tantùm moraliter, sed etiam physicè. Minor habetur in 1. p. 105. a. 4. *Utroque modo proprium est DEO, movere voluntatem; sed maximè secundo modo, interiùs eam inclinando.* Eadem habet q. 106. a. 2. in c. & q. 22. de verit. a. 1. *Secundò* S. D. loc. cit. de ver. dicit: *Solus DEUS potest inclinationem voluntatis transferre de uno in aliud, secundùm quod vult*: atqui voluntatem movere moraliter non est soli DEO proprium; siquidem & Angelis & hominibus convenit: ergò S. D. intelligit motionem physicam. Tertiò: ista motio est à DEO ut primo agente, & tanquam causalitas ipsius, juxta supr. cit. q. 22. de ver. a. 8. sed DEUS non tantùm est primum agens morale, verùm etiam physicum. Ergò etiam motio debebit esse physica. *Quartò: Per suam motionem DEUS cuilibet agenti adest interiùs quasi in ipso agens* (*opusc.* 2. *c.* 130.) sed causa moralis per motionem moralem nihil intrinsecùs agit in voluntate. *Quintò*: quia DEUS voluntatem movet *efficaciter, infallibiliter, immutabiliter*; ita ut (sunt verba *D. Th.* 1. 2. *q.* 10. *a.* 4 *ad* 3.) *Si DEUS movet voluntatem ad aliquid, impossibile est poni, quòd ad illud voluntas non moveatur.* Eadem habet *q.* 6. *de malo. a.* 1. *ad* 3. *&* 2. 2. *q.* 24. *a.* 11. Sed hæc omnia de motione morali, utpote intrinsecè impedibili, & saltem metaphysicè fallibili salvari nequeunt. *Sextò*: Dantur secundùm D. Tho. decreta intrinsecè efficacia & prædefinitiva actuum liberorum; ergò DEUS physicè movet voluntatem ad actus liberos. Antecedens fuit ostensum in *disputat. de DEO. cap.* 9. §. 4. *n.* 4. consequentia probatur: decretum independenter à scientiâ mediâ, intrinsecè efficax & metaphysicâ certitudine infallibile, debet continere in suâ virtute positionem medii & executionis metaphysicè infallibilis: atqui tale medium non est motio moralis,

ralis, quippe quæ moralis certitudinis limites non excedit. Ergò debet esse motio physica, quæ sola infallibiliter certitudine metaphysicâ infert actum liberum.

§. III.

Fundamentum à ratione.

12. PRobatur ulteriùs *ratione*: DEUS tanquam causa prima, ens primum, & primum liberum debet exercere causalitatem physicam tam respectu actuum liberorum, quàm necessariorum; atqui causalitas physica est prædicta determinatio. Ergò. Major patet: quia non minùs actus liber, etiam quoad ipsam libertatem, & omnis determinatio causæ liberæ est quidam effectus creatus, ab alio, & physicè dependens à DEO ut causâ primâ, quàm actus necessarius. Causa etiam, quantò est efficacior, tantò magis se extendit ad omnes reales differentias sui effectûs; cùm ergò causa prima sit infinitæ efficaciæ etiam in ordine physico: physica quoque causalitas ipsius sese debebit extendere ad omnem cujuslibet entis perfectionem ac differentiam, qualis differentia & perfectio est libertas.

13. Minor probatur: Motio physica, naturâ prior quam actus liber, est ipsamet prædeterminatio: sed causalitas physica causæ primæ & primi moventis, est motio physica naturâ prior quàm actus liber; quia ratione hujus causalitatis & motionis actus liber velut effectus causæ primæ subordinatur, & ab illâ dependet. Quis autem Philosophorum unquam dubitavit, causam formaliter in ratione causæ esse priorem; effectum verò, propter dependentiam ac subordinationem quam habet ad suam causam, esse posteriorem naturâ quàm sua causa?

14. Adde, quòd sublatâ physicâ prædeterminatione rueret certitudo divinæ prædestinationis (prout in Tract. de DEO expendimus) & efficacia gratiæ divinæ, de qua alio loco & tempore. Nunc ad præcludendas Adversariorum responsiones sint sequentia.

§. IV.

Corollaria.

15. COlliges primò: Dependentiam causæ secundæ in causando à causa prima non salvari per prioritatem dignitatis, universalitatis, & quoad subsistendi consequentiam. Nam causalitas causæ est prior prioritate naturæ quàm suus effectus: atqui causa secunda in esse causæ secundæ actu causantis, & causa libera, secundùm ipsam suam liberam determinationem & exercitium libertatis, est effectus causæ primæ, ens creatum & ab alio, movens motum &c. Ergò causalitas causæ primæ est ipsâ quà tali prior secundùm prioritatem naturæ.

Præterea: quia inter DEUM & creaturam reperitur subordinatio in perfectione & dignitate, ideo inter illos reperitur ordo prioritatis quoad dignitatem: ergo, quia inter illos reperitur subordinatio quoad causalitatem, etiam dabitur ordo prioritatis quoad causalitatem: an enim subordinatio sine ordine, ordo poterit esse sine prioritate?

Rursus: Non alio ex capite inter divinas personas non datur prius aut posterius, & sola admittitur prioritas originis, quàm quia nulla datur unius erga alteram causalitas & dependentia; ita ut si per impossibile una foret causa alterius, hoc ipso una esset physicâ causalitate prior, & altera posterior: ergo cùm omnis creatura essentialiter dependeat à DEO tanquam causâ primâ ejusque causalitate, eo ipso necesse est, quòd causalitas DEI exerceat prioritatem physicam in causando respectu omnis creaturæ.

Colliges secundò: Actûs liberi dependentiam à DEO non salvari per hoc, quòd DEUS per decretum in actu primo applicet suam omnipotentiam causæ creatæ, sive quòd habeat decretum concurrendi ad actum liberum, ad quem seipsam voluntas creata determinaverit. Ratio est: quòd vi istius decreti causa secunda formaliter in ratione causæ secundæ & actu operantis, non intelligitur dependere à DEO: sed est necesse, ut etiam in ratione causæ formaliter & ut actu operantis, sive ratione causalitatis in actu secundo, per quam formaliter constituitur in esse causæ, à DEO ejusque causalitate dependeat: ergo per illud decretum non sufficienter salvatur actûs liberi dependentia à DEO. 16.

Colliges tertiò: Prædeterminationem non se habere per modum qualitatis & principii permanentis, sed esse quandam realem motionem, per modum qualitatis fluentis, habentis esse incompletum, quæ in voluntate subjectivè recipitur. Ideoque à S. D. appellari solet *intentio*, quo nomine etiam appellat virtutem seu motionem ab agente principali instrumento impressam. Ratio est: quòd prædeterminatio est applicatio agentis ad actum, pro objecto ac termino respiciens ipsum actum transeuntem, & se tenens ex parte actûs secundi, adeòque transit cum ipso actu. 17.

Colliges quartò: Hanc Thomistarum doctrinam de prædeterminationibus toto cœlo differre à sententia & errore tum Lutheri, tum Calvini. Nam *primò* Lutherus vult liberum arbitrium se solummodò habere passivè. *Secundò* Calvinus admittit quidem aliquam ipsius activitatem, vult tamen illud solummodò spontaneè, non etiam liberè consentire. Ac *tertiò* negat voluntatem prædeterminatam ad consensum posse dissentire, aut esse in potestate hominis obtemperare, vel refragari: dum *contra* Thomistæ docent & efficaciter probant primò, etiam stante prædeterminatione ipsam hominis voluntatem seipsam liberè determinare ad actum proprium, eumque cum formali indifferentia producere: cùm sit ipsamet applicatio, quâ voluntas effectivè excitatur ad actum, juxta modum suæ naturæ convenientem: unde *secundò*, quia causa non aufert sed infert suum effectum, hæc prædeterminatio non solùm creatam libertatem nequaquam offendit, sed insuper causat, ac *tertiò* relinquit in voluntate ad consensum prædeterminatâ potentiam ad non consentiendum, seu posse dissentire, non quidem in sensu composito, sed diviso. Cujus quidem celebris distinctionis sensus non ex adversantium partiali & subinde minùs æquâ relatione, 18.

tione, sed ex constanti ipsorum Thomistarum explicatione & doctrinâ, quam paulò inferiùs referemus, peti debet.

19. *Colliges quintò.* Concursum indifferentem non tantùm esse inutilem ad salvandam dependentiam causæ secundæ à causa prima, sed etiam implicatorium & indignum DEO. *Ratio primi est:* quia ut salvaret dependentiam actûs liberi & determinationis creatæ à causâ primâ, deberet actus liber & talis determinatio ab illo concursu procedere; sed non procedit: tum quia à causa indifferenti non procedit determinatus effectus; tum quia ille concursus est naturâ posterior quàm determinatio humanæ voluntatis: cùm enim ex se sit indifferens ad utrumlibet, ad odium vel amorem, consensum vel dissensum, ut potiùs sit ad consensum quàm ad dissensum, accipit ex determinatione humanæ voluntatis, ac proinde istius ultimatam resolutionem expectare debet.

Ratio secundi est primò: quia per illum concursum indifferentem DEUS cæco & ignoranti modo concurreret, cùm vi ipsius non posset scire, an potiùs ad consensum vel dissensum, odium vel amorem concurreret: unde *secundò* divina prædestinatrix scientia careret omnimodâ certitudine: medium quippe certò videndi futurum effectum est certa & infallibilis causæ præparatio, ut in Tract. de DEO probavimus: sed concursus indifferens non est certa, imò est nulla causæ præparatio, hoc ipso quòd non sit prævius: igitur non est medium idoneum, per quod DEUS futurum effectum & actum liberum possit cognoscere. Tertiò, quia per concursum indifferentem non salvatur dignitas gratiæ efficacis: hæc enim è S. Script. & D. Augustini stylo *facit, ut faciamus:* hæc *aptat nos in omni bono, Hebr. c. 13.* hæc *mutat, convertit, subjicit voluntatem,* eamque sibi *facit obsequentem: facit ex nolente volentem, aufert cordis duritiem, est invicta, insuperabilis, dat vires efficacissimas, agit intùs in voluntate.* Quæ omnia concursui indifferenti accommodari non posse perspicuum est, & aliunde supponitur.

§. V.

Solvuntur objectiones ab authoritate S. Script. & P. P.

20. OBjicies primò authoritatem S. Script. & SS. PP. Nam primò Eccl. 15. dicitur: *DEUS ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui; adjecit mandata & præcepta sua, si volueris mandata servare, conservabunt te, apposui tibi ignem & aquam, ad quod volueris extende manum tuam.* Subsumis: at non reliquisset hominem in manu consilii sui, si eundem ad omnes suos actus prædefinisset ac prædeterminasset.

Respondet S. D. q. 3. de pot. a. 7. ita objiciens: Eccli. 15. dicitur: quòd DEUS fecit hominem & reliquit eum in manu consilii sui: *Non autem reliquisset, si semper in voluntate operaretur, ergò non operatur in voluntate operante.* & ad 12. Ita respondet: *DEUS non dicitur dereliquisse in manu consilii sui, quin in voluntate operetur, sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actûs, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis, quod quidem dominium naturæ non dedit, cùm per suam formam sit determinata ad unum.* Adeòque juxta S. D. ratio, quòd homo dicatur relinqui in manu consilii sui, est, quia ita DEUS operatur in voluntate eandem movendo, ut tamen voluntas ex se non sit determinata ad unum, quo modo formæ naturales sunt determinatæ, sed retineat dominium & indifferentiam. Hoc ipsum clarissimè confirmat in respons. ad 13. *Voluntas,* inquit, *dicitur habere Dominium sui actûs non per exclusionem causæ primæ, sed quia causa prima non ita agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam, & ideò determinatio actûs relinquitur in potestate, & voluntate actionis.* Vides, quemadmodum operatio & motio divina in voluntate, non impedit liberam determinationem voluntatis; quod tamen Adversarii falsò subsumunt, & inferunt.

21. Objicies secundò: D. Jo. Damasc. l. 2. de fid. c. 30. inquit: *Illud scire interest, DEUM omnia quidem præscire, sed non omnia præfinire; præscit enim ea quæ in nostrâ potestate atque arbitrio sita sunt, at non ita ea præfinit.*

Respondeo primò: Omninò DEUM non ita præfinire ea quæ sunt in nostrâ potestate, sicuti præscit: præscit enim nostros actus tam bonos quàm malos; at solùm bonos præfinit, malos verò quoad formale non præfinit.

Respondeo secundò, ex S. D. qui hanc ipsam authoritatem sibi objecit in 3. contr. gent. c. 90. & 1. p. q. 23. a. 3. ad 1. illam prædeterminationem à D. Damasceno negari, quæ est *cum impositione necessitatis, sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt prædeterminata ad unum &c.*

22. Objicies tertiò: D. Augustinus *l. 3. de lib. arb. c. 18.* ita loquitur: *Brevissimum tene, quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ceditur.* Sed, inquis, physicæ prædeterminationi non potest resisti; ergò. *Secundò.* Idem S. Pater *l. de spir. & litt. c. 13. Legimus, non est potestas nisi à DEO, non autem legimus, non est voluntas nisi à DEO: & rectè non scriptum est, quia verum non est. Et Tertiò l. 7. de civit. DEUS administrat res, quas condidit, ut eas suos motus agere sinat.* *Quartò.* Divina motio, quâ humanam voluntatem movet, crebrò appellatur à S. Augustino vocatio, excitatio, suasio, quæ non sunt motiones physicæ, sed morales.

Respondeo ad *primum:* D. Augustinum non loqui de causâ increatâ movente juxta modum naturæ convenientem; sed de causa secunda & creata. Ad *secundum* respond. nempe dari etiam voluntatem malorum, quæ non est à DEO, sed ab homine defectuosè operante. Ad *tertium* patet responsio ex dictis, quòd nimirum physica prædeterminatio non impediat, quin voluntas creata ipsam determinet ad operandum. Ad *quartum* Respond. D. Augustinum ita agnoscere moralem motionem, ut simul etiam agnoscat physi-

physicam : quomodo aliàs illam posset appellare efficacissimam, invictam, insuperabilem? &c.

23. Objicies etiam tritum illud, quòd immeritò Christus Matth. 11. exprobasset Corozaitis: *si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Potuissent enim Corozaitæ jure optimo respondere: Quid nobis exprobras Tyrios & Sidonios? quid mirum, si illi visis tuis miraculis egissent pœnitentiam, cùm tu illos ad agendam pœnitentiam physicè prædeterminâsses. Quòd si tu nos ipsis pares fecisses in prædeterminando, utique & nos pœnitentiam ageremus: sed non erat in nostrâ potestate facere, ut nos prædeterminares. Non minùs Judæi auditâ exprobatione Is. 5. *Quid ultrà debui facere vineæ meæ &c.* potuissent se excusare & dicere: Domine, ulteriùs tibi aliquid faciendum fuisset: nimirum danda physica prædeterminatio, sine quâ (inquit de Lugo.) impossibile erat fructum ferre pietatis.

Respond primò. Hanc objectionem etiam in Adversarios retorqueri posse: possent enim Corozaitæ etiam conqueri, & dicere: Domine, Tyrii & Sidonii visis tuis signis ideo in te credidissent, quia tu illa patrâsses in talibus circumstantiis, in quibus per scientiam mediam eos consensuros fore prævidisti: age, & in similibus circumstantiis hæc signa apud nos operare, in quibus nos per eandem scientiam mediam consensuros esse noscis, & nos quoque in te credemus.

24. Videtur quidem Clarissimo P. Ilsung in vindic. controv. 14. v. 6. hæc retorsio esse telum sine viribus: quia, inquit, licèt permittatur, his positis circumstantiis non fuisse in potestate Corozaitarum, ut haberent alia auxilia gratuita, in quibus per scientiam mediam prævisi fuissent credituri, tamen in illorum potestate fuisset, ut cum his auxiliis conjungerent fidem in Christum; atqui si necessaria ipsis fuisset prædeterminatio physica, quam habere non fuit in illorum potestate; tunc hoc ipso non habuerunt, nec in illorum potestate fuit habere potentiam proximam & completam ponendi fidem ac pœnitentiam &c.

Verùm hæc responsio nondum enervat vim retorsionis; quia assumit & supponit; potentiam proximam sine prædeterminatione physica non esse completam; quod melioris notæ Thomistæ nullus concesserit, & supponenti probandum incumbit. Manet ergò firma vis & paritas retorsionis: Corozaitæ, in sententia Recentiorum, non habent justam causam suæ excusationis; quia licèt in his circumstantiis (quarum positio vel mutatio non est in potestate ipsorum) positi, nunquam sint credituri, aut pœnitentiam acturi, tamen viribus liberi arbitrii, gratiâ sufficiente instructi, possent agere pœnitentiam: ergò iidem non habent legitimam excusationem suæ infidelitatis in sententiâ Thomistarum, quia licèt, suppositâ carentiâ physicæ prædeterminationis, quâ habere non est in illorum potestate, nunquam sint credituri vel pœnitentiam acturi, tamen reverà viribus liberi arbitrii, gratiâ sufficiente instructi, possunt credere & pœnitentiam agere.

25. Respond. secundò. Similem excusationem & querelam olim à Pelagianis D. Augustino fuisse oppositam; dicebant enim (prout ipse refert in L. de corrept. & grat c. 7.) *cur corripimur, arguimur, reprehendimur, accusamur? obedientiam* (motionem intrinsecè efficacem & prædeterminativam ad obediendum) *non accepimus: quid ergò corripimur, quasi eam nobis dare possimus?* Respondet verò S. P. c. 7. *Perseverantia est quidem donum DEI, justè tamen corripimus eos, qui cùm bene viverent, non perseverârunt, ex bona quippe in malam vitam suâ voluntate mutati sunt.* Itaque juxta prædictum S. Patrem, qui non obediunt, nec perseverant, ideo justè reprehenduntur, quia propter auxilia sufficientia, quæ acceperunt, potuissent obedire & perseverare, & propriæ voluntatis malitiâ non perseverârunt, quantumvis ipsum donum perseverantiæ, sine quo nemo perseverat, & quod ipsis DEUS minimè conferre tenebatur, non receperint. Pari modo Corozaitæ nullam habebunt excusationem, quia, licèt prædeterminationem sibi indebitam, vi cujus actu pœniterent aut crederent, non acceperint, acceperunt tamen auxilia sufficientia, ut credere & pœnitere potuerint; nam prædeterminatio non dat posse, sed illud supponit. Sic neque Judæi sub vineæ parabola adumbrati, habebunt justam excusationem, cur fructum legis non attulerint; falsum enim est, quòd ipsis sine physica prædeterminatione fuerit impossibile hunc fructum afferre; cùm pollerent libero arbitrio, auxiliis sufficientibus, quæ nemini DEUS denegat, instructo.

§. VI.

Objectiones ab authoritate D Thomæ.

Objicies tertiò authorit. D. Th. & quidem primò ex 1. 2. q. 9 a. 6. ad 3. ubi dicit: *DEUS movet voluntatem hominis, sicut universalis motor, ad universale objectum voluntatis quod est bonum; sed homo per rationem se determinat ad volendum hoc, quod est verè bonum vel apparens bonum &c.* 26.

Secundò ibidem q. 10. a. 4. dicit: *DEUS ita movet voluntatem nostram ex se indifferentem, ut non ex necessitate illam ad unum determinet.*

Tertiò q. 3. *de pot. a. 7. ad 13. determinationem actûs,* ait, *relinqui in potestate rationis & voluntatis.*

Quartò *in 3. contra gent. c. 66.* docet, *concursum causæ primæ determinari & specificari per causam secundam.*

Quintò *in q. 6. de malo. a. un. in c.* inquit. *Si ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, laus & vituperium.*

Sextò *in 2. dist. 37. q. 1. a. 2. ad 5. dicit, quòd ideo agentia libera per se agant, quia per propriam naturam & per proprium judicium actus suos determinant.*

Respond. ad primum: Illo loco non excludi à determinatione causæ creatæ præviam motionem universalis motoris, sed tantùm motionem specialem; sic enim DEUS ad actus malos non movet creatam voluntatem, sed tantùm ad bonos. Prout verbis statim subsequentibus indicavit S. D. dicens: *Sed interdum DEUS movet aliquos ad aliquid determinatè volendum, sicut in his quos movet ad gratiam.* 27.

Ad. 2. Resp. Hoc ipsum esse, quod omnes Discipuli

Discipuli D. Th. asserunt, & Adversariis probandum incumbere, quòd, si DEUS prædeterminando movet, moveat ex necessitate.

Ad. 3. Resp. Determinationem voluntatis aliam esse causalem, aliam formalem. Causalis est motio divina à solo DEO procedens, tantùm libera ut quo. Formalis est ipse actus voluntatis liber ut quod; & de hac loquitur S. D. quòd sit in hominis potestate. Ad. 4. Resp. Mentem S. D. esse, quòd concursus causæ primæ determinetur per concursum causæ secundæ non activè [sic enim everteretur subordinatio causarum.] sed objectivè & specificativè: quia, cùm prævia motio pro suo termino immediato respiciat creatam operationem, ab illa quoque extrinsecè specificatur: & si operatio est supernaturalis, etiam prædeterminatio est talis; sin naturalis, etiam præmotio erit ordinis naturalis. Ad 5. Responsio est eadem sicut ad 2. Neque enim prædeterminatio imponit fatalem necessitatem. Ad 6. miror, illum locum ab Advers. in suum favorem adduci, cùm ibidem S. D. disertè affirmet, hanc ipsam determinationem, quâ se agentia libera determinant, in DEUM ut primum agens esse reducendum, quod sine prævio influxu fieri non potest. Verba accipe: *Dicendum, quòd operatio illius agentis, qui per se agit, oportet, ut in primum agens sicut in causam reducatur: quamvis enim hujusmodi entia per se agant, quia per propriam naturam, & NB. per proprium judicium actus suos determinant, NB. non tamen à se habent, quòd agant, sed à primo agente, quod eis & esse & posse, NB. & agere confert.* Hæc S. D.

§. VII.

Rationes objectæ.

28. OBjicies *quartò.* Prædeterminatio physica non relinquit locum divinis exhortationibus, quibus monemur declinare à malo, & facere bonum. Nam cuilibet exhortanti ad pœnitentiam occurri poterit: Quid me mones ad pœnitentiam, cùm ad hoc necessaria sit prædeterminatio, quam si haberem, utique pœniterem, nec tuâ admonitione indigerem? Rursus hæc ipsa prædeterminatio hominem inducit in desperationem; sic enim licebit discurrere: Aut sum prædefinitus & prædeterminatus ad finaliter perseverandum, aut non sum prædeterminatus? si sum, quicquid nunc mali egero, perseverabo & salvabor: si non sum, quicquid nunc boni egero, non perseverabo nec salvabor. Ergo prædeterminatio tanquam bonis moribus nociva meritò est eliminanda.

Respond. Utrumque absurdum jam pridem à D. Augustino depulsum fuisse, nec aliam habere difficultatem, quàm quæ priùs in secunda objectione fuit proposita & resoluta. Negatur igitur sequela: nam sicut in sententia Adversariorum non sunt frustraneæ adhortationes; quia, etsi sine positione in iis circumstantiis, in quibus me DEUS ab æterno consensurum vidit, nunquam operabor consensum, tamen hæ ipsæ forsan sunt illæ circumstantiæ, in quibus me DEUS consensurum prævidit; sicque malè quispiam responderet: Fac ut ponar in iis circumstantiis, in quibus me DEUS benè acturum prævidit; ita pariter in nostrâ doctrinâ non sunt frustraneæ adhortationes, quia forsan, positis istis mediis adhortationum, DEUS hominem prædeterminare ab æterno decrevit.

Ad dilemma oppositum dico, illud in omni Catholicorum sententiâ solvendum esse: & pridem à D. Augustino de bono persever. c. 17. solutum fuisse, quemadmodum in tract. de DEO retulimus. Non igitur prædeterminatio potest aut debet esse causa desperationis, imò ipsa, ceu medium potentissimum nostræ salutis, sperari, peti, & precibus à DEO obtineri debet. In illo quoque dilemmate subsumptum semper est falsum: non enim, si es prædeterminatus ad perseverandum, quicquid boni, malíve egeris, perseverabis; quia ipsum beneficium prædeterminativum perseverandi sic aliquando DEUS donat, ut velit ad illud per præcedentia bona opera præveniri; & aliis justo judicio denegat, quia per mala opera sese illo indignos reddiderunt. Si ergò probabiliter es in statu gratiæ, benè spera, quia habes media sufficientia ad perseverandum, nec DEUS deserit sperantes in se. Time nihilominus; & si *stas*, vide ne *cadas*, quia nescis an post lapsum habiturus sis efficacem motionem ad resipiscendum, quantumvis haud dubiè sis habiturus sufficientem: fuge verò *tanquam à facie colubri peccatum*, & si es in statu peccati, convola maturè ad remedium pœnitentiæ, cùm tibi non constet, an non fortè hoc ipsum peccatum futurum sit ultimum, quo DEUS justissimè offensus, tibi vitæ filum, antequam legitimè pœnitueris, abscindat. 29.

Objicies quintò. Repugnat voluntati determinari à principio extrinseco in suis liberis actibus: ergo nulla datur prædeterminatio physica: Antec. probatur. Omnis determinatio voluntatis ad liberam operationem debet esse vitalis, libera, & voluntaria: sed principium extrinsecum non est vitale, & liberum: ergo voluntas ad actum liberum à principio extrinseco determinari non potest. Major videtur certa; quia nisi voluntas habeat vitalem & liberam determinationem ad operandum, etiam operatio ab ipsa vitaliter, liberè & voluntariè prodire non potest. Minor etiam probatur, & inprimis *quoad primum membrum:* quia vitale agens in hoc differt à non vitali, quòd à seipso moveatur & determinetur ad agendum, sicque in seipso habeat suæ operationis principium. Ergo si determinatio procedat à principio extrinseco, non potest esse vitalis. 30.

Quoad secundum membrum sequitur ex priori; quia nisi principium sit vitale, non potest esse principium liberæ operationis; sed vitale non est, nisi sit intrinsecum: ergò nisi sit intrinsecum, non potest esse liberæ operationis principium.

Confirm. Determinatio libera debet esse in potestate voluntatis: atqui determinatio à principio extrinseco, qualis est prædeterminatio, non est in potestate arbitrii, cùm nec acquiri, nec impediri possit à nobis: ergò.

Quoad tertium membrum probatur. Voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione, sed determinatio, quæ est à principio extrinseco,

trinseco, neque cognoscitur, neque à voluntate ceu principio intrinseco procedit. Ergò non est voluntaria.

Respond. neg. antec. ejusque probationem distinguo primò. Omnis determinatio voluntatis formalis debet esse vitalis, voluntaria, libera concedo. Determinatio causalis, nego. Ergò voluntas non potest determinari à principio extrinseco, determinatione formali, concedo; causali, nego consequentiam. Secundò omnis determinatio voluntatis ad actum liberum debet esse vitalis, libera, voluntaria, vel formaliter & ut quod, vel causaliter & ut quod, nego; sed determinatio à principio extrinseco non est vitalis &c. ut quod, concedo; ut quo, nego. Vel subdistinguo; illa quæ provenit à principio creato, concedo; ab increato, nego min. & conseq. Ratio est, quòd quælibet determinatio vitalis & libera, etiam in esse vitalis & liberæ dependet essentialiter à causa prima & primo libero tanquam prima radice omnis vitalitatis ac libertatis, ideoque supponit causæ primæ determinationem, quæ in se virtualiter contineat & effectivè tribuat ipsas perfectiones vitalitatis ac libertatis, sitque proinde libera & vitalis ut quo.

Hinc patet *responsio ad probationem Minoris*; & quidem ad primi membri probationem dist. antec. agens vitale à seipso determinatur, determinatione formali, dependente à determinatione causæ primæ, conced : determinatione tam formali quàm causali, & independenter à determinatione causæ prioris, nego antec. & conseq. Vel rursus distinguo conseq Ergò determinatio ab intrinseco non potest esse vitalis, si illud principium sit creatum (hoc quippe uti non continet virtute, ita non tribuit libertatem) concedo: si increatum, quod suâ virtute & causalitate se extendit ad omnes modos & differentias entis, nego conseq.

Ad secundi membri probationem dist. maj nisi sit vitale, (subintellige ut quod) non potest esse principium proximum operationis vitalis, concedo: non potest esse remotum, nego. Ergo principium extrinsecum non potest esse principium operationis vitalis proximum, concedo: remotum, nego conseq Rursus ad confirm. determinatio libera ut quod & formalis debet esse in potestate voluntatis, concedo: determinatio libera ut quo & causalis, nego.

Ad tertii membri probationem similiter Resp. voluntarium formale & ut quod, est à principio intrinseco cum cognitione, concedo: voluntarium causale & ut quo, nego.

51. *Objicies sextò.* Dependentia humanæ voluntatis à causa prima, necnon efficax DEI motio sufficienter salvatur per concursum moralem; ergò nulla est necessitas ponendi præmotionem physicam. Antec. *quoad primam partem* probatur. Quamvis voluntas tantùm habeat influxum moralem in potentias inferiores, tamen istæ concipiuntur habere sufficientem dependentiam à voluntate: ergò etiam vi moralis influxûs creatura in suis actibus sufficienter dependebit à DEO.

Quoad secundam partem probatur *primò*: Quia tentationes voluntatem tantùm movent moraliter, & tamen homo absque gratia speciali non potest gravi tentationi resistere. *Secundò*: Ex efficaci intentione finis infallibiliter & necessariò sequitur electio medii unicè necessarii, quamvis in multorum sententiâ intentio physicè non determinet ad electionem. *Tertiò*: Visio beatifica necessitat ad amorem, nec tamen movet physicè. *Quartò*: Sæpè causa creata efficaciter suadet; quamvis suasio tantùm sit causalitas moralis. Cur ergò DEUS suasione & tractione morali non possit efficaciter & infallibiliter movere voluntatem.

Respond negando antecedens: & ad primæ partis probationem Disparitas est, quòd potentiæ inferiores habent moralem subordinationem & dependentiam à voluntate, quæ proinde per influxum moralem commodè salvatur; Atqui creata operatio & libertas actualis ceu physica perfectio & effectus dependet à causa prima etiam in esse physico, unde ulteriùs indiget influxu physico. Ad secundæ partis probationem Respond. ex dictis: quamvis poneretur motio moralis tantæ efficaciæ, ut semper infallibiliter inferret effectum, tamen esset insufficiens ad salvandam causalitam causæ primæ: tum quia ab hac creata cuncta dependent in ordine & genere physico; tum quia causa prima est infinitæ efficaciæ, ac proinde requirit infallibilitatem intrinsecam & metaphysicam, qualis tamen moralis efficacia esse & dici non potest. Deinde ad primam probat. Respond. Illam impotentiam moralem, quâ homo sine gratia speciali gravem tentationem superare non potest, non provenire ex sola efficacia tentationis, sed insuper ex debilitate naturæ lapsæ in suis potentiis vulneratæ, ut docetur in Tract. de grat. unde ex hoc non probatur infallibilitas motionis moralis.

Nec dicas: etsi motio moralis absolutè esset fallibilis, non tamen esse fallibilem, quatenùs est attemperata libero arbitrio in talibus circumstantiis, in quibus DEUS per scientiam mediam prævidit, illud liberè cooperaturum. Nam & scientiam mediam, cui hæc explicatio innititur, in Tract. de DEO refutatam suppono, & istam attemperationem, ceu contrariam Augustinianæ & intrinsecæ efficaciæ gratiæ, quæ debet esse ex se invicta, insuparabilis, auferre duritiem cordis, facere de nolentibus volentes, sibique humanam subjicere voluntatem, alibi refutandi locus erit.

Ad secundam Resp. Electionem medii unicè necessarii habere intrinsecam connexionem cum efficaci intentione finis, ideoque ex natura rei ad istam consequi: at nullius objecti particularis bonitatis habet intrinsecam connexionem cum hominis voluntate; unde nec ista ullius objecti particularis propositione quæ est ipsa moralis motio) infallibiliter flecti potest.

Ad tertiam Resp. DEUM clarè visum habere intrinsecam connexionem cum bono in communi, unde adæquat totum hominis appetitum, nec locum indifferenti propositioni relinquit: hoc autem de aliis objectis dici non potest.

Ad quartam Resp. efficaciam suasionis non esse nisi

nisi metaphoricè talem: nam propriè & simpliciter efficax non est, quod est simpliciter impedibile suoque effectu frustrari potest: sed omnis suasio, quæ fit per propositionem alicujus objecti particularis, est talis: ergò.

ARTICULUS III.

An prædeterminatio tollat Libertatem?

SUMMARIA.

1. *Exponitur necessitas absoluta & conditionalis.*
2. *Necessitas suppositionis, non semper obest libertati.*
3. *Quid sit necessitas antecedens.*
4. *D. Anselmus nomine necessitatis antecedentis non intelligit omnem illam, quæ oritur ex suppositione antecedenti.*
5. *Sed quæ orta ex causis naturalibus non relinquit locum indifferentiæ.*
6. *Nostræ libertatis radix remota & proxima.*
7. *Concordia prædeterminationis cum libertate ex sententia D. Augustini.* 8. *Prosperi.* 9. *& Doctoris Angelici.*
10. *Et ex ratione ostenditur.*
11. *Solvitur objectio necessitatis antecedentis ex S. Anselmo.*
12. *Inimpedibilitas antecedentis non semper infert necessitatem.*
13. *Calvini inepta illatio necessitatis ex inimpedibilitate divinæ causalitatis.*
14. *Prædeterminatio tollit indifferentiam potentialem, non actualem.*

§. I.

Explicatur necessitas antecedens.

1\. INter potissima argumenta, quibus physica prædeterminatio impugnatur, est illatio absurdi, quòd illâ positâ tolleretur libertas arbitrii, & fatalis cujusdam necessitatis jugum crearuræ rationali imponeretur. Postquam igitur ex natura entis primi, ex intrinseca & essentiali dependentia causæ secundæ & effectûs creati à causa prima, tanquam à priori necessitatem physicæ prædeterminationis deduximus, illam cum arbitrii libertate concordare, & Adversariorum fundamentis occurrere, operæpretium erit. Pro quo

Notandum est *primò*. Necessitatem dividi in absolutam seu *simpliciter*, & in *conditionalem*, seu *ex suppositione, & secundùm quid.* Absoluta est, quæ oritur ex necessariâ habitudine extremorum ad invicem, uti necesse est hominem esse animal rationale, & totum esse majus suâ parte. Conditionalis est quæ oritur ex suppositione alicujus tertii; sicut non est absolutè necesse Socratem moveri, est tamen necesse illum moveri, ex suppositione quòd currat. Prior necessitas Angelico Doctori est necessitas consequentis; posterior est necessitas consequentiæ.

2\. Ex his prima, videlicet absoluta necessitas, semper præjudicat libertati, quia ubi est necessaria habitudo extremorum ad invicem, non relinquitur locus indeterminationi & indifferentiæ. Necessitas verò suppositionis non semper officit libertati, veluti ex DD. Augustini & Thomæ Aquinat. doctrina clarè deducitur: nam ille in *Enchirid.* c. 103. inquit: *Nullus fit salvus, nisi quem DEUS voluerit.* Quem locum explanans Doctor Angel. 1. p. q. 19. a. 8. ad 1. dicit: *Per illud verbum Augustini intelligenda est necessitas in rebus volitis à DEO non absoluta, sed conditionalis: necesse est enim hanc conditionalem veram esse: Si DEUS hoc vult, necesse est hoc esse.* Similia habet in 1. dist. 47. a. 1. ad 2. Hujus ratio est: quòd potest aliquid necessariò inferri & sequi ex suppositione, quæ sit causaliter vel formaliter libera, h. e. vel causativa ipsius: sed neutra suppositio tollit libertatem; ergo necessitas ex suppositione non semper tollit libertatem. Major probatur: Ex suppositione, quòd quis efficaciter intendat finem, necessariò sequitur electio medii unicè necessarii, & tamen electio medii est libera, & potest esse meritoria. Item ex hypothesi, quòd se homo liberè determinaverit ad cursum, sequitur necessariò, quòd moveatur, & tamen liberè movetur: ex suppositione, quòd DEUS aliquid sciat vel fieri velit, necesse est illud esse vel fieri, ut supr. ex S. D. vidimus; & tamen fit aliquando contingenter & liberè. Ergò quòd necessitas ex suppositione vel liberè causata non obstet libertati, libenter ab omnibus conceditur: quòd suppositio libertatem causans eandem non impediat, videtur æquè certum; quia per quod aliquid ponitur & perficitur, per illud non destruitur; sed suppositio, quæ causat libertatem, illam ponit & perficit: ergò non destruit.

Notandum secundò. Necessitatem, juxta commnnem doctrinam Theologorum desumptam è D. Anselmo in l. 2. *Cur DEUS homo?* c. 18 dividi in *Antecedentem*, & *consequentem*, quarum illa adimit libertatem, non ista. Necessitas omnis, orta ex naturali connexione causarum ac terminorum, est antecedens, ideoque contraria libertati: uti econtra omnis illa, quæ oritur ex suppositione alicujus effectûs impedibilis & consequentis liberam hominis determinationem, est consequens & innoxia libertati; At verò, an necessitas proveniens ex aliqua suppositione inimpedibili & antecedente liberam nostræ voluntatis determinationem, hoc ipso sit necessitas antecedens, non ita liquet, affirmantibus scientiæ mediæ patronis, contradicentibus Thomistis, & Catholicis fautoribus prædeterminationum. 3.

Quod attinet ad mentem D. Anselmi, is certè nomine necessitatis antecedentis non potuit intelligere omnem illam, quæ ortum trahit ex aliqua suppositione antecedente determinationem liberam voluntatis, ab eâque inimpedibili. Nam ipsemet loc. cit. asserit, necessitatem, quæ oritur 4.

ex

ex suppositione divinæ voluntatis, non tollere libertatem à nostris actibus. Ita enim inquit: *Quando DEUS vult effectum sequi voluntatem, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult.* Ubi primò ponit necessitatem conditionalem, secundò libertatem, ac tertiò quidem suppositionem divinæ voluntatis antecedentem, & inimpedibilem. Dubitas de hoc ultimo? At non dubitat Angelicus Doctor, qui in 1. p. q. 19. a. 8. hanc ipsam suppositionem antecedentem, tacito Anselmi nomine, per modum objectionis sibi tertio loco proponit, ita loquens: *Illud, quod habet necessitatem NB. ex priori, est necessarium absolutè, sicut animal mori est necessarium; quia est ex contrariis compositum: sed res creatæ comparantur ad voluntatem divinam, sicut NB. ad aliquid prius. Omnis autem conditionalis vera est necessaria: sequitur ergò, quòd omne, quod DEUS vult, sit necessarium absolutè.* Hoc est ipsissimum argumentum, quod ex authoritate D. Anselmi nobis opponunt Adversarii, cui, ut ad ipsorum mentem satisfaceret, debuisset negare minorem, quòd res creatæ liberæ, h. e. actus liberi & determinatio voluntatis creatæ comparentur ad divinam voluntatem, tanquam ad aliquam suppositionem antecedentem. Verùm ipse longè aliter respondit ad 3. ita dicens: quòd *posteriora habent necessitatem à prioribus* (ecce suppositionem priorem, antecedentem!) *secundùm modum priorum, unde & ea, quæ fiunt à voluntate divina, talem necessitatem habent, qualem vult DEUS ea habere,* (quia nempe omnipotentissima DEI voluntas non tantùm continet virtute & causat actum, sed & modum ac libertatem ipsius) *scilicet vel absolutam, vel conditionatam tantùm, & sic non omnia sunt necessaria absolutè.*

5. Quam igitur necessitatem antecedentem intelligit D. noster Anselmus? Illam, quæ ex causis naturalibus orta, facit causam secundam absque rationis indifferentia, consensu, & deliberatione operari: sive deinde hæc necessitas sit absoluta, sive ex aliquâ suppositione proveniens: nam si v. g. ex suppositione eclipsis naturaliter sequatur mors hominis, etsi hæc necessitas sit ex suppositione, erit nihilominùs antecedens; quia hæc suppositio infert naturalem determinationem sine rationis deliberatione. Hæc mens D. Anselmi colligitur ex ipsiusmet verbis & allato exemplo de motu cœli. *Necessitas,* inquit, *præcedens causat necessitatem, sicut necesse est cœlum volvi: præcedens & efficiens necessitas est, cœlum volvi: quia necesse est ut volvatur.* Et post pauca: *Violentia naturalis conditionis cogit cœlum volvi, te verò nulla necessitas facit loqui.* Suppositio verò divinæ voluntatis & prædeterminationis necessitatem antecedentem inducere nequaquam potest, ut præter alia loca quàm plurima, luculenter in L. de corr. & grat. c. 14. indicat D. Augustinus: *Cui volenti,* inquit, *salvum facere, nullum humanum resistit arbitrium.* (Hîc exhibetur necessitas suppositionis, sive infallibilitas actûs ex suppositione quòd DEUS vellt) *sic enim velle, vel nolle in volentis, aut nolentis est potestate,* (indicat concordiam hujus suppositionis cum libertate) *ut divinam voluntatem non impediat,* (declarat impedibilitatem & antecedentiam suppositionis) *nec superet potestatem.* In eundem sensum paulò pòst: *Non est itaque dubitandum, voluntati DEI, qui in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit,* (ecce prioritatem causalitatis!) *& qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates* (en infallibilitatem!) *non posse resistere, quo minùs faciat ipse, quod vult, quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, facit.* Tandem in fine capitis: *DEUS,* inquit, *magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas.* Ex quo ultimo D. Augustini pronunciato sic licet argumentari: voluntas causæ primæ magis influit in actum liberum, eumque tam parùm impedit à deliberatione & indifferentiâ, (quia *magis habet in sua potestate,* &c.) quàm voluntas causæ secundæ; sed suppositio voluntatis, seu determinationis factæ à causâ secundâ non facit actum antecedenter sed tantùm consequenter necessarium; ergò & suppositio voluntatis, seu determinationis à voluntate DEI non causat necessitatem antecedentem sed consequentem.

Notandum tertiò. Radicem nostræ libertatis 6. esse duplicem; unam extrinsecam & remotam, nempe efficaciam divinæ voluntatis, cuncta creata non tantùm secundùm substantiam, sed etiam omnem suum modum & perfectionem attingentis; alteram proximam & intrinsecam, quæ est indifferentia cognitionis. Ratio primæ radicis, ut in Tract. de DEO advertimus, est quòd voluntas divina, juxta D. August. *liberrima, invictissima, fortissima,* sit prima radix & causa omnis creatæ perfectionis, infinitæ efficaciæ, *ex se profundens totum ens & omnes ejus differentias, ita ut ex ipsa voluntate divina originentur necessitas & contingentia in rebus,* inquit S. D. in 1. perih. lect. 14. nec alia radix contingentiæ sit assignabilis, ut loc. cit. dixit. Ratio secundæ radicis est, quòd voluntas tanquam cæca potentia in tantum potest habere, quòd in operando sit determinata, vel indifferens, in quantum regitur determinatâ, vel indifferenti cognitione: ergò proxima & intrinseca radix, è quâ promanat libertas voluntatis, est cognitio indifferens. His ita præliminariter positis plena est ad nostram assertionem via.

§. II.

Prædeterminatio non tollit libertatem.

CONCLUSIO. *Prædeterminatio non tollit sed causat actualem libertatem voluntatis.* 7. Et hoc sanè evincunt authoritates SS. Augustini & Thomæ Aquinatis pluries relatæ. Si enim juxta D. August. modò cit. *DEUS magis habet in suâ potestate voluntates hominum, quam ipsi suas,* perfectius dominium DEO convenit in actus creatæ voluntatis, quàm ipsi homini: ergò, si ratione dominii in suos actus voluntas seipsam determinando & applicando non destruit sed causat actualem libertatem, etiam vi infinitè perfectioris dominii DEUS humanam voluntatem determinando & applicando non destruit sed perficit & causat actualem libertatem.

Accedat Magistro Discipulus D. Prosper, qui 8. l. 2. de voc. gen. c. 71. ita loquitur: *Quos voluit DEUS velle, voluerunt, quia ad obedien-* dum

dum sibi ipsum velle sic donat, ut etiam à perseveraturis illam mutabilitatem, quâ possunt nolle, non auferat. Ergo DEUS dando ipsum velle actuale [quod nonnisi prædeterminando fieri posse ostensum est] non aufert potentiam & mutabilitatem in oppositum, nec proinde tollit libertatem.

9. D. Thomæ verò authoritas, præter jam adductas, clarissima est in 1. p. q. 83. a. 1. ad 3. ubi hæc habet: *DEUS est prima causa movens & naturales causas & voluntarias, & sicut naturalibus causis, NB. movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales: ita movendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntariæ, sed potiùs NB. hoc in eis facit, operatur enim in unoquoque secundùm ejus proprietatem.* & in 1. 2. q. 10. a. 4. in c. *Quia igitur voluntas est activum principium, non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic DEUS ipsam movet quòd non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, & non necessarius, nisi in his ad quæ naturaliter movetur.* Movet igitur DEUS voluntatem indifferentem [ideo etiam quia indifferens est] non tamen ex necessitate determinando ad unum. Cur hoc? Adversarius dicet; quia offert concursum simultaneum & relinquit puram determinationem voluntati. Minimè; sed quia *movet ipsas causas* ad actum voluntarium, & hoc *in eis facit, in ipsis operatur* ut actus liberè procedant: ipsa quoque voluntas ceu principium indeterminatum indiget moveri & determinari.

10. *Probatur* etiam *ratione* primò. Causa libertatis actualis quà talis, eandem non potest destruere: sed prædeterminatio physica est causa libertatis actualis. Ergò. Minor probatur: Libertas actualis, ceu perfectio creata, actus secundus, & exercitium liberi arbitrii, in ipso suo fieri & egredi essentialiter subordinatur causæ primæ ut actu causanti & influenti; sed non nisi ratione physicæ præmotionis potest subordinari, quâ solâ influxum causæ primæ, & applicationem causæ secundæ ad agendum salvari posse ostendimus: ergò.

Secundò. Implicat, actum voluntatis ab indifferenti cognitione procedentem non esse liberum; sed præmotio physica non impedit cognitionem indifferentem: ergo etiam non impedit actûs libertatem. Major probatur: Si voluntas, positâ cognitione indifferente, necessariò tenderet in suum objectum, tunc operaretur sine cognitione; sed hoc implicat: ergò. Sequela probatur. Tunc voluntas operatur sine cognitione, quando actus ab illa procedens non dirigitur aliquâ cognitione: non enim dirigeretur à cognitione necessaria, quia nulla supponitur: non ab indifferente, quia cognitio indifferens non est idonea regula actûs necessarij.

Confir. Actus voluntatis procedens à cognitione determinatâ ad unum non potest esse indifferens: ergo etiam actus procedens ex cognitione indifferente non potest esse necessarius.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. Suppositio antecedens determinationem liberi arbitrii est causa necessitatis antecedentis; sed suppositio prædeterminationis antecedit determinationem liberi arbitrii: ergo est causa necessitatis antecedentis. Major probatur è S. Ansel. citato, & *de concord. prædest. c. 1. & 2.* ubi factâ distinctione inter necessitatem antecedentem & consequentem, antecedentem dicit esse illam, quæ causa est, ut res sit; consequentem, quam facit ipsemet operans; & primam dicit præjudicare libertati, non autem secundam. Pariter S. D. l. 2. physf. lect. 15. dicit: quòd illa sit necessitas absoluta, quæ provenit ex causis prioribus; & illa conditionata, quæ orta est ab eo quod est posterius in esse. 11.

Resp. ex dictis: Suppositio antecedens, quæ ex se non infert aut causat libertatem, inducit necessitatem antecedentem, concedo: quæ infert & causat, nego. & similiter distinctâ minore, nego conseq. Ratio respons. patet ex dictis in Not. 2. 12.

Ad probat. ex D. Anselmo & S. D. patet solutio ex ibidem dictis: necessitas antecedens igitur est, quæ *causa est, ut res sit* cum indifferentia, nego: per modum naturæ cum determinatione ad unum, concedo. item: est antecedens, quæ provenit ex causis prioribus, continentibus & dantibus ipsum modum libertatis & contingentiæ, nego: non continentibus, concedo. Ita enim SS. DD. ex ipsorum verbis explicari & intelligi oportet.

Objicies secundò. Quicquid ex antecedente inimpedibili in existendo per necessariam consequentiam sequitur, est necessarium & inimpedibile; sed prædefinitio & prædeterminatio sunt antecedens inimpedibile in existendo; ergo actus qui exinde sequitur est necessarius.

Resp. Hoc argumentum vix non in terminis sibiipsi à S. Doctore objectum & solutum esse *cit. q. 19. a. 8.* ita enim habet: *Omnis causa quæ non potest impediri* (hoc est antecedens inimpedibile) *ex necessitate suum effectum producit; sed voluntas DEI non potest impediri* [est inimpedibilis] *dicit enim Apostolus:* voluntati ejus quis resistit? *ergò voluntas DEI rebus volitis necessitatem imponit.* Respondet; *Ex hoc ipso, quòd nihil divinæ voluntati resistit, sequitur, quòd non solùm fiant ea quæ DEUS vult fieri, sed quòd fiant contingenter, vel necessariò, quæ sic fieri vult.* Ideo ad mentem D. Thomæ in forma, vel nego, vel disting. maj. si illud antecedens non sit causa libertatis, concedo: si sit, nego.

Instabis primò. Non potest DEUS hominem liberè operantem magis necessitare ad operandum, quàm imprimendo illam prævìam qualitatem, quæ instar vinculi adamantini constringit ad operandum. Ergo per illam non datur sed aufertur libertas.

Resp. neg. antec. quia priùs deberet auferri cognitio indifferens, quâ stante impossibile est, ut actus ex ejus directione elicitus, non sit formaliter indifferens. Nec est adamantinum vinculum, quod ipsam libertatem reducit in actum: cum sit executio divinæ providentiæ, quæ

quæ licèt *attingat omnia fortiter*, simul tamen *disponit omnia suaviter*.

13. *Adhuc instabis*. Calvinus cum suis non negat cognitionem indifferentem, quam docet experientia, & tamen ex prædeterminatione infert, auferri potentiam ad utrumlibet.

Resp. Quid tum? In hoc ipso peccavit non tantùm malus Theologus sed etiam Philosophus, quòd ex motione causæ primæ, relinquente indifferentiam cognitionis, intulerit jacturam libertatis & indifferentiæ in voluntate. Exprobrabit Thomista Calvino, urgenti necessitatem, illud D. Hieronymi *in ep. ad Ctesiphont. contra Pelag. Injuriam tibi fieri putas, & destrui arbitrij libertatem, si ad DEUM semper auctorem recurras, si ex illius pendeas voluntate? &c. Et l. 3. adv. Pelagium: Egóne liberum tollo arbitrium, qui in tota disputatione mea nihil aliud egi, nisi ut omnipotentiam DEI cum libero arbitrio conservarem?*

14. *Objicies tertiò*. Prædeterminatio tollit indifferentiam voluntatis, quia determinat ad unum: ergo tollit libertatem.

Respond. Prædeterminatio tollit indifferentiam voluntatis potentialem & privativam tantùm, concedo: actualem & negativam, nego. Rursus: determinat ad unum cum directione cognitionis indifferentis, concedo: per modum naturæ & sine tali directione, nego.

Inquis: Illa determinatio tollit indifferentiam actualem, quæ adimit potentiam oppositi; sed prædeterminatio illam adimit: ergò.

Resp. quæ adimit potentiam oppositi in sensu tam composito quàm diviso, concedo: quæ tantùm in sensu composito tollit potentiam oppositi, nego.

Instabis. Voluntas prædeterminata ad consensum nec in sensu composito nec diviso potest ponere dissensum; ergo nullam prorsus habet potentiam ad dissensum, & consequenter non est libera. Antec. prob. Ponere dissensum in sensu diviso prædeterminationis est illum ponere non coëxistentem prædeterminationi, sed talem dissensum voluntas ponere non potest: ergò. Minor prob. In cujus potestate non est ponere unum extremum, in ejus potestate etiam non est alterum extremum cum ejus existentia componere vel non componere: Sicuti, quia existentia Petri non est in potestate Solis, ideo non est etiam in potestate Solis, ponere lucem coëxistentem, vel non coëxistentem Petro: sed non est in potestate voluntatis ponere prædeterminationis existentiam; ergo etiam non est in ejus potestate cum illa dissensum componere vel non componere: sive ponere dissensum ut coëxistentem, vel non coëxistentem.

Resp. neg. anteced. & minor. probationis, ultimamque probationem distinguo. In cujus potestate non est ponere unum extremum &c. nisi illud extremum causet ipsam potestatem & indifferentiam, transeat: si causet, nego. & pariter distincta min. nego conseq. Nec instantia de Petro quicquam probat; nam Petrus non est essentialis causa lucis ponendæ, uti è contrà prædeterminatio est essentialis causa electionis à voluntate liberè ponendæ.

Sed quia de potentiâ dissentiendi in sensu composito hoc loco specialis est difficultatis, ideo sit

ARTICULUS IV.

An positis omnibus requisitis ad agendum voluntas debeat in sensu composito posse agere, vel non agere, ut sit formaliter libera?

SUMMARIA.

1. *Alia prærequisita ex parte actûs primi, alia ex parte actûs secundi.*
2. *Genuina explicatio sensûs compositi & divisi.*
3. *Negatio sensûs compositi non tollit simultatem potentiæ, sed potentiam simultatis.*
4. *Negativa assertio probatur duplici ratione.*
5. *Et multiplicibus exemplis.*
6. *De ratione libertatis est, cum omnibus requisitis ad operandum posse non operari in sensu diviso.*
7. *Adversarii fallaciter argumentantur à sensu composito ad divisum.*
8. *Exponitur mens Concilij Tridentini.*
9. *Voluntas præmota ad amorem est æquè potens ad odium, quàm ad amorem.*
10. *Prædeterminatio removetur ab actu primo.*
11. *Agere & non agere sumitur æqualiter in definitione libertatis potentialis, non actualis.*
12. *Quandonam posito possibili in actu nullum sequatur inconveniens.*
13. *Mala acceptio sensûs compositi destruitur.*

§. I.

Expositio sensûs compositi & divisi.

1. EX prærequisitis ad agendum alia sunt, quæ pertinent ad actum primum, seu ad posse agere, alia ad actum secundum, seu ad ipsummet agere. Ad actum primum liberi arbitrii, præter ipsam potentiam voluntatis, pertinet indifferens propositio objecti viresque sufficientes, quas in ordine supernaturali ad actus bonos DEUS per auxilium sufficiens, quod à D. Augustino vocatur *auxilium sine quo non*, suppeditat. Ad actum secundum pertinet tum ipsa intrinseca liberi arbitrii determinatio, tum [in Thomistarum doctrinâ] decreta prædefinientia, de quibus alio loco dictum, & prædeterminatio physica, de quâ modo egimus.

Porrò ante resolutionem quæstionis ante omnia sciendum, quid sensûs compositi & divisi nomine Thomistæ intelligant? Itaque cùm *ly posse* distinguunt per sensum compositum & divisum, e. g. homo sedens potest ambulare in sensu diviso,

viso, non autem in sensu composito, nequaquam hoc volunt (ut malè ipsis quandoque imponitur) quòd homo habeat potentiam ad ambulandum sessione ablatâ, hâc autem positâ non habeat hanc potentiam: cùm dicunt: Prædestinatus in sensu diviso potest damnari, non autem in sensu composito, non est sensus, quasi ablatâ primùm prædestinatione homo habeat potentiam perseverandi in peccatis, sicque incidendi in damnationem æternam, non autem, quamdiu prædestinatio est cum ipso conjuncta. Pariter, cùm dicunt: Homo prædeterminatus ad consensum potest dissentire in sensu diviso, non in sensu composito: non hæc mens est, quòd absente prædeterminatione habeat potentiam dissentiendi, non autem hâc præsente: hunc, inquam, istius distinctionis sensum, ceu sanæ & catholicæ defensioni libertatis minùs consentaneum, Thomistæ refugiunt. Genuinus autem & verissimus ipsius sensus est: quòd homo sedens etiam positâ sessione retineat quidem potentiam ad absolutè non sedendum, ita tamen ut positâ seu suppositâ sessione, non possit simul cum ipsa componere actum ambulandi: sic enim posset simul sedere & non sedere, quòd manifestè implicat. Ita in reliquis exemplis, dum dicunt: Prædestinatus potest in peccatis perseverare in sensu diviso, mens est: Prædestinatus unà cum prædestinatione habet potentiam ut perseveret in peccatis: non tamen est possibile, ut perseverantia in peccatis, seu finalis impœnitentia conjungatur cum prædestinatione: sic enim esset, & non esset prædestinatus. Item dicendo: Prædeterminatus ad agendum, potest non agere in sensu diviso, sensus est: Prædeterminatus ad actum habet veram potentiam, ut absolutè non agat, aut ut agat oppositum: non tamen possibile est, ut negatio actûs conjungatur cum prædeterminatione: quia, cùm prædeterminatio sit efficax DEI motio in uno eodemque reali instanti existens, quo actus existit; jam esset, & non esset efficax, voluntas quoque simul ageret & non ageret, quod implicat.

3. Itaque distinctio & negatio sensûs compositi non afficit ipsam potentiam sed terminum potentiæ, h. e. actum, ejusque oppositum; neque negat simultatem potentiæ cum prædeterminatione, sed potentiam simultatis & compositionis inter negationem actûs & prædeterminationem ad actum oppositum. His ita positis

§. II.

Resolutio negativa.

4. CONCLUSIO. *Non est de ratione libertatis, ut voluntas cum omnibus requisitis ad operandum possit componere actum oppositum, vel negationem actûs.* Ita Alvar. l. 12. de aux. D. 115. cum alijs Thomistis. *Probatur primò.* Etsi voluntas non possit componere oppositum actûs cum omnibus prærequisitis ad agendum, adhuc salvatur tota ratio libertatis: ergo illa potentia componendi non est de ratione libertatis. Antec. probatur. Quamdiu actus procedit à principio indifferente, tamdiu salvatur libertas ipsius, sed etiamsi voluntas non possit componere oppositum cum omnibus prærequisitis ad agendum, adhuc actus procedit à principio indifferenti ad utrumlibet: quia tamdiu voluntas est formaliter indifferens ad utrumlibet, quamdiu operatur ex prævio indifferenti dictamine intellectûs; in quo libertas formalis essentialiter radicatur: sed operatur ex prævio indifferenti dictamine, ut supponitur: ergo.

Secundò. Impossibile est, ut cùm omnibus prærequisitis ad actum liberum ex parte actûs secundi, voluntas componat oppositum: ergo hoc non est de ratione libertatis. Antec. prob. Si voluntas cum omnibus prærequisitis ad amorem v. g. posset componere negationem amoris, tunc posset simul esse & non esse actuale principium amoris: sed hoc implicat: ergò. Sequela probatur. Prærequisita ex parte actûs secundi constituunt voluntatem in ratione principij actualis ipsius amoris; sed si hæc in sensu composito posset non amare, jam non esset principium actuale: ergo posset simul esse & non esse principium actuale.

Probatur tertiò exemplis. & primò. Inter prærequisita ad liberè operandum est ultimum judicium practicum intellectûs; neque enim voluntas fertur in incognitum, sed priusquam eligat, præsupponit consilium & ultimatam sententiam de agendis: sed cum ultimo judicio practico imperante actum voluntas non potest componere negationem actûs; sic enim operaretur voluntas absque prævio ductu rationis, quod implicat. 5.

Secundò. DEUS liberrimè creavit mundum, nec tamen poterat cum omnibus prærequisitis ad liberam creationem componere non creationem mundi: ergo hæc potestas componendi non est de ratione libertatis. Alterum membrum antecedentis probatur: Inter prærequisita ad liberam creationem mundi est voluntas creandi mundum, quia *quæcunque voluit, fecit:* sed erat impossibile DEO cum voluntate creandi componere non creationem mundi: ergo.

Tertiò. Unum ex necessariis prærequisitis ad liberè operandum, est efficax prædefinitio & prædeterminatio: sed cum hac non potest stare oppositum operationis: ergo non est necessarium, ut cum omnibus prærequisitis ad operandum voluntas possit oppositum ponere in sensu composito. Majorem quoad 1. partem in Tract. de DEO, quoad alteram partem in cap. præsenti probavimus. Minor exinde probatur, quòd si cum prædeterminatione & prædefinitione ad actum, posset componi oppositum, jam DEI voluntas non esset omnipotens & infinitè efficax, cùm videlicet intentio voluntatis divinæ, in ista motione contenta, per creatam hominis voluntatem impediri posset, quemadmodum advertit D. August. *in Enchirid. c.* 95. dicens: *DEUS noster in cælo & in terrâ, omnia quæcunque voluit, fecit; quod utique non est verum, si aliqua voluit, & non fecit: & (quod est indignius) ideo non fecit, quia, ne fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Nec minùs *S. D.* 2. 2. *q.* 112. *Præparatio secundùm quod est à DEO movente, habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à DEO, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio DEI deficere non potest.*

Quartò. Inter prærequisita ad actum liberum supernaturalem, v. g. charitatis, est efficax gratia & motus Spiritûs sancti; sed cum ista motione voluntas non potest componere oppositum: ergo. Major est de fide. Minor est D. Thomæ in cit. 2. 2. q. 24. a. 11. in c. dicentis: *Impossibile est, hæc duo simul esse vera, quòd Spiritus S. velit aliquem movere ad actum charitatis, & quòd ipse charitatem amittat peccando.*

6. Est nihilominus de ratione libertatis, ut cum omnibus requisitis ad operandum voluntas possit non operari in sensu diviso: aliàs quippe voluntas nullam haberet indifferentiam, & actum produceret modo solùm spontaneo, non etiam libero, cùm sublatâ facultate ad utrumlibet pereat definitio & essentia libertatis. Atqui consequens est à fide Catholica alienum: ergò. Neque hanc facultatem aufert nostra prædeterminatio; nam, ut suprà ex D. Prosp. advertimus, *DEUS ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut perseveraturis illam mutabilitatem, quâ possunt nolle, non auferat.* Divina quippe motio, ceu primæ causæ influxus ipsam humani arbitrii libertatem reducit in actum, unde quemadmodum illa determinatio, quâ semetipsam voluntas creata ad operandum determinat, non destruit potentiam in oppositum, sed causat, ut actus in alterutrum ex oppositis liberè tendat; ita hoc ipsum causat & præstat prædeterminatio, quæ sibi humanam determinationem subordinat.

§. III.
Solvuntur objectiones.

7. OBjicies primò. Resistere, dissentire divinæ motioni, est componere resistentiam & dissensum cum divina motione: sed homo, positis omnibus requisitis ad agendum, ipsâque divinâ motione, potest resistere motioni, & gratiæ pervenienti: ergo potest componere cum illa resistentiam ac dissensum. Major probatur *primò*: assentiri & cooperari gratiæ dicit sensum compositum, ac rursus posse assentiri & cooperari gratiæ verificatur tam in sensu composito quàm diviso: ergò etiam resistere, dissentire, ac posse resistere verificatur in sensu composito.

Secundò: quia ridiculum esset dicere, exercitum Cæsaris posse resistere exercitui Turcico in sensu diviso ipsius, h. e. ex suppositione, quòd Turcicus exercitus non existat: posse hominem resistere tentationi, ex suppositione, quòd tentatio non existat; posse abjicere pecunias, ex suppositione, quòd illæ non adsint &c. Minor patet ex Tridentino, ubi sess. 6. can. 4. damnatur hæc propositio tanquam hæretica: *Liberum arbitrium DEO excitanti atque vocanti non posse dissentire, si velit.* Et c. 5. dicitur: quòd homo, *Spiritûs S. inspirationem recipiens, posset illam abjicere.*

Responderi potest *primò*, negando consequentiam: nam fallaciter ab actu secundo & sensu composito, qui sumitur in majori, proceditur ad sensum divisum & actum primum, qui significatur in minori. Veluti si sic inferres: prædestinatum damnari est damnationem componi cum prædestinatione: sed prædestinatus potest damnari: ergo potest prædestinatio cum damnatione componi &c. quæ consequentia est vitiosa.

Respond. secundò, Negando Majorem, si sermo sit de motione efficaci. Et ad primam ejus probationem disparitas est, quòd motio, hoc ipso quòd sit efficax, est infallibilis causa cooperationis & consensûs, simul in eodem reali temporis instanti coëxistentis: unde mirum non est, quòd cooperari & consentire verificetur in sensu composito. Econtrà verò illa motio non est actualis causa dissensûs: imò cùm sit actualis causa liberi assensûs, eo ipso etiam est causa, quòd dissensus assensui repugnans, pro illo instanti liberè non eliciatur.

Ad duas primas instantias in secunda probatione adductas, *Respond.* posse resistere illic non verificari in sensu composito exercitûs Turcici, & tentationis efficaciter sed solùm inefficaciter coëxistentis, aliàs quippe essent & non essent efficaces, si simul cum ipsis resistentia componi posset. Ad tertiam instantiam *Respond.* Me non posse abjicere pecunias, quas actu habeo, nisi in sensu diviso, siquidem repugnat pro eodem instanti simul abjicere & retinere pecunias.

Porrò Concilii Tridentini principale intentum fuit, libertatis cum gratia efficaci concordiam ac coëxistentiam asserere, quæ per hoc optime salvatur, quòd gratiæ & præmotionis divinæ efficacia potentiam dissentiendi in sensu diviso in libero arbitrio relinquat. *Instabis.* Frustranea est potentia, quæ non redigitur in actum: sed pro eo instanti, pro quo voluntas est efficaciter præmota, potentia resistendi non potest redigi in actum: ergo est frustranea & nulla. *Respond.* Quæ non redigitur in aliquem actum, concedo: quæ non redigitur in omnem actum, nego; alias quippe potentia creandi alium mundum etiam foret frustranea in DEO.

Objicies secundò. Si voluntas cum omnibus requisitis v. g. ad amorem, non posset simul ponere odium, vel omissionem amoris, sequeretur, quòd voluntas non esset æquè potens ad odium vel omissionem amoris, quàm ad amorem: sed consequens præjudicat libertati: ergò & antecedens. Sequela probatur: Voluntas non habens omnia requisita ad actum, non est æquè potens, quàm habens omnia requisita ad actum: sed in factâ hypothesi voluntas haberet omnia requisita ad amorem, non autem ad odium, vel omissionem amoris: ergò. Minor quoad secundum membrum probatur: Voluntas, præmota ad amorem, non habet præmotionem ad odium, multo minùs carentiam præmotionis ad amorem: sed inter requisita ad odium est præmotio; inter requisita ad omissionem amoris, est absentia præmotionis ad amorem oppositum: ergò voluntas præmota non habet omnia requisita ad odium, vel omissionem amoris.

Respond. Negando sequel. ejusque probationem distinguo. Voluntas non habens omnia requisita se tenentia ex parte actûs primi, non est æque

æque potens, concedò: voluntas non habens omnia requisita se tenentia ex parte actûs secundi, nego: sed voluntas præmota ad amorem, non habet omnia requisita ad odium &c. se tenentia ex parte actûs secundi ipsius odii, concedo. Ex parte actûs primi, nego min. & conseq. Nam præmotio, ceu applicatio & actualis reductio potentiæ in actum secundum, non se tenet ex parte posse & actûs primi sed ex parte ipsius actûs secundi, quemadmodum & apud Adverſ. actualis determinatio, quâ voluntas se determinat ad operandum, est prærequisitum ex parte actûs secundi, non primi. Sed instabis &

10. Objicies tertiò. Prædeterminatio tenet se ex parte actûs primi: ergò tollit potentiam in oppositum. Antecedens prob. *primò*: quicquid antecedit actum secundum, pertinet ad actum primum, quia inter actum primum & secundum non datur medium; atqui prædeterminatio antecedit actum primum, ergò. *Secundò*: Complementum & applicatio principii operativi pertinet ad actum primum; sed prædeterminatio est complementum & applicatio principii operativi: ergò. Major patet in applicatione ignis ad lignum, quæ pertinet ad actum primum. *Tertiò*: sine quo potentia non potest operari, illud pertinet ad actum primum, seu ad ipsum posse: sed absque determinatione voluntas non potest operari: ergo pertinet ad actum primum, seu ad ipsum posse.

Respond. Negando Antec. ad cujus primam probationem distinguo Antec. quicquid antecedit actum secundum prioritate temporis, & per modum virtutis operativæ, concedo: prioritate naturæ, & tantùm per modum exercitii causalis, nego. Rursus: non datur medium inter actum primum, & secundum tam causalem quàm formalem, concedo: actum secundum formalem tantùm, nego. inter hunc enim & actum primum mediat actus secundus causalis, antecedens prioritate naturæ, non temporis. *Ad 2. prob. dist. major.* Complementum principii operativi in esse principii habitualis se tenet ex parte actûs primi, concedo: complementū ipsius, vel potiùs constitutivum causale, in esse principii actualis, nego maj. & sub datâ distinct. nego consequentiam. Iterum: applicatio ad operandum, quæ non est ipsum exercitium operandi saltem causale, pertinet ad actum primum, concedo: secus, nego. *Ad 3. probat.* Absolutè nego min. *Si dicas: Nulla causa potest procedere in suum actum, nisi moveatur à DEO.* (S. D. 1. p. q. 109. a. 1.) ergo sine prædeterminatione non potest operari. *Respond.* Ex eodem S. D. q. 1. de pot a. 5. ad 1. Illam propositionem esse veram, si particula exceptiva *nisi* referatur ad actum secundum, ut faciat hunc sensum: fieri non potest, ut aliqua causa operetur, nisi fuerit præfinita, & prædeterminata ad operandum; & tunc negatur consequentia: non autem esse veram, si referatur ad actum primum & ipsum posse, faciatque hunc sensum: Nulla causa habet potentiam producendi actum, nisi sit prædeterminata; plurium enim effectuum potentiam habet causa creata, quàm ad quos actu ponendos est prædeterminatata à DEO.

Objicies quartò. Cùm libertas definitur: 11. Quòd sit facultas, quâ positis omnibus requisitis ad agendum voluntas potest agere vel non agere; utrumque membrum, *agere & non agere*, æqualiter sumitur: ergò sicuti positis omnibus requisitis ad agendum voluntas potest agere in sensu composito, ita etiam poterit non agere in sensu composito

Confirm. primò. Posito possibili in actu nullum sequitur inconveniens: sed positis omnibus requisitis ad agendum, possibile est voluntatem non operari, aliàs in voluntate non remanebit potentia ad non operandum; cùm impossibilium non detur potentia: ergo posito, quod voluntas positis omnibus requisitis non operetur, nullum sequetur inconveniens.

Confirmatur secundò. Illud potest voluntas, ad quod tenetur, sed aliquando, positis omnibus requisitis ad agendum, tenetur non agere: ergo etiam positis omnibus requisitis ad agendum potest non agere. Minor probatur: quoties quis peccat peccato commissionis, toties pro eo instanti, quo habet omnia requisita ad actum peccati, tenetur omittere actum peccati; aliàs quippe pro illo instanti non peccaret: ergo etiam pro illo instanti potest actum omittere.

Respond. Distinguendo antecedens: in definitione libertatis potentialis & privativæ ly *agere & non agere* ita æqualiter sumitur, ut voluntas positis omnibus requisitis utrumque æqualiter possit in sensu composito, concedo: in definitione libertatis actualis, & positis omnibus requisitis ex parte actûs secundi, nego. Tunc enim quia potentia jam supponitur actu agere, necessariò excluditur sensus compositus non agendi.

Ad 1. confirm. Respond. Posito possibili in actu, quâ ratione est possibile, nullum sequi inconveniens; non autem si ponatur in actu, quâ ratione non est possibile. Positis igitur omnibus requisitis ad agendum, possibile est voluntatem non operari in sensu diviso, sive absolutè, potentiâ antecedente, & nullius rei incompossibilis factâ hypothesi, concedo: in sensu composito, sive potentiâ consequente, & factâ hypothesi actûs secundi, nego. Jam enim sequeretur magnum inconveniens, quòd voluntas simul ageret & non ageret. Impossibilium non dari potentiam verum est, si sint absolutè impossibilia, non autem, si tantùm impossibilia ex suppositione, ut patet è pluribus exemplis: ita enim datur in DEO potentia creandi alios mundos: nec tamen supposito decreto de non creando altero mundo, est possibile alium creari &c. 12.

Ad 2. confirm. Respond primò. Hoc argumentum nimium probare contra ipsos Adversarios, quòd nimirum etiam posito actu & concursu simultaneo, homo posset ponere actum contrarium, vel omissionem actûs, siquidem pro illo instanti tenetur non peccare.

Respond. secundò. Illud quis potest ad quod tenetur, potentiâ antecedente, vel consequente, concedo: utrâque semper, nego. Ergò pro-

pro illo instanti, quo peccat, & habet omnia requisita ad operandum, potest non operari potentiâ antecedente, h.e. absolutâ & præscindente ab hypothesi incompossibili, concedo: consequente & involuente talem hypothesin, nego consequentiam.

13. *Obijcies quintò.* Ideo voluntas prædeterminata ad amandum posset non amare in sensu diviso, quia si præmotio auferatur, vel ponatur opposita, potest actum oppositum, vel negationem amoris ponere: atqui hoc non sufficit ad salvandam libertatem & potentiam proximam in oppositum: nam causa quoque necessaria, v. g. ignis potest non comburere, si quod è prærequisitis ad agendum ab ipso removeas. Hâc etiam ratione Beatus ad DEUM odio habendum, damnatus ad amandum, haberent potentiam proximam; quia ille in sensu diviso visionis posset odio habere, iste autem in sensu diviso, h. e. remoto statu damnationis, posset DEUM amare.

Resp. negando majorem: quæ procedit ex malo intellectu sensûs compositi & divisi. Ratio igitur est: quia positis omnibus requisitis ad agendum, ipsâque prædeterminatione, voluntas regulata per indifferentem cognitionem habet verissimam potentiam ad oppositum: ita scilicet ut vi indifferentis istius propositionis æquè posset in oppositum tendere, nisi supponeretur jam in actu secundo opposito [quæ suppositio conditionalem necessitatem inducit] per divinam motionem causaliter, per propriam quoque determinationem formaliter constituta: qualem indifferentem propositionem nec in igne, aliâve causâ naturaliter agente, nec in Beatis, aut damnatis reperies. Solet etiam objici, quòd ex prædeterminatione sequatur, DEUM fieri authorem peccati, quam tamen sequelam in disputationem de peccato, ibi commodiùs refutandam, remittimus.

DISPUTATIO VII.

DE Involuntario ad. q. 6.

INvoluntarium in præsenti accipimus non negativè, pro non voluntario, sed positivè, & contrariè, ejusque causas discutimus; quarum 4. communiter enumerantur, juxta 4. modos, quibus voluntas vel ex parte sui, vel ex parte cognitionis à motu voluntario impediri potest. Nam cognitio requisita impeditur vel ignorantiâ, vel passione concupiscentiæ; influxus verò voluntatis impediri potest, vel metu, vel violentiâ. Unde 4. sunt causæ involuntarij, violentia, metus, concupiscentia, & ignorantia.

ARTICULUS I.

An & quomodo violentia causet Involuntarium.

SUMMARIA.

1. *Violenti expositio.*
2. *Involuntarium aliud simpliciter, aliud secundùm quid.*
3. *Actus imperati patiuntur violentiam.*
4. *Non actus eliciti.*
5. *Neque cessatio ab illis.*
6. *Potest odium proprij esse fieri voluntarium.*
7. *Stante indifferenti propositione objecti non potest voluntas necessitari ad actum.*
8. *Subtractio divini concursûs ad comburendum igni Babylonico non fuit violentus.*
9. *Actus imperati & coacti quomodo sint à principio intrinseco?*
10. *Violentia simpliciter causat involuntarium.*
11. *Quæ coactè fiunt, neque ad meritum, neque ad demeritum valent.*
12. *Baptismus adulto collatus per violentiam est invalidus.*
13. *Vis illata non est moraliter violentia, si in resistendo non adhibeas debitam diligentiam.*
14. *Regula ad dignoscendum, quanta sit adhibenda resistentia?*

§. I.

In actibus elicitis voluntatis nihil potest violentia.

1. VIolentum dicunt Philosophi esse *ab extrinseco, passo renitente.* Unde distinguitur violentum *à necessario, coacto,* & *involuntario.* A necessario; quia hoc reperitur in quolibet actu determinato ad unum, licèt ille sit à principio intrinseco, & quàm maximè voluntarius: veluti de amore beatifico dictum est. A coacto; quia licèt istud semper sit conjunctum cum violentiâ, tamen propriè dicitur tantùm de cognoscentibus, ideoque minùs latè patet, quàm violentum, quod etiam dicitur de non cognoscentibus. Ab involuntario; quia istud etiam ex ignorantia causari potest, ideoque latiùs patet, quàm violentum. Cæterùm *violentia* vel est *simpliciter talis*, vel tantùm *secundùm quid.* Simpliciter talis est, si provenit ab agente extrinseco, passo totis viribus resistente. Violentia secundùm quid erit, cùm equidem provenit ab agente extrinseco, passo tamen non omnem possibilem ac debitam resistentiam adhibente, adeòque vel formaliter, vel virtualiter cooperante.

Rursus *Involuntarium* aliquando est *simpliciter tale*, cùm nempe, consideratis omnibus circumstantiis, voluntas aliquid absolutè respuit; *secundùm quid tale* est, quando illud voluntas in his circumstantiis absolutè quidem vult, conditionatè tamen, & si tales circumstantiæ abessent, illud non vellet, veluti mercator ad servandam 2.

vitam

vitam vult absolutè merces in mare proijcere, quas tamen nollet abijcere, si vitæ periculum abesset. His positis

3. CONCLUSIO prima. *Voluntas in actibus à se imperatis potest pati violentiam.* Ratio est: quia possunt potentiæ externæ subjectæ voluntatis imperio per vim extrinsecùs illatam cogi ad actus imperio & inclinationi voluntatis contrarios, vel vice versâ impediri ab actibus à voluntate imperatis: ut si virgo per vim stuprum patiatur: si quis vinculis injectis ab alicujus loci accessu arceatur: sed hoc modo voluntas patitur violentiam, siquidem resistit effectui à principio extrinseco illato. Ergo voluntas in actibus imperatis pati potest violentiam.

4. CONCLUSIO secunda. *Voluntas in actibus elicitis, aut in cessando ab illis, non potest pati violentiam.* Prima pars constat authoritate & ratione insinuatâ à D. Anselmo l. de lib. arbit. c. 6. dicente: *Invitus nemo potest velle aliquid, quia non potest nolens velle.* Nimirum omnis actus elicitus voluntatis est vel inclinatio ipsius, ab eâdem tanquam principio conjuncto & intrinseco proveniens, vel oritur ex ipsâ inclinatione voluntatis, si est actus fugæ: sed neutro modo potest esse violentus; siquidem violentia requirit principium merè extrinsecum, & simul resistentiam passi.

5. Secundæ partis ratio est: In tantum voluntas pati deberet violentiam in cessatione sui actûs, in quantum propter subtractionem divini concursûs non posset continuare actum sibi maximè proportionatum, ut si DEUS denegaret concursum ad amorem fruitivum animæ videnti Deum: sed voluntas in tali casu propriè non patitur violentum: ergò. Minor probatur: Causa inferior non aliter inclinat in suos actus, nisi ut exercendos cum dependentia ab influxu causæ superioris, unde, cessante motu causæ superioris, cessat etiam inclinatio causæ inferioris in suum actum: Atqui in prædicto casu cessaret influxus causæ superioris: ergo pariter cessaret inclinatio causæ inferioris in suum actum, & consequenter illa cessatio non esset contra inclinationem, & renitentiam voluntatis.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

6. OBiicies primò. Si DEUS determinaret voluntatem ad proprium esse odio habendum, tunc actus odii esset contra inclinationem naturæ & simul à principio extrinseco: ergo esset violentus.

Respondeo. Non posse determinari voluntatem ad proprium esse odio habendum, nisi sub ratione alicujus miseriæ, quo casu actus odii erit simpliciter voluntarius.

7. *Obiicies secundò.* Si DEUS circa objectum in intellectu indifferenter propositum necessitaret voluntatem ad actum determinatum; tunc ille actus erit necessarius & contra connaturalem inclinationem voluntatis: ergo erit violentus.

Respond. negando, quòd stante indifferenti propositione objecti in intellectu DEUS possit necessitare ad actum voluntatis; siquidem illa objectiva indifferentia est radix essentialis ipsius libertatis in voluntate; unde actus ex vi talis objectivæ indifferentiæ elicitus hoc ipso est liber.

Obiicies tertiò. Non minùs est contra inclinationem voluntatis si ipsi subtrahatur concursus ad amandum DEUM clare visum, quàm fuerit contra inclinationem ignis Babylonici subtractio concursûs ad comburendum: sed ignis Babylonicus passus est violentiam: ergo etiam patietur voluntas violentiam in cessando ab amore. 8.

Respondeo negando minorem; & quòd subtractio concursûs ad comburendum fuerit contra omnem ignis inclinationem: licèt enim fuerit contra ipsius inclinationem particularem, non tamen contra universalem secundùm quam causæ primæ & universali obedientialiter subjicitur. Unde in meliori philosophia negatur, à DEO ulli creaturæ propriè inferri violentiam, quia DEO supra naturam operanti omnis creatura obedit, & tunc inclinatio in bonum particulare cedit inclinationi in bonum universale. Ideo de igne Babylonico Sap. 16. dicitur: *Ignis, ut nutrirentur justi, etiam sua virtutis oblitus est: creatura enim tibi factori deserviens exardescit in tormentum adversùs injustos &c.* & D. August. lib. 26. contra Faust. *DEUS Creator & Conditor omnium creaturarum nihil contra naturam facit: id enim est cuiq; naturale, quod ille facit, a quo est omnis numerus, motus, & ordo naturæ.*

Obiicies quartò. Etiam actus imperati à voluntate sunt à principio intrinseco, & secundùm inclinationem potentiæ, v. g. visio per oculos violenter apertos est à potentia visiva, motus progressivus per violentum impulsum est à potentia loco-motiva & juxta inclinationem ipsius: ergo etiam in actibus imperatis voluntatis non reperitur propriè violentum. 9.

Resp. actus imperati & coacti sunt à principio intrinseco comparativè ad potentiam elicientem, concedo: ad potentiam seu voluntatem imperantem, (quæ in definitione voluntarii nomine principii intrinseci intelligitur) nego. Ergo non sunt violenti, quatenùs præcisè sunt à principio proximo eliciente, concedo: quatenùs sunt contra voluntatem repugnantem, nego.

§. III.

Violentia causa involuntarii.

CONCLUSIO tertia. *Violentia simpliciter causat involuntarium simpliciter.* S. D. hîc q. 6. a. 5. Ratio ex dictis quidem est à principio purè extrinseco, voluntate nihil de suo conferente, imò pro viribus resistente, hoc est simpliciter involuntarium: sed ita se habet violentum simpliciter: ergo violentum simpliciter causat involuntarium simpliciter. Hinc 10.

Colliges primò. Ea quæ coactè & ex violentia fiunt, neque ad meritum valere, neque ad demeritum, seu peccatum; quia deest voluntarium, sine quo neque merito, neque demerito potest esse locus. Undè, si quis violenter cogeretur ad reverentiam & cultum sive vero sive falso DEO exhibendum, neque per priorem actum haberet meritum, neque per actum posteriorem haberet peccatum. 11.

Colliges secundò. Baptismum per violentiam collatum adulto renitenti esse invalidum; nam ad 12.

ad validam hujus susceptionem in adulto prærequiritur voluntas & intentio saltem habitualis illum recipiendi: atqui violentia tollit etiam habitualem voluntatem: ergo.

13. *Colliges tertiò.* Vim illatam ad aliquem actum illicitum extorquendum, non censeri moraliter violentam, sed interpretativè voluntariam, si voluntas intermittat adhibere resistentiam, illasque vires & modos, quibus hîc & nunc tenetur impedire actum intentatum. Quia tunc effectus aliquis censetur interpretativè voluntarius, & ex causa vel omissione moraliter subsecutus, quando voluntas potest ac tenetur illum impedire, nec tamen impedit.

14. Cæterùm ad discernendum, quanta sit adhibenda resistentia ad impediendum aliquem actum violenter intentatum, Corneio hîc disp. 2. dub. ult. tradit hanc regulam, ut nimirum attendatur, utrùm ad illum impediendum obligetur præcepto negativo, vel affirmativo. Nam si quis teneatur tantùm præcepto affirmativo, non statim imputatur in culpam, etiamsi non adhibeat omnem resistentiam possibilem: sed sufficit, ut adhibeat convenientem attentâ ratione damni, siquidem præcepta affirmativa ordinariè non obligant cum periculo famæ vel vitæ. Si verò obligetur præcepto negativo evitare & impedire actum intentatum, tunc est obligatio ad omni morali possibili modo repellendum talem actum. Unde, siquis compellatur adorare Idolum vel illi sacrificare, non sufficit contrà protestari, & habere contrariam voluntatem, sed tenetur etiam cum famæ & vitæ jactura repugnare: quia ille actus repugnat præcepto negativo non adorandi Sculptile. Pariter, si mulier in casu pudicitiæ per vim violandæ probabiliter timeat de consensu in actum, tenetur etiam cum vitæ & famæ periculo clamare; quia tunc obligatur præcepto negativo non fornicandi: si verò prudenter existimet se consensum non præbituram, tenetur viribus corporis aggressorem repellere quantùm potest, sine vitæ tamen aut famæ suæ detrimento, quia tunc obligatur [ut inquit citatus author] præcepto affirmativo custodiendi suam integritatem.

ARTICULUS II.

An, & quomodo metus causet involuntarium?

SUMMARIA.

1. *Definitio metûs.*
2. *Metus gravis & levis.*
3. *Metus antecedens & concomitans.*
4. *Quatuor actus concurrentes cùm aliquid fit ex metu.*
5. *Actio ex metu facta est simpliciter voluntaria.*
6. *Involuntaria secundùm quid.*
7. *Quomodo pœnitentia ex metu gehennæ non sit involuntaria secundùm quid?*
8. *Contractus & vota ex metu facta non sunt irrita defectu voluntarii.*
9. *Transgressio legis humanæ ex gravi metu sæpe est tantùm materialis.*
10. *Metus non impedit validitatem de jure naturali in matrimoniis, permissionibus, votis.*
11. *Irritantur tamen jure positivo ejusmodi actus.*
12. *Metus aliquando per accidens excusat à peccato.*
13. *Plerumque præcepta humana non obligant in gravi metu.*
14. *Præcepta naturalia negativa obligant etiam in gravi metu.*
15. *Præcepta naturalia positiva aliquando probabiliter non obligant in gravi metu.*
16. *Præcepta Divina positiva quandonam obligent in gravi metu?*

§. I.

Prænotanda.

1. NOtandum primò. Metum definiri ab Ulpiano l. 1. ff. de eo, quod metûs causâ. *Quòd sit, instantis periculi vel futuri causâ, mentis trepidatio.* Item ex S. D. 1. 2. q. 41. a. 1. & 2. quòd sit *passio animæ, quâ refugimus malum futurum, cui resisti non potest, vel saltem difficulter.* Unde differt metus à violentia, quòd ista effectivè & physicè impellit ad actum voluntatis inclinationi contrarium, ille verò objectivè & moraliter, in quantum voluntati ingerit aliquod objectum liberè impulsivum ad faciendum aliquem actum, quem vi alterius motivi extra casum mali intentati voluntas non elegisset. e. g. in casu Latrocinii metus mortis aliàs subeundæ, dum voluntati proponit elargitionem pecuniarum tanquam necessarium medium ad conservandam vitam, eandem impellit, ut pecunias Latroni tradat, quas extra intentationem mortis ob affectum erga pecunias non tradidisset.

Notandum secundò. Hîc sermonem esse non de levi, sed de gravi metu cadente in virum constantem. Levis metus est, qui de levi malo concipitur, & ex quo quis operans non effugit notam inconstantiæ, ut si brevioris somni causâ frangas jejunium. Metus gravis est, qui de aliquo magno malo concipitur, quod in judicio prudentis & constantis viri meritò potest præponderare alteri malo, quod pro illo eligendum proponitur, ut est metus mortis, infamiæ, exilii. Ex quo prudenter aliquis præeligit jacturam pecuniarum, quàm vitæ &c. 2.

Notandum tertiò. Metum dupliciter ad actum humanum se habere posse, nempe antecedenter seu causaliter; & concomitanter. Antecedenter se habet, quando ex ejus impulsu & objectiva motione procedit actio, veluti si mercator metu naufragii & mortis projicit merces in mare. Concomitanter se habet, quando ita conjungitur operationi, ut tamen non sit causa ipsius. Quemadmodum passioni Christi, Sanctorumque Martyrum metus mortis potuit sic esse conjunctus, ut tamen nequaquam ex metu mortis paterentur. Antecedens metus vel est 3.

causa

causa totalis actionis, cùm nimirum ipso absente actus non poneretur, ut in exemplo naufragij; vel est tantùm partialis, ut quidem cum aliis causis impellat ad actum, sic tamen, ut etiam sine ipso vi aliarum causarum actus poneretur. Quæstio procedit in priori sensu; nam metus tantùm partialiter concurrens non potest esse causa involuntarij.

4. Notandum quartò. Cùm aliquid fit ex gravi metu, quatuor plerumque actus concurrere: nam in exemplo mercatoris metu mortis suas merces in mare proijcientis reperitur inprimis amor mercium, qui durat, etiam quo tempore merces in mare proijcit. Secundus actus est amor & desiderium vitæ conservandæ, qui priori præponderat. Tertius est efficax electio proijciendi merces pro conservandâ vitâ. Quartus est inefficax & conditionata voluntas non proijciendi merces, si periculum abesset, quæ etiam nolleitas appellatur, & causat tristitiam post mercium abjectionem. His positis sit

§ II.

5. CONCLUSIO. *Actio ex metu facta est simpliciter voluntaria, & involuntaria secundùm quid, ideoq; dicitur voluntarium mixtum.* S. D. q. 6. a. 6.

Ratio primæ partis est: quod procedit ex efficaci voluntate & intentione operantis, est simpliciter voluntarium (quippe ab intrinseco principio cum cognitione finis) sed quæ fiunt ex metu, ut est v. g. projectio mercium ex metu naufragij, procedunt ex efficaci voluntate, & intentione finis; nam reverà mercator, sciens volens merces in mare proijcit, ut hoc medio vitam salvet. ergò.

Confirmatur primò. Quæ ex metu fiunt, possunt esse peccata, ut cùm quis ex metu mortis sacrificat idolis, & cùm ex simili metu Petrus Christum negavit. Ergò etiam sunt voluntaria, quia nihil peccatum, quin voluntarium.

Confirmatur secundò. Metus non tollit liberum; ergò nec voluntarium. Antecedens probatur. Quia Martyribus, non obstante metu mortis, erat liberum, fidem Christi profiteri, vel sacrificare idolis.

6. Ratio secundæ partis est: quia ad involuntarium secundùm quid sufficit inefficax renisus voluntatis: sed, ut dictum, cùm aliqua ex metu fiunt, reperitur inefficax renisus voluntatis. Ergò etiam reperitur involuntarium secundùm quid.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

7. OBjicies primò. Si, quæ fiunt ex metu, essent secundùm quid involuntaria, propter inefficacem renisum voluntatis, ille, qui de suis peccatis doleret propter metum gehennæ, non eliceret actum honestum, siquidem ille actus foret vitiatus per adjunctam voluntatem conditionatam non dolendi de peccatis, si gehennæ periculum abesset: Atqui sequela est contra definitionem Trid. Sess. 6. Can. 8.

Resp. neg. sequel. & ejus causalem. Tunc enim ea, quæ fiunt ex metu, sunt involuntaria secundùm quid, habentque adjunctam nolleitatem, quando malum, ex cujus metu aliquis operatur, non causatur ex ipso affectu & voluntate operantis: uti contingit in illo, qui dat suas pecunias latroni ex metu amittendi vitam, quia hoc periculum non causatur ab ipsius affectu, sed planè ab extrinseco advenit. Econtrà, si malum, ex cujus metu quis operatur, causatur ab ipso affectu operantis, impossibile est, ut ex illius metu quis efficaciter operetur, quin simul deponat illum affectum, è quo infallibiliter causatur illud malum. Ita contingit in pœnitente; is enim, quia cognoscit sibi gehennæ periculum imminere, causatum ex ipso peccaminoso affectu ad bonum creatum, non potest ex illius metu efficaciter operari, quin hoc ipso deserat affectum erga illud objectum peccaminosum, tanquam radicem & infallibilem causam istius mali: sicque dolor erit ipsi simpliciter sine admixtione involuntarii voluntarius. Quòd si peccator ita sit affectus, ut habeat conditionatam voluntatem non desistendi à peccato, si gehenna non esset, hoc ipso dolor, tanquam serviliter servilis, ut vocant, carebit debitâ honestate morali.

Objicies secundò. Si metus non causaret involuntarium simpliciter, tunc contractus ex metu initi, vota quoque metu extorta non essent ipso jure irrita ex defectu voluntarii; sed sunt irrita, uti patet ex Tit. *de his quæ vi metûsve causâ fiunt*, ergò. 8.

Resp. dist. sequel. maj. non essent ipso jure irriti ex defectu voluntarii jure naturali, & ex defectu voluntarii simpliciter, concedo: jure positivo & ex defectu voluntarii puri, nego. Non igitur ipso jure naturæ, sed jure positivo irritantur aliqui contractus initi ex metu injustè incusso, non quòd ipsis desit absolutè sufficiens voluntarium (cùm libertas, quæ sufficit ad peccatum mortale, ordinariè sufficiat ad contractum & votum; ad peccatum verò mortale sufficit voluntarium ex metu, ut suprà dictum) sed quia tum ad plura evitanda inconvenientia, tum in pœnam illius, qui metum injustè incussit, Legislatores ejusmodi contractus irritare consultò voluêre. De quo §. sequenti.

Objicies tertiò. Si metus non tollat voluntarium simpliciter, tunc qui ad evitandum grave malum omitteret audire Sacrum die festo, vel non servaret jejunium, non excusaretur à peccato gravi: sed consequens est falsum: ergò. Sequel. prob. Voluntaria transgressio legis est peccaminosa: sed non obstante metu hîc esset voluntaria legis transgressio: ergò. 9.

Resp. neg. seq ejusque probat. dist. Voluntaria & formalis transgressio legis, nempe hîc & nunc obligantis, est peccatũ, concedo; materialis transgressio legis, hîc & nunc non exercentis obligationem, nego. In dicto autem casu cessat legis obligatio, eò quòd leges positivæ humanæ, & aliquando Divinæ ordinariè non obligent, quando sine gravi incommodo servari non possunt.

§. IV.

Corollaria.

INferes ex dictis *primò*. Quoscunque contractus etiam matrimoniales, promissiones, vota metu etiam gravi injustè incusso facta, ex se, stando in jure 10.

jure naturali esse valida. Ita contra Molinam & quosdam alios Richardus, Sotus, Castrop. Jo. à S. Th. cum alijs, quos citat & sequitur Rhedingus q. 4. a. 1. n. 34. & seqq. Ratio est: ut jure naturali subsistat contractus, sufficit legitimus titulus ad contractûs substantiam requisitus, & voluntarium simpliciter: sed in contractu quantumvis ex gravi metu inito potest intervenire legitimus titulus, adest quoque voluntarium simpliciter, quod nullo metu quantumvis gravi tolli potest. Ergo contractus ex metu gravi initus vi juris naturalis non est irritus. Confirmatur. Voluntarium mixtum & ex metu sufficit ad peccatum mortale: ergo etiam ad contractum & votum.

Dices. Iniquum est, ut, qui injustè metum incutiendo ab alio consensum extorsit, ex sua injustitia commodum reportet: ergo contractus & consensus metu injustè incusso extortus ipso jure naturæ est invalidus.

Respond. neg. consequentiam: hinc enim solummodò sequitur, quòd secundùm juris æquitatem debeat læso competere remedium & beneficium rescissionis, ita ut ipso nolente contractus à Judice sit irritandus, ipso verò volente stare contractui, pars altera, quæ metu consensum extorsit, nequeat resilire. *p. l. dolo. ff. de inutilibus stipul.* ubi hæc habentur: *Dolo vel metu adhibito actio quidem nascitur* (quæ utique supponit validitatem contractûs) *per doli tamen, vel metûs exceptionem summoveri petitio debet.*

11. *Inferes* tamen *secundò*: Ex æquitate in jure naturali fundatâ per leges positivas quosdam contractus & vota ex metu gravi facta irritari. Sic irritantur *primò* matrimonia contracta ex metu injustè incusso per. *c. Cùm locum. de sponsal.* quòd etiam ad sponsalia extendit Sanchez. l. 4. de matrim. disp. 19. *Secundò* vota solennia in Religiosâ professione ob metum gravem in hunc finem incussum emissa. per c. 1. *de his, quæ vi metûsve causâ fiunt.* *Tertiò*: Jurisdictio data, vel propagata ex metu *l. 2. ff. de Judiciis &c. ubi periculum §. cæterùm de elect. in 6.* *Quartò*: promissio, vel solutio dotis. *ex l. si mulier. 21. §. si dos ff. de eo, quod metûs causâ.* *Quintò*: authoritas tutorum *l. 1. §. ult ff. de authorit. tutorum.* Sextò: absolutio ab excommunicatione data ex metu, *c. un. de his quæ vi metûsve causâ in 6.* Septimò: Testimonia in testamentis metu extorta à testibus *l. 4. ff. de testamentis.*

12. *Inferes tertiò.* Metum nunquam per se, aliquando autem per accidens excusare à peccato. Non excusat per se: quia, cùm non tollat voluntarium, etiam non aufert liberum: per accidens tamen quandoque excusat, vel quia turbando rationem non relinquit locum perfectæ deliberationi, vel quia ob gravitatem mali imminentis hîc & nunc cessat alicujus præcepti obligatio, veluti cum Amico observat Rhedingus l. cit. n. 19.

13. *Inferes quartò.* Præcepta humana tam Ecclesiastica, quàm civilia plerumque tam graviter non obligare, ut metus gravis ab iisdem non excuset: neque enim legislator præsumitur tantum onus subditis imponere voluisse. Et sic lex jejunij, audiendi Sacri &c non obligat cum periculo salutis corporalis. *per c de observ. jejuniorum* In triplici tamen casu etiam præcepta humana positiva obligant non obstante gravi metu. *Primò*, quando hoc exprimitur in ipso præcepto, & sic Carthusiani obligantur ad abstinendum à carnibus etiam in periculo mortis.

Secundò, quando metus incutitur eo fine, ut quid fiat in contemptum præcepti, tunc enim communis boni ratio exigit legis observantiam etiam cum jactura boni particularis: Ac *tertiò*, quoties actus præceptus respicit bonum commune: veluti est præceptum de non legendo Sacro sine luminari, sine sacris vestibus, de aquâ in calice miscendâ vino, tunc enim etiam ob magnum periculum & necessitatem non licere præcepto contrariari, propter bonum commune Religionis in tali præcepto principaliter intentum, docet Castropal. cum alijs, quamvis aliqui etiam contrarium opinentur.

Inferes quintò. Præcepta naturalia negativa, 14. ut est de non fornicando, de non faciendo sacramento invalido &c. Obligare in quocunque gravi metu: quia actus ejusmodi præceptis oppositi sunt intrinsecè mali, adeòque nullo metu vel casu excusabiles, aut à malitia separabiles.

Inferes sextò. Transgressionem præcepti na- 15. turalis positivi metum mortis incutientis probabiliter aliquando excusari posse, prout docet Sotus, Navarr. Jo. à S. Th. disp. 3. a. 2. quia præcepta affirmativa non sunt prohibitiva actionis intrinsecè malæ, sed præceptiva actionis intrinsecè bonæ & secundùm moralem honestatem necessariæ, quæ cùm quidem obliget semper, non tamen pro semper, ideo poterit dari aliqua circumstantia, in quâ ipsius transgressio excuset. Et ideo Ildefonsus Bapt. à peccato excusat puellam, quæ non habens proximum periculum consensûs in actum, negativè promittit sui deflorationem, quam sine vitæ suæ discrimine impedire non posset: eò quòd ista propriæ defensionis omissio adversetur solùm præcepto affirmativo, quo tenetur suam pudicitiam contra invasorem ipsius defendere.

Inferes septimò. Præcepta divina positiva in 16. metu gravi non obligare; sic enim habentur exempla in S. Script. primò Jos. 5. præceptum circumcisionis per quadraginta annos itineris Israëlitas non obligabat, quia circumcisi propter laborem itineris de vita fuissent periclitati. Secundò quamvis omnibus laicis panes Propositionis fuerint interdicti, licuit tamen Davidi cum socijs in extremâ famis necessitate illos comedere. 1. Reg. 21. Christus quoque Matt. 12. suos Discipulos fame urgente spicas vellentes in die Sabbathi contra Judæos præceptum observantiæ objicientes memorato exemplo Davidis excusat & defendit. Ut porrò dignosci queat, quandonam grave periculum vel metus excuset, quando non; sequentem regulam tradit Rhedingus l. cit. n. 27. quando nimirum præcepta divina respiciunt propriam operantis utilitatem, tunc urgente gravi metu vel periculo non obligant, & ita aliquando non obligat præceptum materialis integritatis in confessione; quando verò præceptum in sui observantia respicit commune bonum religionis, tunc obligare in quocunque metu vel periculo, sic obligat sigillum confessionis, consecratio sub utrâque specie, confectio Eucharistiæ in pane triticeo &c.

ARTI-

ARTICULUS III.

An & quomodo concupiscentia causet Involuntarium.

SUMMARIA.

1. *Notio & divisio concupiscentiæ.*
2. *Concupiscentia aliquando minuit & tollit voluntarium perfectum.*
3. *Auget tamen voluntarium imperfectum.*
4. *Nunquam per se causat involuntarium.*
5. *Causat tamen aliquando per accidens.*
6. *Motus primò primi non sunt peccaminosi.*
7. *Diversitas inter passionem metûs & concupiscentiæ.*

§. I.

Resolutio Doct. Angelici.

1. CONcupiscentia hoc loco est passio appetitûs sensitivi circa bonum, sive pertineat ad partem concupiscibilem, quæ est circa bonum simpliciter, ut amor, desiderium, gaudium: sive ad partem irascibilem, quæ est circa bonum arduum, ut ira, spes, audacia, excepto timore. Dividitur in *antecedentem & consequentem* [intellige respectu voluntatis actualis] Antecedens est actus appetitûs sensitivi circa bonum sensibile suâ vehementiâ secum rapiens voluntatem ad idem bonum amplectendum. Consequens est actus appetitûs sensitivi circa bonum sensibile, excitatus & imperatus ab ipsâ voluntate præviè operante. Ista nunquam causat involuntarium, siquidem ab ipso voluntatis actu causatur. De illâ verò instituta quæstione

2. CONCLUSIO. *Concupiscentia*, [1.] *etsi aliquando minuat, aut omnino tollat voluntarium perfectum. seu liberum*, [2.] *auget tamen voluntarium imperfectum*, [3.] *& nunquam per se causat involuntarium etiam secundùm quid*. Ita S. D. hîc a. 7.

Ratio primi est: quia passio vehemens ita potest turbare judicium rationis, ut parùm vel penitùs non attendat ad proportionem finis & mediorum, imò ut ne quidem ampliùs habeat cognitionem indifferentem: sed in priori casu minuitur, in posteriori tollitur voluntarium perfectum seu liberum.

3. *Ratio secundi* est, quia actus, cum majori intensione procedens à voluntate, est magis voluntarius secundùm rationem voluntarii saltem imperfecti, quæ plus non requirit, quàm procedere ab appetitu cum aliqua cognitione finis. Atqui voluntas ex impulsu concupiscentiæ tendens in aliquod objectum, cum majori intensione in illud fertur, quàm si nulla passione moveretur: ergò.

Ratio tertii est; quia voluntarium etiam secundùm quid, tantùm potest provenire ex aliqua fuga mali adversantis voluntati: atqui concupiscentia nullam rationem mali offert voluntati, sed præcisè inducit in amplexum boni delectabilis: ergò. 4.

Dixi tamen, *per se* non causari involuntarium; per accidens quippe causari potest, ut primò, si quis ex ira, vel amore eligat media molesta & amara, ducat noctes insomnes, committat se periculis, &c. Secundò, si operando ex concupiscentia causet remorsum conscientiæ; hoc tamen involuntarium respectu concupiscentiæ censetur esse per accidens, quia non oritur ex formali ratione objecti delectabilis quod concupiscentia respicit, dum econtrà tristitia, quam quis patitur ob merces in mare projectas, oritur ex formali ratione objecti, hoc est, mali, quod metus respicit. 5.

§. II.

Corollaria.

COlliges primò. Vitiosos motus primò primos voluntatis ex passione concitatos non esse peccaminosos, quamdiu non accedit vel formalis vel interpretativa advertentia rationis: tunc enim deest ipsis libertas; quamprimùm verò accedit advertentia rationis, fiunt peccaminosi, nisi quantociùs ratio contradicat; quia tunc non tantùm sunt voluntarii voluntario imperfecto, sed etiam libero, ipsæque passiones fiunt ex antecedentibus consequentes & voluntariæ saltem interpretativè. 6.

Colliges secundò. Diversitatem inter modum quo voluntas operatur ex metu & ex concupiscentia. Nam metus est per se inductivus voluntatis ad electionem minoris mali præ majori malo: unde cùm malum per se displiceat voluntati, in ipsâ causat nolleitatem illius mali quod eligitur. Econtrà concupiscentia est inductiva voluntatis ad electionem boni quatenùs suâ bonitate & suavitate allicientis, quæ per se non est apta fundare nolleitatem, aut tristitiam, sed tantùm rationem alicujus mali per accidens conjuncti, quod concupiscentia superare non potest. 7.

ARTICULUS IV.

An & quando ignorantia causet involuntarium?

SUMMARIA.

1. *Ignorantia antecedens.*
2. *Ignorantia consequens.*
3. *Ignorantia concomitans.*
4. *Ignorantia antecedens est causa involuntarii simpliciter.*
5. *Ignorantia consequens non causat involuntarium simpliciter*, 6. *Sed secundùm quid.*
7. *Objectiva diluuntur.*
8. *Ignorantia concomitans causat involuntarium.*
9. *Objecta solvuntur.*
10. *Ignorantia consequens aleviat gravitatem peccati.*
11. *Ignorantia invincibilis tam antecedens, quàm concomitans excusat à culpâ.*
12. *Ad ignorantiam invincibilem requiritur inculpabilis oblivio vel inadvertentia.*
13. *Invincibilis ignorantia quandonam invalidet contractus & vota?*

§. I.

Explicatio & divisio ignorantiæ.

1. IGnorantia dividitur *in antecedentem*, *consequentem*, *& concomitantem*. Antecedens [alio nomine invincibilis, inculpabilis, probabilis] est illa quæ antecedit actum voluntatis, & omni morali ac debitâ diligentiâ adhibitâ vinci non potuit, ut proinde nec directè nec indirectè sit voluntaria, sed tamen suo modo, nempe removendo prohibens, sit causa, quòd actus fiat, qui absente hâc ignorantiâ nullo modo fieret: e. g. Petrus nullâ intermissâ necessariâ & debitâ inquisitione, num hodie sit dies jejunij, tamen ignorat esse diem jejunij, sicque carnes comedit, non comesturus, si sciret esse diem jejunij: hîc non observantia præcepti causatur ab ignorantiâ antecedenti, quia per ipsam inculpabiliter removetur scientia præcepti, quæ si adfuisset, carnium comestionem impediisset.

2. Consequens ignorantia [aliàs etiam vincibilis, culpabilis, improbabilis] est quæ sequitur actum voluntatis vel formalem, vel interpretativum, estque proinde *directè*, vel *indirectè voluntaria*. Directè voluntaria erit, si sit affectata, ut cùm quis studio intermittit inquirere obligationem, quò liberiùs peccare possit, ad modum illius, Ps. 25. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Indirectè voluntaria est, cùm quis non adhibet diligentiam ad deponendam ignorantiam, quantam potest & debet adhibere, estque aliquando *crassa*, *& supina*, cùm nullam vel valde modicam diligentiam adhibuit; aliàs non *crassa*, cùm quidem aliquam, sed insufficientem diligentiam adhibuit.

3. Concomitans ignorantia dicitur, quæ cum actu voluntatis per accidens conjungitur; ita ut neque sit causa actûs, neque effectus: ut si explosione bombardæ occidas inimicum, quem invincibiliter existimas esse feram, eundem tamen nihilominùs occisurus, si scivisses adesse. Quibus positis expedita est præsentis quæsiti resolutio. Unde

§. II.

Resolutio de ignorantia antecedente, & consequente.

4. CONCLUSIO prima. *Ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter*, S. D. hîc a. 8.

Ratio est, quod causat effectum repugnantem virtuali saltem & interpretativæ voluntati, causat involuntarium simpliciter: sed ignorantia antecedens causat effectum omnino repugnantem saltem interpretativæ voluntati; quia si adesset notitia, talis actus nullo modo poneretur: ergo ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter.

5. CONCLUSIO secunda. *Ignorantia consequens non causat involuntarium simpliciter, sed secundùm quid.*

Ratio primi est: quòd qui vult antecedens, etiam vult consequens natum ex illa sequi, & qui est causa causæ quà talis, etiam est causa causati; sed ignorantia vincibilis est directè vel indirectè voluntaria: ergo etiam effectus ex illa secutus est talis.

Ratio secundi est: quia ad involuntarium secundùm quid sufficit, quòd sit contra aliquam inclinationem voluntatis: sed actus proveniens ex vincibili ignorantia sæpe est contra aliquam inclinationem voluntatis; nam & qui ex vincibili ignorantiâ occidit amicum, existimans esse feram, dolet se occidisse: ergo actus ex vincibili ignorantia proveniens poterit esse involuntarius secundùm quid. 6.

Dices primò. Actus quem causat ignorantia antecedens, v. g. explosio bombardæ, & comestio carnium, est simpliciter voluntarius: ergo ignorantia antecedens causat voluntarium. 7.

Secundò. Non minùs ignorantia consequens removet scientiam effectûs, & facit, quòd operans non poneret effectum, si haberet notitiam ipsius, quàm ignorantia antecedens: ergo non minùs causat involuntarium simpliciter.

Resp. ad. 1. quòd ille actus sit quidem voluntarius quoad substantiam actûs, & in ratione explosionis seu fericidii, & alter actus in ratione comestionis, neuter sit tamen voluntarius in ratione circumstantiæ vel effectûs invincibiliter ignorati, qualis in primo actu est homicidium, in altero non observantia præcepti: Atqui actus sub priori ratione non est propriè causatus ex ignorantiâ.

Ad secundum dist. anteced. Non minùs hoc facit ignorantia consequens, quàm antecedens, ita tamen ut sit indirectè volita, concedo; ut non sit indirectè volita, nego anteced. & conseq.

§. III.

Resolutio de ignorantia concomitante.

8. CONCLUSIO tertia. *Ignorantia concomitans nec causat voluntarium, nec causat privativè, vel contrariè involuntarium, sed negativè non voluntarium.* Ita S. D. hîc a. 8 *Ratio est*: quod fit ex ignorantia concomitante, nec est cognitum, nec contra aliquam inclinationem formalem, vel interpretativam voluntatis: sed quod non est cognitum invincibiliter, non potest esse voluntarium; quod non est contra aliquam inclinationem voluntatis, non potest ulla ratione esse contrariè involuntarium: ergo quod fit ex ignorantia concomitante, nec est voluntarium, nec contrariè aut privativè involuntarium. Restat ergo, quòd tantùm sit negativè non voluntarium.

Dices primò. Ut ignorantia consequens causet involuntarium secundùm quid, sufficit, quòd voluntas ita sit disposita, ut non poneret talem effectum, si haberet ejus notitiam: ergo etiam ut ignorantia concomitans causet voluntarium saltem secundùm quid, sufficit, quòd voluntas ita sit affecta, ut causaret, & poneret effectum, si haberet scientiam ipsius: e. g. ut occidens feram ita sit dispositus, ut etiam occideret inimicum, quem inculpabiliter existimat esse feram. 9.

Secundò. In ordine ad subjectum capax non datur medium inter formam & privationem; sed voluntarium & involuntarium respectu actûs voluntatis opponuntur tanquam forma & privatio: ergò inter illa non datur medium, sicque quilibet actus, aut erit voluntarius aut involuntarius contrariè.

Resp.

Resp. ad. 1. neg. consequent. & paritatem; quia ad involuntarium secundùm quid non requiritur cognitio, sed sufficit, quòd sit contra propensionem operantis: Ad voluntarium verò secundùm quid necessaria foret aliqualis advertentia, & cognitio, quam tamen ignorantia concomitans tollit.

Ad. 2. nego suppositum consequentis, quòd in præsenti actus voluntatis sit capax voluntarii & involuntarii: cùm enim sit destitutus necessariâ scientiâ objecti, non est capax voluntarii, & cùm non sit conjunctus cum aliqua resistentia circa tale objectum, etiam non est capax involuntarii.

§. IV.
Corollaria.

10. COlliges primò. Ignorantiam consequentem [nisi sit affectata] esse circumstantiam alleviantem peccatum, quia facit actum involuntarium secundùm quid. Hinc *primò* peccans ex ignorantia consequente leviorem meretur pœnam, quàm is qui peccat ex scientia: quantitas enim pœnæ debet esse commensurata quantitati culpæ. *Secundò.* Si pœna sit lata contra scienter & temerè prævaricantes, non comprehenduntur delinquentes ex ignorantia non affectata. Neque *tertiò* incurritur censura ab his, qui illam saltem non crassè ignorant: siquidem in iis non præsumitur formalis, aut virtualis contumacia, quam censura [exceptâ irregularitate] præsupponit.

11. *Colliges secundò.* Ignorantiam invincibilem, non tantùm antecedentem, sed etiam concomitantem excusare à culpa, & consequenter à pœnis ac censuris contra ejusmodi transgressiones latis, ubi enim non est liberum aut voluntarium, ibi nec potest esse peccatum. Neque refert, quòd habens ignorantiam concomitantem, sit in eâ animi dispositione, ut hunc ipsum effectum posuisset, v. g. inimicum occidisset, si adesse scivisset: DEUS quippe homini non imputat peccata, quæ faceret, sed quæ facit: neque habitualis illa dispositio hîc & nunc in actum influit.

Colliges tertiò. Ad ignorantiam antecedentem pertinere inculpabilem oblivionem aut inadvertentiam, ut sicui nulla prorsus cogitatio aut scrupulus in mentem veniat, quo animus ipsius ad investigandam veritatem excitetur. Inde fit, quòd ab hæresi formali excusentur multi homines simplices, in terris hæreticorum nati & educati, quibus de fidei veritate nullus unquam scrupulus aut dubitatio oritur. Similiter excusantur à peccato, qui negotiis distracti ex naturali oblivione aliquas preces, v. g horas canonicas, ad quas recitandas obligabantur, omittunt. 12.

Colliges quartò. Per invincibilem ignorantiam aliquando contractus & vota reddi invalida; cùm videlicet error & ignorantia afficit ipsam contractûs & voti substantiam, vel circumstantiam talem, quæ in substantiam redundat: ut e. g. si vitrum pro gemma emisti: si existimas te promittere matrimonium Catharinæ, promisisti Magdalenæ: si existimas ordinem Carthusianorum esse facillimum, vovisti illum ingredi, &c. Cujus ratio est, quòd quatenus contractus est involuntarius, eatenus est nullus: sed si ignorantia afficit substantiam contractûs, fit etiam quoad substantiam involuntarius: ergo etiam fit in seipso, & quoad substantiam nullus. Quòd si ignorantia tantùm cadat super aliquam circumstantiam accidentalem contractûs, sicuti quoad substantiam remanet voluntarius, ita manebit etiam validus. 13.

ARTICULUS V.
An detur invincibilis ignorantia juris naturalis.

SUMMARIA.

1. *Quid ignorantia juris & facti?*
2. *Utraque potest esse invincibilis & excusare à peccato.*
3. *Datur etiam invincibilis ignorantia juris Divini.*
4. *Non datur invincibilis ignorantia juris naturalis quoad universalissima principia morum.*
5. *Datur quoad præcepta secundaria.*
6. *Excusat à peccato.*
7. *Exponuntur objecta authoritates.*
8. *Jura & præcepta ad alicujus officium pertinentia invincibiliter non ignorantur.*

§. I.
Resolutio quæstionis.

1. IGnorantia dividitur in ignorantiam juris & facti: quorum ista est de rei existentiâ: v. g. sitne hoc animal, quod vides, homo: sitne hic homo Clericus: sitne hæc mulier consanguinea, &c. Altera est ignorantia de legis prohibentis vel obligationis existentia, v. g. sitne hic contractus illicitus, sitné hic dies jejunij, vel festivus, sitné hoc impedimentum dirimens &c.

Dari invincibilem ignorantiam tam juris quàm facti, quæ propter defectum voluntarii à peccato excuset, communis est inter Doctores. Neque refert, quòd in foro externo non facilè audiatur, qui ignorantiam juris prætendit per Reg 13. Juris in 6. *ignorantia facti non juris excusat.* Hæc enim solùm contingit ex præsumptione, quâ post debitam legum promulgationem nemo facilè leges ignorare præsumitur. Hanc tamen præsumptionem siquis per invincibilis ignorantiæ probationem sufficienter possit elidere, etiam erit in foro externo audiendus, ut colligitur ex c. *cùm in tua: qui matrimonium accusare possunt:* & inde constat, quòd forum externum conformetur foro interno conscientiæ, quamdiu præsumptio non est in contrarium. 2.

Nec tantùm juris humani positivi, sed etiam divini dari invincibilem ignorantiam ex eo liquet, quòd aliqui fidem, quæ est juris divini, invincibiliter ignorent propter defectum prædicantis, ideoque sint infideles negativi, quibus hæc infidelitas negativa in peccatum imputari 3.

non possit, prout Pius V. Greg. XIII. & Urbanus VIII definiverunt contra Michaëlem David, & deducitur è S. Script. Rom. 10. *quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* & Jo. 15. *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent &c.* Controversiam cum Jansenio movent rigidiores quidam Theologi de præceptis Juris naturalis, utrùm illa invincibiliter ignorari possint? de quo sit

4. CONCLUSIO. *Etiamsi Jus naturale ab homine rationis compote quoad prima principia moralia universalissima non possit invincibiliter ignorari: datur tamen invincibilis ignorantia in præceptis secundariis morum partialiter directis.* ita S. D. infrà q. 94. a. 6.

. Primæ partis ratio est; quia jus naturale est inscriptum in tabulis cordis, & in ipso dictatorio rationis & luminis naturalis, juxta illud Pf. 4. *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* Sicut ergo ratio & lumen naturale per peccatum non omnino fuit extinctum, quamvis fuerit notabiliter obscuratum, ita etiam est impossibile, ut in adulto rationis usu prædito non supersint universalissima morum præcepta; uti sunt: Bonum sive honestum esse prosequendum, malum fugiendum; & illud: Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris. De quo D. Augustinus in Pf. 57. *hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur, & quibus lex non esset data*

5. Ex his porrò primis principiis aliqua præcepta naturalia quasi per se consequuntur & facillimo discursu inferuntur, uti sunt præcepta decalogi, quæ proinde & ipsa saltem ad longum tempus invincibiliter ignorari non possunt, nisi aliquâ notabili circumstantiâ afficiantur, per quam actûs malitia & inhonestas occultetur vel excusetur. Ita licèt perspicuum sit, non esse licitum interficere innocentem, vel seipsum; non esse licitum mentiri: non tamen æquè perspicuum est, utrùm non liceat mentiri pro salvandâ vitâ proximi, sibiipsi necem inferre pro conservandâ pudicitiâ, vel evitandis gravissimis tormentis, interficere hominem sine spe vitæ cum gravissimis doloribus luctantem, &c. Unde in istis etiam præceptis aliquando intervenire posse ignorantiam invincibilem patet.

Secundæ partis ratio: In iis potest intervenire ignorantia invincibilis, quæ non facilè per evidentem ratiocinationem deducuntur è primis principiis morum, & in quibus non apparet connexio & resolutio ad primas regulas per se notas; sed in præceptis naturalibus secundariis rudiores ac simpliciores non facilè perspiciunt hanc connexionem, neque ex principiis morum istas conclusiones expeditè deducunt: igitur nil obstat, quare simpliciores habeant ejusmodi præceptorum invincibilem ignorantiam; nam invincibilis ignorantia ex duplici capite evenire potest, vel quia animum nullus scrupulus & cogitatio alicujus obligationis pulsat, vel quia post cogitationem de tali præcepto adhibita est moralis diligentia ad illud investigandum, nec tamen potuit deprehendi: sed utroque modo contingit præcepta juris naturalis ignorari. Primo quidem modo, quia confessarij per experientiam deprehendunt, adolescentes ignoranter aliqua subinde committere contra jus naturæ, quorum scrupulum primùm post majorem judicii maturitatem conceperunt. Sic inter rusticos multa quandoque superstitiosa deprehenduntur, quæ à parentibus accepta sine scrupulo & bona fide practicant.

Secundo etiam modo datur invincibilis ignorantia, quia de facto sunt plurima juris dubia in quibus ad certitudinem deveniri non potest. Ita disputatur in utramque partem, an liceat Judici damnare vel occidere reum, qui secundùm allegata & probata est nocens, privatâ tamen Judicis scientiâ est innocens. An census redimibilis sit usurarius? Utrùm justè damnatus ad sumendum venenum possit illud propriâ manu ori infundere? Olim quoque tempore Concilij Lateranensis erat utrinque controversum, an montes pietatis essent liciti vel usurarij?

§. II.

Occurritur Adversariis.

Objicies. Si daretur invincibilis ignorantia juris naturalis, tunc excusaret à peccato: sed non excusat: ergo. Sequela patet ex dictis: quia ubi non est voluntarium non est peccatum: sed ignorantia invincibilis tollit voluntarium: ergò. Minor probatur variis authoritatibus: primò è S. D. quodlibet. 3. a. 10. dicente: *Nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri:* [loquitur autem de ignorantia juris naturalis] *in talibus enim ignorantia non excusat.* Secundò ex Tertull de spect. c. 20 *Nunquam excusatur, quod DEUS damnat. Nusquam & nunquam licet, quod semper & ubique non licet, &c.* sed quod est contra jus naturale, nunquam licet, est à DEO damnatum: ergò nunquam excusatur. Tertiò Gratianus 1. q. 4. Ignorantia juris naturalis omnibus adultis damnabilis est. Quartò D. August. ep. 104. *Siquis bonum esse putaverit, quod malum est, hoc putando utique peccat.* Ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque bene fieri putat, quod malè fit. 6.

Respondeo negando minorem. Ad cujus primam probationem dico, S. Doct. ibidem manifestè loqui de ignorantia & errore vincibili non tantùm juris naturalis, sed fidei, quia ex recursu ad S. Script. & Ecclesiæ authoritatem deprehendi ac deponi potuit; veluti indicant hæc sequentia illius verba: *Qui ergo assistit opinioni alicujus Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, sive contra id quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ authoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Ad 2. Resp. Verba Tertulliani tantùm velle, quòd lex naturæ sit immutabilis, ita ut per se nunquam fiat licitum, quod est jure naturali prohibitum, quamvis per accidens aliquando ratione ignorantiæ, quæ superari non potest, legis illius materialis transgressio excuset. Ad 3 Resp. Gratianum esse intelligendum de primis & notissimis principiis juris naturalis. Ad 4. Resp. S. Doctorem loqui de vincibili adeòque culpabili ignorantia: nam mens ipsius abundè constat ex alibi dictis ep. 48 *Nullius crimen maculat nescientem.* & l. de 2. animabus. *Nemo peccat in eo,* 7.

quem-

quem vitiare non potest. Et: *Non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignores.* Ac l. de vera relig. c. 14. *Usque adeò peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Et hoc ita manifestum est, ut nulla indoctorum turba dissentiat.

8. Colliges ex dictis. Illorum jurium & legum ignorantiam non reputari invincibilem, quarum cognitio pertinet ad alicujus officium, & adhibita morali diligentiâ obtineri potuit. Unde non excusantur per ignorantiam Christiani nescientes, quæ pertinent ad hominis Christiani officium: neque Clericus aut Religiosus ignorans obligationes statûs Clericalis aut Religiosi, &c. cùm enim susceptioni alicujus officii annexa sit obligatio procurandi sufficientem notitiam omnium obligationum ad munus illud ritè obeundum pertinentium, hoc ipso quòd quis debitam diligentiam in hac notitia procuranda intermittat, legum transgressiones ipsi efficiuntur indirectè & interpretativè voluntariæ.

DISPUTATIO VIII.
DE
Actibus humanis in specie.

Quæ S. D. à q. 9. usque ad 20. inclusivè disputat, hâc disputatione complectimur, & primò modum, quo voluntas ad actum procedit; quo vel seipsam movet, vel ab aliis principiis tum intrinsecis tum extrinsecis movetur; denique ipsorum humanorum actuum naturam, distinctionem, Oeconomiam, & coordinationem contemplamur.

ARTICULUS I.
Quomodo voluntas moveatur ab intrinsecis principiis.

SUMMARIA.

1. *Impossibile est, ut voluntas appetat malum sub ratione mali.*
2. *Non datur in voluntate affectus neuter.*
3. *Intellectus movet voluntatem in genere causæ finalis, & formalis extrinsecæ.*
4. *Diluuntur objecta.*
5. *Appetitus sensitivus in voluntatem influit indirectè quoad specificationem actûs.*
6. *Authoritates S. Script. non evincunt efficaciam effectivam.*
7. *Implicat voluntatem ferri in incognitum.*
8. *Amor mysticus non est sine operatione intellectûs.*
9. *Ad actus deliberatos requiritur judicium rationis.*

§. I.
Influxus intellectûs in voluntatem.

1. Suppono primò ex dictis in 1. disp. adæquatum objectum voluntatis esse bonum, ita ut nullâ ratione possit appetere malum sibi ab intellectu propositum sub ratione mali: sicut enim est impossibile ut intellectus assentiatur falso quà tali, quia adæquatum ipsius objectum est verum; ita neque possibile est voluntatem prosecutivè tendere in malum, cùm adæquatum objectum appetitûs sit appetibile, h. e. bonum.

2. Suppono secundò contra Scotum, non dari in voluntate affectum neutrum, ut vocat, h. e. talem actum, qui nec sit de fine, neque de mediis ad finem. Nam bonum vel appetitur propter se, vel propter aliud: sed in omni actu voluntatis reperitur appetitus boni tanquam objecti adæquati: ergo vel illud bonum appetitur propter se, vel propter aliud: si propter se, tunc est bonitas finis; si propter aliud, est bonitas mediorum. Confirmatur. Omne bonum vel est honestum, vel delectabile, vel utile; si honestum, vel delectabile, tunc habet bonitatem finis; si utile, tunc habet bonitatem medii ad finem. His positis quæritur quomodo & in quo genere causæ voluntas moveatur ad suum actum ab aliis potentiis à se distinctis, nempe ab intellectu, & ab appetitu sensitivo. Pro cujus resolutione sit

CONCLUSIO prima. *Intellectus per objectum à se propositum in genere causæ finalis & formalis extrinsecè specificantis influit in actum voluntatis.* S. D. hîc q. 9. a. 1. 3.

Ratio est: Motio objectiva, quâ voluntas per ostensionem boni & finis ad actum allicitur, & ad certam speciem actûs determinatur, pertinet partim ad genus causæ finalis, partim ad genus causæ formalis extrinsecæ: sed intellectus voluntatem non aliter movet ad suum actum, quàm proponendo & præsentando ei suum objectum, ut docet S. D. in c. ergò.

Dices primò. Imperium efficax est actus intellectûs: sed iste efficienter & executivè determinat voluntatem: ergo intellectus etiam efficienter voluntatem determinat ad suos actus. 4.

Secundò. Voluntas habet causam efficientem suorum actuum non tantùm quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem: sed ipsa non est causa efficiens suorum actuum quoad specificationem; neque enim ipsa potest esse ratio, cur actus sit hujus potiùs, quàm illius speciei: ergo intellectus est causa efficiens actuum voluntatis quoad specificationem.

Resp. ad 1. dist. min. efficienter determinat volun-

voluntatem vi efficaciæ sibi impressæ per prævium voluntatis actum, concedo; sine illo, nego: ergò intellectus efficienter movet voluntatem, ex propriâ solùm ratione, nego; ex efficacia ipsius voluntatis sibi communicatâ, conc. Ad. 2. nego min. & probationem distinguo; Voluntas præcisè secundùm se sumpta non potest esse ratio, cur actus potiùs sit hujus quàm illius speciei, concedo: suppositâ indifferenti propositione objecti, nego: tunc enim ex intrinseca sua electiva & dominativa virtute habet, ut se determinet efficienter tam ad exercitium quàm ad speciem actûs.

§ II.
Influxus appetitûs sensitivi.

5. CONCLUSIO secunda. *Appetitus sensitivus in voluntatem tantummodò influit ex parte objecti indirectè & quoad specificationem actûs.*

Ratio est: Passio, vel affectus appetitûs sensitivi est remota ratio, quòd objectum proponatur ut conveniens vel disconveniens: sed objectum propositum ut conveniens vel disconveniens specificat actus voluntatis: ergo passio vel affectus ab appetitu sensitivo proveniens est remota ratio, cur voluntas hujus vel istius speciei actus producat; & hoc est indirectè & remotè influere in specificationem actûs. Major constat per experientiam: quia quo modo aliquis est per affectum & passionem dispositus, taliter solet de objecto indirectè judicare.

6. Dices. S. Script. & S. D. tribuunt passioni vim abstractam & impulsivam voluntatis: sed hoc secundùm proportionem objectorum significat effectivam impressionem in voluntatem: ergo. Maj. patet *ex ep. ad Rom. 7. Video aliam legem in membriis meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.* Jac. 1. *Unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus.* Dan. 13. *Concupiscentia subvertit cor tuum.* Et S. D. q. 26. de Ver. a. 6. *Ex concupiscentia voluntas inclinatur ad consentiendum concupiscibili, vel ex ira ad volendum vindictam.* & a. 7. *passiones*, inquit, *impellunt voluntatem.*

Resp. Cunctis hisce authoritatibus tantùm significari impulsum & motionem illectivam seu allectivam (ut ostendunt verba Jacobi) tenentem se ex parte objecti, non proximè, sed remotè in quantum intellectus propter passionis vehementiam remissiùs proponit honestatem objecti, & efficaciùs proponit delectabilitatem objecti concupiscibilis.

§. III.
Corollaria.

7. COlliges ex dictis primò: Nec per absolutam DEI potentiam fieri posse, ut voluntas in incognitum tendere, sive sine præviâ cognitione quicquam velle possit: ut docet S. D. a. 1. juxta commune axioma: *Nil volitum, quin præcognitum: & : Ignoti nulla cupido.* Et D. Aug. l. 8 de Trin. c. 4. *Nullo modo potest amari ignotum, licet possit sciri, quod non diligitur.* Et l. 10. c. 2. *Rem prorsus ignotam nemo diligere potest.* Ratio ex dictis est; Implicat voluntatem vitaliter operari, priusquam habeat objectum, à quo moveatur & specificetur; sed absque prævia cognitione non habet objectum: ergo. Min. probatur: Objectum voluntatis est bonum determinatum objectivè alliciens, & ad certam speciem objectivè determinans: sed hoc non est bonum incognitum: neque bonum aliter allicit & ad hanc speciem actûs determinat, nisi quia est ab intellectu propositum sub ratione convenientis: ergo.

Unde non sunt audiendi, qui ex eo quòd Mystici Theologi cum S. Dionysio in 1. de Theol. myst. asserant, supremam unionem hujus viæ cum DEO, fieri per doctam ignorationem & ablationem omnium operationum sensuum & intellectûs, eamque idcirco appellent caliginosum amorem, otium intellectûs &c. inferunt, mysticum illum amorem, & ecstaticum perfectissimæ dilectionis actum, quo sanctiores animæ in hac vita DEO uniuntur, fieri absque ullâ cognitione; nam, ut contrà astruit comm. Scholastic. & Mystic. teste Augustino à V. M. tr. de char. disput. 26. q. un. & Herincx in p. 2. disp. 2. q. 4. Jo. à I. M. de Theol. Myst. dub. 11. D. Dionysii, aliorumque ita loquentium mens est, quòd in illo sublimi amore intellectus quiescat à negotiosa conversione ad phantasmata, conceptuum, discursuumque laboriosa indagine; non autem negant, quin voluntatis actum præeat fixa quædam & tranquilla divinæ bonitatis contemplatio: aliàs certè sacerrimus ille actus charitatis, cùm non procederet ex cognitione, neque liber esset, ac proinde nec meritorius: nec foret participatio divini, & beatifici amoris, qui secundùm dicta, præviam visionem supponit. 8.

Colliges secundò. Ad imperfectos & indeliberatos actus voluntatis sufficere simplicem apprehensionem objecti; ad actus verò deliberatos requiri judicium rationis. Ratio 1. p. est: quia potentia naturaliter inclinata ad bonum, movetur, si ipsi bonum appetibile debitè repræsentetur, sicuti objectum sensibile sub ratione convenientis vel disconvenientis, per simplicem notitiam sensûs repræsentatum sufficienter movet appetitum sensitivum: sed potest voluntati per simplicem apprehensionem repræsentari objectum sub ratione boni sibi convenientis: ergo potest voluntas seu appetitus naturaliter inclinatus in bonum suppositi per simplicem apprehensionem objecti moveri ad aliquos actus imperfectos & primò primos. 9.

Neque dicas: Voluntas non potest moveri nisi sit certa de bonitate actûs: sed ante judicium non est certa: ergo. Resp. negando vel dist. maj. nisi sit certa vel exercitè vel signatè, transeat: nisi sit certa signatè, seu in actu signato, nego. Sed sine judicio non est certa signatè, concedo: exercitè & ex modo tendendi, in quantum fertur in objectum sine admixtâ dubietate & incertitudine, nego min. & conseq.

Ratio 2. p. est. quia in actu libero reperitur notitia eligibilitatis unius rationis pro aliâ: sed ejusmodi notitia est formale judicium: ergo ad actum liberum & perfectum voluntatis requiritur judicium.

Neque dicas: Potest DEUS absque specie intermediâ determinare intellectum ad claram sui visionem in patria: ergo etiam posset voluntatem Beati

tem Beati per seipsum determinare ad sui amorem absque cognitione prævià.

Nam Resp. negando conseq. quia divina essentia potest esse & est per seipsam intelligibilis in actu sine specie superaddita: non autem potest sine repræsentatione intellectuali induere rationem objecti finaliter moventis & specificantis, secundùm dicta.

ARTICULUS II.

Quomodo voluntas moveat?

SUMMARIA.

1. *Voluntas executivè movet potentias subjectas.*
2. *Triplex differentia potentiarum in subjectione ad voluntatem.*
3. *Potentiæ vegetativæ non sunt in arbitrio voluntatis.*
4. *Sensus quoque externi non nisi applicativè & indirectè subsunt arbitrio voluntatis.*
5. *Intellectus in plerisque actibus subjicitur voluntati.*
6. *Appetitus sensitivus subjicitur voluntati politicè non despoticè.*
7. *Potentia loco-motiva subjicitur appetitui despoticè.*
8. *Voluntas executivè movet seipsam.*
9. *Perfectius est movere directè, quam effectivè.*
10. *Voluntas non habet influxum in alias potentias à suis actibus distinctum.*

§. I.

Voluntatis influxus in alias potentias.

1\. CONCLUSIO prima. *Voluntas movet alias potentias sibi subditas quoad exercitium in genere causæ efficientis.* S. D. l. cit. q. 9. a. 1. Ratio ipsius est: Potentia habens pro objecto finem & bonum universale, movet executivè potentias habentes pro objecto media, vel bona particularia: veluti dux in exercitu movet imperio minores præfectos & milites: sed voluntas habet pro objecto finem, & bonum universale; aliæ verò potentiæ subditæ pro objecto habent bona particularia ordinabilia ad illum finem: ergo voluntas executivè movet alias potentias sibi subditas.

Confirmatur. Illa potentia movet alias quoad exercitium, quæ primò movetur à fine: sed voluntas primò movetur à fine: ergò. Maj. probatur. Cùm omne agens agat propter finem, principium hujus motionis est ex fine: sed non est ex fine nisi per motionem illius potentiæ, quæ primò movetur à fine: ergo quòd quælibet potentia aliquo modo agat propter finem, habet ex motione voluntatis.

2\. Dixi: voluntatem efficienter movere potentias sibi subditas: sunt enim potentiæ in triplici differentia: aliquæ non subduntur in suis actibus voluntatis impulsui: aliquæ subsunt ipsius imperio politico, aliquæ despotico. Ubi illæ dicuntur despoticè subjici, quæ absque ulla resistendi facultate ad nutum obediunt, uti servus obedit domino: politicè subjiciuntur quæ licèt pareant imperanti, tamen aliquamdiu volunt resistere, & subinde rebellionem movent imperanti.

3\. Itaque primò potentiæ pertinentes ad vitam vegetativam quoad suos proprios actus non sunt in arbitrio voluntatis; quamvis enim applicatio materiæ sit in potestate voluntatis, hâc tamen semel applicatâ potentia nutritiva, augmentativa, generativa suos actus independenter à voluntate & necessariò exercent: ideoque nec laudis nec vituperii sunt capaces. Cùm enim ad suos actus, in quibus non apprehensionem & appetitum rationalem, sed formam & appetitum naturalem sequuntur, sint naturaliter determinatæ, aliâ potentiâ determinante non indigent.

Neque Dicas: Etiam circa actus vitæ vegetativæ dantur vitia & virtutes, unde & actus abstinentiæ ac castitatis sunt laude digni: ergo etiam isti actus sunt sub regimine voluntatis. Nam Resp. Virtutes & vitia circa actus vitæ vegetativæ nonnisi remotè versari; proximè verò circa actus animæ & vitæ sensitivæ, qui ad actus vitæ vegetativæ ulteriùs ordinantur, & servant mediocritatem in delectationibus cibi, potus &c.

Secundò. Sensus externi, etsi quoad applicationem ad sua objecta mediatè & indirectè pareant voluntati, secundùm quam applicationem etiam sunt moraliter boni vel mali [ut si oculum ab aspectu curioso cohibeas] tamen immediatè & directè secundùm ipsorum actuum elicientiam non pendent à nutu voluntatis, cùm sint naturaliter determinati ad suos actus: unde etiam repugnante voluntate extorqueri possunt. 4.

Tertiò. Intellectus exceptâ primâ finis repræsentatione, & subitis apprehensionibus objectorum, quæ non sunt in nostrâ potestate, subjicitur imperio voluntatis: neque in cæteris actibus est ex seipso determinatus, ideoque ut liberè fiant, indigent voluntatis determinatione. 5.

Quartò. Appetitus sensitivus in motibus primò primis, qui consequuntur imaginationem & rationem præveniunt, voluntati non subjiciuntur, quâ de causâ dixit Apostolus Rom. 7. *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi, malum.* Quoad reliquos tamen actus, sicut etiam quoad continuationem primorum motuum, postquam accessit advertentia rationis subjicitur voluntatis imperio, uti dicitur Gen. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*: passiones quippe appetitûs sensitivi aliarum specierum applicatione & objectorum consideratione à ratione impediuntur. Nihilominus ipsa subjectio non est despotica sed politica: quia ut experientia docet, & testatur Apostolus, in naturâ lapsâ, & corruptâ per peccatum sæpe motus sensualitatis etiam contradicente & repugnante ratione insurgunt, quod inde contingit, quia motus concupiscentiæ sequuntur sensitivam cognitionem; quæ aliquando per alterationem corpoream rationis imperio nequaquam subjectam excitatur; ideoque illi motus etiam prohibente ratione quandoque perdurant. 6.

7. Quintò. Potentia loco-motiva despoticè subest appetitui tam rationali quàm sensitivo: quia non tantùm homo, sed etiam bruta pro suo libitu ab uno loco in alium moventur.

§. II.

Voluntatis motio erga seipsam.

8. CONCLUSIO secunda. *Voluntas etiam executivè movet seipsam.* S. D. a. 3. Ratio est: Illa potentia movet seipsam, quæ seipsam per propriam & præviam operationem determinat ad alium actum eliciendum, sicque seipsam redigit de potentia in actum: sed voluntas per præviam intentionem finis seipsam applicat & determinat ad electionem mediorum: ergo voluntas movet seipsam.

9. Dices primò. Perfectior potentia effectivè movet potentiam minùs perfectam: quia movere est perfectius, quàm moveri: sed intellectus est potentia perfectior, quàm voluntas: ergo non intellectus à voluntate, sed voluntas ab intellectu efficienter moveri debet.

Resp. negando maj. quia perfectius est movere directè, quàm effectivè; cùm igitur intellectus directè moveat voluntatem in genere causæ formalis extrinsecæ, est in genere movendi simpliciter perfectior, quàm voluntas. Et sic ad probationem, movere perfectius est quàm moveri, in quo genere movetur, concedo; in alio, nego. Et sic voluntas in genere causæ efficienter moventis est perfectior, quàm intellectus; quia tamen in genere causæ directivæ voluntas movetur ab intellectu, ideo intellectus est absolute perfectior quàm voluntas, cùm totum genus motionis directivæ sit perfectius genere motionis effectivæ.

10. Dices secundò. Causa efficiens agit per physicum influxum; sed voluntas non habet physicum influxum in alias potentias, ergo ipsas non movet efficienter.

Resp. disting. min voluntas non habet physicum influxum in alias potentias, à proprio actu distinctum, & formaliter transeuntem, concedo, indistinctum, & tantùm virtualiter transeuntem, nego. Neque enim necesse est fingere novum modum vel motum aliis potentiis a voluntate impressum, ut facit Gonet hic disp. 5. a. 1 cùm ex hoc aliæ potentiæ à voluntate sufficienter moveri & determinari intelligantur, quòd anima per actum voluntatis seipsam determinat ad eliciendas operationes aliarum potentiarum, quæ in eâdem animæ substantiâ voluntati connaturaliter subordinatæ radicantur.

ARTICULUS III.

An voluntas moveatur à principio extrinseco.

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Voluntas non potest physicè moveri à principio creato.*
3. *Voluntas à DEO movetur ad primum actum.*
4. *Hæc motio est physica.*
5. *Estq; concursus non tantùm generalis, sed specialis.*
6. *Ideo primus actus voluntatis semper est bonus.*
7. *Nec inde voluntati infertur necessitas.*
8. *Objectum primæ volitionis est bonum ut sic.*

§. I.

Excluditur motus à principio creato.

1. DUpliciter potest intelligi quæstio. Primò: utrùm ad omnem operationem voluntatis requiratur, ut voluntas præmoveatur à DEO, tanquam principio exteriori, per physicam prædeterminationem? Secundò: utrùm omnium prima operatio voluntatis [constat enim ex dictis, quòd voluntas in suis operationibus ad invicem subordinatis possit seipsam movere ab uno actu ad alium] reducenda sit in DEUM ab extrinseco specialiter moventem & excitantem? Intentio S. D hîc a. 6 procedit in secundo sensu. Unde, suppositâ doctrinâ prædeterminationis physicæ jam priùs traditâ, pro secundæ quæstionis resolutione sit

2. CONCLUSIO prima. *Non potest voluntas physicè moveri ab aliquo principio extrinseco creato*, S. D. a. 6 in c.

Ratio ipsius est: Sicuti motus naturalis, qui est à principio intrinseco naturæ, non potest esse ab aliquo principio extrinseco, quod non sit causa ipsius naturæ, (ideo motus gravium v. g generanti adscribitur) sic etiam motus voluntarius, qui similiter est à principio intrinseco, non potest esse effectivè ab alio principio extrinseco, quàm quod sit causa voluntatis, eandem in se virtute continens: hoc ipso enim potest dare & rationem entis & rationem voluntarii: atqui nulla creatura est causa humanæ voluntatis: ergo nullus motus voluntatis effectivè potest esse ab aliquo exteriori principio creato.

§. II.

Statuitur motus voluntatis à principio increato.

3. CONCLUSIO secunda. *Voluntas ad primum actum, seu volitionem efficienter movetur a DEO.* S. D. *ibid.* Ratio est: Voluntas vel movetur à seipsa, vel à DEO: non à seipsa, ergo à DEO. Minor probatur. Intantum aliquid movet, inquantum est in actu; sed respectu suæ primæ volitionis voluntas non est constituta in actu: ergo ad primam volitionem non movet seipsam. Min. constat: quia voluntas est in actu ratione alicujus proprii actûs: sed primæ volitioni nullus actus præsupponitur: ergo. Adde, quòd primus motus adscribitur generanti ergo & prima volitio adscribitur DEO.

4. Hinc sequitur primò: Hanc motionem esse non tantùm moralem sed physicam. Primò: quia voluntas ad primam volitionem nec physicè nec moraliter est in actu. Secundò: quia iste instinctus

Instinctus DEI (ita appellat S. D. motionem diversam) supplet influxum, quo voluntas seipsam applicat ad operandum: sed ille influxus non est tantùm moralis, sed physicus: ergo etiam illa prima motio & influxus DEI. Tertiò: quia præmotio, quâ DEUS ceu causa prima causas secundas ad operandum determinat, est physica: sed ista DEI motio est talis præmotio: ergo.

5. Sequitur secundò: DEUM ad primam volitionem non tantùm concurrere concursu generali, sed etiam speciali; quia tunc est concursus specialis, quando in nullam aliam causam moventem & applicantem effectus reducitur: sed prima volitio non potest reduci in aliam causam quàm DEUM: ergo DEUS specialiter causat primam motionem voluntatis. Unde

6. Sequitur tertiò. Primum actum voluntatis semper esse bonum; quia DEUS non potest esse specialis author actûs mali, prout suprà in tract. de Ang. fuit dictum. Nec obest, quòd homo in primo instanti usûs rationis aliquando peccet, non enim peccat in primo instanti initiato usûs rationis, sed completivo. Ut ibidem explicui.

Sequitur quartò. Illam DEI motionem nullam inferre necessitatem; quia, ut inquit S. D. q. 10. a. 4. ad 1. *voluntas divina non tantùm se extendit, ut aliquid fiat per rem, quam movet, sed ut etiam eo modo fiat, quo congruit naturæ ipsius.* 7.

Sequitur quintò. Illam primam volitionem, ad quam DEUS specialiter movet, esse de bono ut sic: prout docet S. D. q. 9. a. 6. ad 3. *DEUS*, inquit, *movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum: & sine hâc universali motione homo non potest aliquid velle &c.* 8.

Dices: Si DEUS movet ut motor universalis, ergo non ut causa specialis. Resp. DEUS ad mentem S. Doctoris movet ut motor universalis, universalitate sui, qui nempe est amor boni in communi & universaliter sumpti communis omnibus hominibus, concedo; universalitate causalitatis, prout motor universalis denotatur à concursu cum omni physica causalitate causæ secundæ, sic nego.

ARTICULUS IV.

Quænam sit coordinatio actuum humanorum?

SUMMARIA.

1. *Tres actus voluntatis circa finem.*
2. *Totidem circa media ad finem.*
3. *Simplex complacentia.*
4. *Efficax intentio.*
5. *Consilium.*
6. *Consensus.*
7. *Electio.*
8. *Imperium practicum intellectûs.*
9. *Usus.*
10. *Fruitio.*
11. *In brutis nulla intentio & consilium.*
12. *De speculabilibus non est consilium.*
13. *Neque de certis.*
14. *In DEO consilium datur tantùm quoad sententiam de agendis.*
15. *Angelis convenit consilium quoad inquisitionem in supernaturalibus.*
16. *Eodem actu possunt attingi finis & media.*

§. I.

Oeconomia humanorum actuum.

1. VOluntatis actus, diversis actibus intellectûs intermixti, alii sunt circa finem, alii sunt circa media ad finem. Tres sunt circa finem, videlicet *simplex volitio*, *intentio*, *fruitio*; quia tot diversis modis voluntati finis objici potest. Nam primò finis vel præcisè ratione bonitatis cognitæ movet voluntatem, & sic terminat simplicem volitionem: quia *simpliciter actus potentiæ est in id, quod est secundùm se objectum potentiæ:* hoc autem est *bonum propter se volitum.* Secundò finis objici potest voluntati sub formali ratione finis, prout est ratio volendi media; sicque terminat intentionem. Tertiò potest esse objectum voluntatis tanquam obtentus & præsens, quo modo terminat actum delectationis & gaudii, qui, si sit de fine perfecto & ultimo, propriè vocatur fruitio.

Tres sunt pariter actus voluntatis circa media ad finem: *consensus*, *electio*, & *usus.* Vel enim voluntas in intentione amplectitur media per intellectum proposita simpliciter & absolutè absque comparatione vel assumptione unius medii præ alio: vel amplectitur cum tali comparatione & assumptione. Si primum, dicitur consensus; si secundum, dicitur propriè electio: vel tandem impellit & applicat in executione potentias sibi subditas ad ponenda media: & hæc applicatio dicitur usus. 2.

Ut porrò perspiciatur meliùs natura istorum actuum, & ordo, quem in iis voluntas tenet, primam finis cognitionem sequitur *simplex volitio*, quæ sæpe voluntas, & simplex complacentia vocatur; actus inefficax, quo *virtus & in hoste probatur; pietas laudatur, & alget:* ipsique improbi virtutis pulchritudinem demirantur, nec tamen ad illam prosequendam efficaciter permoventur. Rectè describitur: Actus complacentiæ, quo voluntas amat finem secundùm se, sine ordine ad media. 3.

Secundò: Repræsentationem cum ordine ad media consequitur efficax *intentio finis*, quæ est actus voluntatis tendens in finem, ut est ratio volendi media, seu quatenus est assequibilis per illa. Unde in intentione finis ipsa quoque media virtualiter appetuntur. Et quanquam SS. PP. in modo loquendi videntur aliquando intentionem actibus intellectûs annumerare, uti cùm Bernardus inquit, *affectio in voluntate, intentio in ratione consistit*, hoc tamen non est intelligendum subjectivè, sed præsuppositivè, quia intentio actum intellectûs præsupponit; vel aliquando metaphoricè, quòd, sicut attentio rationis dirigit operationes, ita intentio voluntatis bonitatem, aut malitiam derivet in humanas actiones. 4.

Intentio prædicta determinat rationem ad consultan- 5.

sultandum de mediis, unde sequitur consilium, quod est discursus rationis practicæ inquirentis media ad obtinendum finem, ac de eorum convenientiâ judicantis. Unde consilium completum & perfectum non tantùm inquisitionem, sed etiam judicium & sententiam de agendis complectitur: ideo sicut ad discursum speculativum concurrit duplex virtus intellectualis, scilicet intelligentia quoad principia, & scientia quoad conclusionem; sic ad practicum discursum & consultationem concurrunt duæ virtutes, eubulia, quæ ad bene consiliandum & inquirendum de mediis conducit; deinde synesis, seu gnome, quæ de mediorum convenientia fert sententiam.

6. CONSILIO *succedit consensus approbans media, eaq; acceptans tanquam conducentia ad finem praintentum. Porrò consensus latè potest & strictè accipi. Si latè accipiatur, significat quemcunque actum voluntatis, quo objectum a voluntate propositum liberè acceptatur; unde in hoc sensu consensus etiam haberi potest circa finem bonum vel malum, & absque hoc consensu nunquam peccatur. Strictè hoc loco accipitur, pro acceptatione mediorum, quæ intellectus per consultationem praviam amplectenda proposuit, & describitur* à S. D. q.15. a. 3. *Applicatio appetitivi motûs ad determinationem consilii* h. e. actus voluntatis, quo acceptantur media ab intellectu consiliata.

7. Possunt autem per consultationem media triplici modo amplectenda proponi: primò ut unicum medium: vel secundò simul plura media sine comparatione: tertiò ut cum comparatione ad unicum repræsententur, & feratur sententia, quodnam ex illis sit conducentius ad finem: si primo & secundo modo, tunc propriè est consensus; si tertio modo, qui priorem consequitur, tunc propriè est electio, quæ rectè definitur, affectus rationalis, quo voluntas unum medium præ alio acceptat in ordine ad finem: ubi indicatur primò, quod electio sit actus elicitus voluntatis, quippe quæ sit motus voluntatis in bonum, in quo maximè resplendet libertas actualis, & ratione cujus dantur in voluntate habitus electivi: & secundò, quòd sit circa media, quia sequitur consultationem de mediis. Tertiò, quòd sit acceptatio unius medii præ altero, in quo discernitur à consensu, qui simpliciter acceptat media, nec specialem comparationem rationis inter media connotat. Ex quo etiam facilè inferes, nec consensum, nec electionem reperiri in brutis, quippe quæ consilio, & mediorum quà talium cognitione sunt destituta. Et istis quidem actibus *ordo intentionis* absolvitur.

8. Sequitur *ordo executionis*, in quo efficax electio unius, vel plurium mediorum applicat intellectum ad actum imperii, quo intimatur executio mediorum, vocaturque imperium monasticum, quod ad mentem S. D. rectè definies, quòd sit *praceptiva intimatio cum motione quâdam*, alicujus operis faciendi. Ubi indicatur primò, quòd actus imperii pertineat ad intellectum: secundò, quòd distinguatur ab actu judicii, quia non intimat objectum voluntati per modum consilii, aut sententiæ, sed per modum præcepti, estque actus intellectûs prodici per verba imperativi modi, *fac hoc*, exprimi solitus. Tertiò, quòd sit efficax ad movendam voluntatem efficaciâ derivatâ & participatâ ab actu electionis præsupposito. Unde non sufficit ad operationem recta inquisitio & judicium intellectûs, dicente illo: *video meliora, proboq; Deteriora sequor.* sed, cùm nova plerumque in executione se difficultas opponat, opus est speciali actu intellectûs, qui executionem imperet, & voluntatem ad usum determinet.

Est igitur usus actum imperii subsequens, de 9. genere usûs activi non passivi, actus, quo voluntas applicat, & movet subjectas potentias ad executionem mediorum. Ubi primò intelligis, usum pertinere ad voluntatem, quippe cujus est, subjectas potentias movere quoad exercitium, in ordine ad assecutionem sui finis. Intelligis secundò, distingui à consensu & electione, quia isti actus respiciunt media, prout sunt in intentione, junguntque voluntatem cum objecto tantùm affectivè habito: usus verò respicit media prout sunt in executione, jungitque voluntatem cum volito in esse reali.

Tandem ordinem executionis claudit fruitio, 10. quæ est voluntatis quies in fine obtento, etsi pro suavi delectationis experimento in quovis fine obtento sumatur, veluti Sap. 2. *Venite, fruamur bonis.* Rom. 5. *Si vobis primùm ex parte fruitus fuero,* accipitur latiori sensu: si verò sumatur pro gaudio & quiete in ultimo fine possesso, tum propriè fruitio dicitur. De quâ suprà de gaudio & fruitione Beatorum, in disp. de Beatitudine, aliqua diximus.

§. II.
Corollaria.

COlliges primò. In brutis non esse intentio- 11. nem, neque consilium; quia in ipsis nec est formalis cognitio finis, neque inquisitio, aut cognitio de convenientia mediorum cum fine.

Colliges secundò. Quamvis de speculabilibus 12. detur inquisitio, non tamen dari consilium; quia consilium ex nominis impositione & moralium Philosophorum placito non est nisi de agendis. De credendis tamen potest esse consilium, quia fides piam motionem voluntatis includit, nec est solùm speculativa, sed practica.

Colliges tertiò. Consilium non esse nisi de du- 13. biis, cùm de iis, quæ certa ac determinata sunt, vana sit quæstio.

Colliges quartò. In DEO non esse consilium 14. quoad inquisitionem, sed solummodò quoad certissimum judicium & sententiam de agendis, quo sensu dicitur *omnia operari secundùm consilium voluntatis suæ.* Eph. 1. Et S. D. 1. p. q. 22. a. 1. ad 1. *Ipsa ratio rerum agendarum consilium in DEO dicitur, non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consiliantes inquirendo devenirent.*

Colliges quintò. Angelis convenire consilium 15. etiam quoad inquisitionem [tamen absque discursu] in supernaturalibus, quorum non habent plenam notitiam, ut insinuatur Is. 63. & Psal 23. *Quis est qui venit de Edom? Quis est iste Rex gloriæ?*

Colliges sextò. Fieri posse, ut uno realiter 16. actu voluntas tendat in finem & in media, quando nimi-

do nimirum vel in finem directè & in media indirectè, vel directè in media & indirectè fertur in finem, prout indicat S. D. q. 8. a. 3. *Finis*, inquit, *ut est ratio volendi medium, eodem actu appetitur quo medium.* Et ratio est: quòd cùm plura objecta ad invicem subordinantur, & unum est ratio attingendi alterum, ibi potentia potest utrumque objectum uno eodemque actu attingere; unum quidem ut quod, alterum verò ut quo; unum directè, & alterum indirectè: ergo potest voluntas uno eodemque actu finem directè, & media indirectè attingere. Maj. constat inductione: nam visus eodem aspectu colorem percipit & lucem, & intellectus in principio conclusiones intelligit. Dixi posse uno actu attingi finem & media, ita ut unum directè, alterum indirectè attingatur. Nam si utrumque directè & ut quod attingitur, necesse est ut actus intentionis & electionis sint distincti; siquidem unus actus non potest habere duo adæquata objecta specificativa.

ARTICULUS V.

An voluntas possit eligere æquale, vel minus bonum?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Resolutio negativa.*
3. *Fundamentum petitur ex natura voluntatis tanquam potentia cæca.*
4. *Non ideo tollitur libertas electiva voluntatis.*
5. *Nec rectè infertur suppositio simpliciter antecedens.*
6. *Ipsum judicium practicum pendet à libera applicatione & intentione voluntatis.*
7. *Absurda objectio removetur.*
8. *An Divina voluntas eligat media minùs bona?*

§. I.

Resolutio negativa.

1. COntingere potest primò, ut intellectus voluntati duo media repræsentet quasi in æquilibrio appensa, ut ex neutrâ parte appareat major ratio boni vel mali, neque in ultimato practicæ rationis judicio majorem bonitatem uni quàm alteri parti adjudicet: quo casu dubitatur, an possit voluntas suâ, quâ pollet, libertate, alterutrum ex duobus in practicæ rationis æquali bilance appensis & repræsentatis bonis pro libitu eligere? Secundò frequenter & ferè semper contingit, ut inter duo media unum appareat majoris, alterum levioris ponderis & bonitatis in ordine ad consequendum finem: ubi rursus dubitatur, an ista sit liberæ voluntatis potentia, ut relicto meliori, minus bonum possit amplecti? Affirmativam tuentur Richardus in 2. dist. 38. a. 2. Suarez in metaph. disp. 19. sect. 6. quem sequuntur Amicus, Salus, Ysambertus hic disp. 9. a. 1. Negativam Capreolus in 1. dist. 25. a. 3. Cajetanus. Vasq. & cum Jo. à S. Th. communiter Thomistæ.

2. CONCLUSIO. *Voluntas non potest ex duobus æqualibus mediis alterutrum aut ex inæqualibus minus bonum eligere.* Ita communiùs Thomistæ. Et colligitur è S. D. q. 13. a. 6. ad 3. ubi dicit: *Nihil prohibet, si aliqua duo æqualia proponantur secundùm unam considerationem, quin circa alterum consideretur aliqua conditio, per quam emineat, & magis flectatur voluntas in ipsum, quàm in aliud.* Ubi apertè concedit & supponit S. D. voluntatem flecti propter eminentiam unius boni præ alio, ita ut positâ æqualitate bonorum intellectus in uno inveniat aliquam considerationem & circumstantiam, ratione cujus voluntas magis in hoc, quàm in aliud propendeat.

3. Ratio utriusque est. Voluntas tanquam cæca potentia nihil potest eligere, priusquam illud ab intellectu judicetur eligendum: neque potest respuere objectum, quod intellectus præviè non dictat esse respuendum; sed stante judicio practico æquilibrii inter duo bona neutrum proponitur & practicè judicatur ut eligendum, vel respuendum: stante quoque judicio practico majoris bonitatis & convenientiæ in uno, quàm altero bono, minus bonum practicè non judicatur respuendum: ergo voluntas in priori casu neutrum, in posteriori minus bonum non potest amplecti.

Confirmatur. quoad 1. partem primò. A causa indifferente quà tali non procedit determinatus effectus: sed voluntas inter media æqualiter repræsentata est indifferens; quia suspensa inter utramque partem: ergo ut sic ab ipsa non procedit determinata electio.

Confirmatur secundò. Voluntas non potest absolutè velle, nisi proponatur ab intellectu ut absolutè bonum; ergo etiam voluntas nil potest magis velle, nisi proponatur ab intellectu ut magis bonum. Sed hoc non fit, cùm duo bona vel media æqualiter repræsentantur: ergo.

Confirmatur specialiter quoad secundam partem primò. Si voluntas eligeret minus bonum relicto majori, vel eligeret quia in ipso invenit rationem boni, vel quia invenit rationem mali. Non hoc posterius: quia malum non est objectum prosecutionis, sed aversionis. Non etiam prius: quia in majori bono minor est ratio aversionis, & major prosecutionis.

Confirmatur secundò. Sequeretur ex Adversariorum doctrinâ, quòd prava electio in voluntate posset consistere cum recto judicio practico in intellectu: sed hoc est contra communem præsertim Thomistarum asserentium, voluntatem nunquam peccare, nisi practicus error in voluntate præcesserit: ergo. Sequela patet: quia non obstante, quòd ratio dictaret v. g. furtum esse medium minùs bonum pro sustentatione, tamen posset voluntas amplecti & eligere furtum pro fine sustentandæ vitæ.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

4. OBjicies primò, Ex dictis sequitur, quòd voluntas non posset pro libitu alterutrum eligere ex duobus bonis, vel mediis: sed hoc est absurdum, cùm nullibi magis, quàm in actu electionis relucere debeat libertas voluntatis. Sequela probatur: Quandocunque voluntas instituit electionem inter plura media, tunc illa vel repræsentantur æqualia, vel inæqualia: si æqualia, tunc neutrum ex iis potest eligere: si inæqualia, tunc non potest eligere nisi quod melius est: ergo nunquam poterit voluntas pro suo libitu se ad aliquod medium eligendum determinare.

Resp. neg. sequelam, & ad probationem dist. illatum: ergo voluntas nunquam potest pro suo libitu se determinare ad aliquod medium eligendum, independenter à judicio practico, concedo; dependenter ab illo, nego.

5. Dices: Suppositio antecedens infert necessitatem: sed suppositio judicii practici antecedit actum electionis: ergo non relinquit locum libertati. Resp. Suppositio antecedens omnem determinationem humanæ voluntatis vel formalem vel causalem, infert necessitatem, concedo: suppositio tantùm aliquam determinationem antecedens, nego. [tunc enim est absolutè suppositio consequens] sed suppositio judicii practici antecedit actum electionis, ut tamen dependeat à libera applicatione voluntatis, concedo; ut non dependeat, nego min. & consequentiam.

6. Instabis: Illa applicatio, quâ voluntas intellectum applicaret ad ferendum judicium practicum de bonitate mediorum, proveniret ex efficacia præcedentis intentionis: sed inde non provenit; quia intentio præcedens potest determinare voluntatem non tantùm ad amplectendum medium utilissimum, sed etiam ad quodcunque medium utile & sufficiens pro consequendo fine: ergo efficacia intentionis per judicii practici applicationem non determinat voluntatem ad melius medium eligendum.

Resp. negando min., & antecedens probationis distinguendo: si intentio determinet voluntatem ad electionem latè sumptam, prout idem est cum consensu, concedo; ad electionem strictè sumptam, pro acceptione nimirum unius medij pro alio, sic nego antecedens. Et eodem modo dist. conseq. neg. consequentiam. Ratio est: quòd priori modo ex vi intentionis non præcedit electionem formalis consultatio & comparatio unius medii cum altero; ideoque voluntas qualecunque medium utile amplecti potest. Posteriori autem modo ex vi ipsius intentionis sequitur consultatio comparativa unius medii cum altero: Unde si ex illa consultatione intellectus practicè inferat, unum medium esse alteri præferendum, eo ipso vi præviæ intentionis voluntas determinatur ad eligendum utilius medium, quamdiu illud medium manet invariatum, quod tamen accedente novâ applicatione voluntatis & inquisitione rationis variari, adeòque etiam electio mutari poterit.

Instabis secundò: Sequitur ex nostra sententia, quòd sicui famelico duo panes proponerentur, ejusdem planè bonitatis, tunc voluntas deberet manere suspensa, & ipse non obstante famis importunitate neutrum panem posset eligere, quod sanè ridiculum est. 7.

Resp. negando sequ. nam tunc famis impetus inutilis deliberationis moram præscinderet, adeòque voluntas relictâ comparativâ electione ad proximum quemcunque panem arripiendum se determinaret, vel certè exercitium ipsius libertatis ex parte motivi conjunctum cum bonitate unius panis illum faceret eligibiliorem præ altero.

Instabis tertiò: Divina voluntas de facto eligit media minùs bona relictis melioribus: ergo hoc etiam potest voluntas & libertas creata, tanquam participatio illius. Antecedens probatur: quia DEUS ad suam gloriam hunc mundum condidit, cùm potuisset alios plures & perfectiores condere in infinitum; mediis quoque ac modis inæqualibus producit homines in finem salutis æternæ, cùm sciat & videat potuisse melioribus ac perfectioribus viis ad eundem finem produci. 8.

Resp. dist. antecedens: eligit media minùs bona materialiter ex parte rei volitæ, concedo: [sic enim una creatura est & potest esse alterâ in entitate præstantior:] minùs bona formaliter, & ex parte motivi volendi, quod est ipsi sua bonitas, suarumque divinarum perfectionum ostensio, sic nego: omnia quippe à DEO facta & ordinata prout substant divinæ bonitatis motivo, non possunt non esse optima.

ARTICULUS VI.

An supposita efficaci intentione finis voluntas necessitetur ad electionem medii unicè necessarii ad consequendum finem?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Resolutio negativa.*
3. *Voluntas etiam necessitatur ad exercitium electionis medii unicè necessarii ad finem efficaciter intentum.*
4. *Quæ necessitas non obstat libertati meritoriæ.*
5. *Conditionatè potest voluntas necessitari à bono limitato.*

§. I.

Resolutio negativa.

TRia supponuntur in statu quæstionis: primò, quòd adsit & continuetur efficax intentio finis consequendi. Secundò, quòd electio accipiatur latè, non autem strictè pro acceptione unius medii præ alio. Tertiò, quòd adsit judicium 1.

dicium practicum, quo dictatur hoc unicum medium dari ad consequendum finem intentum. Quibus suppositis quaeritur, an voluntas necessariò debeat amplecti ejusmodi medium, vel an illâ efficaci intentione non obstante medium possit respuere.

2. CONCLUSIO. *Stante efficaci intentione finis voluntas necessitatur ad amplectendum illud medium, quod hic & nunc videtur unice necessarium ad obtinendum finem.* Ita colligitur ex S. D. hîc q. 13. a. 4. Et in 1. p. q. 19. a. 3. ubi dicit, quòd *ea quae sunt ad finem, non ex necessitate volumus, nisi talia sint, sine quibus finis haberi non possit, sicut necessariò volumus cibum, volentes conservationem vitae.*

Ratio est primò. Voluntas non potest efficaciter velle objectum quod cognoscitur & judicatur impossibile: sed obtinere finem sine medio unicè necessario, e. g. conservare vitam sine cibo, die festivo audire Sacrum, non accedendo Ecclesiam, est objectum impossibile cognitum ut tale: ergo voluntas finem sine medio unicè necessario non potest efficaciter intendere & appetere.

Secundò. Talis voluntas esset & non esset efficax. Esset ex suppositione: non esset, quia efficaciter intendere finem, est illum intendere quatenus per media obtinendum: uti econtra inefficaciter velle, est complacentiam habere in fine, & nolle media ad illum obtinendum necessaria.

Tertiò. Voluntas non potest abjicere illud objectum, in quo intellectus nullam invenit rationem mali: sed in medio unicè necessario nullam invenit rationem mali, sed potiùs boni; siquidem medii bonitas est ipsius conducibilitas ad obtinendum finem; sed in medio unicè necessario reperitur adaequata voluntas & conducibilitas: ergo.

Colliges ex dictis primò: Ex suppositione, quòd voluntas efficaciter determinetur ab intentione finis ad actualem executionem ipsius, eandem voluntatem necessitari ad eligendum medium unicè necessarium, non tantùm quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium: quia, cùm executio incipiat à positione mediorum, esset omnino impossibile, ut voluntas procederet ad executionem, nisi priùs in intentione medium, sine quo illa haberi nequit, actu elegisset. 3.

Colliges secundò. Praedictam necessitatem non obstare electionis libertati ad rationem meriti vel demeriti requisitae: quia necessitas ex suppositione efficacis intentionis ab ipsa voluntate liberè positae, non est antecedens, sed consequens, utpote procedens ex ipsa libertate voluntatis: sed haec necessitas est talis: ergo. Unde si voluntas impediret intentionem finis, ut potest, etiam posset electionem medii impedire. 4.

Dices: Voluntas à nullo bono limitato necessitari potest: sed illud medium unice necessarium est tantummodò bonum limitatum: ergo voluntas ab illo necessitari non potest. 5.

Resp. dist. maj. Voluntas à bono creato necessitari non potest necessitate absoluta & antecedente, concedo; necessitate conditionali & consequente, nego maj. & pariter distincto consequente, nego conseq. Absolute enim necessitari voluntas nequit à bono limitato, quia illud non adaequat voluntatis capacitatem: potest tamen necessitari ex suppositione, quia quandoque habet necessariam connexionem cum alio bono à voluntate efficaciter, liberè tamen intento.

ARTICULUS VII.

De actu imperii.

SUMMARIA.

1. *Acceptio & motio imperii.*
2. *Actus imperii probatur authoritate.*
3. *Et ratione.*
4. *Subsequitur electionem.*
5. *Et distinguitur a judicio praecedente actum electionis.*
6. *Definitio imperii.*
7. *Subjectatur in intellectu practico.*
8. *Estq; efficax.*

§. I.

Existentia imperii.

1. IMperium aliquando latiùs accipitur pro impulsu habitûs alicujus seu virtutis, aliarum inferiorum virtutum & habituum actus referentis in suum proprium finem: quâ ratione charitas dicitur imperare actus aliarum virtutum. Strictiori sensu accipitur à S. D. hîc q. 17. a. 1. & a. 3. ad 1. pro actu intellectûs, quo voluntati intimatur operis executio: De cujus existentia sit

2. Conclusio prima. Datur actus imperii consequens electionem & determinans voluntatem ad applicationem potentiarum. Ita S. D. loc. cit.

Prima pars probatur primò authoritate. Nam. D. Aug. l. 8. confess. c. 9. *Imperat,* inquit, *animus, & movetur manus, & tanta est facilitas, ut vix a servitio discernatur imperium.* Et Philosophus 1. Eth. c. ult. *appetitus,* inquit, *obedit rationi:* ergo rationis est imperare. Ex quo

Probatur secundò ratione. Actus potentiae imperantis est imperium: sed ratio imperat hoc ipso quòd aliae potentiae secundùm suprà dicta ipsi obediant: ergo ratio habet actum imperii. 3.

Confirmatur. Datur imperium politicum & regale in Superiore ad gubernandos subditos: ergo etiam datur in ratione imperium monasticum quo regat & gubernet potentias sibi subditas. Consequentia probatur: Sicut in principe datur prudentia politica, ad hoc ut subditos dirigat in bonum commune; Sic datur in homine prudentia monastica, ad hoc ut dirigantur inferiores potentiae in bonum particulare; ergo sicuti actus prudentiae politicae in principe est imperare politicè, ita actus prudentiae monasticae est imperare monasticè.

Secunda pars probatur primò: quia actus qui pertinet 4.

pertinet ad executionem, & à quo incipit executio, debet esse posterior electione pertinente ad ordinem intentionis: sed ab actu imperii incipit executio, siquidem per ipsum voluntas determinatur, ut applicet alias potentias ad operandum: ergo subsequitur electionem. Secundò: Sæpe contingit, aliquem bene judicare, opinari, eligere, non tamen bene operari, juxta illud: *Video meliora, proboq; : Deteriora sequor.*

Dices: Judicium præcedens electionem non tantùm dictat media esse eligenda, sed etiam exequenda: ergo est sufficiens ut voluntatem determinet ad executionem mediorum.

Resp. Judicium præcedens electionem dictat media etiam ut exequenda remotè, concedo; proximè, nego. Nam actus proponens media ut hîc & nunc exequenda, debet illa proponere ut electa, non ut eligenda: atqui hoc non facit actus judicii præcedens electionem.

5. Probatur secundò. Voluntas tanquam cæca potentia non operatur nisi ut regulata per intellectum: ergo etiam usus voluntatis, quo subditas potentias applicat ad operandum, debet habere proximam regulam in intellectu: sed talis regula non est solum judicium, quippe quod sæpius ab executione separatur: ergo est ille actus, quo ratio præceptivè dictat, opus esse aggrediendum per verba imperativi modi: *Fac hoc.*

§ II.

Definitio imperii.

6. CONCLUSIO secunda. *Actus imperii rectè definitur: Præceptiva intimatio operis faciendi vel omittendi cum quadam motione.*

Bonitas definitionis ex eo liquet, quòd per omnes ipsius partes sufficienter exponitur natura imperii, & ab omni alio actu distinguitur.

7. Dicitur ergo primò *præceptiva intimatio:* quo significatur, actum imperii esse actum intellectûs non per modum simplicis sententiæ, vel consilii, sed per modum præcepti ordinantis voluntatem ad operis executionem: ideoque exponi solet per verba imperativi modi: *Fac hoc.*

Neque refert primò. Quòd imperium non tantùm dicat intimationem, sed etiam motionem, adeòque saltem ratione motionis ad voluntatem pertinere videatur. Nam sufficit quòd pertineat ad voluntatem præsuppositivè & connotativè, à quâ nimirum derivatur efficacia movendi, non verò quòd formaliter ad voluntatem pertineat: imperare quippe, præcipere, loqui, intimare, ordinare, sunt formaliter officia & actus intellectûs practici, & pertinent ad prudentiam, quæ est virtus intellectûs practici.

Neque refert secundò. Quòd ad eandem potentiam pertinere videtur imperium, ad quam pertinet dominium: sed dominium pertinet ad voluntatem, in eaque subjectivè recipitur: ergo etiam imperium subjectivè est in voluntate. Nam dist. maj. ad quam pertinet dominium quoad vim denuntiandi, dirigendi, intimandi, & ordinandi, concedo; quoad vim movendi, nego. Et similiter dist. min. neg consequentiam.

Tertiò. Quòd voluntas sit primum movens ad exercitium: ergo non indiget ad exercitium moveri per actum intellectûs. Nam distinguo consequens. Non indiget moveri motione imparticipatâ à voluntate, concedo; participatâ, nego consequentiam.

Dicitur ulteriùs in definitione *cum quadam motione*, quibus verbis significatur efficacia istius actûs ad excitandam voluntatem, quam tamen efficaciam participat à consensu vel electione voluntatis essentialiter præsuppositâ, quæ efficacia pariter exprimitur per voces *operis faciendi vel omittendi.* 8.

DISPUTATIO IX.

DE

Moralitate humanorum actuum.

TAndem ad ipsam moralitatem, quæ in actibus humanis est potissimæ considerationis, accedimus. Supervenit illa nostris actibus in esse naturæ & ordine physico spectatis, eosque modò bonos, modò malos, meritorios, demeritorios reddit. Igitur ipsius primò quidditatem, tum principia, denique species discutiemus.

ARTICULUS I.

In quo formaliter consistat moralitas humanorum actuum?

SUMMARIA.

1. *Variæ acceptiones moralitatis.*
2. *Varia prædicata in actu morali.*
3. *Libertas non est constitutivum moralitatis, sed illi præsupponitur.*
4. *Exponitur locus D. Thomæ.*
5. *Positâ libertate moralitas tantùm ponitur causaliter, non formaliter.*
6. *Libertas & moralitas habent idem specificativum materialiter, non formaliter.*
7. *Moralitas non est denominatio extrinseca:*
8. *Neque relatio rationis.*
9. *Neque relatio prædicamentalis.*
10. *Nec entitas modalis.*
11. *Quædam objectiuncula* 12. *Diluuntur.*

13. *Mora-*

13. *Moralitas non consistit in habitudine ad voluntatem:*
14. *Sed in actuali tendentia voluntatis ad objectum.*
15. *Quomodo malitia sit species moralitatis?*
16. *Omissio voluntaria est saltem interpretativa tendentia voluntatis in objectum.*
17. *Actus est artificiosus per denominationem intrinsecam.*
18. *Disparitas inter esse vitale, vel naturale, & inter esse morale.*
19. *Moralitas est identificata cum actu.*
20. *Quid sit objectiva moralitas.*
21. *Divisio moralitatis in bonitatem & malitiam non est adæquata, cùm etiam indifferentia sit species moralitatis.*
22. *Duplex regula actuum humanorum, remota & proxima.*
23. *Natura rationalis tantùm est regula morum radicalis.*

§. I.

An moralitas in libertate consistat?

1. NOtandum primò. In latissimâ acceptione morale dici, quod aliquo modo pendet à ratione & libero arbitrio. Sic primò valor monetæ dicitur moralis, quia ratione & liberâ voluntate rempubl. administrantium fuit impositus. Causa dicitur moralis, quia mediante solùm propositione rationis & intellectûs influit in voluntatem. Servitutes, dominia, jura dicuntur entitates morales, quia liberis hominum moribus, placitis, consuetudinibus sunt introductæ. Actus humani sunt morales, quia dependenter à regulis rectæ rationis liberè eliciuntur. Ipsi denique mores, à quibus nomen moralitatis derivatur, hominum actus, qui liberè & ex ratione fiunt, appellantur; ideoque hoc nomen in brutis non reperitur. In præsenti agimus de moralitate.

2. Notandum secundò. Plura reperiri prædicata in actu morali, de quibus disceptari potest, quodnam ex iis actui moralitatem formaliter tribuat? Est primò libertas, eaque actualis; neque enim sola conjunctio cum potentiâ habitualiter & privativè liberâ sufficit ad tribuendam moralitatem, ut patet in motibus primò primis, qui non sunt morales, hoc ipso, quòd illos voluntas liberè non producat. Secundò passiva regulabilitas, & extrinseca denominatio à lege & ratione regulante. Est tertiò ordo & habitudo ad potentiam operantem & subjectam regulis morum; est etiam habitudo actûs ad ipsam rationem, & legem. Est demum habitudo ad objectum substans regulis morum; quam ipsam habitudinem aliqui volunt esse relationem rationis; alii prædicamentalem, alii transcendentalem, & modaliter distinctam ab actu.

Quæritur ergo: per quodnam ex istis prædicatis actus humanus formaliter constituatur moralis, seu in esse moris? & primò quidem Scotus in 2. dist. 40. q. un. n. 3. Suarez tract. 3. de act. hum. Ferrar. in 3. contra gent. c. 10. aliique sentiunt, moralitatem humanorum actuum formaliter constitui per libertatem: contra quos sit

3. CONCLUSIO prima: *Moralitas actuum non consistit formaliter in ipsa libertate: quamvis eandem essentialiter præsupponat.* Ita Jo. à S. Th. Gonet, Amicus disp. 12. sect. 1. & comm. Thomist.; Ratio est primò: quia potest concipi actus liber, quin concipiatur moralis; ergo libertas non est prædicatum formaliter constitutivum moralitatis. Anteced. prob. Positâ indifferentiâ agendi, & ablatâ sive per possibile sive per impossibile omni lege & regulâ operandi, actus esset liber, & tamen non esset moralis, cùm sublatâ regulâ morum nulla sit moralitas: ergo essentia actûs liberi consistit sine moralitate.

Secundò. Perfectio præsupposita ad ordinem & genus moris, non constituit actum in esse moris: sed libertas est perfectio præsupposita ad ordinem & genus moris; quia est perfectio naturalis pertinens ad ordinem naturæ, eumque reddens proximè capacem, ut per morum regulas dirigatur. Imò tertiò. Idem physicè actus recipit diversas species & differentias moralitatis, quin recipiat diversas species aut differentias libertatis, uti si in eodem actu reperiatur malitia furti & sacrilegii. Ergo libertas non constituit moralitatem.

Dices primò Juxta doctrinam D. Thomæ eædem sunt proprietates actûs liberi, & actûs moralis: ergo eadem est utriusque natura, idem constitutivum. Antecedens probatur: Proprietates actûs moralis sunt esse dignum laude, vel vituperio, præmio, vel supplicio: sed eædem sunt proprietates actûs humani & liberi per S. D. hic in 1. 2. q. 21. a. 2. dicentem; *Nihil aliud esse laudari, vel vituperari, quàm imputari alicui malitiam, vel bonitatem sui actûs. Tunc enim actum imputari agenti, quando est in potestate ipsius* (en libertatem;) *ita quòd habeat dominium sui actûs.* 4.

Respondeo: Eædem sunt proprietates actûs moralis & liberi, & diverso modo, concedo; eodem nego. Igitur actui quà libero competit esse dignum laude, vel vituperio, remotè, radicaliter, & causaliter, concedo; (nisi enim actus foret liber, etiam non esset proximè regulabilis) proximè, & formaliter, nego: prout ex dictis constat, & ampliùs constabit ex dicendis. Unde & verba S. Doct. plus non evincunt, quàm quòd actus liber & moralis pro statu hujus viæ sint idem entitativè, materialiter, & concomitanter, non autem formaliter.

Dices secundò. Positâ libertate ponitur, sublatâ tollitur, imminutâ minvitur moralitas actuum (neque enim aliâ de causâ peccatum veniale ex indeliberatione commissum, non est actus perfectè moralis, nisi quia non est perfectè liber) imò solâ positâ libertate, secluso omni alio, actus est regulabilis per regulas morum: ergo moralitas formaliter in libertate consistit. 5.

Respondeo distinguendo antecedens. Positâ libertate ponitur causaliter moralitas actuum, concedo; formaliter, nego. Unde etiam peccatum veniale, defectu libertatis plenæ, tantùm causaliter habet minus moralitatis, non autem formaliter: ratio formalis autem est imperfecta tendentia in objectum difforme rectæ rationi. Esto etiam quòd libertas faciat actum proximè regulabilem per regulas morum, tamen illa regulabilitas passiva non est ipsa moralitas: nam veluti alicujus operis esse artificiale non consistit in

passiva

passiva regulabilitate, sed in actuali subjectione ad regulas artis; ita esse morale debet consistere in actuali subjectione ad regulas morum.

6. Instabis: Idem objectum specificativum habet actus moralis & liber, nempe finem: ergo eandem quoque habet rationem formalem.

Respondeo dist. antec. Habent idem specificativum materialiter, concedo; formaliter, nego. Finis igitur specificat actum moralem sub ratione conformis vel difformis cum regulis morum; actum verò liberum quà talem specificat sub ratione indifferenter propositi, quæ sunt rationes formaliter diversæ.

§ II.

Removentur aliæ quædam opiniones.

7. CONCLUSIO secunda. *Moralitas formaliter non consistit in aliqua denominatione extrinseca.* Ita Thomistæ communiter contra Vasq. & Amicum loc. cit.

Ratio est primò. Quia libertas, quam ceu essentialem sui radicem moralitas præsuppositivè includit, est perfectio intrinseca actui, prout suprà ostendimus disp. 6. a. 1. ergo & moralitas.

Secundò. Quia forma, à quâ plura aliqua analogicè & extrinsecè denominantur per attributionem ad analogatum principale, intrinsecè inest analogato principali; sed quæcunque spectant ad genus moris, ut voluntas, lex, dictamen rationis, dicuntur moralia per ordinem & attributionem ad actum voluntatis; ratio, quia dirigit; lex, quia præcipit; voluntas, quia causat actum moralem: ergo moralitas, à qua extrinsecè denominantur, intrinsecè est in actu voluntatis.

Tertiò. Bonitas moralis in habitibus virtutum est ipsis intrinseca: hinc enim etiam in esse moris specie inter se distinguuntur: ergo similiter bonitas moralis, & consequenter moralitas est intrinseca actibus.

Quartò. Veritas est intrinseca actui intellectûs, bonitas artificialis actui artificioso, bonitas naturalis rebus physicis: ergo etiam bonitas moralis actui humano.

8. CONCLUSIO tertia. *Moralitas formaliter non consistit* [1] *in relatione rationis*, [2] *aut prædicamentali*, [3] *aut aliqua habitudine modaliter ab actu distincta.*

Ratio primæ partis est: quia malitia & bonitas invenitur in actibus voluntatis, independenter ab ulla fictione intellectûs, positâ solùm liberâ tendentiâ in objectum conforme vel difforme rectæ rationi.

9. Ratio secundæ partis est primò. Quia relatio prædicamentalis requirit existentiam sui termini, cùm tamen objectum actûs moralis sæpissimè solùm in intentione existat. Secundò: relatio prædicamentalis non exprimit perfectionem, nec imperfectionem, ut dictum in Tract. de Trinit. econtrà moralitas in suis speciebus exprimit perfectionem, si actus est bonus; imperfectionem, si est malus: ergo.

10. Ratio tertiæ partis est primò, quòd modalitates sint essentialiter superfluæ, ut suppono. Secundò, quòd ante modum superadditum jam intelligitur actus liberè elicitus juxta vel contra regulas morum, adeòque moralis.

Oppones primò. Ex eo actus est moralis, quòd reguletur per rationem, præcipiatur per legem, &c. sed hæc nihil ponunt intrinsecum in actu: ergo non denominatur intrinsecè moralis. 11.

Secundò. Moralitas objectiva vel est denominatio extrinseca, vel ad summum relatio rationis: ergo etiam moralitas actuum.

Tertiò. Esse morale in dignitatibus, officiis, valore monetæ, & pretio rerum venalium nihil intrinsecum ponit in rebus ita denominatis: ergo nec esse morale in actu voluntatis est quid intrinsecum.

Quartò. Moralitas actûs consistit in habitudine ad objectum, tanquam ad suam mensuram: sed habitudo mensurabilis ad mensuram est relatio prædicamentalis: ergo.

Respondeo ad primum negando, vel dist. antecd. Est propterea moralis causaliter, & tanquam propter conditiones necessario requisitas, concedo; formaliter, & tanquam propter rationem proximam, nego. Ad 2. & 3. Permisso anteced. nego conseq. quia esse morale in objecto accipitur per attributionem ad actum quem terminat, & coëxistentiam legis sibi extrinsecæ. Similiter valor monetæ, & pretium rerum venalium præcisè, directè, & immediatè sumuntur à voluntate humana ita taxante & acceptante: at verò esse morale in actibus voluntatis, etsi supponat legem, immediatè tamen non à lege, sed ab ordine ad objectum legi subjectum accipitur: qui ordo est ipsis intrinsecus. Ad quartum dist. major. consistit in habitudine fundamentali seu radicali ad objectum ceu mensuram, concedo; in formali, nego. Cùm enim actus intelligatur bonus, vel malus moraliter, priusquam formalem respectum ad objectum habeat, vel habere possit, non in ordine formali, sed radicali ad objectum moralitas poterit consistere. 12.

§. III.

Resolutio quæstionis.

CONCLUSIO quarta. *Moralitas actuum humanorum non consistit in habitudine actûs ad voluntatem.* 13.

Ratio est primò: quia moralitas per prius est in actu, quàm voluntate, voluntas enim propter attributionem & habitudinem ad actus est & dicitur moralis. Actus quoque per prius subjiciuntur legi, quàm voluntas, cùm leges & præcepta dentur propter actus humanos. Secundò. Quia actus & motus non specificatur à suo principio; sed actus humani sunt quidam veluti motus & tendentiæ ad sua objecta, etiam in esse moris: ergo ex objecto accipiunt speciem boni vel mali in esse moris, non à suo principio. Sed unde non accipiunt speciem in esse moris, inde nec ipsum esse moris accipiunt; siquidem genus includitur in speciebus: ergo, cùm non accipiant speciem boni vel mali à principio sive volnntate, etiam inde non accipiunt ipsam moralitatem.

CONCLUSIO quinta. *Moralitas formaliter est ipsa actualis tendentia voluntatis in objectum, subjectum regulis morum, indistincta ab actu.* Ita communiter Thomist. quorum tamen plerique in hoc discrepant, quòd velint istam habitudinem esse ab actu modaliter distinctam. 14.

Probatur

Probatur primò inductivâ refutatione aliarum opinionum: ut enim hactenus est ostensum, moralitas actuum humanorum non consistit in ipsa libertate; non in denominatione extrinseca à regulis rationis, vel voluntate moraliter operante; non in relatione prædicamentali, vel rationis; non in habitudine ad ipsam voluntatem: superest ergo ut constitutivum moralitatis sit actualis ordo & tendentia voluntatis ad objectum.

Probatur secundò authoritate, & ratione S. Doct. unde actus humanus accipit speciem tam infimam quàm subalternam moralitatis, inde etiam accipit rationem genericam moralitatis; quia genus in specie imbibitur: sed actus humanus recipit speciem tam subalternam boni, vel mali moralis, quàm infimam hujus virtutis aut vitii ab objecto; *prima* enim *bonitas actûs* [inquit S. D. hîc q. 18. a. 2.] *moralis attenditur ex objecto convenienti*: ergo actus humanus etiam accipit genericam rationem moralitatis ab objecto. Sed si extrinsecè accipit genus moralitatis ab objecto, eo ipso intrinsecè accipit ex ordine sive habitudine sua intrinseca in objectum secumque identificata [sive appelles transcendentalem, sive fundamentalem respectum, perinde est] sicuti habitus qui ab objectis specificantur extrinsecè, specificantur intrinsecè per respectum sibi intrinsecum & identificatum, h. e. per naturalem inclinationem in objectum.

Confirmatur primò. Habitus morales sumunt genus moralitatis ab objecto, ergo & actus. Consequentia probatur: quia actus & habitus reducuntur ad idem genus, & habitus non nisi ratione suorum actuum ab objectis specificantur.

Confirmatur secundò. Motus & actus physicè spectatus tam specificam quàm genericam rationem accipit ab objecto in esse physico: ergo etiam actus morales rationem tam genericam quàm specificam accipiunt ab objecto in esse moris. Conseq. prob. Non minùs actus moralis est quædam via & tendentia ad objectum, quàm actus physicè consideratus; ergo sicut ille speciem accipit ab objecto, sic & iste.

§. IV.

Solvuntur Objectiones.

15. Objicies primò. Si moralitas formaliter consisteret in tendentia actûs humani ad objectum substans regulis morum, tunc etiam species moralitatis in illa consisterent: nam quod dicitur de genere, dicitur etiam de specie, genus enim in specie includitur, imò cum illa identificatur: atqui aliqua species moralitatis, nimirum formalis malitia actûs humani non consistit in positiva tendentia ad objectum; siquidem dicimus illam formaliter consistere non in positivo, sed in privativa carentia debitæ rectitudinis: ergo.

Confirmatur. Aliqua omissio est moraliter mala: sed hæc moralitas non potest consistere in tendentia ad objectum, præsertim si supponatur pura omissio: ergo non omnis moralitas consistit in habitudine ad objectum substans regulis morum.

Respond. ad hoc argumentum (quod est principale & palmarium contra sententiam de privativo peccati) distinguendò min formalis malitia in abstracto, & quantùm ad rationem malitiæ, non consistit in positivo, concedo; formalis malitia in concreto (hoc est malum morale, quod propriè est species moralitatis, non ipsa malitia abstractivè sumpta) & quatenus est moralis, nego. Sic enim saltem de connotato & substrato importat positivam tendentiam voluntatis; aliàs quippe potiùs esset pura negatio, quàm moralis privatio rectitudinis. Similiter distinguo consequens: ergo aliqua species moralitatis formaliter non consistit in positiva habitudine & tendentia, quoad omnia inclusa in specie, concedo; quoad aliqua, nego consequentiam. Nam mutuò & reciprocè ad invicem ista se habent, ut actus moralis non esset formaliter malus, nisi esset privatus debitâ rectitudine; & ipsa privatio non esset vel in genere, vel in certa specie moralitatis, nisi subjectaretur in actu liberè tendente in objectum dissentaneum regulis rationis.

Ad confirmat. Resp. dist. min. hæc moralitas non potest consistere in formali tendentia in objectum, concedo; in interpretativa & virtuali tendentia, nego min. ergo non omnis moralitas consistit in prædicta habitudine & tendentia tantùm formali & positiva, concedo; vel formali vel interpretativa, nego consequentiam. Unde ly *habitudo* est accipiendum in sensu accommodo pro subjecta materia, ita ut, si moralitas sit in actu humano, sit positiva habitudo ad aliquod objectum; si autem sit in omissione, sit quasi habitudo negativa, & tendentia tantùm interpretativa in objectum. Sicut enim tunc omissio solùm est interpretativè voluntaria, sic etiam non aliam requirit quàm interpretativam tendentiam voluntatis in objectum, vel finem. 16.

Objicies secundò. Ita se habet actus humanus ad regulas moris, sicut ad regulas artis: sed tantùm extrinsecè denominatur artificiosus per regulas artis: ergo similiter denominatur extrinsecè per regulas moris. 17.

Respondeo permissâ maj. negando min. nam, ut dictum, ex hoc actus artificis est artificiosus, quòd est in se commensuratus & conformis cum regulis artis. Denominatio quippe extrinseca regulæ artis tantùm tribuit actui quòd sit subjectus regulæ, non verò quòd sit vel conformis vel difformis eidem.

Objicies tertiò: Actus est & dicitur naturalis, vel vitalis non per habitudinem ad objectum, sed per habitudinem ad principium naturale, vel vitale, à quo procedit: ergo etiam actus est ideo moralis, quia procedit à voluntate tanquam principio morali. Neque obstabit diversitas specifica actuum in genere moris desumpta à diversitate objectorum: nam etiam actus & motus naturales vel vitales ex objectis inter se specificè distinguuntur, qui tamen genericè sunt naturales aut vitales propter habitudinem ad naturam, vel vitam, à qua procedunt. 18.

Respond. disparitatem esse, quòd naturalitas & vitalitas per se primò reperiuntur in linea substantiæ, quæ in se omnimodè absoluta non specificatur per habitudinem ad quid extrinsecum: econtra

econtra moralitas pertinet ad lineam operationis, quæ ex sua natura est apta specificari à termino & objecto extrinseco propter intrinsecum respectum ad ipsum.

§. V.

Corollaria.

19. Colliges ex dictis primò. Prædictam habitudinem actûs ad objectum, in qua moralitatem formaliter collocamus, non esse realiter (modaliter non distingui aliunde suppono) distinctam, & supperadditam actui. Positâ quippe liberâ tendentiâ actûs ad objectum substans regulis morum, & remoto omni altero, hoc ipso intelligitur actus esse moralis.

20. Colliges secundò. Objectivam moralitatem nihil aliud esse, quàm ipsum objectum, quatenus connotat rationem & regulam mensurantem, juxta quam per actum voluntatis in debitum finem ultimum rationali naturæ consentaneum referri possit.

21. Colliges tertiò. Divisionem moralitatis in bonum & malitiam moralem esse divisionem generis in species. Siquidem moralitas ut sic est prædicatum superius abstrahibile à bono & malo consentaneo & dissentaneo regulis rectæ rationis. Sed estne etiam adæquata divisio? Resp. cum Jo. à S. Th. negativè, quia licèt in individuo & actu exercito non detur aliquis actus, qui non sit vel bonus vel malus moraliter, prout declarabitur, datur tamen actus secundùm speciem suam & ex meritis proprii objecti indifferens, ideoque indifferentia rectè dicitur constituere tertiam speciem moralitatis. Ut enim actus humanus sit moralis plus non requiritur, quàm ut liberè tendat in objectum ut substans regulis morum: quia alia est regula præceptiva, alia prohibitiva, alia permissiva. Licèt igitur actus indifferens, ut est v. g. ambulare, non tendat in objectum præceptum, vel prohibitum, tendit tamen in objectum lege & ratione permissum. Unde *si dicas*: Actus vel est conformis, vel difformis regulis rectæ rationis: ergo vel bonus, vel malus. Resp. dist. antec. est conformis regulis semper præcipientibus vel prohibentibus, nego; aliquando permittentibus concedo; & nego consequentiam.

Colliges quartò. Duplicem potissimùm esse regulam morum; Remotam, & proximam. Remota est lex DEI æterna; à qua omnes aliæ leges derivantur: proxima est dictamen propriæ conscientiæ, quo mediante lex DEI nobis innotescit. Ratio primi est ex S. D., quòd prima regula est regula indefectibilis, in quam omnes aliæ reducuntur, sed hæc est lex DEI æterna & in mente ipsius existens, quam S. D. describit q. 91. a. 1. quòd sit *ratio gubernationis rerum in DEO, sicut in principe universitatis existens.* 22.

Ratio secundi est, quòd illa est proxima regula nostrorum actuum, quæ in virtute primæ regulæ nostros actus morales proximè dirigit: sed ejusmodi regula est dictamen nostræ conscientiæ, ceu radius ab æternâ lege derivatus. Juxta illud Ps. 4. *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* Unde

Colliges quintò. Naturam rationalem, quatenus antecedit legem conscientiæ, non esse formalem regulam moralitatis: neque enim per modum regulæ moralis præcipit, vetat, &c. sed tantùm inclinat in bonum rationis, idque non tantùm in bonum morale, sed etiam in bonum naturale. Unde non tam regula morum, quàm radix exigitiva talis regulæ dirigentis in finem ultimum, naturæ quà rationali proprium, sive regula radicalis dici debet, de quo alibi plura. 23.

ARTICULUS II.

Unde actus humani speciem bonitatis aut malitiæ desumant?

SUMMARIA.

1. *Quid intelligatur nomine objecti?*
2. *Objectum non specificat, nisi prout subest judicio practico rationis.*
3. *Actus humani essentialem speciem moralitatis capiunt ab objecto.*
4. *Variæ objectiones.*
5. *Actus indifferens ex objecto habet speciem essentialem indifferentiæ.*
6. *Quodnam sit objectum fortitudinis?*
7. *Actus externus accipit ab interno speciem bonitatis ut est in executione.*
8. *Quodnam sit objectum hujus actûs*: Volo honestè vivere.
9. *Numerus circumstantiarum.*
10. *Circumstantiæ semper tribuunt aliquam bonitatem vel malitiam moralem.*
11. *Circumstantiæ afferentes novam conformitatem vel difformitatem cum objecto tribuunt novam speciem moralitatis.*
12. *Et tunc transeunt in conditionem objecti.*
13. *Finis semper tribuit aliquam speciem moralitatis.*
14. *Aliquando essentialem, aliquando accidentalem.*
15. *In eodem actu humano dantur plures species bonitatis, aut malitiæ.*

§. I.

Species essentialis ab objecto.

Tria sunt principia moralitatis, videlicet objectum, circumstantiæ, & finis. Nunc de objecto. 1.

Notandum primò. Objecti nomine hoc loco accipi illud bonum, ad quod ex proprio modo tendendi actus humanus per se primò ordinatur, ut est v. g. in actu eleemosynæ subvenire indigenti, ad hunc quippe finem eleemosynæ largitio per se ordinatur, quamvis extrinsecè & ex fine operantis ad alios bonos, vel malos fines ordinari possit. Unde objectum sæpe distinguitur à fine operantis,

operantis, semper tamen coincidit cum fine operis, ut patet in allato exemplo.

2. Notandum secundò. Ut actus ab objecto accipiat speciem moralitatis, pro necessaria conditione connotare practicam repræsentationem & judicium rationis: neque enim objectum præcisè ut in se est, sed ut substat cognitioni practicæ, speciem tribuit; quâ de causâ ignorantia invincibilis sæpenumerò aufert malitiam, quam actus alioquin ex objecto contraxisset: e. g. in adoratione hostiæ non consecratæ, quæ tamen per invincibilem ignorantiam putatur esse consecrata, à parte rei est adorabilitas hostiæ non consecratæ, quæ simpliciter est prohibita & objectum idololatriæ; quia tamen hoc objectum non stat sub practica repræsentatione intellectûs, sed econtrario adorabilitas Christi sub hostia, quæ invincibiliter & prudenter consecrata judicatur, existentis est hujus adorationis objectum hîc & nunc repræsentatum & practicè judicatum, idcirco actus adorationis ab hoc objecto specificatus est honestus, & procedit ex virtute religionis. His positis sit

3. CONCLUSIO prima. *Actus humani speciem essentialem bonitatis vel malitiæ accipiunt ex objecto*, S. D. q. 18. a. 2. dicens. *Sicut res naturalis habet speciem ex sua forma, quæ dat speciem ei; ita & prima bonitas actûs moralis attenditur ex objecto convenienti.* Colligitur Os. 9. ubi de peccatoribus dicitur: *facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Unde & D. August. tr. 2. in Jo. *Si terram diligis, terra es: si DEUM diligis, quid dicam? DEUS eris.*

Ratio est indicata à S. Doctore: Ita se habet objectum ad actum in specificando extrinsecè, sicuti forma naturalis habet se ad compositum in specificando intrinsecè: sed forma naturalis dat composito primam & essentialem speciem intrinsecè: ergo etiam objectum dat actui primam & essentialem speciem extrinsecè: naturalem quidem, si spectetur in esse naturæ; moralem, si spectetur in esse moris.

4. Objicies primò. Datur actus moralis indifferens saltem secundùm speciem; sed iste non habet ex objecto speciem boni, vel mali moralis. Nam objectum v. g. ambulationis ut sic est delectabile exercitium corporis à regulis rationis neque præscriptum neque prohibitum, sed purè permissum, adeòque indifferens ad bonum & malum: ergo actus indifferens speciem boni vel mali non accipit ab objecto.

Secundò. Juxta S. D. in 2. 2. q. 124. a. 3. actus fortitudinis speciem suæ honestatis non accipit ab objecto, quod est tolerantia passionis, vel mortis, nisi accedat aliquis finis extrinsecus altioris virtutis, v. g. religionis, aut justitiæ.

Tertiò. Actûs interioris objectum est actus externus, v. g. objectum hujus actûs, *volo furari*, est ipsummet furtum exterius: sed actus externus non potest interiori dare malitiam aut bonitatem; siquidem ipse suam bonitatem aut malitiam omnem accipit ab actu interno voluntatis: ergo non omnis actus humanus speciem suæ moralitatis accipit ab objecto.

Quartò. Objectum hujus actûs, *volo honestè vivere*, est in confuso materia omnium virtutum; sicut & objectum istius actûs, *volo peccare*, est indeterminatè materia & objectum omnium vitiorum: sed hoc non potest speciem determinatam actui tribuere; ergo.

Respond. ad 1. juxta suprà dicta actum indifferentem secundùm speciem, habere ex objecto essentialem speciem indifferentiæ, quæ deinde per accessum finis & circumstantiarum in individuo trahitur ad speciem boni, vel mali moralis. 5.

Ad 2. Respond. mentem S. Doctoris esse, quòd objectum fortitudinis requirat connexionem finis extrinseci alterius virtutis per modum conditionis & connotati extrinseci, non autem per modum specificativi formalis: licèt enim sustinentia passionis vel mortis absolutè non habeat honestatem, nisi connotet alium honestum finem, ad quem ordinetur: positâ tamen tali conditione etiam ex propria materia habet specialem honestatem, quæ non relucet in honestate finis adjuncti, nimirum ratione peculiaris difficultatis in cujus victoriâ specialis honestas reperitur. 6.

Ad 3. neg. min. ejusque probationem dist. actus externus accipit suam bonitatem formalem ab interno & ut est in executione positus, concedo; accipit bonitatem, vel malitiam objectivam, & ut est in intentione, nego. de quo plura infrà. 7.

Ad 4. nego maj: nam objectum istius actûs, *volo honestè vivere*, est finis ultimus naturæ rationalis quà talis, nempe vel bonum honestum naturale conveniens naturæ rationali quatenus elevatæ in finem supernaturalem. Similiter iste actus, *volo peccare*, habet pro objecto ultimum finem inordinatum, nempe proprium commodum inordinatum, in quod fertur depravatus appetitus naturæ sibi relictæ. 8.

§. II.

Species à circumstantiis.

Notandum primò. Circumstantias actûs humani communiter illo trito versiculo enumerari. *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?* 9.

Cujus numeri ista est ratio. Tot sunt circumstantiæ, quot sunt speciales modi extrinsecè afficiendi actum humanum: (hoc quippe significat circumstantia tanquam extra substantiam actûs constituta, eumque circumstans) sed ejusmodi sunt septem: ergo. Min. probatur: Actus afficitur extrinsecè vel secundùm seipsum, vel secundùm suam causam, vel secundùm aliquem suum effectum. Actum ipsum afficit vel modus agendi, vel mensura ipsius. Modus agendi constituit circumstantiam *quomodo*? mensura est circumstantia temporis & loci, seu *quando & ubi*.

Ratione causæ actus afficitur, vel quia aliquid est causa finalis ipsius, & est circumstantia *cur*? vel quia est causa efficiens principalis, & est circumstantia *quis*? vel quia est causa instrumentalis, & hæc est circumstantia, *quibus auxiliis*? vel quia est causa materialis, & est circumstantia, *quid*? quæ etiam ex parte effectûs considerari potest. Ex his circumstantiis potissima est finis, non *finis operis*; quia iste non distinguitur ab objecto, de quo art. præced. sed *finis operantis*, quæ est motivum voluntatis, ideoque peculiarem habet considerationem. E. g. si quis occidat Clericum

cum ex intentione prædandi pecunias, objectum actûs & finis operis est injusta vitæ ablatio, tam præcepto charitatis quàm justitiæ repugnans. Circumstantia *cur* & finis operantis est injusta ablatio rei alienæ contra virtutem justitiæ. Circumstantia *quid* ex parte causæ materialis est violatio personæ sacræ repugnans virtuti & præcepto religionis.

10. Notandum secundò. Extra dubium esse, quòd actus humanus accipiat moralem bonitatem aut malitiam ex circumstantiis, nam Gen. 4. reprobatur sacrificium Caini propter admixtam circumstantiam odii erga fratrem. Matth. 6. reprehenduntur dantes eleemosynam ex fine vanæ gloriæ. Magnitudo personæ peccantis aggravat peccatum ut ex Isidoro habet S. D. q. 73. a. 10. Ratio est: quia bonitas & malitia humanorum actuum attenditur secundùm conformitatem vel difformitatem ad regulas morum: sed circumstantiæ faciunt actum aliquando absolutè conformem vel difformem, aliquando magis vel minùs conformem aut difformem ad regulas morum: ergo circumstantiæ tribuunt actui humano aliquam bonitatem, vel malitiam. Superest quæstio, an & quæ circumstantiæ actui humano tribuant novam speciem bonitatis, vel malitiæ, distinctam à specie quam actus accipit ab objecto.

11. CONCLUSIO secunda. *Illæ circumstantiæ tribuunt novam & distinctam speciem bonitatis aut malitiæ, quæ afferunt novam conformitatem, vel novam difformitatem & repugnantiam cum regulis morum.*

Ratio est: quia ut dictum, bonitas moralis consistit in conformitate, malitia verò in difformitate cum regulis morum & rectæ rationis: ergo illæ circumstantiæ tribuunt novam speciem bonitatis, quæ afferunt novam conformitatem; illæ verò novam speciem malitiæ, quæ afferunt novam difformitatem cum regulis morum & rectæ rationis: cæteræ verò circumstantiæ solummodò tribuunt vel augmentum, vel diminutionem bonitatis aut malitiæ. E. g. furatur aliquis calicem aureum die festivo ex fine fornicandi, in hoc actu, præter speciem furti vel injustitiæ quæ ab objecto accipitur, circumstantia finis tribuit novam speciem fornicationis, propter novam repugnantiam cum virtute & præcepto castitatis. Item circumstantia *quid*, sive materiæ sacræ tribuit novam speciem sacrilegii propter novam & specialem repugnantiam cum virtute & præcepto Religionis. Circumstantia verò pretiositatis, quòd calix sit aureus, item quòd furtum committatur die festivo, ceu circumstantiâ temporis, quia non inducunt aliquam specialem difformitatem vel repugnantiam cum distincto præcepto & virtute, propterea sunt species tantummodò aggravantes, non autem speciem mutantes.

12. Dices: Actus humani specificantur ab objecto, sed circumstantiæ non pertinent ad objectum; siquidem per modum accidentium illi jam præsupposito superveniunt: ergo actus humani non accipiunt speciem à circumstantiis.

Respond. dist. min. Circumstantiæ non pertinent ad objectum, quatenus comparantur ad primam & essentialem speciem, quam actus recipit ab objecto, concedo; quatenus comparantur ad actum, quem trahunt ad novam speciem moralitatis, nego min. ergo non accipiunt novam speciem à circumstantiis sub prima consideratione, concedo; sub secunda, nego consequentiam. Igitur circumstantia potest dupliciter considerari, primò, quatenus supervenit actui in sua specie constituto, & sic habet se per modum accidentis & servat rationem circumstantiæ: secundò, prout fundat in objecto novam objectivam repugnantiam cum recta ratione, ex qua actus peccaminosus sortitur novam speciem peccati & sic non manet pura circumstantia, sed transit in conditionem objecti.

§. III.
Species à fine.

CONCLUSIO tertia. *Actus humanus semper accipit aliquam speciem moralitatis à fine.* Ita constat ex præcitato c. 6. Matth. Ratio est: quia tunc actuum humanorum bonitas & malitia aliquo modo pendet ex fine, quando eorum esse pendet ex fine: sed omnium actuum humanorum esse pendet ex fine: ergo etiam illorum bonitas vel malitia. Min. constat: Sicut enim finis operantis est motivum voluntatis, ita necessariò semper est causa actûs voluntarii, & consequenter esse actûs humani & voluntarii à fine dependet. 13.

Dixi, aliquo modo actum humanum accipere suam speciem à fine: quia pro diversitate actuum aliquando accipit speciem essentialem, aliquando accidentalem.

Nam actus internus vel est merè elicitus circa finem, estque ipsa finis intentio, vel ex prævia intentione imperatus, ut electio mediorum ad consequendum finem: si est merè elicitus, tunc accipit à fine operantis speciem essentialem, cùm iste actus pro immediato & specificativo suo objecto respiciat ipsum finem operantis: si verò sit imperatus, tunc est distinguendum: vel enim accipitur reduplicativè, quatenus nimirum imperatur, & tunc speciem essentialem accipit à fine operantis, quem ut sic per se primò respicit: Si autem sumatur specificativè, tunc ab objecto proximo tanquam fine operis sumit speciem essentialem, à fine verò accidentalem. Utrumque inducit S. Doctor, & primum quidem *q. 1. de virtut. a. 10. Actus alicujus habitûs, prout imperatur ab illo habitu, accipit speciem moralem, formaliter loquendo de ipso actu; unde cùm quis fornicatur ut furetur, actus iste licèt materialiter sit intemperantiæ, tamen formaliter est avaritiæ.* Alterum expressit hic q. 18. a. 2. dicens: *Sicut prima bonitas rei naturalis attenditur ex sua forma, quæ dat speciem ei, ita & prima bonitas actûs moralis attenditur ex objecto convenienti.* Idem proportionaliter est de malitiâ. Et ratio ulterior est, quòd quæ in actu se habent variabiliter, sunt contingentia: sed bonitas & malitia ex fine operantis habent se variabiliter in actu: nam furtum v. g. semper habet speciem injustitiæ, quòd autem habeat malitiam fornicationis, est ipsi per accidens: ergo. 14.

Colliges ex dictis. In eodem physicè actu plures bonitates, vel malitias specie distinctas reperiri posse. Hoc ipso, quòd idem physicè actus possit habere plures conformitates vel difformitates 15.

tates ad regulas rectæ rationis. Unde etiam quadruplex bonitas naturalis seu transcendentalis, quæ sequitur actionem ut actio & ens est, eaque non minùs actui malo, quàm bono communis est. Secunda est bonitas moralis essentialis, quæ sumitur ex objecto. Tertia est bonitas moralis accidentalis desumpta ex circumstantiis. Quarta est eadem bonitas moralis desumpta ex fine, tanquam causa & motivo ipsius actûs.

ARTICULUS III.

An detur actus humanus indifferens in individuo?

SUMMARIA.

1. *Dantur actus indifferentes secundùm speciem.*
2. *Non dantur in individuo.*
3. *Quomodo species salvari debeat in individuo.*
4. *Quâ lege homo obligetur omnia opera ordinare in finem honestum.*
5. *Sitne homo obligatus omnem suum actum ordinare in finem supernaturalem?*
6. *An in casu invincibilis ignorantiæ, aut in sequela Scotisticæ sententiæ detur actus indifferens?*

§. I.

Resolutio quæstionis.

1. Suppono ex dictis, dari aliquos actus indifferentes, qui secundùm speciem & præcisè ex meritis objecti, ad quod ab intrinseco referuntur, sunt indifferentes: siquidem deambulatio v. g. habens pro objecto exercitationem corporis, delectabilitatem lege permissam, ex vi objecti nec est bona, nec mala, sed indifferens; siquidem objectum ex se est prorsus indifferens, ut voluntas illud referat in finem honestum, & naturæ quà rationali consentaneum, cùm ex se solummodò dicat proportionem & commensurationem cum bono naturæ humanæ quà sensitivæ. Quæstio est, utrùm non solùm secundùm metaphysicam abstractionem & in statu essentiæ, ut vocant, sed à parte rei, in statu realis exercitii & in individuo prout actus à voluntate egreditur, detur actus aliquis humanus indifferens, qui neque sit bonus, neque malus moraliter?

2. CONCLUSIO: *Non potest dari actus humanus indifferens in individuo.* Ita contra Scotum S. D. hîc q. 18. a. 9. Conformiter D. Augustino ep. 19. dicenti: *Cavendum esse, ne quadam facta hominum media dicamus inter rectè facta & peccatum.*

Probatur primò authoritate legis Evangelicæ damnantis malitiæ verbum otiosum: sed eadem est ratio de actu indifferente, tanquam otioso: ergo & iste est damnabilis & consequenter non manet indifferens.

Min. probatur: verbum otiosum est & dicitur tale, non quia in nullum, aut malum finem proximum ordinatur, sed quia non ordinatur in debitum finem: atqui actus indifferens etiam non ordinatur in debitum finem; adeòque æquè, imò magis est vituperabilis, quàm verbum otiosum. Minor probatur: finis delectationis & commoditatis sensibilis non est debitus neque commensuratus naturæ rationali quà tali: atqui actus indifferens juxta explicationem Adversariorum ordinaretur in finem delectationis & commoditatis sensibilis: ergo.

Probatur secundò authoritate Theologorum communi consensu divinam providentiam adæquatè dividentium in providentiam approbationis circa opera bona, & permissionis circa opera mala. Sed hæc divisio non esset adæquata, si darentur opera indifferentia; siquidem pro istis tertius modus divinæ providentiæ deberet assignari.

Probatur tertiò authoritate Philosophorum, secundùm quos non dantur habitus indifferentes: nam de natura habitûs est *bene* vel *malè* disponere subjectum; ideoque Philosophus 2. *Eth.* dicit: quòd *per habitus morales homo fiat melior, vel deterior.* Atqui non est assignabilis disparitas, quare non deberent admitti habitus indifferentes generati ex actibus indifferentibus si darentur, cùm admittendi sint habitus virtuosi generati ex actibus studiosis, & habitus vitiosi generati ex actibus vitiosis.

Probatur quartò hâc ratione. Omnis actus humanus, quicunque nec formaliter nec virtualiter dirigitur in finem honestum, est malus: sed actus, quem vocant indifferentem, non dirigitur in finem honestum formaliter aut virtualiter, (aliàs quippe foret honestus & bonus moraliter:) ergo est moraliter malus & inhonestus. Major, de qua est status quæstionis, probatur: Actus humanus qui deficit à fine sibi quà tali debito est malus moraliter: sed actus humanus non ordinatus in finem honestum, deficit à fine sibi quà tali debito: ergo actus humanus non relatus in finem honestum hoc ipso est malus. Major constat: quia actus moraliter malus nil aliud est quàm actus deficiens à fine & regula sibi debita. Minor probatur: Actui creaturæ rationalis quà talis debetur finis honestus & consonus rectæ rationi, referibilis in debitum finem ultimum: hoc solo quippe fine in suo modo agendi homo differt à brutis animantibus, quæ & ipsa feruntur in bonum delectabile sensui accommodatum: Atqui actus humanus non relatus in finem honestum, deficit ab hoc fine: ergo etiam actus humanus non relatus in finem honestum, deficit à fine actui creaturæ rationalis quà talis debito.

Confirmatur primò. Finis non subordinatus ultimo fini naturæ rationalis est deordinatus, & consequenter etiam actio tendens in tunc finem: atqui solum bonum honestum est subordinatum ultimo fini naturæ rationalis; cùm bonum delectabile ut sic præcisè respiciat ultimatò proprium commodum & bonum naturæ sensitivæ: ergo.

Confirmatur secundò. Operari modo bruti est operari difformiter regulis prudentiæ, utpote dictantis, omnia esse ordinanda in finem congruum; sed qui hæret in bono delectabili, non respiciendo

respiciendo altiorem & honestum finem creaturæ rationali proprium, operatur modo & more bruti: ergo.

Confirmatur tertiò. Invertere ordinem à DEO authore naturæ operationibus præstitutum, est inordinatum & defectuosum: sed operari propter delectationem [quod fit in actibus indifferentibus Scotistarum, utpote comestione, deambulatione, fricatione &c.] est invertere ordinem à DEO authore naturæ nostris operationibus præstitutum: ergo. Min. est S. D. suprà q. 4. a. 2. ad 2. dicentis; *Divinus intellectus, qui est institutor naturæ, delectationes posuit propter operationes*; nimirum ut istæ suaviùs & faciliùs elicerentur: ergo non delectatio debet esse finis operationis, sed operatio delectationis. Et hinc est, quòd sententia docens, non esse peccatum comedere ad satietatem solius delectationis causâ, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui, & conjuges actum conjugii exercentes solius voluptatis causâ non peccare venialiter, fuerit damnata ab Innocentio XI. Anno 1679. n. 8. & 9.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

3. Objicies primò. Omnis species salvatur in aliquo suo individuo: sed datur sub genere moralitatis species indifferentiæ: ergo hæc salvari debet in individuo.

Respond. dist. maj. debet salvari in individuo secundùm prædicata essentialia convenientia pro statu reali, concedo maj. secundùm prædicata convenientia pro statu essentiæ & metaphysicæ præcisionis, nego maj. ergo indifferentia debet salvari in individuo secundùm prædicatum conveniens pro statu reali, nempe tendentiæ positivæ in objectum delectabile lege permissum, concedo; secundùm prædicatum negativæ indifferentiæ ad bonum & malum, quod convenit secundùm statum metaphysicæ præcisionis, nego conseq. ergo datur in individuo actus indifferens, nec bonus nec malus, nego consequentiam. Sicut enim est impossibile dari hominem à parte rei, qui non sit contractus ad individuum hominis, ita est impossibile dari actum humanum, qui non sit ex determinato fine & motivo, homini quà tali vel proprio, vel non proprio: si ex fine proprio, jam actus induit bonitatem; si ex non proprio, induit malitiam moralem.

Dices. Species contrahitur, non destruitur, per superadditas differentias à parte rei: ergo etiam actus indifferens secundùm speciem manet talis à parte rei, neque transit in distinctam speciem moralitatis. Respond. dist. maj. species physicè talis non destruitur à parte rei, & secundùm prædicata realia, concedo; species quæ tantùm est talis secundùm metaphysicam abstractionem, nego anteced. & consequentiam. Siquidem indifferentia non est physica species moralitatis, quæ à parte rei reperiatur in pluribus individuis, uti species hominis, &c. sed tantùm metaphysica, & secundùm metaphysicam abstractionem, in quantum intellectus præscindens ab omnibus principiis moralitatis specificam moralitatem constituentibus, considerat actum quatenus præcisè terminatum ad aliquod objectum lege permissum: cùm tamen à parte rei fieri non possit ut illud objectum per conventionem debiti vel indebiti finis non trahatur ad determinatam speciem bonitatis, aut malitiæ objectivæ.

Objicies secundò. Ubi non est lex, ibi nec prævaricatio; atqui nulla lex obligat, ut homo in omni sua operatione quærat honestum finem: ergo. Minor probatur primò: quia non potest ostendi, ad quodnam præceptum decalogi hæc obligatio pertineret. Secundò. Non est assignabilis virtus, è cujus motivo lex illa procederet. 4.

Tertiò. Praxis fidelium tenet, quòd nullum sibi de ejusmodi actibus scrupulum faciant, neque de his sese in confessione accusent. Quartò. Non esset ratio, cur non homo æquè foret obligatus, ut omnem suam operationem referret in ultimum finem supernaturalem; siquidem natura rationalis de facto non tantùm est ordinata ad finem honestum naturalem, sed etiam ad ultimum finem supernaturalem: atqui hoc nimis foret scrupulosum, & moraliter impossibile.

Respond. neg. min. est quippe lex naturalis aliorum præceptorum naturalium quasi fundamentum, ne homo in suo proprio modo operandi deficiat ab ordine & fine sibi ab authore naturæ præscripto & in ipsa natura radicato: Unde actus à fine honestatis deficiens saltem mediatè contrariatur præcepto negativo charitatis, quâ homo tenetur, ne ullam suam operationem subtrahat à relatione ad DEUM ut ultimum finem. Ex quo patet responsio ad primam & secundam probationem.

Ad tertiam probationem Respond. Ideo apud fideles non esse usitatum, ut se accusent de ejusmodi operationibus, quia ut plurimùm sunt indeliberatæ, & præcisè ex impulsu naturæ provenientes. Facillimè etiam isti actus saltem virtualiter ab homine in gratia & charitate constituto referuntur in DEUM: quia, ut inquit hîc S. D. *hoc ipsum, quod aliquis agit ordinatè ad sustentationem vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur.*

Ad 4. nego sequelam. Quia ordinatio hominis in finem honestum est intrinseca naturæ rationali, & in ipsius principiis intrinsecis fundata, ordinatio verò seu elevatio in finem supernaturalem est ab extrinseco DEI decreto, quod non præsumitur humanæ naturæ obligationem tam gravem, & servatu fermè impossibilem voluisse imponere. 5.

Objicies tertiò: Si quis invincibiliter ignoraret hoc præceptum, vel sequeretur sententiam probabilem Scoti in eliciendo actum qui ex objecto indifferens est, is neque faceret actum honestum & bonum, neque actum moraliter malum: ergo in hoc casu faceret actum indifferentem. Anteced. probatur: quia actum honestum non elicit, nisi qui intendit directè finem honestum: at iste non intendit, quia vult & putat se facere actum indifferentem. Rursus non facit actum moraliter malum: quia, ut supponitur, vel laborat invincibili ignorantiâ malitiæ actui conjunctæ, quæ ipsi consequenter non est imputabilis in culpam; vel sequitur sententiam verè probabilem totius Scholæ Scotisticæ, quam qui sequitur prudenter & sine peccato operatur. 6.

Respond.

Respond. In tali casu operationem fore simpliciter honestam & licitam: quamvis enim operans judicio remoto & speculativo, sive in actu signato, existimaret, se elicere actum indifferentem; quia tamen in judicio practico & proximo judicat se licitè & prudenter operari, ita ut licitas objecti ejusque conformitas cum regulis prudentiæ sit ipsi proximum motivum operandi, propterea in actu exercito amplecteretur motivum verè honestum conveniens rectæ rationi; adeòque eliceret actionem bonam & honestam.

ARTICULUS IV.

An idem numero actus possit transire de bono in malum?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Non potest idem numero actus transire de bono in malum.*
3. *Varia instantia in contrarium.*
4. *Disparitas de motibus primò primis.*
5. *Disparitas de transitu actûs necessarii in liberum.*
6. *Disparitas de actu charitatis manente in patria.*
7. *Disparitas de actu intellectûs transeunte de vero in falsum.*
8. *Actus externus semper mutatur in esse moris, quoties fit ex bono malus.*

§. I.

Assertio negativa.

1. CErtum est actum externum & imperatum, si spectetur in genere naturæ, posse de bono in malum transire: quia bonitas vel malitia moralis accedit naturæ actûs externi: unde iisdem variatis ipsa tamen naturalis entitas non variatur, e.g. cœna ante mediam noctem ex honesto fine inchoata, & ultra mediam noctem, à qua incipit obligatio jejunandi, cum ejusdem advertentia continuata, quamvis initio fuerit moraliter honesta; deinde tamen incipit esse mala. Quæstio igitur est de actu interno elicito voluntatis, à quo etiam actus externus moraliter bonus vel malus denominatur, an ille invariatâ suâ individuâ & numericâ entitate possit transire de bono in malum? ubi affirmativam tuentur Capreol. in 2. dist. 40. Cajetanus hic q. 19. a. 1. Vasq: aliique.

Quæritur ergo inprimis: utrùm eidem numero actui interno voluntatis entitativè & physicè invariato bonitas & malitia moralis successivè convenire possit, seu an possit transire de bono in malum? Deinde, an saltem actus ex fine malus possit secundùm quid esse bonus ex objecto, vel e converso, malus ex objecto esse bonus secundùm quid ex fine, vel aliâ circumstantiâ? Sicuti videmus in naturalibus & artificialibus aliquid esse ex una principali parte album, rectum, pulchrum, quòd tamen secundùm quid & ex aliqua parte est nigrum, deforme, distortum. Primam partem in præsenti; alteram resolvemus in artic. sequenti.

2. CONCLUSIO. *Non potest unus idemq́ numero voluntatis actus etiam entitativè spectatus successivè transire de bono in malum.* Ita Sotus q. 20. a. 6. & Rhedingus q. 8. a. 3. controvers. 3. Ratio est: Quoties mutatur objectum formale motivum & specificativum actûs, toties entitativè mutatur actus voluntatis: sed quoties actus voluntatis transit de bono in malum; toties mutatur objectum specificativum actûs voluntatis: ergo. Minor probatur: Objectum specificativum actûs boni est bonum honestum directè movens voluntatem ad sui prosecutionem, objectum verò specificativum actûs mali est bonum sensibile habens conjunctam objectivam honestatem seu difformitatem cum regulis rationis, quod ratione suæ delectabilitatis directè, ratione verò inhonestatis tantùm indirectè fit volitum: sed ista sunt objecta formaliter diversa, utpote in ipsa virtute & efficacia movendi inter se differentia, quorum unum est intrinsecè referibile, alterum verò irreferibile in DEUM ut finem ultimum.

Confirmatur primò. Est impossibile, ut idem numero actus modò sit actus virtutis, modò sit actus habitûs vitiosi: cùm isti habitus inter se contrarientur, & consequenter producant actus contrarios: sed actus honestus & studiosus est actus virtutis, econtrà actus inhonestus est actus vitiosus: ergo.

Confirmatur secundò. Est impossibile, ut actus malus transeat successivè in actum bonum: ergo similiter est impossibile, ut actus bonus transeat in malum. Eadem quippe, ut dici solet, est via Athenis Thebas, & Thebis Athenas. Anteced. videtur certum; quia actus malus secundùm suam entitatem procedit à voluntate, ut ab illa pendeat non tantùm ut à principio efficiente, sed etiam deficiente, & in ipso suo fieri deficienter tendat in objectum quatenus habens adjunctam objectivam difformitatem cum regulis rationis: ergo, nisi voluntas contrario modo se habeat in productione sui actûs, non poterit elicere actum bonum: sed hoc ipso non manebit eadem entitas actûs mali & peccaminosi.

Confirmatur tertiò. Actus bonus voluntatis secundùm suam entitatem saltem utplurimùm pendet ab auxilio speciali, & quidem supernaturali, si fiat ex motivo supernaturali: econtra impossibile est, actum malum pendere ab auxilio speciali: ergo si actus bonus in malum transeat, necesse est mutari entitatem actûs, mutato videlicet concursu & influxu conservativo utriusque.

§. II.

Solvuntur objectiones.

DIces primò. Idem numero actus voluntatis, 3.
videlicet motus primò primus, potest fieri de necessario liber, de non morali moralis, & de non malo malus: ergo etiam idem numero actus voluntatis potest successivè transire de bono in malum Consequentia probatur: quia si deo in tori

priori casu manet idem numero actus, quia tantùm variatur propositio & repræsentatio objecti, non autem ipsum objectum: sed hoc ipsum contigit in secundo casu: e. g. habeat aliquis voluntatem celebrandi missam, quando nullâ indispositione vel præcepto est impeditus, & maneat in ista voluntate, etiam dum est impeditus v. g. fractione jejunij, vel interdicto Ecclesiæ &c. hic tantùm variatur propositio objecti; quia primitùs celebratio sacri repræsentabatur sine impedimento, & postea repræsentatur cum impedimento prohibitionis.

Secundò. Idem numero actus charitatis, qui erat in via, manet & continuatur in patria; quia nimirum diversitas solùm se tenet ex parte propositionis & judicii intellectualis: ergo idem dicendum de actu bono transeunte in malum; ut cùm quis habens voluntatem possidendi rem aliquam, quam invincibiliter putat esse suam, hanc voluntatem continuat, etiam cùm advertit esse alienam.

Tertiò. Sicuti se habet verum & falsum ad actum intellectûs, ita se habet bonum & malum ad actum voluntatis, inquit S. D. cit. q. 19. a. 2. sed idem numero actus intellectûs potest transire de vero in falsum propter solam extrinsecam mutationem objecti: ergo idem numero actus voluntatis potest transire de bono in malum, per unius inordinatæ circumstantiæ additionem.

4. Respond. ad 1. permissâ maj. negando consequentiam. Disparitas est primò; quia motus primò primus consideratur in esse naturæ, ut specificatus per bonum repræsentatum sub materiali ratione finis & boni. Cùm igitur moralitas supponat naturam actûs, eique tanquam subjecto superveniat, ideo motus primò primus non destruitur & mutatur entitativè, sed trahitur solùm ad genus moralitatis, superadditâ cognitione indifferente objecti quatenus substantis regulis morum: Unde nec objectum specificativum istorum motuum propriè mutatur, sed potiùs completur & perficitur, in quantû id, quod priùs in modo specificandi habeat se modo imperfecto & tanquam finis solùm materialis, accedente deliberatione rationis habet se tanquam finis formalis completè specificatus.

Econtrà actus bonus non habet se ut subjectum & dispositio ad actum malum, sed ex vi sui proprii objecti formaliter motivi contrariatur actui malo; & ita secundùm naturam contrariorum succedente actu malo destruitur.

5. Disparitas est secundò inter transitum ab actu necessario in liberum, & à bono in malum, quòd libertas & necessitas non pertinent ad speciem actûs humani, sicuti bonitas & malitia, sed ad accidentalem modum tendendi in objectum; Unde, mutatâ propositione judicii circa idem formaliter objectum, in eodem actu variari possunt: bonitas autem & malitia moralis pertinent ad speciem actûs voluntatis, nec sine mutatione formalis objecti variari possunt.

Dices. Esto, quòd bonitas & malitia moralis pertineant ad speciem actûs in esse moris, non tamen pertinent in esse naturæ: ergo licèt actus in esse moris varietur mutata bonitate ipsius, non tamen est necesse ipsum mutari in esse naturæ. Respond. distinguendo antecedens: non pertinent ad speciem actûs in esse naturæ directè & per se primò, concedo; indirectè & per quandam necessariam connexionem ac redundantiam in esse naturæ, sic nego. Quia licèt secundùm primum conceptum esse naturalis metaphysicè abstractum, actus voluntatis, v. g. actus dilectionis, præcisè concipiatur per modum liberæ tendentiæ in objectum amabile; quia tamen à parte rei voluntas movetur ab objecto amabili, non tantùm ratione amabilitatis naturalis, sed etiam amabilitatis moralis nempe honestatis, ac proinde in ipsâ elicientiâ sui actûs non tantùm est principium physicum, sed etiam morale, idcirco esse morale istius actûs sic imbibitur in esse naturali ipsius, ut sine destructione entitativa ipsius actûs mutari non possit.

Ad probationem d co, variatâ propositione objecti, non variatur actus, quando ex diversa propositione non resultat diversum specificativum voluntatis, concedo; quando resultat ut ita in proposito, sic nego. Et ex his patet responsio ad 2. cùm enim actus charitatis, qui fuit in via, continuetur in patria, est idem specie actus tam in esse naturæ, quàm in esse moris: adeòque diversa propositio & regulatio intellectûs non redundat in diversitatem objecti. 6.

Ad 3. multi negant min. quâ tamen permissâ, 7.
Resp. Etiamsi in hoc sit paritas, quòd, sicuti objectum specificativum intellectûs est verum, ita voluntatis sit bonum, & sicuti veritas & falsitas, sic bonitas & malitia contrarientur: in hoc tamen esse disparitatem, quòd veritas & falsitas præcipuè pertineant ad ordinem naturæ, econtrà bonitas & malitia ad genus moris. Item, quòd bonitas & malitia actûs desumitur per commensurationem ad objectum non prout est extra intellectum, sed prout est voluntati per practicam rationem propositum, econtrà veritas & falsitas actûs intellectûs sumitur per commensurationem ad res ut sunt extra, non ut sunt intra intellectum: ex quo jam patet ratio disparitatis: nam, quia actus intellectûs ut sic specificatur ab objecto quatenus existente intra intellectum, & , ut vocant, in actu signato, secundùm rationem veritatis aut falsitatis aut denominatur ab objecto ita se habente, vel non habente extra intellectum in actu exercito: idcirco manente eodem specificativo, potest tamen mutari objectum veritatis & falsitatis, & consequenter etiam manente eodem actu potest variari veritas & falsitas ipsius. E. g. si intellectus dicat: Petrus currit, objectum specificativum hujus actûs est cursus Petri, repræsentatus ut coëxistens huic enuntiationi; quo objecto adeòque etiam actu durante potest aliquando Petri cursus à parte rei coëxistere, & tunc actus erit verus; poterit etiam aliquando non coëxistere, & tunc actus erit falsus. Econtrà specificativum actûs boni est bonum repræsentatum & practicè judicatum intra intellectum, quod specificativum semper mutatur, quoties actus transit de bono in malum, juxta suprà dicta.

Colliges ex dictis. Actum externum & imperatum à voluntate in esse moris semper mutari quoties fit ex bono malus: quia actus externus denomi- 8.

denominationem extrinsecam bonitatis & malitiæ moralis sumit ab actu interno voluntatis: sed iste mutatur secundùm dicta; ergo etiam mutatur moralitas actûs externi.

ARTICULUS V.

An idem numero actus possit simul esse bonus & malus moraliter?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Assertio negativa.*
3. *Finis amittit bonitatem ex malitia objecti.*
4. *Objectum amittit bonitatem ex malitia finis.*
5. *Mala circumstantia destruit bonitatem objecti.*
6. *Non est possibile præceptum prohibitivum actûs supernaturalis non directi in finem charitatis.*
7. *Habitus misericordiæ non augetur positivè per eleemosynas datas ex malo fine.*
8. *Intentio suscipiendi Sacramentum ex fine venialiter malo non est moraliter bona.*
9. *Potest impleri præceptum per actum externum tantùm materialiter bonum:*
10. *Intentio bona vitiatur per malam electionem per se conjunctam:*
11. *Et electio bona per malam intentionem.*
12. *Non vitiatur bona intentio, si mala electio per accidens conjungitur.*
13. *Intentio boni finis diminuit malitiam pravæ electionis.*
14. *Exorbitans affectio erga aliquem finem reddit intentionem vitiosam.*

§. I.

Assertio negativa.

1. NOn est dubium, actionem humanam, quæ ab operante ordinatur in malum finem, aut malâ circumstantiâ vitiatur, esse simpliciter malam, quantumvis ipsius objectum sit bonum: ut enim D. Th. hîc a. 4. ad 3. *Non est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant, quia quilibet singularis defectus causat malum: bonum autem causatur ex integra causa, ut Dionysius dicit 4. cap. de divin. nomin.* Controversia igitur solùm est, an saltem secundùm quid, actus ex fine malus possit esse bonus ex objecto; an vice versâ malus ex objecto, bonus ex fine, aliâve circumstantiâ? quemadmodum in naturalibus & artificialibus videmus, aliquid esse ex una & principali parte album, pulchrum, rectum, & secundùm quid, sive ex aliqua parte nigrum, deforme, distortum.

2. Conclusio. Impossibile est, ut idem numero actus habeat oppositas species moralitatis unam simpliciter, alteram secundùm quid: ut sit [2] bonus ex fine, & malus ex objecto; [3] vel malus ex fine, & bonus ex objecto; [4] vel bonus ex objecto, & malus ex circumstantia. Ita Jo. à S. Th. contra Cajetanum, Serram, & alios. Videtur esse doctrina clara S. D. hic q. 19. a. 7. ad 2. & 3. & in 2. dist. 38. q. 1. a 4. ad 4. Ubi sic habet: *Cùm aliquis vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, & hic actus totus malus est, licèt non ab omni eo, quod inest, malitiam habeat.*

Ratio primæ partis & universaliter ex prædictis est: quia specificativum bonitatis & malitiæ moralis ita sibi contrariantur, ut ne quidem successivè eundem numero actum voluntatis possint afficere: ergo non potest fieri ut unus idemque actus sit simul moraliter bonus & malus. Neque valet dicere, posse esse bonum secundùm quid, quia non minùs bonitas & malitia actûs, quàm veritas & falsitas consistunt in indivisibili; est enim bonitas commensuratio actûs cum objecto non solitariè considerato, sed ut vestito omnibus debitis circumstantiis, quas dictat regula rectæ rationis. Unde si una harum deficiat, jam actus est difformis regulis rectæ rationis, & consequenter tota bonitas evanescit: siquidem non ampliùs subsistit prudens & practicum dictamen ac judicium honestatis, quod ad moralem bonitatem necessariò prærequiritur.

Secundæ partis ratio specialiter est: quando objectum actûs est malum, finis verò bonus, tunc 3.
finis desinit esse bonus: ergo nullam actui potest tribuere bonitatem. Antec. probatur: Finis ut sic est ratio volendi media: sed ratio volendi medium malum, est mala: ergo etiam finis operantis, ut movens ad electionem mali objecti, est malus.

Tertiæ partis ratio est: Medium ordinatum ad 4.
finem malum, est malum: atqui licèt actus terminetur ad objectum, quod esset ex se bonum, si tamen ordinat ad finem malum, jam illud appetit tanquam medium relatum in finem malum, & ut causam finis mali in executione: ergo appetit illud ut malum; ideo S. D. in 2 dist 38. q. 1. a. 4. ait: *Cùm aliquis vult eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, & hic actus totus malus est, &c.*

Quartæ partis ratio est: tunc actus non potest 5.
habere bonitatem ex objecto, quando bonitas objectiva destruitur: sed quoties actus fit malus & vitiosus ex mala circumstantia, toties bonitas objectiva destruitur: ergo Min. probatur: quoties actus fit malus ex circumstantia, transit in rationem & conditionem objecti: sed non potest in objecti conditionem transire nisi illud informando & communicando suam malitiam: ergo quoties actus est malus ex circumstantia, toties objectum induit malitiam, ac proinde amittit objectivam bonitatem.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies primò: Si DEUS homini præceptum 6.
imponeret, ut nullum actum supernaturalē eliceret, qui dirigeretur in finem charitatis, tunc homo transgrediendo tale præceptum eliceret actum simul bonum & malum moraliter; bonum, quia

ARTICULUS VI.

An, ut actus sit bonus moraliter, debeat honestas objecti directè & formaliter amari.

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis exponitur.*
2. *Defenditur sententia exigens directum amorem honestatis.*
3. *Probatur ab absurdis contraria sententia*
4. *Inductione aliorum actuum intentionalium.*
5. *Eliditur paritas petita ab inhonestate objectiva.*
6. *Et à pura omissione.*
7. *Solvitur argumentum de martyrio.*

§. I.

Adstruitur affirmativa.

1. NOtandum primò. Aliquod objectum à voluntate amari posse vel directè, vel indirectè. Directè voluntas tendit in objectum, quando bonitas objecti per practicam cognitionem repræsentata est ratio movens & alliciens, ut voluntas proprio actu in ipsam inclinet & tendat: &, siquidem voluntas sistat in illa bonitate, tunc erit bonitas finis, sin illam ulteriùs ordinet, erit formaliter bonitas medii. Indirectè voluntas tendit in aliquod objectum, quando ipsum quidem non habet in se rationem & bonitatem, quam per suum actum directè inquirit voluntas, conjungitur tamen cum objecto per se volito, & sic conjunctum repræsentatur per practicam cognitionem. Unde

Notandum secundò. Malitiam objectivam sive inhonestatem objecti & repugnantiam cum recta ratione nunquam esse directè, sed semper indirectè solùm intentam & volitam: siquidem malum quà tale nullo modo est objectum motivum voluntatis, & prosecutionis, sed ex sua natura tantùm est idoneum terminare actum fugæ: Unde actus malus voluntatis accipit malitiam ex inhonestate objecti indirectè volitâ, quatenus voluntas directè fertur in aliquod objectum delectabile, cui inhonestas conjuncta per practicam cognitionem voluntati proponitur.

Status igitur quæstionis est: utrùm simili modo possit honestas quatenus tantùm cognita & conjuncta cum aliquo objecto directè intento honestatem formalem refundere in actum voluntatis, sicuti certum est, quòd inhonestas taliter indirectè volita refundat malitiam formalem & moralem in actum voluntatis? e. g. si quis moveatur ad ambulandum propter delectationem actûs, repræsentetur tamen practicè honestas conjuncta ambulationi, in quantum deservit ad visitationem templi, utrùm voluntas ambulandi propter honestatem ita cognitam, nec tamen directè volitam contrahat moralem honestatem.

2. CONCLUSIO: *Honestas objectiva non refundit honestatem formalem in actum, nisi ametur formaliter & directè.* Ita communiter Thomistæ contra Salas & Oviedum.

Probatur primò. In tantum honestas objectiva specificat actum, eique tribuit speciem honestatis & bonitatis moralis, in quantum per seipsam movet voluntatem ad sui amorem: sed ut sic directè & formaliter amatur: ergo in tantum honestas objectiva refundit honestatem formalem in actum, in quantum directè quæritur, & amatur. Maj. de qua est quæstio, probatur. Omnis bonitas objectivè movens & specificans actum voluntatis, directè movet voluntatem ad sui amorem: sed honestas est quædam bonitas, siquidem bonum in communi dividitur in honestum, delectabile, & utile: ergo. Maj. probatur: In tantum bonitas movet appetitum, in quantum ratione appetibilitatis sibi intrinsecæ appetitur & amatur; sed hoc est movere directè ad sui amorem.

Confirmatur primò inductione. Nam voluntas ad actum dilectionis directè & formaliter movetur ab objecto delectabili, ad actum electionis ab objecto utili & eligibili: ergo similiter directè movetur ad actum honestum ab honestate objecti.

Confirmatur secundò. Malum quà tale, quia est ex sua natura objectum fugæ, propterea formaliter & directè terminat actum fugæ: ergo à sensu contrario, quia bonum quà tale essentialiter est objectum prosecutionis, formaliter & directè movet & terminat actum prosecutionis.

Confirmatur tertiò. Ideo inhonestas objectiva indirectè volita & amata inhonestatem formalem refundit in actum, quia ipsa non est apta directè movere ad sui prosecutionem, & voluntas tenetur illam fugere non tantùm ut est in seipsa, sed etiam ut est & cognoscitur conjuncta cum alio objecto: ergo ex opposito, quia honestas objectiva est per essentiam idonea ut seipsâ directè moveat voluntatem, estque objectum proportionatum ipsius, etiam per se ipsam directè movet voluntatem.

Probatur secundò ab absurdis: Si ad formalem honestatem actûs sufficeret sola cognitio practica honestatis objectivæ, sufficeret ad actum charitatis, ut directè amaretur aliquod objectum indifferens, v. g. comestio cum cognitione bonitatis divinæ; item, haberet supernaturalem & sufficientem dolorem ad Sacramentum pœnitentiæ, qui doleret propter hesternam crapulam, quia causavit dolorem capitis, dummodò simul cognosceret detestabilitatem crapulæ propter oppositionem ad virtutem sobrietatis: sed hæc sunt absurda, & contra communem Theologorum: ergo. 3.

Probatur tertiò ab inductione aliorum actuum intentionalium. Nam omnes alii actus potentiarum internarum directè moventur à suo objecto formali & specificativo, ut visio, auditio, cognitio &c. ergo etiam actus honestus movetur & specificatur directè à suo objecto specificativo, quod est honestas objectiva. 4.

tas, quippe in qua omnis moralitas radicatur: atqui libertas actibus externis non convenit intrinsecè, sed solùm per denominationem extrinsecam à libero actu interno voluntatis; ergo pari modo ipsis convenit bonitas, vel malitia. Minor constat: quia membra externa & executiva virtus despoticè voluntatis imperio parent absq; ullâ sibi propriâ indifferentiâ.

Secundò; si bonitas moralis & acceptabilitas ad præmium essentiale actui externo ratione sui & intrinsecè conveniret, tunc posset aliquis invitus spoliari præmio essentiali; quotiescunque nimirum violenter impediretur ab aliquo opere bono externo: sed hoc est absurdum: neque enim dona gratiæ alieni arbitrii potestati sunt subjecta: ergo.

6. Dixi tamen; nullam bonitatem, *simpliciter & in ordine ad præmium essentiale*, ab actibus externis superaddi: addunt quippe bonitatem, vel malitiam secundùm quid, & in ordine ad præmium, vel pœnam accidentalem; veluti patet in aureola Martyrii, quæ non tribuitur propter solam voluntatem Martyrium sustinendi, sed propter ipsum Martyrii laborem & difficultatem specialem.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

7. OBjicies primò authoritatem D. Augustini & D. Th. Nam ille l. 13. de Trinit. c. 5. ait: *Malâ voluntate vel solâ quisque miser efficitur, sed miserior potestate, quâ desiderium malæ voluntatis impletur.* Et l. 22. contra Faustum c. 27. definit peccatum, *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam.* Angelicus Doctor quoque q. 71. a. 7. dividit peccatum, in peccatum *cordis, oris, & operis*: ergo non tantùm actus interni, sed etiam externi nempe facta & opera, ut distincta à peccatis internis, rationem peccati adeòque pecculiarem distinctamque malitiam obtinent.

Respond. ad 1. *Authorit.* Sensum non esse, quòd quis fiat miserior alicujus malitiæ novæ accessione, sed partim quia actus internus externo conjunctus solet esse intensior aut diuturnior, partim quia actus exterior malorum effectuum miserias & vestigia post se relinquit, quæ non relinquit actus interior, uti sunt scandala, censuræ, major proclivitas ad malum, obligatio restitutionis, reatus majoris pœnæ accidentalis, &c.

Ad 2. & 3. Authorit. Respond. utrâque divisione hoc tantùm indicari, quòd aliqua sint peccata, quæ solo actu interno continentur, & vocantur *peccata cordis*: aliqua verò, quæ etiam externè in verba vel opus prorumpunt, & vocantur *dicta*, vel *facta*, peccata *oris* & *operis*: quæ ipsa tamen non nisi ab actûs interni malitiâ extrinsecus denominante formaliter mala sunt.

Objicies ex ratione *primò*. Actus externi & interni vetantur distinctis præceptis, ut ex Decalogo patet: ergo habent distinctas malitias. 8.

Secundò. Nisi actus externi haberent distinctam malitiam ab actûs interni malitiâ, non essent necessariò in confessione explicandi: sed hoc est absurdum: ergo. Sequela probatur: Circumstantiæ solùm aggravantes juxta communem & probabilem sententiam non sunt necessariò confitendæ: sed actus externus, nullam superaddens novam malitiam, haberet rationem meræ circumstantiæ aggravantis: ergo.

Tertiò. Malitia præsupposita actui interno est distincta à malitia actûs interni: sed malitia actûs externi est præsupposita actui interno: ergo. Minor prob. Malitia actûs externi dat speciem actui interno, tanquam objectum ipsius; ideo quippe voluntas furandi est mala, & non è converso: ergo actui externo convenit specialis & distincta malitia.

Respond. ad 1. negando conseq. quia actus internus, v. g. concupiscentia uxoris alienæ, non ideo distincto præcepto prohibetur, quàm prohibetur ipsum opus externum adulterii quia habet peculiarem distinctamque malitiam, sed quia majori facilitate ruunt homines in ejusmodi peccata etiam interna. 9.

Ad 2. nego sequelam, & quòd actus externus sit mera circumstantia: licèt enim per solam denominationem extrinsecam à voluntate interna malitiam trahat, pertinet tamen ad ipsam substantiam actûs, estque individuale complementum, in quo actus internus completur, & ultimatò terminatur. Ad 3. distinguo min. ejusque probationem; malitia objectiva actûs externi est præsupposita actui interno, eique dat speciem, concedo; malitia formalis, nego.

ARTICULUS VIII.

Quomodo ad bonitatem actûs humani requiratur conformitas cum voluntate Divina?

SUMMARIA.

1. *Triplex modus habendi conformitatem cum voluntate Divina.*
2. *Non est obligatio conformitatis quamdiu voluntas DEI est ignota.*
3. *Neque cum voluntate consilii tantùm.*
4. *Voluntas ut est natura, licitè dissentit à voluntate Divina in volito materiali.*
5. *Voluntas humana tenetur conformari in volito formali:*
6. *Non in volito materiali.*
7. *Imò tenetur aliquando velle oppositum.*
8. *Disparitas in Beatis.*
9. *Tenetur tamen voluntas esse conformis divinæ voluntati in volito materiali prout substat formali.*
10. *Qualem concordiam voluntatum requirat lex amicitiæ?*

§. I.

Certiora præmittuntur.

PRæcipua bonitatis & rectitudinis moralis regula est voluntas divina, quippe per essentiam recta & sancta. Unde voluntas creata non potest

potest in suis actibus esse recta, nisi aliquo modo sit divinæ voluntati conformis. *Rectum cor habet* [inquit August. in Ps. 32.] *qui vult quod DEUS vult.* Potest autem hæc conformitas haberi tripliciter. Primò, ut velimus, quod DEUS vult nos velle, idque vel consulendo, vel præcipiendo. Secundò ut velimus hoc ipsum quod DEUS vult, quæ conformitas dicitur esse in *volito materiali.* Tertiò, ut velimus modum & rationem, sub qua DEUS aliquid vult fieri; & hoc est conformari divinæ voluntati in volito formali. Quibus positis

2. *Certum* est *primò*: quamdiu divina voluntas DEI non est nota, non esse obligationem, ut voluntas humana conformetur divinæ, quia nulla regula obligat, priusquam sit debitè promulgata, sed ante notitiam divina voluntas homini non est debitè promulgata: ergo.

3. *Certum est secundò*: non esse obligationem, ut homo velit, quod DEUS vult ipsum velle solùm voluntate consilii, bene autem, quod vult ipsum velle voluntate præcepti; quia videlicet *tenetur homo in omnibus divinis præceptis obedire.* S. D. 2. 2. q. 104. a. 4. ad 3.

4. *Certum* est *tertiò*: Posse non tantùm appetitum sensitivum, sed etiam rationalem, h. e. voluntatem dissentire à voluntate divina in volito materiali, prout voluntas est natura sive inclinatio totius naturæ. Unde & Christus Dominus secundùm voluntatem hoc modo consideratam refugiebat mortem, dicens; *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.*

Procedit ergo quæstio, an humana voluntas, circa alia motiva liberè operans, teneatur conformari voluntati divinæ in volito materiali, vel formali.

§. II.
Resolutio S. Doctoris.

5. CONCLUSIO S. Doct. hîc q. 19. a. 10. est: *Voluntas humana tenetur conformari voluntati divinæ in volito formaliter, tenetur enim velle bonum divinum & commune, sed non materialiter.*

Ratio 1. partis est *primò*. Conformari voluntati divinæ in volito formali, est intendere sive formaliter sive virtualiter eundem scopum & finem, quem divina voluntas intendit, nempe suæ divinæ bonitatis, aliarumque increatarum perfectionum ostensionem: sed voluntas humana in suis operationibus ab hoc fine licitè discrepare non potest: ergo tenetur se divinæ voluntati in volito formali conformare.

Secundò. Omnis conversio in finem honestum, est quædam implicita saltem conformatio cum divina voluntate in volito formali; siquidem honestas creata est participatio honestatis & bonitatis increatæ: Atqui homo in omni sua operatione tenetur converti in finem honestum: ergo tenetur etiam se conformare divinæ voluntati in volito formali.

6. Secunda pars *probatur* primò authoritate D. Augustini in *Enchirid.* c 101. dicentis: *Aliquando bonâ voluntate homo vult aliquid, quod DEUS non vult; tanquam si bonus filius patrem velit vivere, quem DEUS bonâ voluntate vult mori.*

Probatur secundò ratione. Potest DEUS aliquid velle, quod per rationes æternas & universales DEO tanquam causæ universali perspectas apparet bonum, secundùm particulares verò rationes, secundùm quas creatæ voluntati repræsentatur, apparet malum: sed hoc casu creata voluntas non tenetur conformari voluntati divinæ in hoc objecto & volito materiali, imò tenetur velle contrarium: ergo. E. g. Vult DEUS, parentem mori vel damnari ex fine universali sibi cognito; non ideo filius licitè potest appetere mortem, vel damnationem proximam; sicut & judex intuitu boni communis licitè vult occidere latronem, cujus tamen occisionem uxor aut filius, qui bonum privatùm familiæ intuentur, licitè non potest appetere. Sic licitè petimus, & oramus, ut DEUS à nobis pestem, famem, bellum, morbum, frigus, aliáve mala avertat, imò DEUS vult, ut ista velimus, & media his avertendis idonea adhibeamus, & tamen hæc mala nobis divinæ voluntatis altiorem finem intuentis immissione contingunt. 7.

§. III.
Solvuntur Objectiones.

DIces primò. Beati in cœlo conformantur divinæ voluntati non tantùm in volito formali, sed etiam in materiali; ergo hoc idem facere debent viatores in terra: siquidem instruimur DEUM orare, *ut fiat voluntas ejus sicut in cœlo, & in terra.* Respond. negando consequentiam, & paritatem, quia Beati in patria cognoscunt divinæ voluntatis volitum materiale secundùm rationes æternas & superiores, viatores verò solummodò secundùm rationes particulares & inferiores. 8.

Dices secundò: Non datur volitum formale divinæ voluntatis in abstracto, sed in concreto: ergo si creata voluntas tenetur esse conformis divinæ voluntati in volito formali, tenebitur etiam esse conformis in volito materiali, quod unà cum formali constituit integrum concretum volitum. 9.

Respond. distinguendo consequens; tenetur esse conformis divinæ voluntati in volito materiali, quatenus illud substat formali, concedo; absolutè, nego. Quo eodem sensu petimus in oratione Dominica fieri voluntatem DEI sicut in cœlo & in terra.

Dices tertiò. Lex amicitiæ requirit concordiam voluntatum; ergo creata voluntas ne quidem in volito materiali debet discordare à voluntate divina. 10.

Respond. ex S. D. q. 24. de verit. a. 8. ad 3. quòd concordia voluntatum, quam præscribit amicitia, magis consistat in convenientia & conformitate quoad finem volitum, & rationem volendi, quàm quoad ipsa volita, adeòque magis in conformitate rationе voliti formalis, quàm materialis.

TRA-

TRACTATUS V.

DE CONSCIENTIA.

PROLOQUIUM.



Rduam & salebrosam de conscientia Disputationem Tibi porrigo, Amice Lector, eamque Thomæ Sanchez judicio, gravissimam, sive difficultatem spectes, sive utilitatem. Difficilis est, quia continet celeberrimam de usu & sequela opinionis probabilis controversiam, multis thesibus, epistolis, apologiis, dialogis, voluminibus hoc tempore calidissimè agitatam. Habet hic conscientia, ut alias solet, suos stimulos & aculeos: dum nimirum partium concertantium duces sua argumenta in Satyricas invectiones exacuunt, cæsim & punctim feriunt. Quamcunque teneas aut tentes viam, non evades aculeatos hos hystrices & herinaceos. Insidiantur prætereà paritatum laquei & labyrinthéi paralogismi, si usquam, in hac materia ex varia terminorum acceptione & æquivocatione frequentes. Auget præ omnibus difficultatibus discrimen, à regia & media virtutis ac veritatis via in periculosas extremitates deviandi, ne vel ex una parte nimio rigore constringantur, vel ex altera parte nimiâ indulgentiâ laxentur conscientiæ, & remotis Divini timoris repagulis aperiatur porta ad innumeras in morum materia exorbitantias, meritò à gravioribus Theologis improbatas, & Summorum Pontificum decretis fulminatas.

Est tamen hæc ipsa de *conscientia* Disputatio ex materiæ dignitate, & utilitate quoque gravissima, quia (ut appellat Jul. Mercorus) *basis totius Theologiæ Moralis*, omnibus quæcunque in humanis actibus occurrunt, difficultatibus substruenda. Ideo post Actus Humanos hunc quoque de proxima illorum regula Tractatum tibi offero, in quo gravissimorum Doctorum tam intra, quàm extra Scholam D. Thomæ rationes & authoritatem secutus, securè & conscientiosè, non tamen nimis rigidè de Conscientia sentire & loqui, nihil à sanis, & sanctis morum principiis alienum dicere volui. Tuum de hoc esto judicium. Vive & vale.

DISPUTATIO X.

DE

Conscientia in genere.

DImissis Conscientiæ variis acceptionibus à proposito alienis, hoc loco nomine conscientiæ intelligimus intrinsecam & proximam Regulam morum, quâ nobis, quid hic & nunc lege præceptum, vetitum, aut permissum, quid licitum, vel illicitum sit, innotescit. Ejus mentionem facit Eccles. c. 7. *Scit enim Conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis.* c. 13. *Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia.* Rom. 2. *Testimonium reddente ipsis conscientiâ eorum.* Sic appellatur, vel quia est *cordis scientia*, soli

 homini

homini patens; juxta D. Bernard. l. 2. de conscientia. Vel quia, ut D. Antonino videtur, est *concludens scientia*, eò quòd consistat in quadam practica conclusione, & illativo judicio de agendis vel omittendis, vel quia est *cum alio scientia*. Dum, ut inquit D. Th. 1. p. q. 79. a. 13. & de verit. q. 17. a. 2. *addit supra scientiam applicationem scientiæ ad actum particularem*. Hujus nunc definitionem & divisionem videamus.

ARTICULUS I.

Quid sit conscientia?

SUMMARIA.

1. *Opinio Antiquorum.*
2. *Definitio conscientiæ.*
3. *Respondetur ad fundamenta Antiquiorum.*
4. *Conscientia non consistit in habitu.*
5. *Non in actu Synteresis, aut scientiæ moralis.*
6. *Non in actu imperii, sed judicii practicè practici.*
7. *Conscientia non tantùm respicit actus futuros, sed etiam præsentes & præteritos.*
8. *Dictamen conscientiæ pertinet ad habitum, vel prudentiæ vel imprudentiæ.*
9. *Quandonam dictamen prudentiæ sit conscientia?*
10. *Ad conscientiam formandam possunt habitus diversi concurrere.*
11. *Judicium de bonitate vel malitia formali actuum formandum per respectum ad conscientiam.*

§. I.

Definitio conscientiæ.

1. Quorundam Antiquorum, ut Henrici quodl. 1. q. 18. & Alensis in 2. p. q. 77. fuit opinio, conscientiam non tantùm includere actum intellectûs, sed etiam voluntatis, eò quòd alia sit Conscientia bona, alia mala; bonum autem & malum morale principaliter ad voluntatem pertinet. Instigare enim ad bonum voluntatis est proprium; sed quis nescit hoc esse munus conscientiæ? ergo voluntas quoque conscientiam sibi vendicat. Verùm cum Angelico Doctore conscientiam intellectui adæquatè tribuimus, eamque definimus.

2. Conscientia est *dictamen, seu judicium practicum intellectûs, dictans quid hîc & nunc consideratis omnibus circumstantiis sit vel agendum, vel fugiendum.* Sive: *est regula justi vel iniqui indicans creaturæ rationali, quid appetendum, quidve fugiendum sit.*

Dicitur primò: *dictamen seu judicium practicum*: Conscientia quippe, ceu proxima regula humanorum actuum, est intimatio æternæ legis, tanquam remotæ, & supremæ regulæ, à qua omnis morum honestas dependet: sed talis intimatio fit per judicium non speculativum, sed practicum, nempe per sententiam enuntiativam, sitne hæc operatio & executio hîc & nunc bona, vel mala, concessa vel inconcessa: ergo Conscientia est judicium vel dictamen practicum.

Dicitur secundò, *intellectus*; nam & ipsum nomen scientiæ, à quo conscientia, & varia conscientiæ munia, ut sunt, intimare, judicare, præcipere, dirigere, accusare, testari, non ad voluntatem, sed intellectum pertinent. Additur tertiò, *quid hic & nunc* &c. quia objectum proximæ regulæ est operatio humana ut exequenda, adeòque ut omnibus suis circumstantiis vestita.

Ad Henrici primum fundamentum Respondetur. Conscientia alia est bona, alia mala extrinsecè & objectivè, vel etiam causaliter & directivè, concedo; in quantum videlicet regulat & dirigit operationem bonam vel malam moraliter, ut mox dicetur: intrinsecè & subjectivè, tanquam in ipsa moralis bonitas vel malitia intrinsecè reciperetur, nego: atqui bonum & morale, quatenus intrinsecè denominant & specificant, pertinent ad voluntatem. Similiter ad secundum distinguo majorem: Instigare impulsivè pertinet ad voluntatem, concedo; directivè, intimativè, & præceptivè, nego majorem: sed instigare præceptivè est munus conscientiæ, concedo; impulsivè nego minorem & consequentiam. 3.

§. II.

Corollaria.

Ex præmissis deduces primò. Conscientiam formaliter (1) non consistere in aliquo habitu (2) neque in actu Synteresis (3) aut scientiæ moralis. 4.

Non primum, tum quia judicium, regula, præceptum, sententia, non habitum sed actum nominant: tum quia habitus vel est innatus, & à natura inditus, ut habitus primorum principiorum, & hic est invariabilis, utpote in ipsa natura rationali radicatus: Conscientia autem est variabilis, & quandoque mutatur de opinabili in certam, de erronea in veram. Vel est acquisitus, quo utimur cùm volumus: & sic rursus conscientiæ non convenit, quippe quæ etiam obluctantes impellit, arguit, remordet. Vel est infusus; sed conscientia etiam pertinere potest ad ordinem naturæ, & est aliquando falsa & culpabiliter erronea, ac proinde à DEO infundi nequit.

Non *secundum & tertium*. Quia actus Synteresis sunt prima morum humanorum principia à circumstantiis particularibus præcisa & præcepta communissima, *ut DEUM colere, neminem lædere, honestè vivere, quod suum est, unicuique tribuere. Instit. de Jur. & Justit.* illudq́ Matth. 7. *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Actus verò scientiæ moralis, tametsi possit esse conclusio particularis ex illis principiis communibus deducta, tamen non judicat, neque regulat actum particularem, ut hîc & nunc sub his numero circumstantiis causæ, loci, temporis exequendum. Exempli gratiâ deliberas, an tibi hîc & nunc liceat solvere jejunium Ecclesiasticum? scientia moralis 5.

moralis format hunc discursum : Lex Ecclesiastica non ligat cum gravi incommodo: sed periculum probabile sanitatis est grave incommodum: ergo Ecclesiastica lex jejunii cum tali periculo sanitatis non ligat. Iste discursus, quia nondum proximè respicit ipsius personæ individuam operationem hîc & nunc exercendam, nondum habet rationem conscientiæ; sed oportet adhuc particulariùs subsumere : atqui mihi hic & nunc instat probabile periculum sanitatis, vel ex propria experientia, vel medici judicio: ergo hîc & nunc præceptum jejunii Ecclesiastici me non ligat: ergo comedere est licitum : qui demum actus, cùm proximè regulet honestatem moralem operationis ut hîc & nunc exercendæ, rationem conscientiæ obtinet. Unde

6. Deduces secundò. Conscientiam formaliter non consistere in actu *imperii practici*, qui exprimitur per verba imperativi modi, *fac hoc*; sed in illo *judicio practico*, quod est conclusio consultationis, & præcedit electionem voluntatis. Nempe priusquam voluntas procedat ad operis executionem, duo actus antecedunt ex parte intellectûs: judicium seu sententia de agendis, & imperium; ille actus præcedit & dirigit consensum, & electionem voluntatis; iste verò usum & executionem; ille consistit in conclusione & sententia, quæ infertur ex practico discursu consultativo de electione mediorum ad prosequendum finem; iste verò in determinativa & præceptiva intimatione, quâ intellectus mandat voluntati operis executionem, ideoque non per modum sententiæ & judicii enuntiativi, sed per modum præcepti exequendi, & per verba imperativi modi, *fac hoc*, exprimitur, veluti cùm S. Doct. q. 17. in Tract. de act. hum. annotavimus.

Conscientia igitur non consistit in hoc posteriori actu imperii; *primò*, quia actus imperii tantùm est de re futura; Conscientia verò, ut mox dicetur, etiam de præsenti & præterita. *Secundò*: quia sequeretur nunquam peccari contra conscientiam, eò quòd motionem imperii practici infallibiliter subsequatur exercitium & executio operis, nisi extrinsecùs impediatur. Consistit verò in judicio practico præcedente electionem operis, hic & nunc inspectis omnibus circumstantiis exequendi. Quod etiam *practicè practicum* appellatur comparativè ad illa judicia, ex quibus deducitur, hæc enim tanquam ad antecedens practici discursûs pertinentia, & ipsam particularem operis electionem non regulantia dicuntur speculativa, vel speculativè practica.

7. Deduces tertiò : Quamvis Conscientia primariò respiciat actus futuros, eandem tamen secundariò etiam respicere actus præsentes & præteritos, respectu quorum magis est speculativa, quàm practica. Ratio est : quia Conscientia ex primario munere & significato est regula morum, dictans, num actus sit ponendus, vel omittendus, ex quo tamen secundariò consequitur, ut vel in ipso opere, vel post opus peractum ipsa sit testis rei bene vel malè gestæ; ibi approbatrix, hîc accusatrix: *frenum ante peccatum*, *flagrum post peccatum*. Quo sensu Apostolus 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est*, *testimonium conscientiæ nostræ*. Et illud antiquum : *Conscientia mille testes*.

Et quia hoc conscientiæ testimonium etiam habitualiter perseverat, ideo homines justi & probi, quibus illa felicitas contigit : *Nil conscire sibi*, *nullâ pallescere culpâ*, homines bonæ conscientiæ; alii contrà quos de perperam actis vermis conscientiæ rodit; *Occultum quatiente animo tortore flagellum*, homines malæ conscientiæ vocantur. In quem sensum habitualem sui Scoti conscientiam explicat Herinck disp. 4. sect. 2.

Deduces quartò : Rectæ conscientiæ dictamen pertinere ad habitum prudentiæ: uti econtrà dictamen conscientiæ non rectæ ad habitum imprudentiæ. Nam prudentia est *recta ratio agibilium*, & ab ipsa dirigente provenit omnis honestas operis sub particularibus circumstantiis exercendi: unde quotiescunque operatio est rectè & virtuosè à voluntate elicita, vel imperata, priùs prudentia, vel naturalis vel supernaturalis communia morum principia ad hasce particulares circumstantias applicans determinat, quid hîc & nunc licitè fieri possit, aut debeat, quæ determinatio est ipsa, de qua loquimur, conscientia. Hinc porrò ulteriùs procedit ad ultimarum imperium operis exequendi, nisi voluntatis contra conscientiam operantis malitiâ impediatur. Quia verò contingit aliquando conscientiam errare, & illud licitum pronuntiare, quod à parte rei licitum non est, attendi debet, an error sit inculpabilis, qui adhibitâ omni diligentiâ vinci non potuit? an verò culpabilis, qui adverti adeòque vinci potuit ac debuit? Si primum; judicium conscientiæ adhuc erit à prudentia derivatum, veluti si hostiam, quam rationabiliter consecratam existimas, adorandam judices, quamvis à parte rei non sit talis. Si secundum: illud judicium conscientiæ falsæ erit actus imprudens. 8.

Non ideo tamen quodlibet dictamen morale prudentiæ vel imprudentiæ est conscientia sed tunc solummodò, quando ceu participatio & intimatio legis præscribit agenda, vel omittenda. Ita qui contra conscientiam operando peccat, quamvis ante peccatum habeat judicium imprudens, quo se determinat ad actum peccaminosum (omnem quippe actum peccati in voluntate præcedit error practicus in voluntate) non tamen habet falsam conscientiam, quia objectum malum, quod erroneè prosequendum proponitur, non proponitur per illud judicium, tanquam ex aliqua obligatione vel permissione legis, sed tanquam ex aliqua comoditate, delectabilitate, &c. prosequendum, aliàs simul respectu ejusdem actûs consisterent duæ conscientiæ oppositæ, quod dici non potest. 9.

Deduces quintò. Ad antecedens seu præmissas illius discursûs practici, ex quo prudentia infert practicum conscientiæ dictamen posse varios habitus concurrere; unde juxta Doct. Angel. conscientia dicta, tanquam applicatio scientiæ ad particularem operationem. Patet exemplo superiùs insinuato num. 2. in hoc discursu : Cui ex jejunio incumbit probabile periculum sanitatis, licitè non jejunat : sed mihi ex jejunio hîc & nunc incumbit probabile periculum sanitatis: ergo hic & nunc licitè non jejuno. Ecce! Major propositio est actus & conclusio scientiæ moralis, 10.

deducta ex illo principio, quòd leges positivæ cum gravi incommodo ordinariè non ligent. Minorem format vel scientia experimentalis, vel medica, vel fides humana, quâ quis assentitur medico periculum affirmanti; conclusionem tandem & conscientiam format prudentia.

11. Deduces sextò: In dijudicanda formali honestate, aut malitia operationum non tam esse attendendum ad conditiones actuum prout sunt à parte rei independenter à conscientia operantis, quàm prout per conscientiæ dictamen exhibentur: cùm enim impossibile foret, ut non regula remota Divinæ & æternæ legis in plurimis occurrentiis esset à nobis invincibiliter ignorata, ideo dictamen propriæ conscientiæ, quod à nemine ignoratur, pro regula proxima immediata ordinatum fuit, ut per illam lex Divina & æterna applicaretur, &, quid legi conforme vel difforme esset, indicaretur. Unde in operatione nunquam potest esse peccatum formale contra legem, nisi cùm legis obligatio relucet in conscientia.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit conscientia?

SUMMARIA.

1. *Vulgaris divisio conscientiæ in 5. membra.*
2. *Conscientia certa, vera, erronea, probabilis duplex acceptio.*
3. *Aliter conscientia appellatur ex objecto, assensu, & judicio præsupposito.*
4. *Conscientia ex objecto adæquatè dividitur in bonam & malam.*
5. *Ex modo assentiendi in certam & opinativam.*
6. *Ex seipsa in veram & falsam.*
7. *Conscientia dubia non est formaliter conscia.*
8. *Deposito dubio conscientia tantùm potest esse extrinsecè dubia.*
9. *Reductio conscientiæ timoratæ & scrupulosæ.*

§. I.

Variæ divisiones & acceptiones conscientiæ?

1. VAriæ sunt divisiones conscientiæ. Communior est in quinque membra, in veram, quam etiam appellant *rectam* & *certam*, in *erroneam*, *dubiam*, *probabilem* seu *opinativam*, & *scrupulosam*. Cui addi potest divisio conscientiæ in *bonam* & *malam*. Vera conscientia est, quæ est conformis objecto & judicat esse licitum, quod est licitum. *Erronea*, quæ est difformis objecto, & judicat licitum, quod est illicitum, vel contrà. *Dubia*, quæ circa utramque partem contradictionis suspendit assensum, & si hoc ex nullius motivi pro utraque parte apparentiâ, dicitur *negativè dubia*; si ex æqualibus mediis & motivis positivis pro utraque parte, dicitur *positivè dubia*. *Probabilis* seu *opinativa* est, quæ uni parti contradictionis adhæret, cum formidine tamen oppositi. *Scrupulosa* est, quæ ex nullis vel ex levissimis fundamentis concipit formidinem peccati. *Bona* conscientia eadem & recta est, quæ præscribit honesta; *mala* est, quæ erroneè præscribit, aut tolerat inhonesta & illicita. Ad discriminanda hujus divisionis membra, & bonitatem discutiendam

2. Observandum est primò: conscientiæ certæ, veræ, erroneæ, probabilis significationem in duplici sensu accipi posse. Nam certa conscientia potest significare vel certitudinem ex parte objecti, & sic coincidit cum conscientia vera, & opponitur falsæ; vel certitudinem ex parte assensûs, & sic opponitur opinativæ, quæ habet formidinem oppositi. Conscientia vera potest dici talis vel solùm formaliter & practicè, vel materialiter & formaliter, speculativè & practicè simul. Vera erit formaliter & practicè tantùm, quando habet judicium conforme cum objecto practicè considerato, prout substat rationabili opinioni & judicio intellectûs, licèt objectum à parte rei aliter se habeat: ut si Sacerdos judicet pœnitentem absolvendum, quem rationabiliter judicat esse contritum, quamvis à parte rei non sit verè contritus. Erit etiam vera materialiter, & speculativè, si sit conformis objecto, ut est à parte rei. Tandem conscientia duplici modo potest dici opinativa, probabilis, dubia, nempe propriè, & ex ipso conclusionis assensu, vel secundò impropriè ex judicio præsupposito.

Primo modo conscientia opinativa, vel dubia nunquam est sufficiens regula operandi, ob incertitudinem assensûs, & actualem vel radicalem formidinem peccati. Secundò modò potest esse regula operandi, quia cum dubio & opinione speculativa ex parte judicii præsuppositi, stare potest judicium certum & fixum de honestate operationis, ùt ex decursu patebit.

Observandum est secundò: conscientiæ appellationem & divisionem accipi posse tripliciter: inprimis ex objecto, deinde ex modo assentiendi objecto, tertiò ex judicio præsupposito, ex quo descenditur ad ipsam conclusionem conscientiæ. Si conscientia spectetur ex objecto, tunc alia est vera, alia falsa, alia bona, alia mala. Ex modo assentiendi & tendendi in objectum, alia est certa, quæ certum sine formidine præbet assensum; alia dubia, quæ suspendit; alia opinativa, quæ quidem etiam præstat assensum, sed cum formidine oppositi. Ex judicio speculativo præsupposito solet conscientia frequenter appellari affirmativa, vel probabilis, non quia ipsum ultimatum judicium conscientiæ sit merè opinativum habens formidinem oppositi, sed quia judicium speculativum præsuppositum, in qua ultimatum conscientiæ judicium radicatur, est tantùm probabile. His positis quæritur, quænam divisio conscientiæ sit adæquata? 3.

§. II.

Assignantur adæquatæ divisiones conscientiæ.

DIcendum primò. Conscientia ex parte formalis objecti, à quo specificatur, adæquatè dividi- 4.

dividitur in bonam & malam. Nam conscientia regulat & dirigit operationem humanam sub ratione bonitatis & malitiæ moralis, quæ proinde in operatione subjectata conscientiam extrinsecè specificat. Sicut ergo non datur medium inter operationem humanam bonam vel malam in individuo, prout aliunde suppono: ita non datur medium inter conscientiam bonam, de qua Apost. 1. ad Timoth. c. 5. & 19. & malam, quam Apostolus etiam vocat *cauteriatam*, & *inquinatam*. ibid. c. 4. & 2. & ad Tit. 1. 15.

5. Dicendum secundò: Ex modo assentiendi, adæquatè potest conscientia dividi in certam & opinativam. Nam assensus ultimatus conscientiæ aut est cum formidine, aut sine formidine oppositi; [cùm enim hæc sint contradictoriè opposita, inter illa non datur medium] si sine formidine, conscientia est certa (intellige ex modo assentiendi) si cum formidine, est opinativa.

Neque dicas: assensum posse esse dubium. Nam contrà est. Vel intelligis per dubium suspensionem determinati judicii, uti propriè & rectè loquendo debet intelligi, & tunc ne quidem est assensus, contra hypothesin. Vel intelligis assensum determinatum ad alteram partem contradictionis, cum formidine tamen oppositi & tunc abuteris voce dubii, illudque confundis cum assensu opinativo & probabili.

6. Dicendum tertiò: Intrinsecè & adæquatè conscientia dividitur in veram & falsam. Aut enim operatio est talis, qualis dictatur per consequentiam, aut non est talis, nec datur medium: si est talis, conscientia est vera; si non, conscientia est falsa. Quòd si conscientia vera rigorosiùs accipiatur pro illa sola, quæ est conformis operationi, tam formaliter quàm materialiter spectatæ, tunc habet pro membro opposito omnem conscientiam seu vincibiliter seu invincibiliter erroneam. Si verò sit conformis operationi solùm formaliter spectatæ, tunc conscientia invincibiliter erronea pertinebit ad conscientiam veram & rectam, istiusque oppositum erit solummodò conscientia vincibiliter erronea.

§. III.

Corollaria.

7. EX dictis infero primò: Conscientiam dubiam non esse propriè & formaliter, sed tantùm reductivè conscientiam, &, ut Layman vocat, *umbram conscientiæ*: quia conscienria formaliter consistit, in practico judicio, dictamine, regula operandi; atqui dubitans nihil concludit, nihil judicat, assentitur, dictat, præcipit, sed hæret ambiguus: ergo dubitans, antequam deponat dubium, non format propriè & formaliter conscientiam. Reductivè tamen dici solet conscientia, quia saltem potest esse inchoatio discursûs practici, ad aliquod illativum dictamen tendentis & conantis.


Infero secundò. Cùm conscientia ex depositione dubii vel formidinis transit in certam, non ampliùs propriè & intrinsecè, sed tantùm secundùm quid & extrinsecè appellari dubiam, vel probabilem; non enim ampliùs hæsitatio, vel formido se tenet ex parte ultimi assensûs practicè practici, quem supponimus esse certum, sed ex parte judicii præsuppositi, quod respectu istius ultimi tantummodò est speculativum, nec impedit certitudinem, ut ex dicendis constabit. 8.

Infero tertiò. Conscientiam timoratam, suspiciosam, scrupulosam facilè reduci posse ad dubiam, vel erroneam. Nam quatenus conscientia timorata & suspiciosa ex levibus fundamentis dubitat, utrùm aliqua operatio sit licita, pertinet ad conscientiam dubiam, & siquidem deposità suspicione & dubio, remanente solùm aliqua speculativa anxietate, operetur, erit conscientia intrinsecè certa: si autem vi istius fluctuationis ad nullum determinatum judicium procedat, erit intrinsecè & formaliter dubia: Rursus scrupulosa vel ex levissimis fundamentis falsò judicat, aliquam operationem esse illicitam, sicque est erronea; vel nihil judicat, sed tantùm hæsitat inter utrumque sicque est conscientia dubia, eique superaddit accidentalem differentiam anxietatis. Unde patet, vulgarem illam conscientiæ divisionem in quinque membra, rigori Dialectico non esse admensam, nec ideo tamen rejiciendam, eò quòd omnes modos circa formandum dictamen conscientiæ comprehendat, sitque communi usu loquendi recepta. 9.

DISPUTATIO XI.

DE Conscientia recta & erronea.

UTramque in unam considerationem jungimus: nam & in obligatione conveniunt, & erronea, si ex invincibili errore procedat, est practicè certa & recta, ac tandem oppositorum eadem est disciplina.



ARTICULUS I.
Unde Conscientia sit vera & recta?

SUMMARIA.

1. *Conscientia dirigens honestatem operationis moralis debet esse certa tanquam actus prudentiæ.*
2. *Et participatio legis Divinæ.*
3. *Ad hoc sufficit certitudo moralis.*
4. *Quam aliqui desumunt ab objecto.*
5. *Alii veriùs per habitudinem ad appetitum rectum.*
6. *Dupliciter considerari potest judicium conscientiæ.*
7. *Primum dictamen rationis unde habeat suam rectitudinem?*
8. *Enuntiatio ut speculativa habet veritatem ex objecto, non ut practica.*
9. *Imò habet etiam ut practica, sed ut considerata in esse regulabilis.*
10. *Ex quo non sequitur circulus vitiosus.*
11. *Conscientia invincibiliter erronea est nihilominus recta.*

§. I.
Exponitur status quæstionis.

1\. QUidquid in humana operatione honestum, aut virtuosum est, à prudentia omnium virtutum directrice regulatur, ideoque necesse est, ut illa conscientia, quæ proximè dirigit honestatem operationis moralis, sit infallibiliter recta, vera, & certa certitudine tam objectivâ, seu ex parte objecti, ut nempe illud sit licitum, quod dictatur licitum; quàm formali, excludente omnem formidinem oppositi ex parte assensûs; siquidem prudentia ceu virtus intellectualis, *quâ anima verum dicit affirmando, aut negando*, juxta Philos. in 6. Eth. requirit actum & objectum certum, ne cum opinione confundatur: sed conscientia, quæ est proxima regula actus liciti & honesti, est actus prudentiæ: ergo debet esse certa & vera.

2\. Præterea conscientia recta est participatio legis Divinæ, & ab illa tanquam à sua causa exemplari derivata & exemplata; juxta illud Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine.* In quæ verba Doct. Angel. *Quasi diceret lumen rationis, quod in nobis est, in tantum nobis potest ostendere bona, & nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultûs tui, id est, à vultu tuo derivatum.* Atqui regula exemplata debet esse conformis suæ regulæ exemplanti: cùm ergo regula exemplaris Divinæ legis sit infallibilis, vera, & certa, talis etiam est conscientia recta.

3\. Certitudo tamen ista ad prudens rectæ conscientiæ dictamen requisita, non debet esse logica, physica, aut metaphysica; ita ut inspectis omnibus rationibus impossibile sit rem aliter se habere, sed moralis, ut nempe attentis hominum moribus, usu, consuetudine, iisque, quæ utplurimùm eveniunt, vix sit possibile rem aliter se habere, quamvis juxta communes rationes res secus possit accidere, aut de facto aliquando, sed rarò aliter accidat. Ita attestatio publici Notarii, vel proprii Parochi in scripto parit certitudinem moralem, quia, licèt utique non repugnet, ipsum falsum dicere, tamen Notarius ut persona publica, & Parochus ut Pastor animarum ad attestandum in re gravi requisiti, fallere & mentiri non præsumuntur. Hanc moralem certitudinem conformiter ad mentem Philos. in 1. Eth. c. 1. agnovit & requisivit in moralibus Doctor Angelicus in 1. 2. q. 60. a. 3. ad 1. dicens: *In humanis actibus invenitur aliqua certitudo, non quidem sicut in demonstrativis, sed secundùm quod convenit tali materiæ.*

Hinc verò exoritur dubium, undenam petenda sit veritas, & rectitudo conscientiæ? Pluribus quos citat Ildefons. Cæsaraug. q. 19. disp. 103. videtur esse desumenda ab objecto: nam omnis judicii enuntiativi veritas sumitur per ordinem ad objectum; *ex eo enim, quòd res est, vel non est, enuntiatio redditur vera vel falsa*, absolutè pronuntiat Aristot. l. 1. periherm. c. 8. sed conscientia est quoddam judicium enuntiativum: ergo. 4.

Nec refert, quòd sit practicum, nam etiam in medicina, Philosophia morali, Theologia [quæ formaliter non tantùm est speculativa, sed etiam practica] veritas enuntiationis desumitur per habitudinem seu conformitatem ad res. Hæc tamen opinio non potest subsistere; nam qui operatur ex conscientia invincibiliter erronea, rectè, honestè, virtuosè operatur: ergo etiam ex prudenti dictamine Conscientiæ rectæ operatur: atqui istud dictamen non est conforme objecto; dictat enim, objectum esse licitum & consonum legi æternæ, vel etiam à lege præceptum, quod tamen à parte rei est illicitum, dissonum legi æternæ, & ab illa prohibitum: ergo rectitudo conscientiæ non semper accipi potest ex conformitate ad objectum. Antecedens ex communi Theologorum sententia est certum, saltem in conscientia errante ex invincibili ignorantia facti: ita enim honestè, justè & laudabiliter Jacob accessit ad Liam, quam invincibili errore deceptus existimabat esse suam.

§ II.
Sententia desumens rectitudinem conscientiæ ab appetitu recto.

ALiorum igitur verior sententia est, veritatem & rectitudinem conscientiæ non esse desumendam per habitudinem ad objectum, seu ad ipsas res, sed per habitudinem ad appetitum rectum. Ita Aristot. l. 6. Eth. c. 2. dicens: *Activæ mentis veritas est consentanea appetitui recto.* Quem exponens Doct. Angel. lect. 2. *Bonum*, inquit, *practici intellectûs non est veritas absoluta, sed veritas consequenter se habens, id est, concorditer ad appetitum rectum.* Et in 1. 2. q. 111. a. 3. ad 2. *In his autem, quæ sunt ad finem, rectitudo rationis consistit in conformitate ad appetitum finis debiti.* 5.

Ratio petitur ex differentia, quæ est inter judicium speculativum & practicum: nam veritas judicii

judicii speculativi non est causa & mensura veritatis in suo objecto, uti econtrà veritas judicii practici est causa & mensura veritatis in suo objecto. e. g. artefactum & ideatum habet suam veritatem per conformitatem ad regulas artis & exemplar ideæ; ipsa verò idea vel regula artis non habet suam veritatem per conformitatem ad artefactum & ideatum, sed ad finem intentum ab artifice. Cùm ergo conscientia sit judicium practicum prudentiæ, regula & mensura actuum humanorum, non tam ipsa rectitudinem ab actu præscripto, vel objecto ipsius, quàm actus & objectum à recta conscientia accipit: unde illa voluntas dicitur recta, quæ est conformis dictamini rectæ rationis.

Habet igitur pro sua mensura rectificante appetitum rectum non qualemcunque, ne committatur vitiosus circulus, si dicatur electio alicujus operis esse recta propter rectam conscientiam, & conscientia esse recta propter rectam electionem; sed (exponente S. D. ubi suprà) appetitum finis debiti, & quidem vel maximè finis ultimi, ita ut illud judicium dicatur rectum [prout explicat Jul. Mercorus p. 1. a. 3.] quod invincibiliter infertur ex principiis moralibus ab homine sincerè affecto erga finem ultimum, & invincibiliter existimante, tale opus esse conforme Divinæ legi creaturam rationalem dirigenti in finem ultimum.

6. Unde actus conscientiæ sub duplici ratione considerari debet. Primò ut est judicium enuntiativum intellectûs, sicque speculativo modo consideratur, & adinstar aliarum cognitionum veritatem habet per commensurationem ad objectum, eritque conscientia speculativè vera, si objectum secundùm se est tale, prout enuntiatur: erit speculativè falsa, si objectum non sit tale. Secundò consideratur ut est regula proxima intimativa & applicativa Divinæ Legis ad particularem operationem, sicque consideratur modo practico cum dependentia à voluntate debitum finem intendente, & sub hac consideratione habet rectitudinem & veritatem practicam per commensurationem ad debitam intentionem finis: sicque illa erit conscientia recta, quæ ex applicatione voluntatis debitum finem intendentis rationabiliter & invincibiliter judicat, talem actum & objectum esse medium proportionatum illi fini intento. e. g. Jacobi conscientia dictans accessum ad hanc fœminam sibi esse licitum, recta erat, quia ex recta intentione finis ultimi, & studio obsequendi divinæ voluntati invincibiliter judicavit procreationem liberorum ex hac fœmina hic & nunc esse licitam, & conformem voluntati divinæ.

7. Inquis. Ipsa voluntas vel appetitus finis ultimi, unde habet rectitudinem nisi à prævia regula intellectûs & rationis, cujus munus est dirigere? Et unde illa regula habet rectitudinem? si ab appetitu finis ultimi, committitur circulus; si ab objecto, ergo rectitudo conscientiæ etiam haberi poterit ab objecto. Respondetur: Quòd primum dictamen rationis regulans appetitum finis ultimi accipiat suam rectitudinem per commensurationem ad legem divinam, à quâ derivatur & exemplatur, quemadmodum aliæ quoque formæ ideatæ & exemplatæ suam veritatem ab exemplari recipiunt.

Ad fundamentum contrariæ sententiæ n. 3. 8. relatæ Respondeo, omnem enuntiationem etiam practicam, ut est enuntiatio & judicium quoddam speculativo modo se habens [quales etiam sunt actus Theologiæ, Jurisprudentiæ, scientiæ moralis &c.] veritatem suam obtinere ex conformitate ad objectum, non autem omnem enuntiationem practicam, ut practica est. Nam inter practicas aliquæ sunt, quæ versantur circa objectum in universali, ac proinde nulli mutationi subjectum, veluti sunt veritates scientiarum practicarum: e. g. *dare eleemosynam est honestum, fornicari est illicitum* &c. aliæ verò sunt, quæ habent objectum particulare, & versantur circa res contingentes & singulares. v. g. nunc actus pœnitentiæ est eliciendus, nunc est jejunandum, hic pœnitens est absolvendus, hæc hostia adoranda, hic & nunc est licitus &c. Illæ, quia respiciunt objectum immutabile, ad modum aliarum cognitionum intellectûs speculativi suam veritatem accipiunt à conformitate ad objectum. Istæ, quia respiciunt objectum affectum aliquâ singulari circumstantiâ & connotatione particularis exercitii, quod subjacet mutationi à conformitate ad objectum, immobilem & infallibilem rectitudinem, qualem tamen requirit prudentia, habere non possunt: ideoque illam accipiunt à conformitate ad finem intentum, quo modo regula artificis suam rectitudinem non accipit ab artefacto, sed ex conformitate ad finem artificis: neque enim regula ædificandæ domûs, est recta propter conformitatem cum domo, sed propter conformitatem ad finem architecti, quia nempe architectus, judicans domum taliter exstruendam, format judicium proportionatum ad finem domûs exstruendæ à se præintentum.

§. III.

Ultimata resolutio.

Clariùs, minori obscuritate, consequenter ad 9. suprà dicta, & ad utramque opinionem concordandam dices, veritatem & rectitudinem Conscientiæ desumi ab objecto non materialiter in esse rei & quoad se considerato, sed formaliter in esse objecti regulabilis & quoad nos, uti scientia veritatem accipit ab objecto spectato in esse objecti scibilis: tunc enim regulabilitas objecto superaddit connotationem ad intellectum practicum, tali objecto primam regulam Divinæ legis applicantem, & invincibiliter existimantem tale objectum esse proportionatum rectæ intentioni finis ultimi. Sic Conscientia Jacobi dictans, accessum ad Liam, quam invincibiliter existimabat esse uxorem, hic & nunc esse licitum, vera & recta erat, etiam per ordinem ad objectum: quia licèt hoc objectum, nempe accessus ad Liam materialiter, absolutè & à parte rei non esset licitus, nec conformis legi Divinæ, cùm Lia hic & nunc non esset sua uxor, & sic etiam conscientia Jacobi fuerit speculativè falsa, tamen hoc ipsum objectum formaliter consideratum in esse regulabilis, erat licitum, honestum, justum, quia ut sic substabat apprehensioni intellectûs, accessum ad Liam invincibiliter repræsentantis tanquam

tanquam à DEO concessum, & proportionatum Divinæ legi.

10. Dices primò. An hinc non sequatur vitiosus circulus, si opus sit rectum per ordinem ad regulam Conscientiæ, ipsa quoque Conscientia sit recta per ordinem ad opus rectum, tanquam proprium objectum? Respondeo non esse circulum vitiosum, quia in diverso genere, modoque causandi. Opus quippe rectum denominatur, quasi passivè à conscientia regulante in ordine causæ idealis & directivæ, uti fit in artefactis. Conscientia verò denominatur recta ab objecto in genere causæ objectivæ, & quasi activè, in quantum conscientia ipsa in objecto regulativè causat conformitatem cum lege æterna: cùm enim omnis veritas sit quædam conformitas cum objecto, etiam practica veritas debet esse talis; hâc tamen cum differentiâ, quòd practica activè quasi sibi conformat, speculativa quasi passivè conformatur objecto.

11. Dices secundò. Conscientia tanquam regula secunda, regulata & exemplata à prima regula, non potest esse recta, nisi sit conformis primæ regulæ, seu legi divinæ: sed non est conformis, quando est invincibiliter erronea: tunc enim lex Divina actum prohibet, & dictat esse illicitum, quem econtrà conscientia dictat esse licitum: ergò tunc non potest esse recta. Respondeo distinguendo minorem: non est conformis divinæ legi ut absolutè respicienti talem actum vel objectum, concedo; & ideò est speculativè falsa: non est conformis divinæ legi respicienti talem actum ut substantem tali invincibili repræsentationi, nego. Sic enim dictat, hunc actum formaliter esse honestum & licitum. Unde, si Jacobus Liæ, invincibiliter existimatæ uxori, debitum denegâsset, contra Divinam legem justitiæ peccâsset.

Sed nunquid hac ratione Conscientiam invincibiliter errantem malè appellamus erroneam, cùm potiùs deberemus appellare rectam juxta hactenus dicta? Respondeo, quamvìs Conscientia invincibiliter erronea à parte rei semper sit recta, usum tamen obtinuisse, ut omnis illa Conscientia dicatur erronea, quæ continet errorem sive practicum, sive speculativum, ideoque in divisione conscientiæ in veram & erroneam, ly *vera* solet accipi pro veritate tam speculativa quàm practica. Est verò aliquando loquendum cum multis.

ARTICULUS II.

De Conscientia erronea.

SUMMARIA.

1. *Exponitur Conscientia erronea.*
2. *Datur invincibilis ignorantia facti.*
3. *Item Juris positivi Civilis & Ecclesiastici.*
4. *Item Juris Divini positivi.*
5. *Non datur ignorantia invincibilis juris naturalis universi, & quoad notissima principia.*
6. *Datur quandoque in præceptis naturæ, quæ facili discursu ex primis principiis deducuntur.*
7. *Datur in præceptis naturæ, quæ obscuriùs ex primis principiis deducuntur.*
8. *Confirmat hanc ignorantiam experientia.*
9. *Absurda oppositæ sententiæ.*
10. *Invincibilis ignorantiæ in jure naturali inculpabilitas ostenditur.*
11. *Impugnatur doctrina Jansenii.*
12. *Quo sensu Scriptura & PP. ignorantiam appellent peccatum?*
13. *Objectiones Wendrochii.*
14. *S. D. loquitur de vincibili ignorantia fidei.*
15. *Tertullianus & D. Augustinus exponitur.*
16. *Invincibiliter errans dirigit suos actus secundùm legem justitiæ.*
17. *Nec est difformis Divino judicio quoad formalem bonitatem operationis.*

§. I.

Adstruitur invincibilis ignorantia facti & juris positivi.

1. Conscientia erronea dividitur in vincibiliter & invincibiliter erroneam. Error vel ignorantia vincibilis, quam in Tract. de *Actib. hum.* etiam consequentem diximus, est, quæ hîc & nunc poterat & debebat adverti, seu quæ adhibito debito studio ac diligentia superari potuit, eaque de causa sicuti non tollit voluntarium, ita neque actum peccaminosum à se indirectè causatum excusat à culpa; & sic pariter conscientia ex vincibili ignorantia dictans licitum, quod est illicitum, nunquam potest esse regula rectæ operationis, neque ab operatione sibi conformi malitiam tollit; sive sit ignorantia juris h. e. legis prohibentis aut obligationis existentis, ut si ignores, sitne usura illicita, sitne iste articulus fidei, sitne impedimentum dirimens consanguinitatis in quarto gradu &c.? sive sit ignorantia facti; ut si ignores, hunc, quem percutis, esse Clericum, hunc diem esse festivum, hanc fœminam esse consanguineam, hoc animal, quod vides, esse hominem, hunc reum in judicio esse innocentem &c. Invincibilis ignorantia sive juris sive facti est, quæ adhibito debito studio ac diligentia superari non potuit. De qua ad subsequentium notitiam meliorem occurrunt plura ponderanda.

Et primò quidem dari ignorantiam invincibilem facti in confesso est apud omnes contra Guiliel. Parif. tract. de Legibus c. 21. citatum à Sairo thes. l. 2. c. 9. quia tunc datur invincibilis ignorantia, quando in mente nulla suspicio, dubietas, aut confusa saltem notitia oritur; sed in facto, vel aliqua facti circumstantia, etiam ad jus naturale pertinentibus hoc frequenter contingit, quæ cùm in aliquo particulari & contingenti consistant, facilè possunt hominis etiam sagacis notitiam fallere. Ita Jacobus, quantumvis sciret, jure naturali vetitum esse accessum ad fœminam non suam, non tamen peccavit, Liam sibi pro Rachele vera uxore suppositam cognoscens, quia nullam habuit rationem dubitandi, an illa 2.

esset

esset sua uxor. Ita secundùm S. Th. 1. 2. q. 75. a. 3. qui patrem occideret, invincibiliter ignorans esse patrem, etsi non ab homicidii, à culpa tamen parricidii absolveretur.

Ita si quis innocenter emit rem furtivam, comedit aut comedendum apponit cibum venenatum, quando bona fide rem furtivam, aut cibum venenatum esse ignorat, & juxta hominum prudentûm nec venditor de re, an sit furtiva, nec medicus de cibo, an sit venenatus, solet consuli, nec alia rationabilis causa dubitandi suboritur. Quo casu ex conscientiæ invincibilis dictamine operans, semper inculpatè, imò si alia debita requisita adsint, honestè operatur, quippe cui malitia operationis per ignorantiam antecedentem redditur penitùs involuntaria & necessaria, nec proinde aliqua lege (quæ pro materia requirit voluntarium liberum) hic & nunc vetita vel imputabilis; *nullius* enim *crimen maculat nescientem*, inquit S. August. tr. 89. in Jo. & *non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras. l. 3. de lib. arbit. c. 19.*

3. Idem secundò dicendum de Juris positivi, Civilis, vel Ecclesiastici ignorantia: nam licèt in foro externo non facilè audiatur, qui juris ignorantiam prætendit. Per Regul. 13. Juris in 6. *ignorantia facti, non Juris excusat*, id tamen contingit solùm ex præsumptione, quâ quis post debitam legum promulgationem non facilè illas ignorare præsumitur. Nihilominùs cùm humanæ leges & statuta sint satìs multa, quæ scire nec omnibus possibile est, nec necessarium, facilè contingit, eorum aliqua, nullâ subortâ dubitatione ignorari, quam ignorantiam si quis legitimè probet, ut si ostendat, se tempore factæ promulgationis absentem, furiosum vel amentem fuisse, etiam in foro externo audiendam & acceptandam fore colligit Sylvius ex c. *cùm in tua: qui matrimonium accusare possunt.*

Unde hæc quoque Juris ignorantia invincibilis à peccato, & censuris illam consequentibus excusat.

4. Tertiò satìs receptum est, etiam Juris Divini positivi ignorantiam invincibilem dari, eamque excusare à peccato. Nam juxta D. August. tract. 89. in Jo. & epist. 10 ad Xystum. & Doct Angel. 2. 2. q. 10. a. 1. doctrinam, datur *infidelitas negativa* in iis, qui vel inter infideles nati, & educati, vel Pastorum defectu aut negligentia, vel propriâ hebetudine de fidei nostræ mysteriis nihil audierunt, nihil intellexerunt, quæ infidelitas non est peccatum, sed *pœna peccati* (saltem originalis) *quomodo enim credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante?* Rom. 10. Ideo Christus Joan. 15. *Si non venissem*, inquit, *& locutus fuissem eis, peccatum non haberent. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent* &c. Et D. August. loc cit. in Joan. respondens, *an*, ad quos non venit Christus &c. *habeant excusationem de suo peccato?* dicit *habere illos excusationem non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt.*

Rationem dedit idem S. P. sup. n. 2. Oppositam sententiam damnârunt Sum. Pontiff. Pius V. Gregor. XIII. & Urbanus VIII. in hac propositione Bay. *Infidelitas purè negativa in his, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.*

§ II.

An & quando dari possit invincibilis ignorantia juris naturalis?

NEc quartò negari potest, etiam dari invincibilem ignorantiam Juris seu legis naturalis: nam licèt certum sit, non dari invincibilem ignorantiam in adulto, quoad universam naturæ legem, & quoad prima notissima & universalissima præcepta naturæ, quale est *illud: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; de quo D. August. in Psal. 57. *hoc & antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, ut esset, unde judicarentur, & quibus lex non esset data.* Unde D. Th. 1. 2. q. 94. a. 6. de istis præceptis: *quantùm ad præcepta communia, quæ sunt omnibus nota, lex naturalis nullo modo a cordibus hominum deleri potest in universali*: nihilominùs magnum est discrimen inter præcepta naturæ, quæ ex iis moralibus notissimis principiis per discursum deducuntur. Nam aliqua ita facilè & per se ex illorum notitia consequuntur, ut absque supina negligentia eorundem consequentia ignorari non possit: alia verò difficiliori discursu obscuriùs deducuntur, & vis consequentiæ non nisi à Sapientioribus penetratur, prout agnoscit S. D. 1. 2. q 100. a 11. 5.

Primi generis præcepta absolutè considerata saltem ad longum tempus (nam ad breve tempus fortè in pueris ad pleniorem usum rationis tardè venientibus etiam hæc præcepta invincibiliter ignorantur) ignorari non possunt: nam esto, quòd pravâ consuetudine furtum reputetur licitum, tamen modicâ discurrendi facultate ex illo notissimo principio: *quod tibi non vis fieri* &c. absque labore infertur: *Non furtum facies.* Dixi: *absolutè considerata*: nam ut optimè advertit Sylvius 1. 2. q 76. a. 3. quæs. 2. Conclus. 3. Si illa quoque præcepta notabili circumstantia à peccato excusante afficiantur, ab aliquibus etiam longo tempore invincibiliter ignorari possunt, eò quòd ex tali circumstantia efficiantur obscura, quæ ex se clara videbantur. E. g. clarum est, mendacium, furtum, homicidium, perjurium esse peccata, sed non ita clarum est, sitne peccatum falsâ calumniâ falsam calumniam depellere, pejerare, mentiri ad servandam vitam propriam, amici, Principis, occidere seipsum ad vitanda tormenta gravissima, castitatem conservandam, interficere hominem sine spe vitæ cum gravissimis doloribus luctantem, & interfici rogantem, prout Amalecites Saulem interfecit. 6.

Secundi generis præcepta in hominibus non tantùm infidelibus, sed etiam fidelibus aliquando invincibiliter ignorantur; non enim ita sunt obvia, ut non etiam Sapientissimi aliquando de illorum veritate dubitent, vel omninò negent. Nam primò æquè Sapientissimus ac Sanctissimus P. Augustinus [referente Esparza append. p. 1. a. 2. & Herinck p. 2. disp. 1. q. 7. num. 60.] l. 1. de Serm. Dom. in monte, dubitat, an uxor à marito dimissa committat peccatum mortale, si alteri marito priori adhuc vivente copuletur? Dicit enim: *Si autem dimittatur à viro, cum quo esse* 7.

esse cupiebat, mœchatur quidem, qui eam duxerit secundùm Domini sententiam, sed utrùm & ipsa tali crimine teneatur incertum est. Relato deinde miserabili casu, quòd Antiochiæ debitor in vincula compactus à creditore mortem minitante, ni solveret, uxori suæ licentiam dederit, ut pareret sollicitationi hominis prædivitis, pecuniam pro mariti liberatione offerentis, si ipsa unâ nocte sui copiam faceret; non audet fœminam de adulterino concubitu condemnare: *nihil hic*, inquiens, *in alteram partem disputo, liceat cuique æstimare, quod velit.* Cassianus & Marulus [teste Sylvio quæst. 2. conclus. 4.] aliique tradiderunt, mendacium officiosum esse licitum. Durandus in 4. dist. 33. quæst. 2. Stando in jure naturali fornicationem non esse graviter vetitam existimavit. Quid quòd Jura quoque Civilia permiserint marito necem uxoris in adulterio deprehensæ, tanquam ex justa indignatione illatam, quæ in hoc puncto à Jure Canonico corriguntur? ut nil loquar de sapientioribus Ethnicis, è quibus Plato dicebat mendacio utendum esse tanquam helleboro, hoc est, tanquam remedio contra gravissimum, quod è confessione veritatis oritur, discrimen. Cicero de offic. l. 1. agnoscit licitam esse injuriæ illatæ vindictam. Et Tuscul. quæst. 1. fas esse sibi mortem consciscere ad graviorem miseriam declinandam. Ex quibus hoc fit manifestum, quædam præcepta juris naturalis non adeò perspicuè etiam à sagaciori intellectu è primis morum principiis derivari; ac proinde saltem à rudioribus, aut Christianæ legis, morumque instructione destitutis absque alia negligentiæ suæ culpa ignorari.

8. Confirmat eandem ignorantiam experientia Confessariorum, qui deprehendunt, aliqua ab adolescentulis alioquin DEUM timentibus, ignoranter contra legem naturæ patrata, quorum scrupulus nonnisi post aliquod tempus & majorem judicii maturitatem suboritur. Vasq. disp. 122. c. 2. affirmat, visum à se rusticum, qui se opus pietatis committere existimabat, si ægrum mortis angoribus pressum, in alteram partem versaret, quò citiùs animam exhalaret; aitque se sufficienti examine hunc errorem inculpabilem in rustico deprehendisse. Ipsimet in Scholis experimur difficultatem in usuræ, duelli, suicidii (ut vocant) malitiâ, perspicuè ex solutis objectionibus ostendendâ. Viguerunt pariter & vigent etiamnum inter sapientissimos Doctores gravissimæ controversiæ de veritatibus ad jus naturæ pertinentibus. Ita plurimi cum Doct. Angel. affirmant, reum ex privata Judicis sententia innocentem, secundùm allegata & probata nocentem, licitè, imò obligatoriè, capitali sententia damnari: alii negant. Census utrinque redimibilis à quibusdam velut usurarius rejicitur, ab aliis ut justus & legitimus admittitur. Reum justè damnatum ad sumendum venenum, ad pugionem pectori infigendum, posse tanquam executorem justæ sententiæ propriâ manu applicare venenatum calicem, infigere pugionem pectori cum Hannoldo defendunt plures graves DD., alii contrà negant. Olim ante Concilii Lateran. declarationem *sess.* 10. magna erat disceptatio, num montes pietatis essent liciti, vel usurarii, &c. Et quis alterutrius partis Doctores culpabili errori subjiciat, nihil temerè sed rationibus utrinque maturo judicio expensis suam opinionem pronuntiantes? quod tamen est faciendum iis omnibus, qui juris naturalis invincibilem negant ignorantiam.

Adde varia absurda. Nam quæ ampliùs inter rudiores erit securitas in ineundis contractibus, si quantumvis approbent viri docti, Pastores, Doctores & licitum censeant, tamen fieri possit, ut à parte rei contractus sit illicitus, & juri naturæ contrarius? tunc enim nec contrahentem, nec consulentes bona fides & ignorantia excusabit, quin culpabiliùs legem naturæ ignoraverint, adeòque peccârint. Sed neque Theologi poterunt ampliùs casus resolvere, neque Judices sententiam ferre, ne alios involuant periculo agendi contra jus naturæ, quod per Adversarios nemini invincibiliter ignorare concessum est. Datur ergo etiam juris naturalis invincibilis ignorantia, quippe quæ humano studio superari non semper potest. 9.

§. III.

Propugnatur inculpabilis ignorantia juris naturalis contra Jansenium.

Hinc consectaneè infertur contra Jansenium 10. Sinnichium in Saule Ex-Rege n. 360. & seqq., & fictitium illum Theologum Salisburgensem Wendrochium, invincibilem ignorantiam Juris naturalis modò assertam, esse *inculpabilem*, & à peccato formali excusare. Ad rationem namque peccati pertinet voluntarium & liberum; sed transgressio legis naturalis invincibiliter ignorata nec est voluntaria, nec libera: ergo non est peccatum. Major est implicitè definita à Pio V. Greg. XIII. & Urbano VIII. damnantibus hanc propositionem Bay nostræ contradictoriè oppositam. *Ad rationem & definitionem peccati non pertinet ratio voluntarii:* Et istam: *Homo etiam peccat damnabiliter in eo, quod necessariò facit.* Est etiam Divi August. pluribus locis. In lib. de 2. animab. refert illam propositionem tanquam omnibus notam & decantatam. *Nemo peccat in eo, quod vitare non potest.* Et l. 3. de lib. arbitr. suprà cit. c. 19. quem locum allegat, simulque disertè hanc sententiam tradit D. Th. q. 7. de pot. a. 7. a. 3. his verbis: *Dicendum, quòd ignorantia, quæ est omnino involuntaria, non est peccatum. Et hoc est, quod Augustinus dicit, non tibi imputatur ad culpam, si invitus ignores.* Rursus idem D. Augustinus l. de verit. Relig. c. 14. *Usque adeò*, inquit, *peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium. Et hoc ita manifestum est, ut nulla indoctorum turba dissentiat.* Accedit, quòd juxta Trid. Sess. 6. can. 6. *sit in potestate hominis vias suas malas facere, neque DEUS præcipiat impossibilia:* sed evitare id, quod invincibiliter ignoratur, non est in hominis potestate, neque proinde à DEO præcipitur: ergo, si homo ex illa invincibili ignorantia operetur, non facit vias suas malas, neque Divino præcepto [formaliter] contrariatur. Major est certa, quia quod nullo modo cognitum, illud non est liberum aut voluntarium; ipso assentiente Jansenio l. de grat.

Christi

Chriſti c. 36. & illud ſolùm dicente *eſſe in noſtra libera poteſtate, quod ſit a voluntate cum plena advertentia rationis.* Unde in Tract. de Act. hum. dictum: per ignorantiam invincibilem cauſari involuntarium ſimpliciter.

11. Hinc *colliges*, falſam eſſe cauſalem Janſenii, quòd ideo ignorantia Juris naturalis ſit potiùs peccatum, quàm ignorantia Juris poſitivi, quia illa eſt pœna peccati originalis, non iſta. Nam *primò:* non minùs ignorantia juris naturalis poteſt eſſe invincibilis, quàm juris poſitivi: ſed hæc non eſt peccaminoſa, quia ratione invincibilitatis eſt antecedens, neceſſaria, involuntaria: ergo nec illa. *Secundò*, etiam ignorantia juris poſitivi eſt quoddam vulnus intellectûs, & miſeria naturæ: ergo & ipſa eſt pœna & effectus originalis peccati. *Tertiò*, ignorantia legis Evangelicæ eſt ignorantia Juris poſitivi: ſed in infidelibus negativè, qui nihil audiverunt de Evangelii prædicatione, infidelitas eſt pœna originalis peccati: ergo aliqua ignorantia Juris poſitivi eſt pœna originalis peccati. *Quartò*, ſequeretur, hanc ipſam infidelitatem negativam, uti & motus concupiſcentiæ, conſenſum rationis prævenientes, imò & eidem repugnantes eſſe peccata, eò quòd ſint pœna & effectus peccati originalis, quorum utrumque eſt contra definitionem Eccleſiæ, & doctrinam D. Auguſt. ac D. Thomæ. Nam quòd infidelitas negativa non ſit peccatum, definierunt Summi Pontifices ſup. n. 3. relati; docuit quoque D. Auguſt. epiſt. 10. dicens: *In illis, qui non audierunt, neque potuerunt, pœna peccati eſt non credere, non autem peccatum.* Et D Th. 2. 2. q. 10. a. 1. *Si infidelitas accipiatur ſecundùm negationem puram, ſicut in illis, qui nihil audierunt de fide, non habet rationem peccati, ſed magìs pœnæ: quia talis ignorantia ex peccato primi parentis conſecuta eſt.* De concupiſcentiæ motibus Trid. Seſſ. 5. c. 5. *Concupiſcentiam nocere non poſſe non conſentientibus.* D. Auguſt. l. 1. De civitate cap. 25. *Illa concupiſcentialis inobedientia, quantò magìs abſque culpa eſt in corpore non conſentientis, ſi abſque culpa eſt in corpore dormientis?*

12. Si quando igitur Scriptura, vel PP. ignorantiam peccatum appellant, id faciunt vel nomine peccati metonymicè ſignificando effectum peccati (quo ſenſu ſcimus concupiſcentiam ab Apoſt. peccatum appellari) ut agnoſcit D. Auguſtinus l. 3 de lib. arbit. c 19 dicens: *Non ſolùm peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum* [*libera enim voluntate, & a ſciente committitur*] *ſed etiam illud, quod jam de hujus ſupplicio conſequatur, neceſſe eſt.* Vel eſt ſermo de peccato materialiter, non formaliter accepto: vel intelligunt ignorantiam vincibilem, & conſequentem, de qua D. Bernard. epiſt. 77. *Multa ſcienda neſciuntur, aut ſciendi incuriâ, aut ſciendi deſidiâ, aut verecundia inquirendi, & quidem ejusmodi ignorantia non habet excuſationem.* Ideò, cùm Levit. 5. præcipiuntur Sacrificia à Pontifice offerenda pro ſua & populi ignorantia. Cùm David Pſal. 24 orat: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Cùm Lucæ 12. ignorantibus pœna indicitur: *Qui non cognovit,* (voluntatem Domini) *& fecit digna plagis, vapulabit paucis.* de vincibili adeóque culpabili ignorantia Scriptura loquitur: prout hunc Lucæ textum exponit Theodoretus à D. Thoma in Catena ſuper Lucam relatus. *Sed cur punitur ignorans? quia, cùm ipſe potuiſſet, noluit, ſed pigritans ipſe fuit ignorantiæ ſuæ cauſa.*

§. IV.

Solvuntur Objectiones.

Opponit tamen Wendrochius primò celebre illud effatum Angel. Doct. quodl. 3. a. 10. *Nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicujus magiſtri, in talibus enim ignorantia non excuſat.* 13.

Secundò. Illud Tertull. de ſpectac. c. 20. *Nunquam excuſatur, quod DEUS damnat. Nuſquam & nunquam licet, quod ſemper & ubique non licet. Hæc eſt veritatis integritas, &c. omnia penes veritatem DEI fixa ſunt.*

Tertiò. Felix III. Pontifex Max. affirmat, non eſſe in hominum poteſtate, contra legem æternam agentes peccato liberare: ita enim inquit epiſt. 7. *Quòd ſe decipit ipſe, qui fallit, nihilque per noſtram facilitatem tribunalis excelſi judicio derogari, cui illa ſunt rata, quæ pia, quæ vera, quæ juſta ſunt.*

Quartò. Auguſtinus epiſt. 104. *Si quis bonum putaverit eſſe, quod malum eſt, hoc putando utique peccat.* Et: *Ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quis bene fieri putat, quod malè fit.* Unde Gratianus 1. quæſt. 4. *Ignorantia Juris naturalis omnibus adultis damnabilis eſt.*

Quintò. Auguſt. Serm. 44. de diverſis c. 6. *Niſi quis ſecundùm juſtitiæ regulam direxerit actus ſuos, in errorem iniquitatis impingitur.* Subſumitur: ſed qui ex ignorantia aliquid agit contra legem DEI, non dirigit actus ſuos ſecundùm juſtitiæ regulam: ergo in errorem iniquitatis impingitur.

Sextò. Illud: *Juſtus ex fide vivit.* Rom. 1. *omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* c. 14. quibus ſignificatur [exponit Wendrochius] tum demum juſtas ac vivas hominis actiones, cùm lumine fidei diriguntur, malas eſſe, ſi non diriguntur. Sed qui falſam opinionem ſequitur, ratione fortaſſe vivit, fide non vivit, *quia fides falſa, fides non eſt*, inquit D. Bernard.

Septimò. Nil crebriùs in S. Script. quàm *quòd omnes viæ DEI veritas.* Pſal. 118. alia eſſe judicia DEI, alia hominum. *Eſſe viam, quæ homini videtur recta, cujus noviſſima ad mortem deducunt.* *Proverb.* 16. Chriſtus ipſe Jo. 12. *Sermo, quem locutus ſum, ipſe judicabit eum in noviſſimo die.* Quæ omnia oſtendunt, vitam non ad humanas opiniones, ſed legis Divinæ normam exigendam, nec excuſandum fore, qui propriâ perſuaſione in ignorantiam & errorem abductus à ſemita æternæ veritatis deflexerit.

Reſpondeo. Omnia hæc argumenta nimium probare, ipſiſmet adverſariis ſolvenda: Probant quippe, nec juris poſitivi, præſertim Divini ignorantiam à peccato excuſare. Et ad 1. conſtat S. D. loqui de vincibili erronea opinione, non tantùm Juris naturalis, ſed fidei, cujus falſitas ex recurſu ad S. Script. & Eccleſiæ authoritatem deprehendi potuit, ut patet ex ſequentibus ipſius verbis: *Qui ergo aſſentit opinioni alicujus magiſtri* 14.

contra manifestum scripturæ testimonium, sive contra id, quod publicè tenetur secundùm Ecclesiæ authoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.

15. Ad secundum. Locus ille Tertulliani tantùm probat, legem naturalem esse immutabilem, ex quo tamen non sequitur, ad culpam imputari, quod ex invincibili ignorantia contra illam committitur: tale enim factum nec DEUS damnat, qui non aliter ad sequendam suam legem nos obligat, nisi quantum illa per rationem est intimata atque proposita.

Ad tertium. Felix Papa sufficienter declarat, sibi de vincibili falsitate sermonem esse, cùm illam facilitatem, h. e. nimis facilem credulitatem & assensum appellat.

Ad quartum. D. Augustinus seipsum in textibus suprà allegatis satis explicat, & de vincibili ignorantia intelligendum insinuat. Idem dixeris de sententia Gratiani, quamvis etiam videatur juris naturalis nomine intelligere prima vel notissima morum dogmata, quæ nec vincibiliter, nec inculpatè ignorari, ultrò concedimus.

16. Ad quintum nego, quòd, qui cum invincibili errore contra naturæ legem operatur, non dirigat actus suos secundùm justitiæ legem, cùm non alia sit operantis intentio, quàm velle operari, quod omnibus benè pensatis hic & nunc Divinæ justitiæ & regulæ consentaneum arbitratur: quamvis in istius regulæ applicatione ipsum falli contingat.

Ad sextum: si quid ille locus Apostoli in præsens probaret, etiam illud hæreticum dogma probaret: Omnes infidelium operationes esse injustas & peccaminosas, quippe influxu fidei destitutas. Primus igitur locus plus non probat, quàm primum vitæ spiritualis initium fidem esse. Alter locus sequenti articulo exponetur. 17.

Ad septimum. Haud dubiè alia sunt judicia DEI, quàm hominum, sive homo vincibiliter sive invincibiliter, sive in materia Juris naturalis, sive positivi à regula Divinæ legis exorbitet; hoc tamen discrimine, quòd invincibili errore aliud est judicium DEI tam de materiali, quàm de formali bonitate operationis; in errore verò invincibili est aliud tantùm quoad materialem ejus bonitatem, non autem formalem, estque proin difforme judicio hominis speculativo, non autem practicè practico.

ARTICULUS III.

Quæ sit obligatio Conscientiæ rectæ & erroneæ?

SUMMARIA.

1. *Conscientia semper obligat negativè.*
2. *Erronea obligat per accidens.*
3. *Invincibiliter erronea positivè, vincibiliter erronea tantùm obligat negativè.*
4. *Quid in casu, quo conscientia vincibiliter erronea dictat esse pejerandum?*
5. *Perplexitas orta ex conscientia vincibiliter erronea non excusat à peccato.*
6. *Disparitas inter judicium conscientiæ vincibiliter & invincibiliter erroneæ.*
7. *Agere contra conscientiam non est speciale peccatum.*
8. *Conscientia proponens obligationem sub veniali excusat à mortali.*
9. *Quid si Conscientia proponat objectum sub generali ratione prohibiti?*
10. *Perplexitas ex invincibili errore excusat à peccato.*
11. *Obligatio Conscientiæ est indispensabilis.*
12. *Magis obsequendum Conscientiæ, quam præcepto Superioris.*

§. I.

Discrimen inter obligationes Conscientiæ.

1 Conscientiam consulentem, quæ dictat aliquid agendum, vel omittendum per modum consilii, nullam parere obligationem, certum est. Atqui, cùm Conscientia dictat aliquid tanquam ex præcepto faciendum, vel omittendum, sive sit recta, sive erronea, semper obligat, ne quis contra ipsam operetur. Ita S. D. 1. 2. q. 19. a. 5. universaliter affirmans: *Omne, quod est contra Conscientiam, peccatum est.* Et quodl. 3. a. 27. *Omnis Conscientia sive recta, sive erronea, sive per se malis, sive indifferentibus est obligatoria, ita ut, qui contra Conscientiam facit, peccet.* Probat ex Apostolo Rom. 14. dicente, *omne quod non est ex fide, peccatum est.* Ubi ex S. D. & communi Interpretum acceptione ly *ex fide*, idem est, quod ex dictamine Conscientiæ: neque enim Apostolus loquitur ex fide Divina, speculativa, supernaturali [ut testatur Tirinus allegans in hunc sensum S. Chrysostomum, Ambrosium, aliosque PP.] sed humana, morali, particulari, hoc est, illa credulitate & assensu practico, quo mihi persuadeo, id licere, quo hîc & nunc tali modo operor. Loquitur namque Divus de Conscientia erronea quorundam Neo-Christianorum, qui cibos Judæis in antiqua lege prohibitos, etiam sibi in nova lege interdictos existimantes, iisdem nihilominùs vescebantur.

Ratio est: quòd lege naturali cautum sit, ne quis operetur contra præceptum DEI, quod reverà est, vel esse existimatur, & hoc ipso hominem peccare necesse sit, si eligat objectum sibi propositum tanquam moraliter malum; sed quisquis agit contra conscientiam, agit contra præceptum DEI, quod reverà est, si conscientia sit recta, vel tale existimatur, si conscientia sit erronea: ergo peccat contra legem naturalem sectando objectum, quod sibi hic & nunc inhonestum, & vetitum apparet.

Est tamen duplex valde notabile discrimen inter obligationem conscientiæ rectæ & erroneæ. Nam primò: *Recta* (inquit S. D. q. 17. de Verit. a. 4.) *ligat simpliciter, & per se, erronea autem secundùm quid, & per accidens. Dico autem ligare simpliciter, quia ligat absolutè, & in omnem eventum:* erronea ligat ex suppositione, & sub conditione, quòd credatur esse recta. 2.

Secun-

3. Secundò. Recta & invincibiliter erronea non tantùm obligat negativè, h. e. ne agamus contra conſcientiam, ſed poſitivè, ut illam ſequamur, & faciamus, quod illa præcipit: atqui vincibiliter erronea tametſi obliget negativè modo prædicto, non tamen obligat poſitivè, ut illam ſequamur, & faciamus, quod illa præcipit, prout contra Medinam Jo. à S. Th. Ildefonſ. Cæſaraug. bene docet cum D. Bonavent. Vaſquez, Valentia, Tannerus, Sylvius q. 19. a. 5.

Ratio differentiæ eſt, quòd in conſcientia recta & erronea invincibili non datur medium inter poſitivè operari juxta conſcientiam, & operari contra conſcientiam, ideoque quisquis obligatur non operari contra conſcientiam, hoc ipſo debet operari juxta dictamen illius conſcientiæ. In conſcientia verò vincibiliter erronea datur medium inter operari juxta conſcientiam, & non operari contra conſcientiam, nempe deponere conſcientiam. Unde, tametſi habens conſcientiam vincibiliter errantem teneatur non agere contra illam, non ideo tamen tenetur illam ſequi, ſed deponere. Aliàs certè quis poſſet obligari lege ad actum imprudentem, formaliter vitioſum, quod eſt impoſſibile; tum quia DEUS eſſet moralis cauſa formalis malitiæ; tum quia talis actus eſſet conformis, & non conformis legi Divinæ: conformis, quia conſonus obligationi legis Divinæ; non conformis, quia formaliter malus, adeòque difformis. Sequela probatur. Actus, quo quis ſequitur conſcientiam vincibiliter errantem, eſt imprudens & formaliter inhoneſtus: ſed ſi conſcientia vincibiliter erronea poſitivè obligat, adeſt obligatio legis Divinæ ad talem actum hîc & nunc operandum, ſiquidem conſcientia non obligat niſi in virtute legis Divinæ, ceu quædam intimatio, & participatio ipſius: *non enim conſcientia dictat, aliquid eſſe faciendum hac ratione, quia ſibi videtur; ſed hac ratione, quia à DEO præceptum eſt*, ait Angelicus Doctor in 2. diſt. 39. a. ult. ad 3. ergo in hac hypotheſi lege Divina obligat ad actum imprudentem formaliter malum & vitioſum.

§ II.

Solvuntur Objectiones.

4 Objicies, Sit invincibiliter erronea conſcientia, quæ dictet eſſe pejerandum ad ſervandam vitam proximi; per hanc obligatur aliquis ad non agendum contra illam: ergo obligatur ad non omittendum perjurium: ſed non omiſſio perjurii eſt ipſum perjurium: ergo obligatur poſitivè ad ipſum perjurium.

Reſpondeo diſtinguendo majorem: obligatur ad non agendum contra conſcientiam indeterminatè vel ſequendo conſcientiam, vel agendo quod conſcientiæ opponitur, concedo; tantùm determinatè omittendo rem præceptam, nego: ergo obligatur ad non omittendum perjurium, niſi ſit obligatus ex parte conſcientiæ, ad illam deponendam, concedo; ſecùs, nego hanc alteramque conſequentiam.

Igitur, cùm dicimus, teneri quemlibet non agere contra conſcientiam, volumus, quòd ſit obligatus, ne ſimul habeat conſcientiam prohibentem & actum oppoſitum, vel conſcientiam præcipientem, & omiſſionem rei præceptæ: idcirco ſi conſcientia non poteſt deponi, obligatio non agendi contra conſcientiam tota eſt ex parte actûs præcepti, vel prohibiti. Cùm verò poteſt & debet deponi, tum obligatio ſe tenet ex parte conſcientiæ deponendæ, non actus ponendi.

Nec refert, quòd hac ratione homo in vincibili ignorantia conſtitutus foret perplexus, & neceſſitatus ad peccandum; quia, ſive pejeret ad ſervandam vitam proximi, ſive non pejeret, peccabit, inde violando præceptum non pejerandi, hinc agendo contra conſcientiam. Hæc enim perplexitas non eſt ſimpliciter ſed ſecundùm quid, & neceſſitas peccandi non eſt niſi conſequens, & ex ſuppoſitione malitioſæ voluntatis, conſcientiam errantem, cùm poſſet, deponere nolentis: quo modo etiam parochus poteſt neceſſitatem peccandi incurrere, ſi, cùm ex juſtitia vel charitate tenetur adminiſtrare Sacramentum, nolit ſe per præviam diſpoſitionem in gratiæ ſtatum [à quo excidiſſe ſe meminit] reponere: tunc enim, ſive adminiſtret, ſive non adminiſtret Sacramentum, peccabit; illa quippe neceſſitas, cùm ſit conſequens ex ſuppoſitione pravæ voluntatis, operantem à peccato non excuſat. 5.

Inquis. Non minùs judicium rationis invincibiliter, quàm vincibiliter errantis eſt contrarium legi Divinæ, dum iſta prohibet v. g. perjurium quod illud præcipit; utraque verò conſcientia ſive vincibiliter ſive invincibiliter erronea proponit objectum tanquam præceptum vel prohibitum Lege Divina: Unde S. D. q. 19. a. 5. ad 2. *Quamvis rationis errantis judicium non derivetur à DEO, tamen ratio errans illud ſuum judicium proponit tanquam derivatum à DEO*: ideoque conſcientia erronea etſi non per ſe, per accidens tamen obligat in virtute præcepti Divini: ergo vel utraque conſcientia, vel neutra obligat poſitivè. 6.

Reſpondeo diſparitatem eſſe utrinque: nam rationis invincibiliter errantis judicium ſpeculativum quidem diſcordat à lege Divina, non autem practicum: at rationis vincibiliter errantis judicium tam ſpeculativum quàm practicum à lege Divina diſcordat. Dictamen conſcientiæ invincibiliter erroneæ eſt prudens & practicè verum, ideoque in virtute præcepti Divini ad talem materiam prævio judicio ſpeculativo erroneè applicati, poſitivè per accidens obligat. Dictamen verò conſcientiæ vincibiliter erroneæ eſt imprudens, & practicè falſum, nec proinde etiam per accidens in virtute præcepti Divini ad ſe poſitivè ſequendum obligare poteſt. Utraque quidem conſcientia proponit ſuum objectum tanquam lege Divina præceptum, aut vetitum; ſed invincibiliter erronea prudenter, altera imprudenter. Ideo Lex Divina dictat quidem contrarium illius, quod dictat conſcientia invincibiliter errans, materialiter & ſpeculativè, non autem formaliter & practicè ſumpta: *Non enim errat formaliter objectivè, ſeu quantùm ad rationem formalem, errat autem quantùm ad materialem*, inquit S. D. q. 17. de verit. a. 4. Errat, inquam, conſcientia dictans, pejerandum ad ſervandam vitam proximi, quod eſt judicium ſpeculativum & materiale; non errat, judicans ſe per hoc, implendo

plendo præceptum charitatis, honestè operari, quod est judicium formale & practicum, attingens observantiam legis tanquam rationem formalem objecti: sub priori ratione non est à DEo, nec derivatur à lege Divina: sub posteriori est à DEo & lege Divina, quæ præcipit, legi obsequendum.

§ III.

Consectanea.

7. TRansgressio tamen hujus obligationis, quam conscientia inducit, seu agere contra conscientiam, non est speciale peccatum, distinctum à transgressione præcepti, quod per conscientiam observandum proponitur: e. g. conscientia dictat, esse Sacrum audiendum ex præcepto Ecclesiastico; non audiendo Sacrum non committis duo peccata, sed unum contra præceptum Ecclesiæ per conscientiam propositum.

Ratio est primò: quia generalis conditio, quæ pleraque peccata comitatur, non causat distinctam malitiam: sed agere contra dictamen conscientiæ est generalis quædam conditio, quæ comitatur omnem actum peccati directè, & voluntarium formaliter: ergo.

Secundò: quia promulgatio, intimatio, & applicatio legis non constituit distinctum præceptum, aut speciem moris ab ipsa lege, quæ per illam proponitur: sed conscientia est quædam promulgatio & intimatio præcepti, siquidem ipsa ostendit & dictat, quidnam sub præcepto sit faciendum, vel omittendum: ergo ipsa non constituit distinctam obligationem vel præceptum ab illo, quod observandum proponit, adeóque ipsius transgressio non causat distinctum peccatum. Ideo species malitiæ moralis in peccato contra conscientiam desumenda est à specie objecti, circa quod actus versatur, e. g. non audiendo Sacrum, quod ex præcepto esse audiendum monet conscientia, peccas contra virtutem religionis, sub cujus motivo illud audiendum præcipitur: non pejerando ad servandam vitam proximi, cùm jubet conscientia erronea, peccas peccato homicidii contra charitatem proximi, cujus obligatio tibi hîc & nunc per conscientiam proponitur.

8. Hinc etiam contingit, ut, si conscientia proponat alicujus præcepti obligationem sub mortali, agere contra conscientiam sit mortale; si sub veniali, sit veniale peccatum: nisi per vincibilem errorem levis obligatio videatur, quæ de se gravis est; tunc enim agens contra conscientiam non excusabitur à mortali.

9. Sed quid si conscientia repræsentet objectum sub generali ratione prohibiti & mali, nil determinando, essetne graviter vel leviter, mortaliter vel venialiter malum, an tunc mortaliter vel venialiter peccabit, qui contra conscientiam operatur? Navarrus & Valentia existimant, peccari solùm venialiter, eò quòd apprehensio malitiæ in genere sit apprehensio malitiæ adhuc imperfectæ in genere mali. Alii, ut Vasquez, Sairus verisimilius censent, peccari mortaliter; quia, qui taliter operatur sine ulteriori discussione, & examine malitiæ, temerè se committit periculo peccandi mortaliter. Nihilominùs videtur esse attendendum ad duo: primum est, an operans in confuso saltem suspicatus fuerit aliquod periculum gravioris peccati? Alterum, an soleat frequenter peccare mortaliter, fueritque constitutus in ea animi propensione, & præparatione, ut, licèt adverteret gravitatem peccati, nihilominus opus præstitutum perficeret; & tunc agere contra conscientiam, erit peccatum mortale, quia taliter operans est paratus committere peccatum qualecunque sit, sive mortale, sive veniale; atque hoc ipso se committit probabili & proximo periculo peccandi mortaliter, & amittendi amicitiam Divinam. Si verò operans sit timoratæ conscientiæ, & soleat abhorrere à gravibus offensis DEI, nec ipsi aliqua suspicio gravioris offensæ in mentem venit, non esset ideo condemnandus peccati mortalis, quod contra conscientiam fecerit, siquidem in his circumstantiis non censetur se voluisse committere proximo periculo peccandi graviter.

In casu autem perplexitatis, quo per invincibilem errorem utraque pars contradictionis judicatur esse prohibita & peccaminosa, e. g. si parochus post Sacrum jam celebratum adveniente magna populi multitudine, & die festivo Sacrum expectante, judicet utrumque esse malum, & populum dimittere sine Sacro, & Sacrum iterare, non peccabit eligendo alteram partem, in qua putat minorem malitiam reperiri; tunc enim debet sequi illam regulam, quòd è duobus malis minus est eligendum: & defectu sufficientis libertatis ad evitandum peccatum, electio illius partis ad peccatum non poterit imputari. 10.

Cæterùm tanta est Conscientiæ vis obligandi, ut agere contra conscientiam (1.) nec Divinitus sit dispensabile: & (2.) cùm propria conscientia dictat aliquid oppositum præcepto Superioris, potiùs conscientiæ, quàm præcepto sit obsequendum; nisi fortè conscientia sit vincibiliter erronea, & ex illo principio, tutum esse sequi mandatum Superioris, facilè deponi possit. 11.

Ratio primi est: Quòd in re intrinsecè mala DEUS dispensare non potest: atqui agere contra conscientiam est intrinsecè malum, quia est velle objectum cognitum sub ratione mali. Implicat etiam, DEUM simul obligare, & deobligare. Obligaret autem per conscientiæ dictamen, deobligaret per dispensationem, si daretur.

Ratio secundi est: quia obligatio legis Divinæ præponderat obligationi præcepti & legis humanæ: *Obedire enim DEO oportet magis, quam hominibus.* Act. 4. nec Legislator inferior derogare potest legi Superioris: sed obligatio conscientiæ est virtualiter obligatio legis Divinæ: Ergo præponderat præcepto humano Superioris; dixi tamen: *nisi sit conscientia vincibiliter &c.* Quia cùm subditus habet conscientiam vincibiliter erroneam, ut plerumque contingit, quoties præceptum Superioris non continet manifestum errorem, tenetur illâ depositâ Superioris mandato se conformare. 12.

DISPU-

DISPUTATIO XII.

DE

De Conſcientia dubia.

DUo hîc veniunt potiſſimum ponderanda. Primum eſt, an cum conſcientia dubia ſit licitum operari? alterum, quibus modis, & è quibus principiis conſcientia dubia deponi poſſit? ubi plura incidunt, quæ ad notitiam ſequentium de conſcientia probabili viam ſternunt.

ARTICULUS I.

An & quando liceat operari cum conſcientia dubia?

SUMMARIA.

1. *Diviſio dubii in negativum & poſitivum.*
2. *In ſpeculativum & practicum.*
3. *In dubium Juris & facti.*
4. *In vincibile & invincibile.*
5. *Licet operari cum conſcientia ſpeculativè dubia.*
6. *Non licet operari cum conſcientia practicè dubia.*
7. *Solvuntur objectiunculæ Poncii.*
8. *Quid agendum practicè dubitanti?*
9. *Quid ſcrupuloſo.*

§. I.

Quid & quotuplex ſit conſcientia dubia?

1. DUbiam conſcientiam illam tantùm appellamus, quæ in neutram partem contradictionis aſſenſu determinato inclinat. Unde etiam tantùm impropriè, vel inchoativè conſcientiam eſſe ſuprà diximus. Dividitur juxta varias dubii diviſiones: Sicque *primò* dubium aliud eſt *negativum*, aliud *poſitivum*. Negativum eſt, ſuſpenſio judicii proveniens ex defectu medii & rationis probabilis eſt ex utraque parte, uti in ſpeculativis eſt, an aſtra ſint paria: in practicis, ſitne hora noctis duodecima obligans ad jejunandum? ſintné recitatæ horæ Canonicæ, quando ex præcedenti crapula non recordaris pridie actorum &c. Poſitivum eſt, ſuſpenſio judicii proveniens ex æqualitate mediorum, ſeu motivorum pari pondere in utramque contradictionis partem inclinantium, ita ut intellectus velut in æquilibrio pendens, neutri parti determinatè aſſentiatur: ut ſi propter oppoſitas rationes Doctorum dubites, ſitne licitum, habere plures præbendas, nec ne? & neque auſis affirmare eſſe licitum, neque illicitum.

2. Secundò. Dubium aliud eſt ſpeculativum, aliud practicum. Speculativum dicitur, non quòd aliquo modo non ſit practicum, ſed quia modo magis univerſali procedit, non determinando ipſum exercitium operis, cum omnibus circumſtantiis conſideratum, à quibus exercitium operationis hîc & nunc dependet. Practicum eſt de operatione prout hîc & nunc exercenda. E. g. dubitas abſolutè, ſitne licitum die jejunii comedere ova, lacticinia? ſpeculativè dubitas. Si dubitas, an tibi in hac provincia, hoc loco, itinere, in hoc ſervitio, occupatione, occaſione conſtituto id liceat? practicè dubitas. Contingit autem frequenter, ut cum dubio ſpeculativo conſiſtat conſcientia certa de rectitudine ſuæ operationis, quando operatio ſeparatim à determinatis circumſtantiis accepta non eſſet certò licita, ſit autem licita ex acceſſu novæ rationis, vel circumſtantiæ, velut rectè advertunt Cajetanus, Medina contra Vaſquez. Sic enim, quod eſt ſpeculativè illicitum, fit practicè licitum ex ſuperventu novæ circumſtantiæ; e. g. Davidi ob extremæ neceſſitatis circumſtantiam fas erat comedere panes propoſitionis, quos alioquin Laicis lex interdixerat. Eadem circumſtantia licitam reddit adminiſtrationem Sacramentorum in materia dubia, aliàs vetitam. Pari ratione, quod eſt ſpeculativè dubium an liceat, ex novæ rationis, fundamenti, circumſtantiæ acceſſu certum poteſt fieri, quòd liceat. Sic miles poteſt habere dubium ſpeculativum, an bellum, quod à ſuo principe geritur, ſit juſtum, & interim practicè certò judicare ſibi licitum eſſe, principi ad bellum vocanti parere, cùm ipſius non ſit, determinare, an bellum ſit juſtum. Judex ſpeculativè dubitans, an liceat ſecundùm allegata & probata damnare, quem ſcit innocentem, practicè poteſt formare judicium, id ſibi licere, quia hoc cum S. Doctore ſentiunt eſſe licitum plurimi docti & graves Auctores.

Tertiò. Dubium aliud eſt juris, & aliud facti. 3.
Dubium juris eſt, cùm dubitatur de Lege, cenſura, impedimento, obligatione, liceitate, valore actus, &c. e. g. ſitne talis contractus uſurarius; ſitné teſtamentum validũ, profeſſio legitima, &c. Dubium facti eſt, cùm dubitatur de exiſtentia actûs, vel circumſtantiæ alicujus, an v. g. emiſeris votum, conſenſeris delectationi, fueris confeſſus peccatum, recitaveris horas, &c. Sæpius tamen quæſtio ac dubium facti intermiſcetur dubio juris. Nam quæſtioni, an lex obliget, admiſcetur illa facti, fueritne promulgata: Quæſtioni de validitate diſpenſationis admiſcetur illa, an Summus Pontifex fuerit veraciter informatus: Quæſtioni de validitate Profeſſionis, an habuerit ætatem præſcriptam: Quæſtioni, an obligeris præcepto jejunii aut impleveris annum 21. &c.

Tandem dubium omnibus iſtis modis acceptum vel eſt *vincibile*, quod adhibitâ diligenti inquiſitione deponi poteſt; vel *invincibile*, quod poſt diligentem inquiſitionem deponi & veritas certa obtineri non poteſt. 4.

§. II.

§. II.

Resolutio quæstionis.

5. CONCLUSIO PRIMA. *Licet operari cum conscientia speculativè dubia, quando dubio speculativo subnectitur judicium practicè certum de honestate operationis.* Ita communis DD.

Ratio est: Quòd toties quis licitè operatur, quoties prudenter judicat, se licitè & honestè operari: Sed potest quis habens dubium speculativum de honestate operationis adhuc prudenter judicare, se licitè & honestè operari, ut patet ex instantia militis §. Superiori adducta: Ergo. Licèt enim dubium practicum regulariter & per se loquendo oriri soleat ex dubio speculativo, tanquam proprietas ex essentia, & virga ex radice, & effectus ex causa, & propositio subalternata ex subalternante; e. g. Si dubitas speculativè, an sit licitum iter agere die festivo, etiam per se loquendo practicè dubitabis, sitne tibi hoc festivo die licitum iter agere. Dubitas speculativè, an res sit tua? etiam dubitabis practicè, an illam hic & nunc licitè retinere possis. Nihilominus ex speciali ratione, titulo, circumstantiâ aliquando dubium speculativum, ejusve influxus in dubium practicum per accidens tollitur: ita miles, non obstante dubio speculativo de justitia belli, ex speciali ratione, quòd, cùm ipsius non sit hoc dubium determinare, stare possit judicio Principis vel Reipublicæ, format certum judicium, sibi hic & nunc licitum esse bellare. Possessor non obstante invincibili dubio, num res sit sua, format certum judicium ex titulo possessionis, sibi licitum esse rem illam retinere. Medicus cum dubio speculativo, num medicina sit profutura, parochus cum simili dubio, num materia sit valida, uterque certò judicat, sibi hic & nunc licitum esse applicare medicinam, materiam dubiam, emergente speciali circumstantia necessitatis præbente novum & certum fundamentum discursui practico: in casu necessitatis potiùs est adhibendum probabile & dubium medium, quàm negligenda salus proximi. Sit ergo.

6. CONCLUSIO SECUNDA. *Nunquam licet operari cum conscientia practicè dubia.* Ita communis DD.

Et ratio est primò: Illa operatio non est honesta & licita, cui deest proxima prudentialis regula honestatis moralis, unde Apost. cit. dixit, *quod non est ex fide*, hoc est, actuali consensu & credulitate, quòd aliquid sit licitum, *peccatum est*: Sed operationi, quæ exercetur à practicè dubitante de honestate ipsius, deest illa regula proxima, ut patet: Ergo.

Secundò: Committere se proximo periculo peccandi est intrinsecè malum, juxta illud Eccles. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*: eodem quoque præcepto, quo prohibetur aliquod opus, prohibetur pariter occasio proxima ipsius: sed practicè dubitans committit se proximo periculo peccandi; neque enim est securus, an hic & nunc non offendat DEUM: cùm non habeat majus fundamentum credendi, se DEUM offendere, quàm non offendere: ergo exercet operationem intrinsecè malam.

Tertiò. Dubitanti de honestate operationis, malitia ipsius est interpretivè voluntaria; nam perinde ipsi est, sive actio sit honesta, sive turpis; & qui eligit operationem, interpretativè eligit & vult illa, quæ prævidet posse comitari vel consequi talem operationem: Sic, qui eligit lusum, dubius de lucro vel damno, censetur interpretativè esse contentus, sive lucretur, sive perdat. Ægrotus sumens medicinam, & dubius, sitne profutura, vel obfutura, censetur esse contentus, eique imputatur, si medicina potiùs obsit, quàm prosit.

Tametsi talis operatio esset planè per accidens: neque honestas objecti refunditur in operationem, nisi sit directè volita, uti communiter docetur in Tract. de Act. humanis.

Objicit tamen Poncius in 2. dist. 39. q. 2. a. 2. Dubium speculativum potest consistere cum licita operatione: Ergo & practicum. 7.

Secundò. Nulla cognitio sufficit ad malè operandum, nisi quæ proponit objectum ut malum: Sed conscientia practicè dubia objectum non proponit ut malum: Ergo non sufficit ad peccandum.

Tertiò. Non peccat, qui eligit operationem minùs probabiliter licitam: ergo neque peccat, qui eligit operationem dubiè licitam. Consequentia probatur: operatio minùs probabiliter licita apparet magìs illicita quàm licita, turpis quàm honesta: at operatio dubiè licita tantùm apparet vel æqualiter, vel nullo modo licita: ergo si illam, etiam istam licet amplecti.

Respondeo ad 1. insinuatam disparitatem esse, quòd cum dubio speculativo possit stare judicium prudentiæ rectum & certum, non item cum practico.

Ad 2. Distinguo majorem: nisi quæ proponit objectum ut certè vel dubiè malum [nam utroque modo proponit, ut practicè vitandum] concedo, tantùm ut certò malum, nego: sed conscientia dubia non proponit objectum ut certò malum, concedo; ut dubiè malum, nego minorem & consequentiam. Nam, cùm per conscientiam dubiam malitia actûs dubiè proponitur, hoc ipso accedit aliud judicium certum conscientiæ rectæ ex synteresi deductum, quo dictatur, fas non esse, ingerere se periculo proximo offendendi DEUM.

Ad 3. Nego consequentiam, probationem, de qua inferiùs plura, distinguo: operatio minùs probabiliter licita, apparet magìs illicita materialiter & speculativè, transeat, formaliter & practicè, nego. Formaliter enim & practicè apparet omninò licita juxta defensores minoris probabilitatis, quod qualiter contingat, infrà suo loco dicetur.

Quid ergo agendum practicè dubitanti? Respondeo, vel deponendum est dubium, atque in certam conscientiam reducendum, vel abstinendum ab operatione, illique celebratissimæ regulæ obsequendum: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Dubium porrò non temerè & pro libitu deponi debet ac potest, neque ad levem alicujus favorabilis rationis apparentiam, sed vel post diligentiam adhibitam compertâ veritate rei, vel si certitudo veritatis haberi nequeat, & dubium sit invinci- 8.

vincibile, ex doctorum piorumque conſilio, vel ex aliquo titulo juris, vel gravi rationum pondere, quæ prudentum judicio ad rationabilem dubii depoſitionem ſufficiant, aliàs quippe prudens judicium conſcientiæ formari non poſſet.

Minora autem fundamenta requiruntur pro ſcrupuloſis [qui ex nullis vel leviſſimis fundamentis dubitant] quàm pro aliis: quibus ad deponendos ſcrupulos in dubio juris ſatisfacere deberet ille diſcurſus à Pono adductus loc. cit. Illud probabiliter licitè operor, quod nulla ratione vel authoritate mihi conſtat eſſe malum, ſed nullá ratione mihi conſtat, hoc eſſe malum: ergo. In dubio verò facti ſufficeret iſte conſimilis: Hoc probabiliter non feci, quod ex nullo fundamento mihi conſtat, me conſenſiſſe, voluntariè diſtractum fuiſſe, &c. ergo. Aliàs, dixi, abſtinendum eſſe ab operatione, & obſequendum regulæ Juris. De qua infr.

ARTICULUS II.

An ſufficiens titulus deponendi conſcientiam dubiam in materia juſtitiæ ſit poſſeſſio?

SUMMARIA.

1. *Quid ſit bonæ fidei poſſeſſio?*
2. *Fundamentum ſententiæ negantis.*
3. *Affirmativa probatur ex Regula 65. juris in 6.*
4. *Ex præſumptione in foro externo.*
5. *Ex abſurdo vitioſi circuli.*
6. *Solvuntur fundamenta oppoſita.*
7. *Citata regula Juris non eſt limitanda ad forum externum.*
8. *Notatur inconſequentia in doctrina Fagnani.*
9. *Negligentia in deponendo dubio parit obligationem reſtituendi.*
10. *Poſſeſſor dubius quomodo ſit obligatus abſtinere ab uſu & alienatione rei poſſeſſæ?*

§. I.

Exponitur ſtatus quæſtionis.

1. DEfiniunt Jurisperiti poſſeſſionem ex l. 1. & 3. ff. de acquirenda vel amittend. poſſ quòd ſit, *Detentio rei, corporis & animi juriſque adminiculo ſuffulta.* Ubi ly *corporis* ad rei corporeæ poſſeſſionem pertinet; ſi verò poſſeſſio generatim accipiatur, prout comprehendit non tantùm corporalium, ſed etiam incorporalium poſſeſſionem, illa particula redundat. Juſta poſſeſſio, quæ ſola ad deponendum dubium ſufficere poteſt, præter voluntariam detentionem rei tanquam ſuæ, requirit bonam fidem cum juſto titulo, quales ſunt donationis, emptionis, hæreditariæ ſucceſſionis, &c. Eſt autem bona fides credulitas, quâ quis prudenter ſibi perſuadet, rem, quam poſſidet, eſſe ſuam, vel ſaltem non eſſe alienam. Alii breviùs, ſed minùs diſtinctè vocant ſinceram rei alienæ ignorantiam.

Hæc credulitas & exiſtimatio in initio poſſeſſionis debet eſſe poſitiva, ita ut capiens poſſeſſionem rationabiliter exiſtimet, ſe rem ejuſmodi juſto titulo tanquam ſuam poſſidere. Unde ſi dubites, num res ſit fortè aliena, poſſeſſio ipſi nequaquam ſuffragabitur, ſed manebit malæ fidei poſſeſſor obnoxius reſtitutioni, veluti cum Molina Tract. 2. diſp. 63. concluſ. 1. docent communiter DD. eò quòd taliter dubitans non habeat aliquem probabilem titulum juris, ſine quo non datur juſta poſſeſſio. In continuatione verò poſſeſſionis dubium exortum, quod adhibitâ diligentiâ vinci non poteſt, non tollit aut interrumpit bonam fidem, ſed ad illam ſalvandam ſufficit, quòd poſſidens non habeat *conſcientiam rei alienæ*, ſive quòd ipſi non conſtet, rem, quam poſſidet, eſſe alienam: neque enim omnia ad alicujus rei inceptionem neceſſaria requiruntur ad continuationem illius, veluti [omiſſis circumſtantiis Philoſophicis] patet in civili poſſeſſione, quæ conſervatur per ſolam animi detentionem, cùm tamen ſolus animus detinendi ad illam inchoandam nequaquam ſufficiat. Ita communiter DD. deducunt ex C. fin. de præſcript. ubi ad bonam fidem præſcribentis requiritur, *ut in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienæ.* Adeoque poſitiva ſolùm exiſtimatio de re tanquam aliena videtur excludi. & ex *C. ſi Virgo* 34. q. 1. ubi D. Auguſtinus dicit: *In jure prædiorum tamdiu unuſquiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſimè dicitur, quamdiu poſſidere ſe ignorat alienum; cùm verò ſciverit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit, tunc malæ fidei perhibebitur, tunc juſtè injuſtus vocabitur.*

Quæritur ergo, an in caſu, quo poſſeſſor dubitat de jure dominii, ſeu proprietatis, nec poteſt adhibitâ diligentiâ dubium vincere, nihilominus ex titulo poſſeſſionis certam conſcientiam depoſito dubio formare poſſit, ſibi licitum eſſe rem poſſeſſam retinere, illâ uti, alienare, &c. 2.

Negativam ſecuti ſunt Adrianus 4. de reſtitut. & Sotus l. 4. de juſt. q. 5. a. ult. his adducti fundamentis. Qui ſe exponit periculo utendi re non ſuâ, peccat contra juſtitiam: ſed poſſeſſor dubitans de jure proprietatis, ſi rem dubiam retinere, vel alienare vellet, exponeret ſe periculo utendi re non ſuâ: ergo peccaret contra juſtitiam.

Secundò. Cùm ſuper eadem re duo habent æqualem juris prætenſionem, res eſt potiùs dividenda, quàm alterutri tota adjudicanda, ut ſervetur æqualitas: ſed inter duos dubitantes de dominio rei, is, qui non eſt poſſeſſor, æquè habet jus dubium proprietatis, quam poſſeſſor dubius: ergo res non debet à poſſeſſore tota retineri, ſed inter utrumque dividi.

Tertiò. Si quis uti poſſet re, quam cum dubio poſſidet, ſequeretur, conjugem de valore matrimonii dubitantem, eodem uti, adeòque debitum non tantùm reddere, ſed etiam petere poſſe: conſequens pugnat contra c. *Dominus: de ſecundis nuptiis*, & C. inquiſitioni de ſentent. excommun.

Quartò. In dubiis tutior pars est eligenda, per c. *juvenis. de Sponsal* & c. *ad audientiam de homicid:* sed tutius est restituere, quàm retinere, cùm in retentione possit subesse peccatum, non autem in restitutione: ergo.

§. II.

Resolutio affirmativa.

3. CONCLUSIO. *Possessio legitima in materia Justitiæ est sufficiens titulus ad dubiam conscientiam de licita retentione, & usu rei possessæ practicè deponendam.* *Deducitur & probatur primò ex Reg. 65 in 6. In pari delicto & causa melior est conditio possidentis,* eò quòd possessor ultra jus dubium proprietatis, in quo convenit cum domino incerto, insuper habet jus possessionis, quæ, cùm suâpte naturâ sit exercitium quoddam, & complementum dominii, pro possessore parit præsumptionem juris seu evidentem probabilitatem, quòd res possessa sit in dominio possessoris: atqui si possessor rem, de cujus dominio dubitat, teneretur alteri simul dubitanti restituere, vel cum ipso dividere, jam non esset melioris conditionis: ergo juxta illam regulam juris potest rem possessam licitè retinere, eâque uti.

4. Secundò: Quoties forum externum non innititur falsæ præsumptioni, toties internum conformatur foro externo, uti tenent Sotus l. 4. de Just. q. 5. a. 3. Covarr. in c. cùm esses n. 7. de testam. Thom. Sanch. l. 1. de matrim. disp. 5. n. 10. aliique plurimi; sed in foro externo possessio legitima protegit possessorem, estque titulus sufficiens, ut præsumptus rei possessæ dominus protegatur in sua possessione, nec ad aliquam restitutionem, vel divisionem obligetur: ergo eadem possessio [nisi constet de falsitate præsumptionis] erit titulus sufficiens ad licitam rei possessæ retentionem & usum in foro interno, ac proinde possessor deposito dubio prudenter formabit talem conscientiam certam: *Qui præsumitur dominus rei, estque melioris conditionis præ omni alio competente, rectè retinet rem illam, eâq; utitur: sed ego jure possessionis præsumor esse dominus hujus rei, & sum melioris conditionis præ omni alio competente: ergo licitè retineo & utor re ista.*

5. Tertiò: Patet absurdo; nam pone, dubitantem de dominio & proprietate rei teneri ad restitutionem & deferendam possessionem illius, ut sic in dubio sequatur partem tutiorem, seque eximat periculo peccati, cui restituet? utique illi, qui de jure proprietatis competit & contendit cum illo. Sed & iste versatur in dubio: ergo pariter vel tenebitur reciprocè restituere possessori, sicque ibitur in vitiosum circulum, vel res erit ab utroque deferenda, aut danda pauperibus, quod nec jure præceptum, nec ullâ praxi receptum est.

Neque dicas cum Soto, rem esse dividendam: cùm enim possessor habeat meliorem titulum & conditionem quoad totum, non est, cur illo titulo privari, & competenti dubio æquiparari debeat.

6. Ad primum vel nego minorem, vel distinguo majorem: Qui se exponit periculo solùm materialiter utendi re aliena, peccat contra justitiam, nego majorem [quia habet sufficiens fundamentum practicè judicandi rem esse suam] periculo formaliter utendi re aliena, concedo. Sed possessor dubitans de proprietate rei committeret se periculo materialiter utendi re non suâ, transeat; formaliter, nego minorem & consequentiam. Cùm enim, ut suppono, dubium sit invincibile, æquivalet ignorantiæ invincibili: unde sicut ex invincibili ignorantia retinens rem alienam, non peccat contra justitiam, nec formaliter se exponit periculo; ita neque cum dubio speculativo practicè deposito retinens rem alienam committit se formaliter periculo peccandi contra justitiam, vel utendi re alienâ.

Ad secundum distinguo majorem: Si omnimodè habeant æqualem juris prætensionem, res est dividenda, concedo; si in uno tantùm genere, non in altero, sic nego. Sed inter duos dubitantes uterque habet jus dubium proprietatis, & in petitorio, concedo; jus dubium possessionis, seu in possessorio, nego. Nam quia ex parte possessoris accedit jus certum possessionis, quo alter caret, jam inæqualis & melior istius conditio efficitur præ conditione alterius; siquidem præsumitur esse rei dominus, quousque jus possessionis contrariis probationibus elidatur.

Ad tertium, concessâ sequelâ de dubio invincibili, dico, jura citata non adversari, quia loquuntur in casu, quo pars dubitans non est in possessione bonæ fidei, vel quia possessio fuit inchoata cum dubio; ita enim in c. *dominus*, est sermo de conjugio contracto *nondum habitâ obeuntis conjugis certitudine*, ac proinde in ipso initio bona fide destituto: vel quia diligentia ad dubium deponendum nondum omnis fuit adhibita; licèt enim c. *inquisitioni* indistinctè loquatur, ratio tamen cogit distinguere, ne bonæ fidei possessor ab usu rei suæ in perpetuum abstinere cogatur.

Ad quartum Respondeo, in dubio practico, ubi est periculum formalis injustitiæ & peccati, & ubi pars altera non tantùm comparativè, sed adversativè est tutior, tunc partem tutiorem esse eligendam: non autem in dubio speculativo tantùm, cùm adest ratio sufficiens illud practicè deponendi, sicque consequenter abest periculum formalis injustitiæ & peccati, de quo in sequentibus plura.

§. III.

Corollaria.

INferes ex dictis primò: Illam regulam juris, quòd melior sit conditio possidentis, non tantùm habere locum in foro externo judiciali, seu in foro fori, sed etiam in foro interno & conscientiæ, uti docet comm. DD. contra Prosp. Fagnanum, qui in c. *ne innitaris* n. 191. & 195. contendit, hanc regulam esse limitandam ad forum fori, & in suam sententiam immeritò citat Sairum in Clavi Reg. l. 1. c. 13. nam is, licèt in hoc conveniat cum Fagnano, quòd hæc regula solùm in materia justitiæ locum habeat, tamen eandem expressè admittit & extendit ad forum conscientiæ, n. 9. & 14. idque probat a paritate fori externi. *In nullo judicio*, inquit, *condemnaretur ille a judice ad restituendam rem illam: ergo nec in foro interiori ad illius restitutionem obligatur.* Ra- 7.

tionem

tionem addit: *Quia judex pronuntiando sententiam non confert jus in conscientia, sed solùm explicat, quænam pars habeat jus.* Et est sanè tam contra communem doctrinam Auth. quàm praxin fidelium, ut quis post sententiam in judicio & foro externo pro se obtentam, remque, de cujus proprietate est dubius, sibi ob meliorem possessionis conditionem adjudicatam, nihilominus debeat & teneatur in conscientia sese re adjudicatâ abdicare, eamque vel cum collitigante vel pauperibus dividere: quod tamen manifestè sequitur ex opinione Fagnani: non enim in foro conscientiæ possessori suffragatur illa regula, quòd in dubio melior sit conditio possidentis, sed unicè sequenda est illa: In dubiis tutior pars est eligenda: cùm ergo tutius sit rem dubiam dimittere sine periculo peccati, quàm retinere cum periculo peccati, etiam post sententiam judicis, res possessa foret dimittenda à dubio domino.

8. Nec videtur satis consequenter loqui prædictus Author, cùm seq. n. 225. ubi concessit, quòd possit aliquis sequi opinionem probabiliorem etiam minùs tutam, hanc causam subjungit: quia tunc nullo modo versamur in dubio, sed flectimur ad illud extremum, quod probabilius judicamus, & sumus moraliter certi, nam & opinio vehemens pro certitudine habetur, &c. Sacri quoque Canones non arctant ad electionem securioris opinionis, nisi cùm res dubia est, ut contingit, cùm quis judicat, utramque opinionem æquè probabilem. Ita prædictus Author. Subsumo: sed is, qui pro se habet jus possessionis, habet pro se opinionem probabiliorem; nam legitima possessio, quæ suâ naturâ est complementum & signum dominii, est magnum argumentum pro astruendo rei dominio; ergo tunc poterit seposito dubio habere vehementem opinionem, quòd res sit sua, neque in conscientia arctabitur per SS. Canones ad electionem securioris opinionis; quippe cùm pro utraque parte non stet æqualis probabilitas, ob prævalentem titulum possessionis.

Inferes secundò: Si quis in inceptione possessionis speculativè dubitet, num res sit sua; sive, dubio in continuatione possessionis exorto, omittat debitam diligentiam pro assequenda veritate, eaque negligentia causam ponat, ut deinceps in veritatis notitiam venire non possit, teneri ad restitutionem rei pro quantitate dubii; siquidem ex tali dubio & negligentia constituitur possessor malæ fidei: ut cum Molina tom. 3. tr. 2. disp. 722. Laymann tr. 1. c. 5. §. 3. & communi tradit Less. l. 2. c. 14. 9.

Inferes tertiò: Possessorem, antequam pro assequenda veritate debitam diligentiam adhibuit, teneri ab usu & alienatione rei possessæ abstinere; nisi fortè sit paratus pretium illius usûs deductis expensis domino comparenti, qui rationabiliter de tali usu invitus esse non potest, restituere, ut habet Vasquez 1. 2. q. 66. c. 7. Retinebit tamen licitè rem possessam, quamdiu durat veritatis investigatio, per modum depositarii: sic enim utiliter gerit negotium domini, qui proinde ad talem retentionem invitus esse non potest. Si verò post debitam diligentiam adhibitam dubium vinci, & certus Dominus reperiri non possit, rem possessam non modò licitè retinebit, sed etiam alienabit, & utetur pro libitu; cùm alioqui legitima possessio ipsi non tantùm foret inutilis, sed onerosa & perniciosa; cùm multa sint, quæ absque detrimento diu conservari non possint. Tenebitur tamen venditor rei dubiæ, emptorem admonere de dubio, quando est periculum, ne certus ei Dominus compareat: ex tali quippe dubio res efficitur periculo restitutionis obnoxia, adeoque vitiosa, & minori pretio æstimabilis, veluti tradunt Molina loc. cit. & Sair. Clav. Reg. l. 10. tract. 2. c. 3 n. 29. quòd si possessio est nullius, res est dividenda inter dubitantes juxta proportionem dubii, aut si sit indivisibilis, uni adjudicanda cum obligatione, ut aliis exinde satisfaciat. Ut habent Less. l 2. c. 6. dub. 3. Ildefons. Cæsaraug. disp. 209. dub. 5. 10.

ARTICULUS III.

An melior sit conditio possidentis extra materiam justitiæ?

SUMMARIA.

1. *Variæ rationes pro sententia negativa.*
2. *Argumenta Prosperi Fagnani.*
3. *Objicitur absurditas litigii de possessione inter DEUM & hominem.*
4. *Alia quædam absurda.*
5. *Authoritas SS. Canonum & D. Augustini.*
6. *Lex Divina actu non obligat nisi mediante conscientia.*
7. *Exponitur judicium ac forum conscientiæ.*
8. *Ejusque analogia cum foro externo.*
9. *Quomodo vox possessionis rectè applicetur libertati & innocentiæ?*
10. *Statuitur sententia tribuens locum possessioni, tam intra, quam extra materiam justitiæ.*
11. *Ostenditur identitas rationis intra & extra materiam justitiæ*
12. *Ex æquitate naturali derivata.*
13. *Prima regula cognoscendi, pro quo stet possessio.*
14. *Altera regula pro dubio facti.*
15. *Corollaria ex hinc deducta.*
16. *Possessio accipitur strictiori & latiori sensu.*
17. *Pars, pro qua stat possessio, non est minùs tuta adversativè.*
18. *In instanti usûs rationis tenetur servare præcepta, quæ sunt debitè intimata.*
19. *Jura Lo uentia de possessione rectè extenduntur ad forum internum.*
20. *Idem est allegare præsumptionem ac possessionem innocentiæ.*
21. *Exponitur authoritas, & mens D. Thomæ.*
22. *Ostenditur, absurditates à Fagnano objectas falli in supposito.*

§. I.

Fundamenta sententiæ negantis.

1. SEntentiam negantem tuentur & acriter propugnant

pugnant post Vasquez, Sairum, Salas, Vincent. Baron. Fagnanus in c. *ne innitaris* à n. 191. Mercorus part. 2 a. 29 Gonet in dissert. de opinione prob a. 5. eorumque fundamenta sunt à ratione, primò: Possessio est de rebus, quarum haberi potest dominium, sed res, quarum haberi potest dominium, pertinent ad materiam justitiæ: ergo etiam possessio pertinet ad materiam justitiæ. Secundò: Vera possessio fundatur in vero jure: sed jus continetur intra objectum justitiæ: ergo etiam possessio. Tertiò: Ideo in materia justitiæ melior est conditio possidentis, quia in dubio possessor præsumitur esse verus dominus, nam ut plurimùm, qui rem suam alienat, solet eam tradere, & verum dominium in ejus possessionem immittere: unde, siquis rem possidet, signum est, eandem non fuisse alienatam: atqui in aliarum virtutum v. g religionis, temperantiæ materiâ possessio non facit præsumptionem pro parte, quæ possidet, cùm non sit ibi signum alicujus juris & dominii: ergo tunc possessio non facit meliorem conditionem possidentis.

2. Oppugnat secundò favorem possessionis pluribus argumentis Prosper Fagnanus d. loc. Prætor, inquit, tuetur possessorem in interdicto, *uti possidetis*, vel *retinendæ*, ne in sua possessione turbetur à litigatore *l. 1. in princip. ff uti possidetis.* Vel cùm duo contendunt de possessione. Bar. in d. l. §. *hujus autem interdicti*: ergò solum habet locum in materia justitiæ, quæ est ad alterum, non in aliis virtutibus, quæ sunt in ordine ad se ipsum, quia nemo à se ipso turbatur, aut secum litigat. n. 194.

Secundò non est auditum apud Jurisconsultos, ut in criminalibus allegaverint possessionem: ergo multò ineptiùs allegatur in foro conscientiæ. n. 205. Imò, quæ pertinent ad illam regulam de favore possessionis, nullatenus verificantur in foro conscientiæ, sed in materia justitiæ, & in foro fori duntaxat, ac propterea in dubio tenetur quis sequi partem tutiorem tantummodo in foro pœnitentiali, vel quasi pœnitentiali, &c. n. 196.

Tertiò: Idcirco magnum est discrimen inter judicium forense, & judicium conscientiæ; in illo nemo debet condemnari, nisi appareant manifesta indicia de malitia alicujus: *At verò circa seipsum homo debet dubia interpretari in pejorem partem secundùm illud* Job. 9. Verebar omnia opera mea, *eò quòd cùm debemus nostris malis adhibere medium, expedit ad hoc, ut securius remedium opponatur, ut supponatur id, quod est deterius*, ut habet D. Th. in 2. 2. q. 60. a. 4. Ita n. 199.

Quartò: Pro certa lege stat possessio: sed est certa lex juris Divini naturalis, quo prohibemur nos exponere periculo offendendi DEUM: ergo pro ista legè stat possessio: sed quoties est dubium, ex parte minùs tuta est periculum offendendi DEUM: ergo tunc semper est possessio pro lege vetante susceptionem talis periculi.

Quintò: Tunc stat possessio pro DEO & lege, quando in ipso instanti, in quo homo incipit habere usum rationis, & esse doli capax, reperitur ligatus nexu obligationis servandi præcepta Divinæ legis, & consequenter non se committendi periculo illius legis violendæ: sed hoc fit: ergo.

Sextò. Sicut ex duobus malis, quorum unum necessariò est eligendum, minus eligere debemus, ita ex duobus objectis, quorum unum certò non est peccatum, alterum verò dubium, an sit peccatum, eligendum est illud, quod certò non est peccatum. Et ideo illa regula, in dubiis tutior pars est eligenda, fundatur in jure Divino naturali prohibente periculum peccati.

Adducit præterea tertiò varias oppositæ sententiæ absurditates, ut vocat, & ineptias: etiamsi admitteretur ista possessio, tamen non esset illa pro libertate, sed pro obligatione, quia primò lis de possessione ageretur inter DEUM & hominem, & quis inter utrumque erit judex? & quomodo succurretur DEO succumbenti? 3.

Secundò. Regula de possessione locum habet, cùm partium jura sunt obscura, at quomodo potest aliquid esse obscurum ex parte DEI, cui omnia sunt plana & aperta? c. *Deus omnipotens*, 2. q. 1.

Tertiò: Possessio titulata quantumcunque junior præfertur non titulatæ, quia magis est justificata per punctum rationis: c. *licèt causam de probat.* possessio autem ex parte DEI est antiquior, semper conjuncta cum titulo justo, & bona fide, quia *Domini est terra, & plenitudo ejus.* Psal. 23. quomodo igitur homo possessionem allegabit contra DEUM?

Quartò. Illa regula non obtinet, nisi cùm jura utrinque paria sunt. *l. in pari causa.* ff. de R. I. c. *in pari.* eodem in 6. sed impossibile est, ut sit par causa inter DEUM præcipientem, & libertatem hominis, *cùm nemo possit ipsius resistere voluntati.* Genes. 50.

Quintò. Interdictum *retinendæ* non datur contra supremum Superiorem. Menoch. *de retin.* q. 2. & quis DEO superior?

Sextò. Datur vero possessori quantumcunque injusto, quia etiam prædo est in sua possessione manu tenendus. c. *in litteris cum materia de restit. spoliat. l. res alienas. C. de rei vendit.* Poteritne verò cadere in mentem hominis, ut quis contra DEUM sit manu tenendus in possessione peccati mortalis? Hæc ferè Fagnanus n. 205.

Alia tandem absurda videntur sequi ex hac sententia. Primò; Quòd sit licitum operari cum conscientia absolutè dubia, quod est contra manifestum SS. Canonum testimonium, & unanimem Theologorum & Canonistarum sententiam, inquit cit. Fagnan. Secundò: Illud celeberrimum præceptum, quòd in dubiis tutior pars sit amplectenda, exponeretur ludibrio, cùm vix unquam daretur casus, in quo quis teneretur eligere partem tutiorem. Tertiò: Ex hac sententia & ratione fiunt plures inconvenientes decisiones plurimarum gravissimarum quæstionum, ut quòd voti dubius non teneatur voto; quòd dubius de excommunicatione, non teneatur se gerere pro excommunicato; dubius de reservatione possit absolvere; dubius de commissione peccati possit illud reticere; dubius de media nocte Jovis possit carnes comedere, &c. 4

Potissimum verò fundamentum negandi extensionem possessionis extra materiam justitiæ petitur ex doctrina SS. Canonum, ubi pro variis decisionibus in dubio tam juris quàm facti traditur 5.

tur & adhibetur relicto favore possessionis illa regula: quòd *in dubiis debemus eligere partem tutiorem*. Sic Primò: in c. *Ad audientiam de homicid.* cùm dubitaretur, an quidam ex occasione vulneris decessisset, statuitur, ut presbyter, qui vulnus inflixerat, non ministret in SS. Ordinibus, *cùm in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*.

Similiter secundò, in c. *Significasti* 18. eod. in dubio homicid. dicitur, quòd tanquam homicida debet haberi sacerdos, & à sacerdotali officio abstinere: *Cùm in hoc casu cessare sit tutius, quam temerè celebrare: pro eo, quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur*.

Et tertiò in c. *Petitio penult. eodem*. Sacerdoti de homicidio dubitanti præcipitur, ut à ministerio altaris reverenter abstineat, cùm sit consultius, in hujusmodi dubio abstinere, quàm temerè celebrare.

Quartò: in c. *illud de Cler excomm:* deciditur, Episcopum, qui solâ famâ se noverat excommunicatum & de sententia contra se lata dubitabat, debuisse se potiùs abstinere, *quam Sacramenta Ecclesiastica pertractare, quia in dubiis via est tutior eligenda*.

Quintò. *In cap. Juvenis. de Spons. & Matr.* Pontifex dissolvit matrimonium juvenis initum cum consobrina illius puellæ, quàm priùs septennem duxerat, addita ratione: *Quia in his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus*.

Sextò. In c. *Inquisitioni*. 44. *de sent. excomm.* conjunx dubitans de impedimento conjugii permittitur reddere, & prohibetur exigere debitum matrimoniale.

Septimò. *In Clement. Exivi*, §. *item quia. de verborum significatione.* Clemens V. motâ quæstione, & dubio juris à Fratribus Ordinis Minorum, utrùm ad omnia illa, quæ verbis præceptivis in sua Regula continentur, tanquam de præcepto teneantur? in Concilio Viennensi ita respondit: *Attendentes, quòd in his, quæ animæ salutem respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda &c. expedit. quòd ad ea, sicuti ad æquipollentia præceptis se noverint obligatos, quæ hic inferiùs annotantur*: ergo non obstante possessione innocentiæ, quam in primis 4. casibus presbyteri & Episcopus allegare poterant, vel possessione matrimonii, quæ stabat in 5. & 6. casu, vel possessione libertatis, quam prætendere poterant Religiosi D Francisci, voluit Sum. Pontif. etiam contra possessionem sequendam esse illam regulam, in dubiis tutior pars est eligenda.

Accedit octavò Authoritas D. Augustini c. *si quis. de pœnit.* dist. 7. dicentis: *Tene certum, dimitte incertum*. Sed pars tutior est certa, minùs tuta incerta de violatione legis: ergo relicto favore propriæ libertatis hæc relinquenda, illa est eligenda. Hæc sunt potissima, quæ reperire potui, fundamenta sententiæ negantis, quibus hoc epiphonema superaddit præcitatus Fagnanus: *Ineptissima est hæc contentio de prioritate possessionis inter DEUM & hominem, & ideo nihil obstat regula SS. Canonum de optione partis tutioris*.

§. II.

Fundamenta prænotanda pro sententia affirmante.

Ut sententia affirmans bene intelligatur, *prænotandum est primò* ex jam dictis; quòd, licèt honestas operationis moralis principaliter pendeat & reguletur ab æterna DEI lege, proxima tamen regula & immediata lex sit lex & regula conscientiæ, ita quidem, ut voluntas ceu potentia cæca nullatenus ab ulla lege actu obligari possit, nisi quatenus ipsius obligatio à conscientia proponitur & intimatur voluntati: unde si obligatio per judicium conscientiæ proponatur certa, certa erit, si repræsentetur dubia, erit dubia: parùm enim refert ad honestatem operationis, quid lex ipsa in se jubeat, nisi debitè sit operanti per conscientiæ dictamen promulgata: Hinc in omni Theologorum doctrina ex D. Aug. & D. Th. deducta dantur infideles negativi, & hæretici materiales; quia, licèt fides omnibus adultis non tantùm sit de necessitate præcepti, sed quoad aliquos articulos etiam de necessitate medii, tamen defectu sufficientis notitiæ & promulgationis ex parte conscientiæ, aliqui totam fidem inculpatè ignorant, suntque infideles negativi: aliqui nonnullos fidei articulos ad salutem non tam explicitè necessarios inculpatè nesciunt, vel non credunt, suntque hæretici materiales. 6.

Ex hoc notandum secundò. Cùm vis proxima declarandi & imponendi obligationem voluntati resideat in conscientia, hinc meritò, per analogiam ad judicem externum, conscientiam dici judicem nostrarum actionum, ipsius consultationem & sententiam rectè appellari forum, judicium, tribunal internum: quia, sicut in foro externo Judex, cognito delicto & sufficienter probato per actorem, reum obligat ad certam pœnam, ita conscientia in foro interno ex sufficienti cognitione legis voluntatem obligat ad culpam. Unde ulteriùs sequitur, quòd, sicut, actore non probante contra innocentiam rei, meritò reus à judice absolvitur, & tamdiu præsumitur innocens, donec probetur nocens, ita quamdiu non sufficienter probatur obligatio legis contra libertatem voluntatis, tam diu conscientia rectè judicet pro libertate voluntatis: quia, sicut homo jure naturæ possidet suam innocentiam, h. e. [quicquid sit de termino possessionis] habet æquam prætensionem ut pro innocenti habeatur, quamdiu illa prætensio contrario delicto non eliditur; ita non minùs ex parte voluntatis possidet libertatem, h. e. habet æquam prætensionem liberè ponendi vel omittendi operationem absque imputatione ad culpam, quamdiu per contrariam obligationem illa libertas ad positionem vel omissionem actûs non restringitur. Præterea sicut in dubio delicti possessio innocentiæ prævalet, nec ad innocentem pœnâ damnandum satìs est, delictum à parte rei fuisse commissum, & aliis cognitum, sed requiritur, ut ipsi judici sententiam ferenti sit legitimè notum; ita pariter ad auferendam voluntati liberam operandi facultatem non sufficit, obligationem legis esse à parte rei, eamque à DEO vel Angelis cognosci; sed necesse est, eam in conscientiæ judicio esse cognitam; cùm in hac causa ipse DEUS potestatem judicandi conscientiæ commiserit, veluti in conscientia invincibiliter erronea ad oculum patet, ut rectè expendit Gabriel Beatus de consc. dubia, 7.

bia, q. 18 quæ omnia sanè sunt tam clara, ut probatione non egeant.

8. Notandum tertiò: Quemadmodum in judicio externo Judex inter reum & actorem medius, utriusque partis momenta expendit; sic in interno judicio, quod practicâ consultatione peragitur, diversas notitias ceu partes litigantes in dubio sibi invicem opponi, quarum una prætendit voluntatis nativam libertatem, altera legis obligationem, v. g. dubitas dubio facti num 21. ætatis annum expleveris, & ex consequenti etiam dubio juris, num lege jejunii tenearis? adest ex una parte notitia libertatis, quæ prætendit voluntatem lege jejunii hactenus solutam, & in hac possessione libertatis imperturbatam; ex altera parte adest alia notitia intellectûs proponens legem jejunii ætate competente servandam. Has inter confligentes notitias prudens ratio ceu judex, arbitra, & dictatrix operum utriusque partis momenta & argumenta expendit, perque ultimam conscientiæ sententiam dubium practicè tollit, ac vel in favorem legis obligantis, vel favorem libertatis, juxta naturalis, ac Divini luminis instinctum litem decidit, ut mirer summopere, mirari viros doctos, & explodere istud conscientiæ judicium, quo de obligatione legis, & retentione libertatis disceptatur, quasi sit judicium sine judice, in quo DEUS actoris, homo rei partes subeat, suæque possessionis obtentu jus Divinum elidat, an eludat? Non ita crudè loquuntur, & sentiunt viri doctissimi: DEUM Judicem & Auctorem omnium adorant & venerantur, actorem non expetunt, coram quo *non justificabitur omnis vivens.* neque ipsi de suo jure litem movent, cujus si adsit sufficiens notitia, omnes colla submittunt, & suavi jugo suam subjiciunt libertatem: sed hoc demum volunt, quòd, cùm sciant, non minùs ipsam agendi libertatem, quàm legis obligationem à DEO esse, in dubio, an libertati naturaliter possessæ prævaleat legis obligatio, in fluctuantis utrinque rationis consilio, aut judicio, prudens conscientia, imò DEUS per conscientiam tanquam substitutum judicem sententiam ferat, & regulas honestæ operationis definiat. Hinc

9. Notandum quartò: Nomen possessionis latiori sensu, appositè tamen accipi à sententiæ affirmantis Authoribus, & transferri ad possessionem innocentiæ & libertatis. Scimus ab initio possessionem à pedum positione dictam à Civilistis in rebus solùm corporeis agnitam, sed ob paritatem rationis à Canonistis, fatente Fagnano, rebus etiam & juribus incorporeis applicatam fuisse. Cur ob eandem rationis paritatem, imò identitatem, non liceat hanc ipsam vocem [siquidem cum Criticis de vocibus contendendum est] etiam innocentiæ & libertati hominis applicare? Dicitur quis esse dominus & possessor fundi, beneficii, famæ, honoris, quamdiu nullum obstat factum, jura, leges, quæ dominium aut possessionem istam infirment; tenet quippe hæc omnia tanquam sua, si non corporis, saltem animi jurisque adminiculo suffultus. Et non poterit dici Dominus & possessor innocentiæ, & libertatis suæ, quando illa nullô contrariô factô, vel jure infirmatur; siquidem illam penes se habet, tenet jure naturæ contraditam? Voca, per me licet, tentionem, habitionem, idem in re sentiemus, voce discrepabimus. Esto sanè, quæ circa corpoream possessionem hinc inde jura decernunt, huic, de qua loquimur, possessioni non omnia quadrent: quis nescit, in quibusdam alias esse rei corporeæ, ac incorporeæ conditiones? sint igitur aliqua possessioni rei corporeæ propria, [ut quòd injustus possessor & prædo usque ad pleniorem cognitionem sit manutenendus] ubi tamen ex eodem rationis lumine & dictamine naturalis æquitas tam in incorporea & spiritualia, quàm corporea jura, tam in interni, quàm externi fori judicium pariformiter derivatur, quis vetet, voces, & jura possessionis corporeæ, etiam innocentiæ & libertati adaptari, & exinde, quid fas & æquum sit, decerni?

§ III.

Proponitur & probatur sententia affirmans.

Dicit itaque præjactis hisce fundamentis *affirmans sententia*, etiam extra materiam justitiæ huic regulæ locum esse: *in dubio melior est conditio possidentis*, ita, ut ex illa deposito dubio recta conscientia formari, & pars quæ videbatur speculativè minùs tuta, in praxi tanquam tuta eligi possit: e. g. dubitas invincibiliter intra materiam temperantiæ, num sis obligatus lege jejunii, eò quòd nescias, utrùm vigesimum primum ætatis annum expleveris, potes talem formare conscientiam: in dubio melior est conditio possidentis: sed in hoc dubio lex non est in possessione obligationis; ego sum in possessione quieta meæ libertatis: ergo mea conditio est melior: & sic deposito dubio concludo; ergo jejunare non obligor. Hanc sententiam in terminis tenet Navarr. Suar. Sanch. M. Jo. Martinez de Prado l. 1. q. q moral. c. 1, q. 9. n. 3. Joan à S. Thoma disp. 12. a. 4. n. 8. Herinck disp. 4. q. 4. Rosmer de conscientia dubia. Cæsaraug. disp. 209. dub. 9. referens plurimos DD. 10.

Ratio est primò: Eadem est ratio possessionis tam extra, quàm intra materiam justitiæ, tam in foro interno, quàm externo: ergo si titulus possessionis intra materiam justitiæ, & in foro externo est sufficiens ad deponendum dubium, etiam est ad hoc sufficiens extra materiam justitiæ, & in foro interno, quod externo conformatur, quando istud ex æquitate procedens non innititur falsæ præsumptioni. Et si in materia justitiæ potest titulus possessionis partem speculativè minùs tutam, facere practicè tutam, poterit hoc ipsum extra materiam justitiæ. Antecedens probatur. Ideo intra materiam justitiæ in pari causa melior est conditio possidentis, quia possessor præter titulum juris utrinque dubium, habet pro se certum titulum possessionis, ac proinde præsumitur pro ipso; unde si re possessâ privaretur, committeretur inæqualitas: sed etiam voluntas in casu legis dubiæ habet certam possessionem suæ libertatis, in casu delicti dubii habet certam possessionem suæ innocentiæ, & utrobique pro ipsius vel libertate, vel innocentia præsumitur, donec vel inde obligatio legis, vel isthinc delictum probetur: ergo præter dubiam obligationem habet pro se certam possessionem, sicque ex dictamine 11

luminis

luminis naturalis, quòd duplex vinculum magis stringat, quàm simplex, & duplex titulus præponderet simplici, melior erit conditio voluntatis suam libertatem possidentis, & si in dubio proprietatis possessor non est spoliandus re possessâ, voluntas quoque in dubio obligationis non est spolianda suâ libertate.

12. Ratio est secundò: quod prædicta Regula fundetur in æquitate naturali, quæ æqualiter habet locum tam extra quàm intra materiam justitiæ, in foro tam interno quàm externo; dictat quippe æquitas naturalis, quòd in dubio nemo præsumi debet obligatus. gloss. in c. *cum sunt*, de regulis juris in 6. quòd causa incerta non parit certum effectum, nec proinde lex dubia, de cujus existentia, promulgatione, extensione dubitatur, certam obligationem: quòd debitum incertum non exigit certam solutionem, quòd factum non præsumitur, donec probetur, quòd cùm partium jura sunt obscure, Reo potius est favendum, quàm actori, &c. quæ omnia dictamina in hac una regula, melior est conditio possidentis, implicitè continentur. Nam da dubitantem, sitne voto obligatus, quia invincibiliter dubitat, num votum emiserit? Respondent plurimi Authores negativè: rationem rogati dicunt, quia factum non præsumitur, donec probetur: votum est aliquod factum voventis: ergo, nisi probetur, non præsumitur. Rursus: Lex incerta tam parum gignit certam obligationem, quam causa incerta certum effectum: sed votum dubium est lex & causa incerta: ergo. Item debitum incertum non exigit certam solutionem; sed voti dubii est incerta obligatio: ergo. Nil aliud, quàm paulò pòst compendiosiùs volunt, qui dicunt: non te teneri voto dubio, quia tu es in possessione libertatis, & pro te stat præsumptio. Unde enim es in possessione, nisi quia certum est tibi competere & competiisse libertatem operandi; incertum illúdne existat, quod obesse potest libertati? Ais: In favore libertatis est periculum peccati, ideoque ceu pars non tuta deserenda. Contrà: In materia justitiæ non est periculum peccati formalis, si titulo possessionis rem retineas, licèt illa fortè sit aliena: ergo etiam in materia Religionis & voti non peccabo, si ex titulo possessionis libertatem retineam, tametsi fortè à parte rei eandem meam libertatem voto constrinxerim.

13. Dubium tamen est, unde extra materiam justitiæ cognosci debeat, pro qua parte stet possessio, pro lege, an pro libertate? pro delicto, an pro innocentia? Duplicem viam tradit P. Rosmer de consc. dub. quarum una magìs deservit in dubio juris & legis, altera in dubio facti. Prima est, attendendum esse, an constet, id, quod inducere potest obligationem, esse positum, antequam dubium sit exortum, vel non? si prius, tunc ejus obligationi non derogatur per subsequens dubium, sicque possessio stat pro obligatione legis, quæ certò existere præsumitur. Si posterius, possessio stat pro libertate, cui certum onus & obligatio ex incerta causa, lege, voto, imponi non debet. E. g. dubitas de solutione voti, quod emisisse non dubitas? possessio stat pro voto, quia ejus existentia antecedit tuum dubium, ac proinde teneberis implere votum: si verò dubitas, num votum emiseris, possessio est pro tua libertate, quæ dubium antecedit, & tunc non teneberis ad voti solutionem.

Altera regula potissimùm pro dubio facti tradita à Th. Sanch. l. 1. in decal. c. 16 n. 13. est, pro illo stare possessionem, pro quo stat juris præsumptio, quæ solet pro illo stare, qui onus probandi transfert in Adversarium. Cujus regulæ ratio est: quòd ille prudenter judicat, se esse in legitima possessione rei, vel actionis alicujus, adeòque suam conditionem esse meliorem, qui pro se habet tam verisimilem conjecturam, quæ meliori probatione non adductâ, habeatur pro veritate, & sufficiat ad faciendam fidem: sed talis est præsumptio juris: ergo. Quòd etiam juris præsumptio stet ex illa parte, cui non incumbit probatio, inde est, quòd ipsa præsumptio habeatur pro veritate; quâ de causâ probatio seu ostensio veritatis incumbit alteri parti, quæ pro se non habet juris præsumptionem. 14.

Unde primò dicitur quis esse in possessione suæ innocentiæ, donec delictum probetur, *delictum*, enim & *defectus non præsumitur*, *sed demonstrari debet*, & *affirmanti incumbit probatio* l. 2. ff. *de prob.* Secundò in dubio editi voti, vel juramenti, vel conditi testamenti non censetur aliquis vovisse, jurâsse, testamentum condidisse; nam *factum in dubio non præsumitur*, *sed demonstrari debet*, ut colligitur *ex l. in bello. §. facta. ff. de captivis.* Tertiò, qui vovit, dubitat verò, an cum sufficienti deliberatione, vel animo se obligandi voverit, tenetur voto; quia tunc uti præsumptio, ita possessio est pro voto; juxta R. I. quæ habetur in gloss. *l. in contrahenda.* ff. de regulis J. *factum in dubio præsumitur*, *si illud de jure faciendum erat*, *aut communiter fieri solet*, *aut ex natura inest.* Sicuti in posito casu ex natura & communi humano modo operandi inest, ut homo in gravi negotio, & oneris susceptione, uti est votum, deliberatè procedat. Si porrò de possessione & præsumptione utriusque sit dubium, quod vinci, aut rationabiliter deponi non possit, tunc recurrendum est ad Regulam juris: In dubiis pars tutior est eligenda. de qua infrà §. 4. n. 17. Huic sententiæ tanquam veriori & dictamini rationis undequaque consentaneæ, & in praxi securæ subscribo. Nunc contraria fundamenta discutiemus. 15.

§. IV.

Solvuntur fundamenta sententiæ negantis.

Ad argumenta ex ratione petita & ad I II. & III. Respondeo, quòd possessio strictiùs accepta sit de rebus, quarum haberi potest dominium, etiam strictè acceptum: possessio communiter accepta sit de rebus, quarum haberi potest dominium, etiam latius acceptum; sicque homo est suo modo dominus & possessor propriæ libertatis & innocentiæ: sic pariter possessio strictè accepta fundatur in vero & rigoroso jure, quod opponitur debito legali, idque continetur intra objectum justitiæ: possessio communiter accepta fundatur in jure latiùs, & communiter, quod opponitur debito morali, & pervagatur materias omnium virtutum. Possessor possessione strictè accepta præsumitur verus dominus dominio stri- 16.

ctè

ctè sumpto: possessor verò p[ossess]ione latè sumpta præsumitur verus dominus dominio latè sumpto: nam sicut ideo possessor rigorosè sumptus præsumitur verus dominus dominio rigoroso, quia possessio est effectus & signum dominii, sic ideo possessor innocentiæ & libertatis præsumitur esse latè dominus, h. e. constitutus in potestate se gerendi pro innocente, & liberè operandi: quia possessio actualis innocentiæ vel libertatis consequetur hanc naturalem facultatem; ideoque est signum ipsius.

17. Ad quartum & sextum fundamentum Fagnani negatur suppositum, quòd pars, pro qua stat possessio, sit minùs tuta (si ly *tuta* sumatur adversativè pro *non tuta*, ut sumi debet) quòdque in illa sit periculum peccati formalis, seu formaliter operandi contra legem: nam titulus possessionis ritè intellectus & explicatus, fundatus in lumine & æquitate naturali est sufficiens, ut quis prudenter deposito dubio formet certam conscientiam de honestate & rectitudine operationis.

18. Ad quintum distinguo majorem: Tunc stat possessio pro lege, quando homo in instanti usûs rationis obligatur servare præcepta Divinæ legis, sibi debitè promulgata, & intimata, concedo; secus, nego. Sed obligatur tunc ad illa servanda, quatenus sunt debitè intimata, & promulgata, concedo; secus nego minorem & consequentiam.

19. Ad 1. impugnationem Fagnani, nego consequentiam. Licèt enim jura, quæ de possessione loquuntur, principaliter respiciant materiam justitiæ, & forum externum; quia tamen descendunt ex lege, ratione & æquitate naturali, quæ non tantùm militat pro foro externo, sed etiam interno, non tantùm pro materia justitiæ, sed etiam aliarum virtutum; idcirco quando nulla subest falsa præsumptio, locum etiam habent in foro interno, & materia aliarum virtutum, in qua tametsi nullus sit strepitus fori contentiosi, est tamen quandoque litigium inter oppositas notitias & rationes fluctuantis & dubitantis conscientiæ, modo explicato in §. præced.

20. Ad secundum dico: Cùm reus in criminalibus pro se allegat præsumptionem innocentiæ, donec probetur nocens, idem est, ac si pro se allegat possessionem innocentiæ. Hoc ipsum intelligimus in foro conscientiæ. Quòd verò Regula *de favore possessionis* soli foro externo, altera *de sequenda parte tutiori* solo foro interno sit præfixa, neutiquam tolerari potest. Non illud prius: quia, ut dictum, forum internum conformatur externo, cùm istud non innititur falsæ præsumptioni. Non hoc posterius: quia si ullibi, certè in tribunalibus judicum pars tutior & probabilior est eligenda, ut dicetur infrà. Unde hoc pronuntiatum non modò non tutius, aut probabilius, sed ne quidem tutum, vel probabile existimo.

21. Ad tertium, nego adductum discrimen inter judicium forense & conscientiæ, quòd in judicio conscientiæ debeamus dubia interpretari in pejorem partem. Authoritas S. Th. est extra propositum, & non eget explicatione, sed fideli relatione: nam cit. q 60. a. 4. cùm quæsiisset in titulo artic. *Utrùm dubia sint in meliorem partem interpretanda* (& quæstio est de dubiis circa proximum) objecerat sibi tertio loco: *homo debet diligere proximum, sicut seipsum: Sed circa seipsum debet dubia interpretari in pejorem partem, secundùm illud Job. 9. Verebar omnia opera mea, &c. ergo.* Et subjicit: *sed contra est, quod* Rom. 14. super illud: Qui non manducat, manducantem non judicet, dicit Glossa: *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda.* Deinde ad objectionem tertio loco positam Respondet: *interpretari aliquid in deteriorem vel meliorem partem contingit dupliciter: uno modo per quandam suppositionem; & sic cùm debemus aliquibus malis adhibere remedium, sive nostris, sive alienis, expedit ad hoc, ut securius remedium apponatur, quòd supponatur id, quod est deterius: quia remedium, quod est efficax contra majus malum, multò magis est efficax contra minus malum:* (& ita viri boni volentes efficax remedium adhibere pro peccatis commissis, timent cum B. Job. ne etiam in bonis artibus à debita rectitudine deflexerint. Sed quid hoc ad rem?) *alio modo interpretamur aliquid in bonum vel malum, diffiniendo vel determinando:* (& hoc est ad rem) *& sic in rerum judicio debet aliquis niti ad hoc, ut interpretetur unumquodque secundùm quod est.* Nec nos aliud dicimus, vel volumus fieri in judicio conscientiæ.

Porrò ad lamentationes Fagnani & absurditates objectas Respondeo, illas omnino vagari extra propositum, & in supposito falli: Reos nos agnoscimus coram DEO, non actore, sed judice: lis non agitur inter DEUM & hominem, sed inter legem dubiam & libertatem: neque enim lex dubia DEUS est, sed statutum, de quo ipso quæritur, sitne hîc & nunc verè lex DEI, aut à Divina lege descendens. Si enim liquidum foret, DEUM hoc velle, præcipere, imperare, frustra nec sine grandi peccato nostram opponeremus libertatem, sed cùm hoc ipsum versetur in dubio, detúrne de facto Lex DEI hîc & nunc me obligans, DEUS ipse prudenti conscientiæ judicio hoc relinquit determinandum, & quod ista prudenter judicaverit, ipse quoque suo Divino calculo ratum ac firmum habet. Unde in hoc Conscientiæ tribunali DEUS quoque judicium exercet, mediante conscientiâ nos obligans, turpia vetans, discernens dubia, honesta decernens. Sit v. g. pictor dubitans, an die festo licitè possit pingere? Scit esse legem DEI & Ecclesiæ, abstinendum ab opere servili; & si sciret pingere esse opus servile, frustra contra DEUM, ejusque legem suam obtenderet libertatem. Sed quia nescit, an pingere sit opus servile, pariter dubitat, an verè DEUS die festivo prohibeat actum pingendi: neque controversia vertitur inter DEUM & pictorem, quasi pictor velit excutere legis Divinæ jugum, aut litem movere de potestate jubendi (quod stultissimum æquè foret, ac impiissimum) sed inter legem ex una parte dubiè repræsentatam, & libertatem ex altera parte de sui possessione certò repræsentatam. In quo litigio conscientiæ munus est litem terminare, ex quid honestè agendum sit, definire, quod si rectè & prudenter fecerit, DEUS ipse fecisse censebitur. 22.

Ad 1. Itaque Judex in hac controversia est conscientia. DEO apud se nihil est obscurum.

(ad 2.)

(ad 2.) est tamen nobis sæpe obscurum, quid DEUS velit. Lex quoad se & ex parte DEI cognoscentis potest esse certa, quoad nos tamen incerta: nec ideo obligabit, nisi nobis sit sufficienter cognita & promulgata. (ad 3. & 5.) non sumus Titanes, qui DEO de cœli & terræ ac totius creaturæ dominio ac possessione velimus movere quæstionem. Supremum & antiquissimum Dominum quis nisi atheus dubitet? (ad 4.) paritatem cum Catholicis Acatholici quæsierunt, cum DEO nullus. (ad 6.) hominem manutenendum esse contra DEUM in possessione peccati mortalis verè nunquam cecidit in mentem hominum, nisi forsan adversarii objicientis. Ad quid ergo hæc lamenta? nec reliqua absurda n. 4. objecta sunt majoris momenti. Nam licitum esse operari cum conscientia practicè (quod addendum fuisset Fagnano) dubia nemo ex nostræ sententiæ Authoribus unquam dixit. Effatum illud Pontificium, in dubiis tutiorem partem esse eligendam, ludibrio non exponitur, neque à frequenti praxi excluditur: quô modô autem sit intelligendum in allegatis authoritatibus SS. Canonum, mox art. seq. dicemus. Utrùm quæstiones ex regula possessionis sint rectè, vel, ut adversariis videtur, ridiculè decisæ, patebit ex §. 2. sequenti.

ARTICULUS IV.

Quomodo in dubiis sit tutior pars eligenda?

SUMMARIA.

1. *Illa regula, quòd in dubiis sit pars tutior eligenda, non est tantùm particularis, vel de consilio.*
2. *Sed etiam de præcepto in certa acceptione.*
3. *Respondetur ad c. ad audientiam, & alia de homicidio.*
4. *Respondetur ad c. illud de Cler. excommun.*
5. *Exponitur c. juvenis. de sponsalibus.*
6. *Exponitur c. inquisitioni. de sentent. excomm.*
7. *Respondetur ad Clement. Exivi.*
8. *Concordia diversarum Juris regularum.*
9. *Quid dicendum in dubio legis & censuræ?*
10. *Quid in dubio solutionis, depositi, perditi?*
11. *Quid in dubio obligationis ratione tenuis beneficii?*
12. *Quid in dubio, an beneficium vacaverit mense Papali.*
13. *Quid in dubio ætatis requisitæ pro SS. ordinibus, aut jejunio?*
14. *Quid in dubio legitimationis?*
15. *Quid in dubio temporis pro inchoando, vel finiendo jejunio?*
16. *Quid in dubio peccati commissi, vel confessi?*
17. *Quid in dubio reservationis, vel jurisdictionis?*
18. *Quid in dubio baptismi, ordinationis, consecrationis?*
19. *Quid in dubio impedimenti?*

§. I.

Hæc regula aliaq; Juris Canonici capitula exponuntur.

1. VOlunt aliqui, hanc regulam juris continere solummodo consilium, non præceptum. Ita Suar. tr. 5. de censur. disp. 40. sect. 6. n. 9. Malderus 1. 2. q. 19. a. disp. 87. Moura de incantat. op. 1. sect. 1. c. 5. n. 2. Alii hanc regulam limitant ad casus in Jure expressos, quod Naldo & Viguerio tribuit Diana t. 4. tra. 3. resolut. 3. Neutra opinio satisfacit. Non prima: quia sic ista regula non magis esset data pro dubiis, quàm pro certis: cùm etiam in certis, ubi pars utraque est tuta & recta, de consilio sit, facere, quod tutius, melius, perfectius est: atqui jura dant istam regulam pro sedandis & componendis conscientiis dubiis, *ad vitandos graves remorsus conscientiæ:* ergo. Non secunda: quia hæc regula in Jure traditur, ceu remedium universale pro componendis [ut dictum] dubiis conscientiis: uti enim frequentissimè contingit, conscientias fluctuare; ita pariter opus est regulâ quâdam universali, quâ conscientiæ dubitanti consulatur.

Dico igitur cum Joan. à S. Thoma disp. 12. a. 4. n. 12. & Cæsaraugust. disp. 209. dub. 5. n. 1114. aliisque, hanc regulam debitè intellectam esse de præcepto. Intelligenda autem est *primò*, de parte *tutiori*, non *comparativè* per respectum ad partem tutam, sed *adversativè* per respectum ad alteram partem non tutam. Nam in parte non tuta est periculum peccandi: sed quisque tenetur vitare periculum peccandi: ergo tenetur eligere partem adversativè tutiorem, & relinquere partem non tutam, sed adversativè minùs tutam. Quia vero nemo obligatur amplecti meliora, certiora, perfectiora; ideo non est præcepti, sed consilii sequi partem comparativè tutiorem. Intelligenda est *secundò* in *dubio practico*, quia in hoc una pars semper habet annexum periculum peccati formalis, quæ proinde relinqui debet. *Tertiò* in dubio speculativo, priusquam ad illud vincendum, vel deponendum debita diligentia fuit adhibita; vel *Quartò*: Cùm non adest sufficiens ratio dubiam conscientiam prudenter & practicè deponendi; tunc enim sequens partem minùs tutam committeret se periculo peccati. *Quintò*: Cùm electio partis tutioris expressè à jure præcipitur, ut in c. *ad audientiam de homicidiis* &c. 2.

Unde etiam colliges, quid ad jura contra nostram sententiam adducta sit dicendum. Nam ad dictum *c. ad audientiam. c. significâsti. c. petitio. de homicidiis.* Respondeo 1. cum Herinck propter reverentiam SS. ordinum & ministerii altaris specialiter constitui, ut tunc dubitans, an ex sua percussione sit secuta mors percussi, se gerat tanquam irregularem, non obstante possessione innocentiæ, quæ dispositio tanquam odiosa ad alios casus non debet extendi, siquidem *odia restringi, & favores convenit ampliari, & in pœnis benignior interpretatio est facienda.* per Reg. 168. ff. de R. I. Affert autem Summus Pontifex in prædictis capit. illam regulam, *In dubiis* &c. non tanquam legem necessariam hîc & nunc ita statuendi, sed tanquam rationabile motivum illum irregularem declarandi, qui alium percussit, quamquam dubium esset, an ex ejus ictu obiisset. 3.

Responderi potest secundò cum Arriaga & Joa. Sanch. apud Boss. n. 1205. in illo dubio homicidii possessionem non stetisse pro libertate vulnerantis, sed potiùs pro lege irregularitatis; siquidem propter certum vulnus præsumptio potiùs erat pro lege contra vulnerantem. Unde cùm dubium rationabiliter deponi non posset, meritò locum habuit illa regula: *In dubiis &c.*

4. Ad c. illud *de Cler. excomm.* Respondeo quòd Episcopus, de quo est mentio, fuerit practicè dubius de sua excommunicatione, nec fuerit bonæ fidei possessor suæ innocentiæ; quia partim se ex fama noverat excommunicatum, partim veritatis investigandæ diligentiam necdum adhibuerat.

5. Ad *c. juvenis de sponsal.* Respondeo, ibidem agi de valore sequentis matrimonii, quod in illo casu certius erat esse irritum, propter impedimentum publicæ honestatis: Unde Summus Pontifex non utitur voce *tutius*, sed *certius*, adeòque contrahens non erat bonæ fidei possessor matrimonii.

6. Ad *c. inquisitioni* Respondeo, ibidem agi de dubio matrimonii, ad quod vincendum vel deponendum necdum fuit adhibita sufficiens diligentia: unde conjunx pro debito petendo non poterat bonæ fidei possessionem prætendere.

7. Ad *Clement. Exivi.* Respondeo primò Si Summus Pontifex voluisset tutiorem sequi, debuisse de omnibus in Regula præceptivè contentis judicare, quòd obligent, cùm hæc sit pars tutior, & tamen fecit contrarium. Respondeo secundò: ibidem supponi dubium practicum; cùm enim Religiosi D. Francisci se censerent ad ea, quæ sub verbis imperativi modi, vel æquipollentibus in sua regula continentur, ex declaratione Nicolai III obligatos, & ex una parte difficile videretur, tot obligationes subire, ex altera verò non adesset sufficiens fundamentum, unam potiùs, quàm alteram materiam similibus verbis comprehensam eximendi, pro dubii declaratione ac conscientiæ tranquillitate obtinenda summam sedem adierunt: sicque partem securiorem, dubium juxta Summi Pontificis declarationem deponendo, elegerunt.

Ad authoritatem D. Augustini negatur suppositum, quòd, qui titulo possessionis in favorem libertatis eligit partem comparativè minùs tutam, eligat partem incertam: est enim certa & tuta. Adde, quòd S. P. loquatur de remedio pœnitentiæ non nimiùm differendo, ex quo nihil contra nos infertur.

8. Habet igitur locum illa regula: *In dubiis tutior pars est eligenda*; habet & ista: *In pari causa melior est conditio possidentis*: nec illa per istam destruitur, imò, ut Jo. à S. Th. d. loc. hoc ipso, quòd aliquis ex titulo possessionis vincat ac deponat dubium, partem tutiorem eligit: quia operari prudenter deposito dubio, est pars tuta, & adversativè tutior, quàm operari non deposito dubio, quod nunquam fit sine peccato. Utraque regula est utilis & sufficiens ad dubium deponendum, quibus accedit tertia: *ex duobus malis minus est eligendum.* quæ tunc deservit ad praxin, cùm urget necessitas unum eligendi ex duobus, quorum utrumque habet repugnantiam cum lege, v. g. *negligere moribundum, vel die festivo negligere Sacrum*; tunc enim dubitans illam partem, ex qua minor apparet convenientia, tenetur eligere; quia propter necessitatem operantis ex illa parte cessat legis obligatio. Ad istas regulas aliæ facili negotio reducuntur; *ut in dubiis Reo potiùs favendum, quàm actori:* reducitur ad regulam de possessione. *In obscuris minimum est sequendum*: pertinet ad hanc; Minus malum est eligendum. *In obscuris respicimus id, quod verisimilius est, vel plerumque fieri consuevit*, pertinet ad illam, In dubiis tutior pars est eligenda.

§. II.

Corollaria.

Inferes ex dictis primò: Invincibiliter dubitantem an præceptum, vel lex aliqua sit lata, vel promulgata, non teneri tali præcepto. Henriq. Sanch. l. 2. de matr. disp. 41. n. 36. Suar. t. 5. in 3. p. disput 4c. sect. 5. num. 15. teneri verò si certus de existentia legis solùm dubitat, sitne justa, rationabilis, abrogata? &c. Idem de voto suprà diximus. Ratio primi ex dictis est *primò*: quia lex non obligat, nisi legitimè promulgata: sed in dubio non est legitimè promulgata: ergo. *Secundò*: quia in dubio existentiæ legis, possessio, & præsumptio non est pro lege, sed pro libertate. Nam ante hoc dubium bonâ fide possidebatur libertas, & dubium superveniens, quod solitâ diligentiâ vinci nequit, non tollit bonam fidem, ut probat Covarruv. *Reg. possessor.* 2. p. §. 7. *Tertiò*: quia facta non præsumuntur, nisi probentur: legislatio & promulgatio est quid facti: ergo. *Quartò*: Lex invincibiliter ignorata non obligat: ergo nec invincibiliter dubia: quia invincibile dubium videtur æquivalere ignorantiæ invincibili. Ratio secundi est: quia circumstantiæ, quæ solent comitari actum, præsumuntur, & neganti incumbit onus probandi; unde si certum est præceptum, votum &c. præsumptio & possessio est pro præcepto, voto &c. adeòque obligat. Pariter si constet, censuram esse latam, dubium verò est, an Superior habuerit causam sufficientem ad illam ferendam, censura ligabit, quia possessio stat pro obligatione censuræ, nec defectus circumstantiæ præsumitur, nisi probetur. Suar. 1. 2. tr. 3. disp. 12. sect. 5. n. 7. 9.

Inferes secundò. Debitorem de debito certum, de solutione incertum, teneri ad solutionem: cùm creditor sit in certa possessione sui juris. At verò depositarium vel commodatarium, si dubitet, an res deposita suâ culpâ perierit, non teneri ad ejus restitutionem; quia restitutionis obligatio supponit culpam; culpa verò non præsumitur, donec probetur. 10.

Inferes tertiò: Beneficiarium dubitantem, an teneatur recitare Divinum Officium, eò quòd beneficium sit tenue, obligari ad illud recitandum, quia beneficium, adeòque etiam annexa obligatio recitandi officium certa est; dubium verò est, an beneficiarius ob fructuum tenuitatem excusetur. Vasquez. 1. 2. disp. 65. num. 11. 11.

Inferes quartò. Si sit dubium, utrùm beneficium vacaverit mense Pontificis, vel Ordinarii, cùm v. g. beneficiarius mortuus fuit circa mediam noctem ultimæ diei Maji, qui supponitur esse 12.

esse mensis Pontificis, & est dubium, an cœperit prima dies Junii, qui est mensis Ordinarii, beneficii provisionem pertinere ad Summum Pontificem. ut habent Layman l. 1. tr. 1. v. 5. §. 4. n. 16. Bonac. de contract. d. 1. q. 2. punct. 2. Ratio est: quia professio & præsumptio est pro reservatione & jure Summi Pontificis non pro jurisdictione Ordinarii, de qua dubium est, an inceperit. Desitio quoque potestatis & reservationis Pontificis est *aliquid* facti, quod non præsumitur, sed demonstrari debet. *L. in bello, §. facta. ff. de captivis & postliminio.*

13. Inferes quintò: Dubitantem, an. 21. ætatis annum compleverit, esse obligatum abstinere à suscipiendis SS. Ordinibus, non tamen obligatum ad observantiam jejunii Ecclesiastici. *Ratio primi est*, quia lex prohibens susceptionem SS. Ordinum ante expletum 21. ætatis annum est in possessione, & suscepturo SS. Ordines incumbit legitimæ ætatis probatio. Ratio secundi est: quia tunc de existentia legis & obligationis est dubium [neque enim lex illa incipit esse & obligare, nisi suppositâ ætate debitâ] possessio verò est pro libertate. Sanch. l. 2. de matrim. disp. 41. n. 40. Layman l. 1. tr. 1. cap. 5. §. 4. qui probabiliter affirmat, etiam Sacerdotem dubitantem, an post mediam noctem aliquid cibi vel potûs sumpserit, die sequenti sacrificare posse.

14. Inferes sexto. In dubio, an quis sit legitimus vel illegitimus, habendum esse pro legitimo. Est enim ille in sui honoris possessione, donec contrarium probetur. Unde etiam cum aliis fratribus legitimis hæreditatem adire poterit; si tamen hæreditatem jam ab aliis aditam, & possessam vellet prætendere, probare deberet se esse legitimum, quia tunc pro aliis staret possessio, nec ipse esset reus, sed actor; cùm verò partium jura sunt obscura, reo potiùs est favendum, quàm actori juxta præcit. Reg. Juris. Castrop. tr. 1. disp. 3. p. 1. Sair. l. 1. c. 13. n. 19.

Inferes tamen septimò. Cùm de infante exposito dubitatur, an sit legitimus, vel illegitimus, habendum esse pro illegitimo; quia tunc præsumptio est contra ipsum, eò quòd illegitimi regulariter ita exponi soleant: Neque refert, quòd delictum non præsumitur, donec probetur; id enim verum est, cùm abest alia rationabilis causa, & fundamentum inducens præsumptionem & probabilitatem delicti: quale fundamentum probabile illegitimitatis in proposito est expositio infantis, qui proinde si sit aliquando promovendus ad SS. Ordines, priùs debebit dispensationem petere irregularitatis ortæ ex defectu natalium. Suar. disp. 50. de Cens. sect. 3. n. 4.

15. Inferes octavò. Dubitantem invincibiliter in nocte feriæ quintæ, an elapsa sit hora duodecima, licitè posse carnes comedere; dubitantem verò in nocte Sabbathi non posse licitè illas comedere. Ratio est, quòd in priori casu lex jejunii, præsupponens horam 12. completam, est dubia, & dubitans est in possessione libertatis. In posteriori verò casu obligatio jejunandi in die Sabbathi est in possessione, dubium verò est de finita hac obligatione & recuperara libertate non jejunandi. Layman loc. cit. num. 35.

16. Inferes nonò. Siquis dubitet, an peccatum commissum fuerit confessus, teneri ad confessionem; quia tunc lex certa confitendi peccata commissa est in possessione. At quid si dubitet, an aliquod peccatum commiserit? Non teneri ad confessionem docent Gabr. Beatus. q. 12. n. 15. cum Ægidio Coninck t. 2. de Sacrament. disp. 7. dub. 8. & nonnulli alii, quæ quidem sententia pro scrupulosis servire poterit. In praxi verò longè probabilior est sententia, docens obligationem confitendi peccata dubia, non quidem ut certa, sed ut dubia, quæ est S. D in 4. dist. 17. q. 2. a. 2. ad 3. D. Bonavent. Alensis. & communis DD. Cujus *ratio est primò*: Quòd praxis Fidelium & communis DD. illud præceptum Tridentini Sess. 14. cap. 5. ut pœnitentes confiteantur omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, interpretatur etiam de peccatis dubiis existentibus in conscientia dubia. *Secundò*: quia cùm Sacramentum Confessionis & pœnitentiæ sit subrogatum præcepto & remedio contritionis, est essentialiter reconciliativum, & non minùs obligat ad positivè quærendam & assecurandam moraliter reconciliationem cum DEO, quàm ante institutionem pœnitentiæ obligabat præceptum contritionis: sed istud obligabat & adhuc in casu necessitatis obligat ad contritionem de peccatis dubiis: ergo etiam Sacramentum pœnitentiæ obligat ad confessionem de peccatis dubiis. Minor probatur: quia, quamdiu quis est dubius, an cum DEO redierit in gratiam, tamdiu non satisfacit præcepto dilectionis & pœnitentiæ obligant ad positivè quærendam assecurationem reconciliationis cum DEO: at, quamdiu quis conteritur de peccato dubio, tam diu non est securus, sed dubius, num cum DEO redierit in gratiam: ergo. *Tertiò*: quia, cùm agitur de applicando remedio pro salute animæ, applicanda sunt media tutiora & probabiliora, sicuti pro sanitate corporis applicandæ sunt medicinæ tutiores: ergo ex lege charitatis, quâ homo tenetur diligere seipsum, tenetur procurare remissionem peccati dubii. Neque huc facit possessio vel præsumptio pro libertate, utraque enim est pro lege charitatis, pœnitentiæ & Tridentini. Neque hîc factum præsumitur, sed tantùm sub dubio in confessione exponitur, idque non ad imponendam odiosam obligationem, sed favorabilem absolutionem pœnitentis.

Inferes decimò. In dubio, an peccatum reservatum fuerit commissum, non necessariò adeundem esse Superiorem; quia dubium facti non præsumitur, donec probetur, & cùm reservatio sit odiosa, non est extendenda ad peccata dubia. Jo. Præposit. in 3. p. qu. de integritate confessionis. Henriq. in Summ. l. 8. c. 45. Sed & Confessarius dubitans, an aliquis casus sit reservatus, potest ab illo absolvere; cùm enim sit dubium facti, rationabiliter potest præsumere, casum non esse reservatum. Dubitans verò de jurisdictione sibi data non potest absolvere, quia & jurisdictionis collatio non præsumitur, donec demonstretur, & aliunde lex certa de non impertienda absolutione à non habente jurisdictionem legitimam est in possessione. Suar. de cens. d. 4. sect. 6. n. 4. Emmanuel Sà v. *casus reservat.* n. 5. 17.

18. Inferes undecimò. Sacerdotem ordinatum ab Episcopo incognito, de quo dubitatur, an sit Episcopus, iterum esse ordinandum. per c. *presbyteris.* disp. 68. Dubitantem de baptismo non priùs ordinandum esse, quam sit iterum sub conditione baptizatus, per c. *veniens, de presbytero non baptizato.* Ecclesiam esse consecrandam, de qua dubitatur, an sit consecrata. per c. *solennitates, de consecrat. d.* I. quia dubia de baptismo, ordinatione, consecratione sunt dubia facti, quæ non præsumuntur, donec probentur: præter alia pericula, & inconvenientia, quæ sequerentur ex nullitate Baptismi, Ordinis &c.

19. Inferes duodecimò. Dubitantem invincibiliter de impedimento matrimonii licitè sine dispensatione posse contrahere matrimonium, quamquam meliùs, & in futurum cautiùs faciet, si pro meliori esse dispensativam declarationem petat. Utcrque Sanch. & Cæsaraugust. disp 119. dub 10. Prohibitio quippe contrahendi fundatur super impedimento, quod non præsumitur, donec probetur, ac proinde contrahens est in possessione suæ libertatis. Dubitantem verò de morte conjugis prioris, nec licitè contrahere, nec durante tali dubio invincibili licitè posse petere debitum, per c. *dominus de secund. nupt.* quia cùm mors conjugis sit aliquid facti, non præsumitur, donec probetur, ideoque contrahens nunquam constituitur possessor bonæ fidei. Permittitur tamen reddere debitum, quia cùm alter conjugum sit in bona fide [ut supponitur] non est suo jure fraudandus: Quamdiu verò unus conjugum non est bonæ fidei possessor, vel quia cum vincibili dubio impedimenti contraxit, vel dubium durante matrimonio exortum vincere neglexit, prohibetur à petendo debito. per c. *inquisitioni de sent. excomm.* nam possessor dubitans vincibiliter, quamvis possit rem retinere, quousque veritatem investigaverit, aut dubium ex vincibili invincibile effectum fuerit, tamen illa activè uti, eamve alienare non potest: atqui petens debitum activè utitur matrimonio: ergo durante tali dubio, debitum conjugale exigere non potest. In redditione verò debiti cùm sit quasi usus passivus servitutis, idcirco compartem in bona fide constitutam illâ fraudare non potest. Quòd si dubium fiat invincibile, non tantùm reddi, sed etiam peti posse debitum, cùm possessor bonæ fidei non sit privandus usu activo rei possessæ, dictum est suprà.

DISPUTATIO XIII.
DE
Conscientia scrupulosa.

Quamvis Conscientia scrupulosa non constituat speciem conscientiæ essentialiter ab aliis distinctam, sed solùm accidentaliter, ideoque ad alias Conscientiæ species juxta suprà dicta, facilè revocari possit, quia tamen timoratis etiam piisque animabus, nec non earum Curatoribus & Confessariis crebrò multum facessit negotii, tricas & cruces accumulat, operæ pretium censui de scrupulorum causis & remediis ex probatis Authoribus aliqua specialiùs tractare. Sit igitur

ARTICULUS I.
Quid sint, & unde proveniant scrupuli?

SUMMARIA.

1. *Quid sit scrupulus?*
2. *Scrupuli differentia à dubio.*
3. *Scrupuli differentia a scientia & fide.*
4. *Potest scrupulus consistere cum conscientia certa & probabili.*
5. *Scrupulus tam de præteritis est, quàm futuris.*
6. *Indicia, è quibus cognoscitur scrupulosus.*
7. *Radices scrupulorum ex parte animæ,*
8. *Et ex parte corporis.*
9. *Causæ extrinsecæ scrupulorum.*

§. I.
Quid sit Conscientia scrupulosa?

1 Primò: Scrupulus à quo Conscientiæ scrupulosæ denominatio, est quædam inanis ex levi vel nullo fundamento orta suspicio, quâ cum animi anxietate timetur, vel creditur alicubi subesse peccatum, ubi nullum subest. Unde duo sunt, quæ ad rationem scrupuli pertinent: primò, ut sit quædam saltem suspicio apprehensiva peccati, vel periculi ipsius, quæ in voluntate generat anxietatem. Secundò: ut sit ex levi, vel nullo fundamento; si enim sit ex rationabili fundamento, constituet verum dubium. Inchoativè scrupulus est in apprehensione peccati ex levi, vel nulla ratione; complete & formaliter in judicio, assensu & actuali credulitate peccati, quæ illam apprehensionem consequitur, unde animi anxietas & perplexitas generatur.

Differt igitur primò scrupulus à dubio propriè 2 sumpto, quia hoc relinquit animum suspensum ab assensu utriusque partis; scrupulus verò potest consistere cum duplici assensu, uno practico, quo per conscientiam certam judicat aliquid sibi esse licitum; altero speculativo, quo sine rationabili fundamento ex parte judicii speculativi leviter credit & timet se peccare. E. g. Clericus infirmus format conscientiam practicè certam, quòd licitè omittat recitationem Breviarii, quia Confessarius & Medicus ita judicant, & ipse licitè sequitur eorum consilium, idque suæ privatæ opinioni præfert. Nihilominus patitur anxietatem,

tatem, eò quòd ex parte judicii speculativi sine sufficienti fundamento existimat infirmitatem non esse tantam, ut excuset à recitatione breviarii.

3. Differt secundo à scientia, opinione, & fide. A scientia quidem, quia hæc nititur evidentibus fundamentis, & excludit omnem formidinem oppositi. Ab opinione; tum quia ista semper habet conjunctum assensum, scrupulus verò aliquando in sola apprehensione consistit; tum quia opinio non necessariò infert animi anxietatem & perplexitatem. Similiter differt à fide, quia hæc semper habet determinatum assensum, nec de se affert animi perturbationem.

4. Hinc Colliges primò. Posse scrupulum consistere cum conscientia certa & probabili; nam potest quis formare Conscientiam practicè certam de honestate operationis, quamvis ex parte judicii speculativi tantùm habeat opinionem cum formidine oppositi, ut seq. Disput. latiùs expendemus: ergo pariter potest formari judicium practicum & conscientia certa de honestate operationis, ut tamen in judicio speculativo maneat non tantùm formido, sed etiam anxietas de inhonestate ipsius ex levi vel nulla ratione, quod est scrupulus.

5. Colliges secundò. Scrupulum aliquando esse de præterito, aliquando de peccato futuro. De præterito, ut si absque alicujus ponderis ratione dubites, an consenseris tentationi? an fueris voluntariè distractus? an absolveris horas Canonicas? &c. De futuro, ut si similiter dubites, vel existimes, te esse obligatum ad repetendam aliquam Horam, ad confessionem alicujus peccati, quod nullum est, ad reiterandam confessionem, ad omittendam S. Communionem &c.

6. Colliges tertiò. Quibus indiciis cognosci possit, an aliquis sit scrupulosus? Generalis itaque modus cognoscendi scrupulosum, est, si Pater spiritualis deprehendat aliquem in una, vel pluribus materiis crebrò sine aliqua rationabili causa suspicari se peccare, vel peccâsse, ubi nullum subest peccatum. Quibus plura addit Josephus Rossell in præclaro libello de praxi deponendi Conscientiam c. 11. si quem videat de rebus notis, facilibus, planis & indubitatis frequenter dubitare. Si post responsum à Viro docto & prudente acceptum, necdum sit animo composito & quieto. Si extraordinariâ cautelâ, motibus, modis, & gestibus ridiculis peccata & imperfectiones etiam leves fugiat: e. g. concutiendo caput, suspirando & cœlum aspiciendo, frontem sæpe signando &c. si, quæ antea non habebat pro peccatis, modò habere incipiat; si occurrente alicujus præcepti executione, v. g. recitatione Horarum, administratione Sacramentorum, ita patiatur se perturbari anxietatibus, ut penè reddatur ineptus, vel amenti similis: si actiones exequendas ob instantem scrupulum modò intermittat, modò resumat &c. si peccata jam antè per absolutionem remissa, identidem in confessionibus repetat, quasi antehac non satis exposuisset, vel insufficientem dolorem elicuisset &c.

§. II.

Quæ causæ & radices scrupulorum?

Causæ seu radices scrupulorum aliæ sunt intrinsecæ, aliæ extrinsecæ. Intrinsecæ rursus vel sunt ex parte animæ, vel corporis. Ex parte animæ solet esse primo cervicosa quædam superbia, & proprii judicii tenacitas, nolentis alienis monitis & prudentûm consiliis acquiescere; quamdiu enim abest ejusmodi pertinacia, facilis est remedio locus, & conscientia magis erit timorata, quàm scrupulosa. Est secundò immoderatus amor sui, quo quis movetur, ut cum nimiâ perturbatione adhibeat cautelam fugiendi quæcunque peccata metu pœnæ pro illis in altera vita solvendæ. Unde contingere solet homini scrupuloso, quod alicui vertigine laboranti, qui per alta loca incedens, quantò magis aspicit & apprehendit altitudinem, tantò magis auget vertiginem: ita quippe scrupulosus ex nimia solicitudine evitandi peccata venialia, vel expiandi commissa, tantò magìs auget scrupulosam sollicitudinem & anxietatem. Est tertiò ignorantia intellectûs nescientis distinguere inter judicium practicum & speculativum, inter tentationem & consensum, inter gravem & levem culpam, vel obligationem legis. 7.

Ex parte corporis est inprimis complexio melancholica in timiditatem & suspiciones proclivis. Item corruptio seu infectio humorum in anteriore parte cerebri, ubi vis imaginativa residet. Inde fit, ut homo imaginationibus obnoxius, & ad sinistra vergens, sæpe pro malis apprehendat, quæ talia non sunt. 8.

Causæ extrinsecæ sunt primò. DEUS ipse volens vel tepidos stimulare ad perfectionem, vel fervidos ampliùs probare & expurgare. Secundò tentatio dæmonis scrupulos immittentis & exaggerantis, ut hominem à multis bonis impediat, ipsi tædium virtutis ingeneret, adigat ad desperationem. Tertiò. Conversatio & familiaritas cum scrupulosis, sumuntur enim à conversantibus mores, & animus sociis mala sua affricat. Item lectio Authorum præcepta DEI & Ecclesiæ omnia in severiorem partem interpretantium, relicto benigniori sensu & epikiâ, quo etiam pertinet usus Confessarii & Directoris scrupulosi, qui cùm ipse ex hoc morbo laboret, difficilè ab illo liberabit pœnitentem, & audiet illud antiquum: Medice cura te ipsum. 9.

ARTICULUS II.

De remediis scrupulorum.

SUMMARIA.

1. *Primum remedium generale scrupulorum, oratio.*
2. *Secundum, obsequi consiliis prudentûm.*
3. *Tertium, rejicere scrupulum in primis initiis.*
4. *Quartum, credere, quòd debeat contra scrupulum sequi sententiam minùs tutam, aut probabilem.*

 5. *Quin-*

5. *Quintum. In dubio, an aliquid sit scrupulus vel dubium, præsumere, quòd tantùm sit scrupulus.*
6. *Sextum. Meditatio objectorum consolationem & fiduciam afferentium.*
7. *Septimum. Cogitare, quid ipse aliis in simili consilii daret?*
8. *Observanda ex parte Confessarii.*
9. *Remedia pro anxiis de consensu dato in tentationes.*
10. *Remedia pro anxiis, an ritè fuerint peccata confessi?*
11. *Remedia pro anxiis de recitatione Horarum Canonicarum, & prolatione formæ sacramentalis.*
12. *Sentiendum de Domino in bonitate.*

§. I.

Generalia remedia scrupulorum.

1 Remedia scrupulorum alia sunt ex parte ipsius scrupulosi, alia ex parte Confessarii, seu directoris. Ex parte scrupulosi primò remedium generale est, adhibere suam, aliorumque orationem, quod remedium suggerit Jac. c. 1. *Si quis indiget sapientiâ, postulet a DEO, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Et Rex Josaphat 2. Paralip. c. 20. sic orans: *Cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc habemus solum residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

2. Alterum generali scrupulorum radici oppositum est submittere suum judicium prudentum & bonorum virorum consilio ac directioni, & credere firmiter, fieri non posse, ut curetur à scrupulis, nisi parendo consiliis confessarii. Cùm enim scrupulus procedere soleat ex levibus fundamentis, & vehementi imaginatione, & scrupulosum conjiciat in periculum corporis & animæ; ideo dummodo pars opposita sit probabilis, debet illam scrupulosus tanquam probabiliorem & tutiorem amplecti, neque peccabit, tametsi à parte rei contingeret sententiam esse falsam: cùm opinio, quæ ex se est minùs probabilis, in concursu scrupuli, sive respectu scrupulosi propter pericula è scrupulis emergentia fiat securior & probabilior. Cùm igitur probi & docti viri, vel confessarii consilium jam faciat sententiam probabilem respectu scrupulosi, ideo si moneat agere oppositum illius, quod scrupulus dictat, potiùs confessario, quàm scrupulo est obsequendum, & sive scrupulosus operetur deposito scrupulo, sive agat contra scrupulum, semper licitè operabitur, cùm non obstante scrupulo ex parte judicii speculativi habeat conscientiam practicè certam, sibi hîc & nunc licitum esse contra scrupulum operari. E.g. scrupulus tibi dictat, non posse te accedere sacram Communionem, nisi priùs repetita confessione, in qua putas, vel dubitas, te aliquod peccatum, vel circumstantiam omisisse, Confessarius verò te jubet etiam non repetitâ confessione Sacramentum accedere, obsequi debes confessario, credendo, licitam tibi esse S. Communionem, quidquid scrupulus contrà obmurmeret, quod adeò verum est, ut homo vehementer scrupulis agitatus licitè sequatur contrariam opinionem Confessarii, tametsi putet, se posse jurare, quòd v. g. aliquod peccatum non sit confessus, quòd consenserit &c. Ita Navarr. Rodrig. Bossi. Rossell. aliique, qui etiam rectè monent, scrupulosum postquam à Confessario, vel alio viro docto & prudente consilium accepit, non debere vago discursu plurium consilia expetere; id quippe magis augendis, quàm minuendis anxietatibus deserviret.

Tertium est. Scrupulo pulsanti in primis initiis aditum occludere, cogitationem ad alia, & à causis, unde scrupulus generatur, divertendo. 3.

Quartum est, ut firmiter sibi persuadeat, se posse sententiam probabilem, etiamsi minùs tutam & probabilem deposito scrupulo, vel contra scrupulum sequi, tametsi contraria argumenta Doctores non possint solvere. Siquidem sententia ex se minùs tuta & probabilis, respectu scrupulosi fit tutior, & probabilior. 4.

Quintum est. In dubio, an aliquid sit scrupulus, vel verum dubium, posse scrupulosum præsumere & judicare, quòd sit merus scrupulus, eumque deponere, cùm hoc opinandi sufficiens sit fundamentum, quòd sciat, esse se scrupulosum. Imò quoties advertit scrupulum, potest securè agere contra illum. E. g. scrupulus dictat, repetendam esse horam Canonicam, quòd fueris voluntariè distractus; noli repetere: scrupulus jubet repetere confessionem, eò quòd aliquam circumstantiam omiseris, noli repetere, &c. 5.

Sextum est. De gloria cœlesti, de bonitate Divina, deque aliis, quæ ad spem erigendam, animique tranquillitatem conducunt, colloqui & meditari, prætermissis, quæ terrorem, metumque ingerunt, quemadmodum etiam vitanda est cum scrupulosis conversatio. 6.

Septimum pro viris doctis est, ut cogitent, quid consilii aliis hominibus sese accedentibus in simili casu darent, frequenter enim contingit, erga alios clementes & lenes, sibiipsis nimiùm esse rigidos. 7.

Ulteriùs ex parte Confessarii observandum, ut curet præmemorata remedia à scrupuloso in praxin deduci. Ideo ostendat ipsi obligationem deponendi scrupulos & obediendi Confessario ob gravia damna, quæ ipsi è scrupulis eveniunt. Sit resolutus & cordatus in consulendo, aliàs quippe pœnitens etiam in deponendis scrupulis vacillabit. Dubia scrupulosi explicet in benigniorem partem, ejusque credulitatem quantumvis levem de non commisso peccato &c. pro certitudine accipiat; siquidem contra scrupulum, ex inani imaginatione omnia in majus attollentem stat præsumptio. Ideo si scrupulosus ambigat, an aliquod peccatum commiserit, vel confessus sit, eundem ab ulteriori examine & investigatione dehortetur: nec permittat ejusmodi dubia peccata confiteri. 8.

Insuper suadeat verè scrupuloso, ne credat se peccâsse, vel aliquod peccatum esse mortale, nisi de hoc tam sit certus, ut jurare possit. Imò si nimiè foret scrupulis absorptus, tametsi esset paratus jurare de commisso peccato, tamen non deberet ipsi credi, neque ejusmodi peccatorum confessio permitti, cùm experientiâ constet, tantam esse istorum hominum obstinationem, ut etiam jurare sint parati, dummodo permittatur ipsis

ipſis reiteratio confeſſionis, uti tradit Boſius p. 3. tit. 1. §. 54. & Joa. Sanch. diſp. 41. n. 24.

Non permittatur multum loqui de ſuis ſcrupulis, & ſi conſilii cauſâ aperire velit, Confeſſarius illos pro nugis & ineptiis habeat, & abſcindat ſermonem. Et ne identidem à recurſu ſcrupuloſi moleſtiam patietur, præſcribat ipſi regulas, ſecudùm quas poſſit ſe expedire ab occurrentibus ſcrupulis. Si pro materia confeſſionis nil niſi ſcrupulos afferat, ſine abſolutione mittatur ad S. Communionem. Denique Confeſſarius cum omni patientia ſcrupuloſum tractet, neque de ipſo deſperet, pro conditione tamen ſubjecti, modò aſperiori, modò leniori utatur modo, utque tantò ſit efficacior in perſuadendo, periculum ſcrupuloſi in ſe recipiat, & promittat pro ipſo reſpondere in extremo judicio.

Sed quid ſi ſcrupuloſus fallatur in obſequendo conſiliis Confeſſarii, & verè omiſit Horam Canonicam, non expreſſerit in confeſſione peccatum, conſenſerit &c. peccabitne pœnitens? Peccabit enimverò materialiter, non formaliter, cùm ſtatus ſcrupuloſitatis, & prudens judicium confeſſarii ſufficientem, imò majorem faciant probabilitatem practicam, ex qua practicè certum judicium format, ſibi hîc & nunc ſequendam eſſe ſententiam Confeſſarii.

§. II.

Remedia pro ſcrupuloſis in particulari.

9. SUnt igitur primò, qui graves animi anxietates patiuntur, ex dubitatione, an alicui tentationi v. g. blaſphemiæ, impudicitiæ &c. conſenſum dederint, qui ſi ſint conſcientiæ timoratæ [non enim eſt ſermo de hominibus laxæ vitæ, qui paſſim impuris voluptatibus ex conſuetudine ſe inquinant, & in proximas peccandi occaſiones conjiciunt, qui ſi dubitant, an conſenſerint, propter malam conſuetudinem meritò pro ſe poſſunt præſumere] pro ſe debent præſumere, & judicare, quòd non conſenſerint. Cujus ſignum evidens eſt horror & diſplicentia, quam habent de ejuſmodi tentationibus & peccatis; ſiquidem & Chriſtus D. S. Thereſiæ [ut refert Joſephus Roſſell cit.] revelavit, horrorem peccati, quem quis habet, eſſe ſignum charitatis peccatum excludentis. Cùm igitur ſcrupuloſi etiam umbram peccati ſollicitè abhorreant, quis credat, eos tentationi facilè conſenſiſſe? Secundò: Si ſæpius repetere ſoleat propoſitum, nunquam DEUM graviter offendendi, eique in omnibus placendi. Tertiò: Si ex interna tentatione non proceſſit in actum externum, cùm è conſenſu interno facillima ſit via etiam ad actum externum.

10. Secundò. Plurimi patiuntur ſcrupulos, quòd nunquam ritè & integrè fuerint confeſſi, quòd numerum aut circumſtantias peccatorum non debitè expreſſerint, quòd requiſitum de peccatis dolorem, aut efficax propoſitum emendationis non elicuerint: ideo imaginantur, priores confeſſiones fuiſſe invalidas, easque identidem volunt repetere, aut generalem confeſſionem de tota vita inſtituere, unde novo ſcrupulorum labyrintho ſeſe intricant. Audiant iſti Ludovicum Granatenſem monentem: Confeſſio Sacramentalis non fuit inſtituta ad injiciendos conſcientiæ laqueos, ſed ad eam pacandam, & ſepelienda peccata, morali diligentiâ manifeſtata, & ſcrupulos inde ortos. Poſtquam igitur ſcrupuloſus ſua peccata cum morali diligentia fuit confeſſus, debet juxta prudentis Confeſſarii judicium acquieſcere, neque permittendus eſt peccata jam expoſita denuo repetere, aut Confeſſionem generalem inſtituere, ſed neque nimis exactâ diligentiâ in peccata inquirere, multò minùs, an priores Confeſſiones fuerint validæ, debet examinare. Sciat quoque ad percipiendam de peccatis abſolutionem non eſſe neceſſariam contritionem, ſed ſufficere attritionem, quæ facili negotio obtineri poteſt: nec requiri neceſſariò explicitum & formale propoſitum non peccandi de cætero; ſed ſufficere virtuale & implicitum, quod in efficaci dolore imbibitur.

Tertiò. Multi vexantur ſcrupulis in recitando Officio Canonico, aut proferenda forma Sacramentorum, vel quòd exiſtiment ſe debitâ intentione, aut attentione caruiſſe, vel verba non integrè pronunciâſſe &c. ideo inani ſtudio de novo recitare, & pronuntiare incipiunt, & nullum quaſi repetendi finem faciunt. 11.

Iſti quoque conſilium docti & prudentis viri, quæ ipſis oſtendat, quid ad implendum præceptum ſufficiat, pro regula habeant. Non credant, ſe aliquid omiſiſſe, quamvis omnimodam certitudinem non habeant de aliqua hora, aut pſalmo recitato, dummodo alias conſuetudinem habeant Horas integrè recitandi.

Sint contenti intentione virtuali, vel exercitâ, qualis illa eſt, dum librum breviarii in manus accipiunt, & incepturi cruce ſe ſignant, ſintque in ea diſpoſitione, ut interrogati, quid hîc & nunc agere vellent? reſponſum darent, velle ſe obligationi recitandi breviarii ſatisfacere. Neque mentis evagationes & diſtractiones graviter nocere exiſtiment niſi cum plena advertentia, & datâ operâ mentem ad alia diverterint.

Denique univerſim ſcrupuloſi & de ſua ſalute 12.
anxii animum ſæpiùs applicent ad recogitandam infinitam DEI bonitatem & amabilitatem, *qui non vult mortem peccatoris, nec delectatur in ejus perditione. Sentiant de Domino in bonitate*, & audiant Chriſti invitantis vocem: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos,* Matth. 11. Sanè ad omnem anxietatem depellendam ſufficere poterit immenſa DEI miſericordiæ, & pietatis recogitatio, prout devotè expendit Venerabil. noſter Bloſius *de conſolat. puſill.* c. 17. §. 2. *Nulla*, inquit, *mœroris magnitudo, nulla anguſtiarum acerbitas, nulla defectuum multitudo, nulla ſcelerum enormitas, nulla peccatorum turpitudo te ad deſperationem, nimiamq; puſillanimitatem adducat. Quantumcunque peccaveris, ſemper DEI miſericordia in infinitum tuas iniquitates excedit, quantumcunque infirmus ſis, ſemper illius benignitas parata eſt adjuvare tuam fragilitatem.* Et §. 3. *Quantumvis magni peccatores & imperfecti homines ſimus, quare non cum humili & plena fiducia ad DEUM convertimur, qui eſt abyſſus inexhauſtæ pietatis, cujus natura bonitas, cui proprium eſt ſemper miſereri & parcere?*

DISPU-

tivi est tanta, ut necessariò connectatur cum veritate, & ita se habet apparentia veri, in qua fundatur fides Theologica. Tertiò. Datur apparentia veri fallibilis & incerta, quæ tamen sæpiùs connectitur, quàm non connectitur cum veritate. Quartò. Datur apparentia veri incerta & fallibilis, quæ tamen sæpius conjungi solet cum falsitate, quàm veritate. Prima apparentia constituit motivum scientificum, cui intellectus objecti evidentiâ convictus necessariò absque voluntatis impulsu assentitur. Secunda constituit motivum fidei Divinæ, cui intellectus absolutè, sed non nisi imprudenter dissentiri potest, ideoque ad assensum requiritur impulsus & pia motio voluntatis. Tertia constituit motivum probabile, quod liberè, rationabiliter tamen, trahit ad assensum, sive quod juxta prudentum æstimationem est dignum assensu, ideoque eget impulsu voluntatis per prudentiam directæ. Quarta constituit motivum improbabile, quia ostendit objectum fallibile in tali statu, ut de ejus veritate non possimus prudenter confidere: ideoque ad illius assensum movetur Voluntas non nisi imprudenter & temerè, aliqua passione & pravo affectu impulsa. Prima generat scientiam, altera fidem, tertia opinionem probabilem, quarta improbabilem.

3. Notandum secundò. Ex prædictis opinionem probabilem rectè definiri ab Honorato Fabri, quòd *sit opinio, quæ circa certitudinem rationabili fundamento nititur.* Genus hujus definitionis est opinio circa certitudinem, hoc est, assensus determinatus [quo discriminatur à dubio propriè sumpto] fallibilis tamen [unde discernitur à scientia, & fide Divina] cum formidine oppositi. Differentia, per quam ab opposita specie opinionis improbabilis distinguitur, est, quòd nitatur gravi & rationabili, non levi rationis [si sit probabilitas intrinseca] vel authoritatis [si sit probabilitas extrinseca] pondere. Rationabile autem fundamentum dicimus, quod ex prudentum judicio habetur dignum assensu, seu quod prudentia & recta ratio dignum existimat, ut voluntas intellectum ad assensum ipsius applicet absque temeritatis nota.

4. Hæc definitio tanquam definito commensurata, idque distinguens non tantùm à scientia, sed etiam ab improbabili opinione, est bona, & longè melior illâ Vincentii Baronii, quâ, ut hostem sibi fingeret, quem impugnaret disp. 1. s. 2. a. 2. ita descripsit opinionem probabilem: '*Probabile dicimus illud, cujus cùm veritate aut falsitate præ nostra ignorantia, & rei inevidentia nil certo nobis constet, aliquam verisimilitudinem habet, cui assensum damus formidolosum, ne forte falsum subsit &c.* Peccat enim hæc definitio, quòd opinionem probabilem non distinguat ab improbabili, imò ab ipsa hæresi: quis enim nescit, & hæretico formali suum errorem, & temerè opinanti suum objectum apparere verosimile? Unde nil mirum, si isti authores probabilitatum monstra in ore & stylo habeant, quando veram probabilitatem cum improbabilitate confundunt, atque hunc monstrosum scopum suis impugnationibus præfigunt.

§ II.
Solvuntur Objectiones.

Oppones tamen authoritatem Aristotelis, qui l. 2. Prior. c. 27. & l. 2. Rhet. c. 2. probabile definit, *quod plerumque contingit, vel quod ferè semper solet fieri.* Quæ definitio videtur repugnare nostræ: Nam in nostra, cùm utraque pars contradictionis possit habere gravia motiva, quæ merentur prudentum assensum, utraque potest esse probabilis, quia repugnat, ut contradictorium ejus, quod plerumque contingit, ipsum quoque plerumque & ferè semper contingat; cùm contradictorium ejus, quod ferè semper contingit, necesse sit, rarò contingere. Sed optimè advertit Esparza, & explicat Arist. *Append.* p. 1. a. 91. & seqq. quòd loquatur de probabili argumentativo & universaliter sumpto, quod est medium syllogismi Topici, unde sicuti posuit principia per se intelligibilia in genere scibilium & certorum, ita posuit principia per se credibilia & probabilia in genere opinabilium, quale est illud: Omnis mater amat filium suum. Non verò de probabili in singulari & proximè practico, quod non dicitur probabile, eò quòd sit medium universale idoneum ad arguendum & probandum [quo sensu Philosophus loquitur] sed, quod dignum sit, ut ex alio prudenter inferatur, & in actionem singularem deducatur: sive [ut vult Esparza] quod probari vel approbari meritò potest. Cùm igitur Philosophus loquitur de probabili, sumit probabilitatem activè, & relatè ad conclusionem, quæ in illa continetur, pro principio probationis. Theologi in præsenti accipiunt probabilem opinionem passivè pro termino bonæ & validæ probationis. Cui proinde Philosophi definitio nequit accommodari, veluti exemplificat prædictus Esparza ex D. Th. in 4. dist. 45. q. 2. a. 2. quæstiunc. 1. ad 5. ubi ex supposita veritate illius relationis, quòd D. Gregorius orans pro anima Trajani audierit vocem divinitùs allapsam: *Vocem tuam audivi, & veniam Trajano do:* duplicem modum affert, quo hoc fieri potuerit, utrumque probabilem, vel quòd *B. Gregorii precibus fuerit ad vitam revocatus, sicque per pœnitentiam salvatus, & antecedenter, secundùm superiores causas, quibus prævidebatur ad vitam revocandus, non finaliter in inferno deputatus, vel quòd anima Trajani non fuit simpliciter à reatu pœnæ æternæ absoluta, sed ejus pœna fuit suspensa ad tempus, scilicet usque ad diem judicii* &c. ubi vides, neutram partem esse plerumque ex contingentibus, quamvis utraque Divo Thomæ videatur probabilis. 5.

Opponit secundò Vincent. Baron. hac definitione peti principium, quia de hoc ipso vertitur controversia, an assensus opinionis probabilis sit prudens? hoc enim concesso negari vix poterit, quin electio & usus talis sententiæ, quippe prudenti judicio regulatus, sit concessus & licitus. 6.

Verùm neganti incumbit probatio. Definitio ista, quam benignioris sententiæ DD. pro fundamento habent, non petit principium, sed est ipsummet principium & axioma, è quo alia deducuntur, quemadmodum quælibet scientiæ & disciplinæ habent sua determinata prima principia, quæ non tam probant, quàm supponunt. Nihilomi-

[illegible] veritas istius definitionis ampliùs dilucidabitur art. seq. & ex hoc patere potest, quòd aliàs probabilis sententia ab improbabili non sufficienter discerni possit. Nam ut exemplum & paritatem ducamus à Scholasticis & experimentalibus: Dantur & agnoscuntur in scholis sententiæ speculativæ contradictoriè oppositæ, quarum utraque est aliquando probabilis. Cur? quia habet argumenta, non quidem convincentia, gravia tamen, quæ ita merentur assensum, ut quilibet cuicunque ex iis assentiens non temerè, sed prudenter & rationabiliter assentiri censeatur. Aliquæ verò dicuntur improbabiles non alia de causa, quàm quia non habent fundamenta tanti ponderis, ut non maneant ex adversa parte facilè convicta, nec proinde mereantur prudentem assensum. Rursus: Si quis assentiatur novis relatis, tum propter compertam referentis authoritatem, tum propter conjecturas graves, quæ sint ex se potentes persuadere assensum, dicitur prudenter, & non temerè illa credere; aliàs si vel absque authoritate, aut motivis sufficientibus facilè credit, dicitur temerè & imprudenter credere. Igitur opinio prudens est, quæ nititur rationabili motivo, quod sit dignum prudenti assensu: opinio imprudens, quæ nititur levi & insufficienti motivo. Illa propterea est probabilis, hæc improbabilis; ut in speculativis, & civilibus, ita & in practicis & moralibus.

7. Uti verò motiva probabilitatis sunt magìs minúsve efficacia, ita etiam probabilitas suos distinctos gradus habet. Supremus gradus videtur esse opinionis probabilissimæ vel probabiliter certæ, cùm tanta est motivorum efficacia, ut opinio opposita relinquatur solùm probabiliter probabilis ex nimia inæqualitate motivorum, non verò omnino, ut improbabilis damnari possit, eò quòd saltem aliquò non omnino levi rationis & authoritatis pondere fulciatur. Probabilior est, quæ gravioribus nititur fundamentis vel extrinsecis ab authoritate DD. vel intrinsecis à pondere rationum, quæ rursus potest esse in majori, vel minori excessu. Probabilis alia est certò probabilis, quia certò nobis constat, illam habere gravia & ponderosa fundamenta, quibus assentiens culpari velut imprudens nemo possit, & quia ut probabilis habetur, & agnoscitur ferè ab omnibus doctis, sive illam sententiam amplectantur, sive non amplectantur. Alia est probabiliter tantùm probabilis, quia licèt aliqui ceu probabilem agnoscant, sunt tamen alii, vel plures qui existimant improbabilem, in qua proinde opinione minimus gradus probabilitatis reperitur. Cæterùm sicuti opinio quoad nos minùs probabilis, ex novæ authoritatis vel rationis accessu potest fieri magìs probabilis; ita è converso magìs probabilis fit quandoque minùs probabilis; imò probabilis potest ob Ecclesiæ & Concilii definitionem fieri improbabilis, siquidem plures propositiones, quæ antiquitùs habebantur probabiles, modò non tantùm improbabiles, sed etiam hæreticæ habentur.

8. Opinio probabilis dividitur rursus *in speculative & practice probabilem*: speculativè probabilis communiter illa dicitur, quæ habet rationes alicujus momenti pro veritate objecti, secundùm substantiam, & abstractè ab omnibus circumstantiis vel particulari exercitio considerati. Practicè probabilis est, quæ habet rationabilia motiva pro honestate actûs omnibus consideratis hìc & nunc exercendi. In qua acceptione contingit, aliquam opinionem esse speculativè probabilem, practicè improbabilem, e.g. probabilis est opinio, posse Sacramentum Baptismi confici in aqua ex sale resoluta; est tamen speculativè solùm probabilis, quia nulla dantur motiva, quæ suadeant honestam confectionem Baptismi, seu applicationem talis materiæ extra casum necessitatis hìc & nunc exerceri posse. Si verò opinionem speculativè probabilem cum Joa. Sanch. illam intelligas, quæ in universali judicat de honestate actûs, relatè ad omnes circumstantias [quamvis meliùs diceretur judicium speculativum de opinione practicè probabili, quàm opinio speculativè probabilis;] & practicè probabilem, quæ in particulari hìc & nunc relatè ad actuale exercitium judicat de honestate actûs; tum fieri vix poterit, ut opinio speculativè probabilis, non sit etiam practicè probabilis; siquidem in hoc sensu practicè probabilis est subalternata speculativè probabili, & in illa tanquam particularis propositio in universali continetur: e.g. in hoc modo loquendi, judicium, quo sine certitudine assentior, *hominem Christianum in extremis constitutum absque omni signo contritionis, posse sub conditione absolvi*, est speculativum: istud verò, quo judico, *Petrum hìc & nunc in tali casu deprehensum a me posse absolvi*, est practicum. Si illud est probabile, etiam hoc debet esse probabile, quia quod dicitur de omni, dicitur de quolibet contento sub illo. Si probabile est, nullum Clericum teneri ad restitutionem superfluorum, etiam est probabile, Episcopum, Canonicum &c. non teneri. Si probabile est, contractum censûs Germanici quinque pro centum, non esse usurarium sed licitum, est etiam probabile, hunc contractum ab hac Ecclesia, cive &c. initum esse talem.

Potest etiam aliquid esse *probabile quoad se*, quin tamen sit *probabile quoad nos*; & vicissim esse *probabile quoad nos*, quod sit *improbabile quoad se*. Probabile quoad se est, quod à parte rei habet motiva sufficientia ad prudentem assensum; probabile quoad nos, quod in intellectu assentientis habet motiva prudentem assensum suadentia. Contingit autem aliquando, nobis motiva probabilitatis, quæ reverà dantur, debitè non innotescere, quemadmodum hominibus in hæresi natis & educatis motiva credibilitatis Catholicæ fidei non innotescunt: & tunc non obstante, quòd opinio in se sit probabilis, erit improbabilis, vel potiùs non probabilis quoad nos. Aliàs verò motiva probabilitatis pro una parte ita apparent, & repræsentantur judicanti, ut non appareant rationes vel motiva oppositæ partis, quorum pondere prior opinio eliderettur & fieret improbabilis, prout contingit in prædictis hæreticis materialibus; qui cùm nullas fidei Catholicæ rationes, sed solummodo authoritatem & argumenta suis erroribus faventia percipere potuerint; ideo ipsorum rationes quoad se penitùs improbabiles, quoad illos tamen sunt probabiles. 9.

Tandem potest aliquid esse probabile *directè* & 10.

indi-

indirectè, vel *quasi reflexè.* Directa probabilitas est fundata in ipsa natura objecti. v. g. *probabile est, quòd liceat artificiosè pingere die festo, quia probabile est, picturam artificiosam non esse opus servile.* Probabilitas indirecta est, quæ petitur vel ex reflexione supra directam probabilitatem, ut quòd sit sententia valde probabilis, licitum esse, sequi opinionem probabilem, vel ex aliqua circumstantia extrinsecùs adjecta: ut quòd sibi licitum sit bellare; quia præsumi potest pro Principe, quòd gerat justum bellum: quòd licitum sit hanc rem retinere, quia sit in possessione; quòd liceat hunc actum exercere, eò quòd dubia prohibitio non sit sufficienter promulgata & consequenter non obligatoria &c.

ARTICULUS II.

Quænam sint principia practicæ probabilitatis?

SUMMARIA.

1. *Loci intrinseca probabilitatis.*
2. *Improbatur argumentum à pari.*
3. *Et inutile ostenditur.*
4. *Fundamenta docentium unius Doctoris authoritatem sufficere ad probabilitatem.*
5. *Argumenta sententiæ opposita.*
6. *Limitationes, quibus adversarii suam sententiam restringunt.*
7. *Sufficit authoritas unius Doctoris in materia nondum ventilata.*
8. *Item pro homine indocto.*
9. *Non pro omni casu, aut contra communem aliorum.*
10. *Solvuntur rationes opposita.*
11. *Pænitentes possunt ordinariè acquiescere consilio Confessarii.*

§. I.

Principia intrinseca probabilitatis.

1\. PRincipia & locos, è quibus motiva probabilitatis practicæ petuntur, non difficulter reperies. Sunt, ut referunt Jo. à S. Th., Honoratus Fabri, aliique, inprimis lex ejusdemque explicatio, & concordia circa legem. Consuetudo, quæ non solùm legis interpres, sed & pro lege reputatur. Possessio, quæ conditionem possidentis in dubio meliorem efficit. Necessitas, quæ non habet legem, & multa facit licita, quæ alioquin illicita fuissent. Effectus, damna, absurda, quæ ad aliquam operationem sequuntur, aut secutura prudenter timentur. Adde finem, naturam, proprietates, alicujus objecti.

2\. Argumentum verò à pari, si absint cætera, tanquam inefficax & infidum Theologo [ut appellat Esparza in procem. Theolog.] nullo modo sufficiens existimo, ad practicam probabilitatem in morum materia conciliandam; quamquam enim ad exercenda ingenia in Scholasticis concertationibus sit idoneum, tamen [inquit profundissimus prædictus Theologus] *plerumque est & inefficax ad persuadendum, & permolestum respondenti, præsertim glorioso, nempe ob defectum cognitionis rationum utrobique differentialium* &c. Unde etiam videmus, Angelicum Doctorem, aliosque antiquos ad sua dogmata stabilienda argumento à pari rarissimè usos fuisse. Præsertim verò, quia paritates ad laxandam morum disciplinam facilè viam aperire videntur: uti constare potest ex illa opinione in Theolog. fundam. à Caramuele disputativè proposita, & ab Alexandro VII. prohibita: quòd *unico officio possis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti & crastino.* Quodnam enim exspectas hujus egregiæ opinionis fundamentum? paritas est: possum uno jejunio satisfacere voto, Ecclesiæ, vel Confessarii præcepto; ergo etiam uno matutino possum satisfacere præsentis & sequentis diei præcepto &c.

Insuper inefficacia hujus argumentationis ex 3.
eo liquet, quòd argumentum à pari non nitatur connexione aut repugnantia subjecti & prædicati consequentis cum aliquo tertio, sed tantùm prædicatum antecedentis transfert ad subjectum consequentis, eodem modo, quo positum fuerat in antecedenti propter solam similitudinem & uniformem comparationem subjectorum utriusque propositionis quoad illud prædicatum. Unde nec est ad efficaciam & vim concludentem paritatis, ut illi arguunt; superaddatur ratio ulterior efficax communis antecedenti & consequenti, quæ reddet inutilem, certè minimè necessariam paritatem; quia perinde accommodari poterit, & cum eadem vi soli consequenti, relicto antecedenti. F. g. ut hæc paritas probet: *Aqua est corruptibilis:* ergo & terra, oporteret accipere rationem & terminum utrique communem: quia est æquè elementum: Cur ergo non dicis: Omne elementum est corruptibile: sed terra est elementum; ergo. Unde vides inutilitatem paritatis.

§. II.

An ad extrinsecam probabilitatem faciat authoritas unius Doctoris?

MAjor est in extrinseca & authentica probabilitate statuenda difficultas. Sunt enim 4.
primò, qui cum Caramuele, utroque Sanch. Palao, to. 1. tr. 1. disp. 2. p. 1. affirment, unius Authoris moderni, gravis & docti placitum, etiam communi DD. opinioni contrarium, sufficere ad constituendam opinionem probabilem; ita, ut quis illam tuta conscientia sequi possit.

Probant primò. Quod asserunt plures, quàm 16. Authores, est probabile: sed unius Doctoris gravis & pii authoritatem sufficere ad extrinsecam probabilitatem, docent plures, quàm 16. Authores, ut est videre apud citatos Authores: ergo.

Secundò. Sententia probabilis est, quæ non levi nititur fundamento: sed authoritas unius viri docti & pii non est leve fundamentum, cùm cuilibet sit in sua arte credendum; ergo.

Tertiò. Potest quis privato consilio ejusmodi Doctoris moveri ad agendum: ergo etiam potest sequi ipsius consilium typis vulgatum.

Quartò. Discipulus securè sequitur sententiam sui magistri, & subditus Superioris: ergo à fortiori

fortiori poterit aliquis se conformare sententiæ typis mandatæ, & ab aliis approbatæ.

Quintò. Ecclesiæ DEI adhuc quotidie illuminatur, & interdum revelatur minori, quod major nescit, ut dicit glossa in c. ad nostram de consuetudine. D. Bened. in Reg. c. 3. & colligitur ex c. si habes. 24. q. 3.

Sextò. Sic introductæ sunt apud Theologos plures sententiæ Antiquioribus incognitæ, cùm D. Thomas, Durandus, Scotus, aliique similes cœperunt contra omnes opinari.

5. Sed in contrarium est primò constitutio Alexandri VII, qui hanc ipsam sententiam damnavit anno 1665. quòd, *si liber sit alicujus junioris & moderni, debeat opinio censeri probabilis, dummodò non constet rejectam esse a Sede Apostolica.*

Secundò. Proverb. 3. dicitur: *Ne innitaris prudentiæ tuæ, nec sis sapiens apud temetipsum,* quod tamen facit, qui sui capitis placitum omnium retrò antiquiorum doctrinæ anteponit.

Tertiò. Authoritas Vincent. Lirinens. in l. *contra profanas vocum novitates: Quisquis universitati* [communi DD. sensui] *contradicit, censeri debet vel animosà laborare inscitià, vel arroganti confidentià ingenii, vel malignâ decipiendi voluntate.*

Quartò. Plus velle sapere, quàm alii omnes, præsumptuosum est, & temerarium: sed qui tradit sententiam singularem contra alios omnes, vult plus sapere iis omnibus: ergo talis sententia potiùs præsumptuosa & temeraria, quàm probabilis censeri debet; præsertim cùm præsumptio prudentiæ & sanæ doctrinæ semper stet pro antiquitate, sive authoritate DD. Sanctitate, doctrinâ, & experientia præstantium, juxta Spiritûs sancti testimonium. Eccles. 8. *Ne despicias narrationem presbyterorum sapientium, & in proverbiis eorum conversare, ab ipsis enim disces sapientiam intellectûs &c. Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a Patribus suis &c.*

Quintò. Quia facile est, specie viri docti & pii alios decipere, & in animæ periculum inducere.

Sextò. Quia hujus sententiæ Authores ipsi inter se dissident, & variis limitationibus suæ opinionis diffidentiam manifestant.

6. Nam Caramuel in Theol. fundam. fundam. 7. requirit *primò*, ut ejusmodi Doctor non sit promotus in aliqua universitate, in qua obvii quicunque promoveri solent, & quæ de suis promotis juxta commune adagium dicunt: Maneat ejus argentum apud nos, & asinus laureatus revertatur in patriam. Palao n. 4 addit *secundò*: Ut non constet ejusmodi sententiam ab Apostolica sede tanquam improbabilem esse rejectam. Sed quia istæ limitationes adhuc videntur nimis amplæ, limitat *tertiò* Laym. l. 1. tr. 1. c. 5: Si ille Doctor non temerè, sed post dissolutas aliorum opiniones suam singularem sententiam proponat. Et ulteriùs *quartò*: ut illam opinionem ex instituto, non tantùm incidenter, & ex occasione v.g. in solutione alicujus argumenti tractaverit, quia, ut dicit Mascardus *de prob.*, quæ dicuntur incidenter, fortè ad colorem, non verò ad probationem dicuntur. *Quintò*: ut calleat Theologiam moralem, quia notitia speculativæ Theologiæ non est sufficiens argumentum de notitia moralium. *Sextò*: ut sententiam proponat jam maturà consideratione, non præcipitanter, non studio novitatum; neque soleat receptis sententiis datà operâ contraire, & principia ponere, quibus præceptiva potestas Ecclesiæ, & morum disciplina eneruatur. *Septimò*: ut illa sententia à communi aliorum non reprobetur ut singularis & improbabilis. *Octavò*. Ne opposita sit recepta in praxi & communi Ecclesiæ consuetudine, quæ habet vim legis.

§. III.

Nostræ resolutiones.

INter hasce DD. opiniones non videtur una & universalis regula posse statui. Unde Dico primò: quando communis aliorum Doctorum non est in contrarium, sive quando materia talis doctrinæ nondum fuit ventilata, aut in quæstionem deducta, potest unus vir doctus facere sententiam probabilem, si firma ratione moveri intelligitur. Neque existimo, quòd hæc assertio habeat contradictorem, cùm fatente Joa. à S. Th. q. 18. disp. 12. a. 3. n. 33. plerumque in antiquis hoc modo opiniones probabiles ex rationibus & dictis SS. PP. ab uno, aut altero insigni Doctore deductæ & introductæ fuerint. 7.

Dico secundò. Ad formandam conscientiam practicè probabilem homini imperito vel indocto, qui non potest nec tenetur scire, quid hinc inde Doctores sentiant, sufficiat authoritas unius viri secundùm prudentem existimationem docti & pii. Nec ista conclusio patitur difficultatem. Nam primò: Illa authoritas sufficit ad probabilitatem extrinsecam, quæ sufficit ad faciendam prudentem fidem humanam: Sed homini simplici & indocto ad faciendam prudentem fidem humanam sufficit authoritas viri, qui communi existimatione vel invincibili opinione consulentis habetur doctus & pius: ergo. Minor probatur: quia in viro docto & pio, ex parte doctrinæ prudenter præsumitur veracitas in cognoscendo, quâ falli facilè non possit, & ex parte probitatis veracitas in dicendo, quâ fallere non velit: sed hoc est sufficiens motivum prudentis fidei: ergo. Secundò: Esset onus nimiùm grave, & communi fidelium praxi contrarium, si plurium opiniones explorare, & quænam ex iis communes, quæ singulares forent, inquirere tenerentur. 8.

Dico tertiò. Unius Authoris sive Antiqui, sive Recentioris singularis sententia contra communem aliorum, non facit universaliter pro communi usu & praxi sufficientem probabilitatem, priusquam aliorum DD. in eadem materia expertorum judicio habeatur pro probabili, & censeatur niti gravibus ac firmis fundamentis. Ita Jo. à S. Th. d. loc. num. 33. & Ildefons. Cæsaraug. disp. 208. dub. 1. n. 411. Ratio est: si sententia singularis est antiqua contra communem aliorum, hôc ipsô est relicta & antiquata, nec proinde probabilis: si est sententia alicujus Recentioris, vel est fundata in authoritate & rationibus Antiquorum, vel non est. Si primum, jam non est simpliciter nova & singularis. Si secundum: ergo vel habet rationes & fundamenta gravia, vel non habet. Si non habet, hoc ipso est rea temeritatis, 9.

ritatis, quòd abſque gravi fundamento à communi aliorum doctrina recedat, idque probant rationes pro ſecunda ſententia adductæ: ſi habet, de illis legitimè conſtare debet, quòd non ſint ex proprio ſcribentis judicio [ſuum enim cuique pulchrum] ſed ex aliorum in eo ſcribendi genere verſatorum ſententia. Atque ita conciliabis pleroſque Authores circa hoc punctum ſibi in ſpeciem oppoſitos.

10. Neque obſtant rationes pro prima ſententia adductæ. Non prima: partim quia major eſt falſa: non enim Authorum numerus, prætertim cùm non niſi ab aliis relata referunt, imò [ut Jo. à S. Th.] per ſe loquendo ſola perſonæ Authoritas non facit probabilitatem practicam, niſi præſumptio ſit fundata de iis, quòd non leviter & ſuperficialiter res ſerias tractant, ſed cum fundamento & pondere, ſive deinde ſint plures, ſive pauciores: partim quia licèt plures Authores doceant, quòd ad probabilitatem practicam ſufficiat unius Doctoris authoritas, id tamen affirmant non ſine limitationibus & diſtinctionibus præmiſſis.

Non ſecunda, quia Authoritas viri docti & pii abſolutè ſpectata non eſt leve fundamentum, concedo; comparata cum omni retrò antiquitate & univerſitate Doctorum, nego.

Non tertia & quarta: Quia Authoritas unius Doctoris reſpectu alicujus Perſonæ privatæ ſimplicis & indoctæ poteſt eſſe grave fundamentum; non tamen reſpectu totius communitatis, eorumve, qui ſciunt aut ſcire poſſunt & debent, talem ſententiam eſſe ſingularem, & communi aliorum doctrinæ contrariam. Nec ad rem facit approbatio impreſſis Authoribus adjuncta; neque enim approbantium intentio regulariter eſſe ſolet, ſententiis approbatis practicam probabilitatem aſſerere, vel conciliare: ſed ſolummodo teſtari, nihil inibi Eccleſiæ conſtitutionibus, ſanæ fidei, ac morum doctrinæ contrarium contineri.

Non quinta: Neque enim Eccleſia DEI illuminatur, ſed potiùs obfuſcatur novis doctrinis, quibus in nimiam vitæ licentiam conſcientiæ laxantur: ſed per deductionem aliarum, & aliarum concluſionum ex SS. PP. principiis communi Catholicorum conſenſu ſtabilitis: quo modo Angelicus Doctor ſuas omnes doctrinas tradidit & conſcripſit.

Inferes ex dictis: Pœnitentes aut parochianos ordinariè non obligari, ut poſt acceptum à Confeſſario, vel parocho conſilium, alios interrogent: ſiquidem prudenter poſſunt præſumere, ad hujuſmodi officium non niſi doctos & idoneos à Superioribus deputari. Quòd ſi de contrario conſtaret [uti etiam ſi dicas, Authorem aliquem impreſſum continere multas ſententias damnatas & improbabiles, vel non fideliter citare & referre Authores] non ſatis tutò operarentur, ſi ejuſmodi conſilium, non requiſito alterius viri pii & docti, claſſicive Authoris conſilio & placito, ſequerentur: ſiquidem non adeſſet ſufficiens perſuaſio de dicentis veritate, quæ ad prudentem credulitatem requiritur. 11.

ARTICULUS III.

An & quomodo ex opinione probabili poſſit formari Conſcientia certa?

SUMMARIA.

1. *Status quæſtionis.*
2. *Primum fundamentum ſententiæ negantis, quòd in probabilitate deſit certitudo de honeſtate actionis.*
3. *Impugnatur reſponſio.*
4. *Secundum fundamentum, quòd probabilitas non poſſit eſſe regula honeſtæ rationis.*
5. *Tertium, quòd ſit conjuncta cum vincibili ignorantia obligationis.*
6. *Formari poſſe rectam & certam conſcientiam ex judicio probabili, oſtenditur ex Sancto Thoma.*
7. *Probatur ex perpetua praxi.*
8. 9. *Ex ipſis principiis adverſariorum.*
10. *Probatur ratione a priori.*
11. *Ad formandam conſcientiam concurrunt judicium directum & reflexum.*
12. *Ex Conſcientia formaliter & intrinſecè probabili non licet operari.*
13. *Opinionis tantùm probabiliter probabilis uſus non eſt licitus.*
14. *Nec ſufficit quicunque tenuis gradus probabilitatis.*
15. *Operans ex opinione probabili tantùm habet formidinem ex parte judicii remoti & ſpeculativi.*
16. *Judicio opinativo accedit nova ratio perſuadens operationem eſſe licitam.*
17. *Probabilitas regulata per prudentiam eſt regula remota humanæ operationis.*
18. *Qui errat in ſequela ſententiæ probabilis, habet invincibilem ignorantiam.*

§. I.

Fundamenta negantium probabilitatem ſufficere ad prudentem aſſenſum.

1. PRima utriusque & benignæ & rigoroſæ ſententiæ fundamenta diſquirenda ſuſcipimus. Habent igitur ſententiæ probabilis defenſores, qui ad honeſtatem operationis certum conſcientiæ judicium requirunt, pro primo quaſi principio & axiomate, quòd *opinio practicè probabilis fundet prudentem aſſenſum*, ex quo deducunt, quòd *ſequens opinionem probabilem prudenter & licitè operetur.* Negant rigidæ ſententiæ patroni, & ceu petitionem principii rejiciunt, opponentes [ſuâ opinione] è diametro contrariam regulam; *Probabilitas* [quippe conjuncta cum formidine erroris] *non poteſt eſſe regula humanæ operationis: qui cum opinione probabili operatur, dubiè, incertè adeóq; imprudenter operatur.* Itaque hujus fundamenti veritatem diſcutiemus in præſenti. Et quidem Anton. Merenda in tr. *de Conſcient.* uſum probabilitatum univerſaliter impugnat,

nat, tanquam illum, ex quo prudens conscientia formari non possit. Quem de quacunque probabili favente libertati contra præceptum sequuntur. Vincent. Baron. Contens. Mercorus. Nam

2. Primò. Conscientia recta seu regula Divinitùs derivata, & actus prudentiæ debet esse judicium certum de honestate operationis [ut dictum in præced. art.] sed operans ex conscientia probabili non habet judicium certum de honestate operationis: ergo non habet conscientiam rectam & certam, adeòque peccat. Minor probatur: qui operatur cum formidine, ne peccet, non habet certum judicium de honestate operationis; sed operans ex conscientia probabili habet formidinem, ne peccet: quia hoc est de essentia assensûs probabilis & opinativi, habere formidinem objecti.

3. Neque dicas: Esse tantùm formidinem speculativam de objecto, non autem practicam de operatione, quam quis certò judicat esse licitam.

Nam contra est, quale est judicium de objecto, tale est regulariter de operatione, nisi nova circumstantia, vel ratio accedat: sed judicium speculativum de objecto est cum formidine oppositi: ergo tale est etiam judicium practicum de operatione. Major probatur: quia judicium practicum de operatione infertur ex speculativo tanquam conclusio ex præmissa, adeòque sequitur conditionem ipsius, ut si illa sit cum formidine, sit etiam ista, præsertim cùm conclusio sequatur partem debiliorem. Ita v. g. sit discursus: *Opus non servile possum die festo licite exercere: sed pingere probabiliter non est opus servile, quamvis forte sit opus servile propter rationes, & authoritates oppositas: ergo possum illud licitè die festo exercere.* Ecce! minor, quæ est assensus speculativus de objecto, cùm sit tantùm probabilis opinio cum formidine oppositi, ceu præmissa influit in ultimum & practicum dictamen de operatione, ac proinde formidinem de ipsa operatione in illud derivat.

Confirmatur. Conclusio non habet majorem certitudinem, quàm præmissæ, & à qualitate universalis affirmativæ est necessaria consequentia ad qualitatem suæ particularis: sed practicum dictamen conscientiæ de operatione in ordine ad judicium speculativum de objecto, se habet sicut conclusio ad præmissam, & sicut particularis ad universalem. Unde si sit formido in judicio antecedente, num iste contractus sit usurarius, erit etiam formido in consequente, num sic contrahendo committam usuram. Si sit formido, num Clerico liceat venari, erit etiam formido, an ego Clericus venando peccem.

5. Probatur secundò: Probabilitas non potest esse regula humanæ operationis: ergo conscientia probabilis non est recta. Antecedens probatur. Judicium, quod ex se non est magis conforme, quàm difforme legi æternæ, & ex proprio modo tendendi intellectum non magis ducit ad verum, quàm ad falsum, non est regula rectæ rationis, quæ tanquam exemplata à suprema regula legis æternæ debet eidem conformari: sed judicium probabile ex se non est magis conforme, quàm difforme legi æternæ. quippe dubium & formidolosum de transgressione legis & errore falsitatis; ergo.

Quartò. Posito, quòd Cajus ex conscientia probabili ponat operationem illicitam à parte rei, & sic erret, tunc peccat: ergo conscientia probabilis non potest esse recta regula humanæ operationis. Antecedens probatur: qui errat ex vincibili ignorantia, peccat: sed Cajus ex ignorantia vincibili errat: ergo. Minor probatur. Ille errat ex vincibili ignorantia, qui tenetur cavere errorem, cumque aliquo modo prævidet; sed qui habet conscientiam probabilem, ratione formidinis prævidet aliqualiter errorem, eumque tenetur vitare ex hypothesi: ergo.

§. II.

Contraria sententia adstruitur.

His tamen nequaquam obstantibus certissimum esse debet, posse ex opinione vere probabili [abstrahendo à concursu æquè aut magis probabilis] formari prudens ac certum judicium conscientiæ rectæ. Ita colligo ex S. D. in quodlib. 8. a. 13. ubi instituta quæstione, num peccet, qui sciens contrarias in utramque partem opiniones DD. nihilominus judicat sibi licitum esse habere plures præbendas? cum distinctione respondet: *Aut in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & sic si manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat. Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat.* Supponit itaque S. D. fieri posse, ut quis ex contrarietate opinionum probabilium, quales sunt in posito casu, nullam habeat practicam dubitationem, adeòque ut cum probabili opinione conjungatur judicium certæ & rectæ conscientiæ, sufficientis ad licitam & honestam operationem. 6.

Probatur primò. Nisi ex probabili opinione possest formari certa & recta conscientia, vix quicquam licitè fieret, ex omnibus, quæ quotidie fiunt & practicantur in Curiis Principum, in tribunalibus judicum, Consistoriis Episcoporum; cùm pleræque sententiæ non nisi probabilibus nitantur fundamentis, & rarissima sit in casuum emergentium decisionibus certitudo. Pervolve Theologos Scholasticos, Morales, Antiquos, Novos Celeberrimos Sacri Civilisque Juris interpretes, sanè pro fori interni externique directione pauca invenies certa, pleraque documenta probabilia. Circumstantias intra eandem speciem aggravantes non necessariò subjiciendas confessioni, innocentem privatâ scientiâ & notitiâ, sed secundùm allegata & probata nocentem, etiam capitali sententia damnari posse, opinio tantùm est, eaque probabilis: utramque tamen tradit D. Th. non pro schola, sed foro & judicio tum interno pœnitentiali, tum externo, aliis Doctoribus contrarium sentientibus. Si ex hac probabili D. Thomæ Doctrina secura & certa conscientia formari non potest, quæso, ex quanam Authorum doctrinâ formari poterit? an ipse S. D. excusari poterit, pro usu & praxi tradens metissimam opinionem, quæ [utpote in certæ conscientiæ dictamen juxta adversariorum principia non reducibilis] in usum & praxin licitè deduci non potest? Sed de hoc plura paulò inferiùs. Ipsi Summi Ponti- 7.

fiſ cùm maturo conſilio vel in ſolenni Religionis voto, vel in matrimonio rato diſpenſârunt, non niſi probabilem opinionem ſunt ſecuti, cùm de facto multi graves DD. præſertim Thomiſtæ cenſeant, utrumque vinculum eſſe indiſpenſabile: nec abſque temeritate dici poteſt, ipſos temerè, & abſque prudenti conſcientiæ dictamine in re tam gravi proceſſiſſe.

8. Probatur ſecundò argumento ad hominem ex ipſiſmet adverſariorum principiis: *Sententiam, cui nihil obſtat, & ex alio medio poſitivè eſt probabilis, poſſum tutâ conſcientiâ ſequi* [Ita concedit Jul. Mercor. p. 1. a. 15.] ergo poteſt ex tali ſententia probabili formari judicium prudens conſcientiæ. Omnino, inquis; ſed *eâ ratione, quâ nihil ei obſtat, concedo*; *ratione medii præciſe, quò dicitur probabilis, nego.* Contrà: quòd nihil obſtet, non facit, quò minùs ſententia ex medio probabili deducta ſit opinio, contenta intra limites probabilitatis; neque enim ex hoc intellectus evidenter convincitur, & neceſſitatur ad præſtandum aſſenſum; e. g. ex hoc, quòd habeam ſigna probabilia, è quibus judicem pœnitentem eſſe contritum, & nulla adſint motiva poſitiva in contrarium, non ſequitur, quòd certò judicem illum eſſe contritum; non enim [ut argumento adverſariorum utar] plus poteſt eſſe in aſſenſu, quàm in motivo: atqui motivum eſt mere probabile: ſequitur ergo, quòd vel ſententiam probabilem, etiam cui nihil obſtat, non poſſim tutâ conſcientiâ ſequi; vel quòd ex opinione probabili certificari poſſit conſcientia, quorum utrumque repugnat doctrinæ adverſariorum.

Confirmatur. Quoties habeo ſententiam verè probabilem poſitivè, toties nihil obſtat: ergo poſſum illam licitè ſequi, adeòque ex illa formare judicium certum conſcientiæ. Antecedens probatur. Vel obſtaret alia ſententia æquè vel magìs probabilis, vel lex, vel illa regula, *in dubiis tutior pars eſt eligenda.*

Primum non obſtare dicemus §. §. ſeqq. nec obſtat lex, quia illa eſſet lex dubia, cui prævalet poſſeſſio libertatis [ut dictum in præced.] nec obſtat illa regula; quia hæc locum habet in parte adverſativè tutiori, quæ opponitur non tutæ: atqui ſententia verè probabilis eſt verè tuta, ut dicemus.

9. Rurſus. Quiſquis prudenter diſponit formidinem practicam, format certam & prudentem conſcientiam, ſicuti qui prudenter deponit dubium practicum, format prudentem conſcientiam; ſed habens opinionem verè probabilem poteſt prudenter deponere formidinem practicam: ergo. Minor probatur. Depoſitio formidinis practicæ, ſeu certificatio facilè poteſt haberi *per media extrinſeca, ut ſunt Authoritas Doctorum, uſus, conſuetudo, præſcriptio, præſumptio, poſſeſſio, tolerantia, exemplum &c.* [Mercor. 1. p. a. 14.] Et: *Si, qui debet operari, eſt rudis, facilè poteſt certificari conſilio Confeſſarii, vel proprii Parochi, vel alterius viri docti & probi, quorum Authoritas ſufficit, ut tutò operari poſſit* &c.

Sed quiſquis habet opinionem verè probabilem, habet iſthæc media præmemorata & motiva extrinſeca, quòd ſibi ſit licitum ſequi in praxi ſententiam verè probabilem, ut latiùs expendemus in ſequentibus; ergo poteſt deponere formidinem practicam.

Confirmatur 1. Omnia hæc media extrinſeca prædicta non tranſcendunt limites veræ probabilitatis: ergo per ipſos Adverſarios probabilitas practica ſufficit ad certificandam conſcientiam, ſicque plus conceditur, quàm petitur.

Confirm. 2. ex ipſo Fagnano n. 99. *Si rationes probabiles ſint plures, & tanti ponderis atque momenti, ut illis intellectus ſine ulla formidine acquieſcat, & judicet, rem ita ſe habere, hæc eſt moralis certitudo, quæ ſufficit ad rectè operandum.* Ergo habens opinionem probabilem poteſt depoſitâ formidine practicâ formare judicium conſcientiæ moraliter certum.

Probatur tertiò fundamentali ratione à priori. 10.
Quiſquis operatur ex conſcientia verè probabili, poteſt ex certis præmiſſis deducere ultimatum judicium conſcientiæ practicè practicum: ergo poteſt formare conſcientiam certam. Antecedens probatur: Sit, qui deliberet, an pro honeſto rei domeſticæ incremento liceat ſibi inire contractum cenſûs utrinque redimibilis: is ex ſuppoſitione, quòd opinionem de liceitate hujus contractûs habeat pro verè probabili, ſic poterit, ſi non ſemper formaliter & explicitè, ſaltem virtualiter & implicitè ratiocinari: *Illum contractum hic & nunc licitè in eo, quem prudenter cenſeo eſſe licitum, vel qui mihi prudenter apparet licitus: ſed contractum cenſûs utrinque redimibilis prudenter cenſeo eſſe licitum: ergo contractum cenſûs redimibilis licitè ineo.* Major eſt certa: nam ex prudenti aſſenſu intellectûs ſequitur prudens electio voluntatis, quæ veluti cæca potentia undequaque à prævio intellectûs dictamine regulatur. De minoris propoſitionis forſan veritate & certitudine dubitat? nam quo pacto certa eſt, quam omnes oppoſitæ ſententiæ Authores negant? opinativè, inquis, cenſeo illum contractum eſſe licitum: ergo non prudenter; opinio quippe includit formidinem, ne contractus non ſit licitus, prudentia excludit: illa verſatur circa objectum opinabile, ideoque incertum; hæc circa objectum infallibile & certum. Verùm, ſi rem bene inſpicias, etiam hanc præmiſſam videbis eſſe certiſſimam: nam illud prudenter cenſeo eſſe licitum, quod bonâ fide adhibitâ diligentiâ debitâ ex motivis gravibus, & ad prudentem aſſenſum ſufficientibus cenſeo eſſe licitum: ergo prudenter cenſeo eſſe licitum. Major ex terminis claret; aliàs motiva eſſent ad prudentem aſſenſum ſufficientia, & non eſſent. Minor eſt æquè certa; nam motiva opinionis verè probabilis non aliunde ſunt diſtincta à motivis ſententiæ improbabilis, vel tantùm probabiliter probabilis, niſi quòd illa ſunt tam ponderoſa & gravia, ut prudens & recta ratio judicet illa digna aſſenſu [*propoſitio probabilis*, inquit Mercorus, *eſt, pro qua ſtat motivum urgens & grave*] iſta verò non ſunt tanta, ut prudens ratio æſtimet digna aſſenſu, nec alia eſt ratio, cur in ſpeculativis aliquis prudenter exiſtimet, hanc ſententiam eſſe veram, cur Confeſſarius prudenter exiſtimet, pœnitentem eſſe contritum, cur prudenter exiſtimem, hanc hoſtiam eſſe conſecratam, niſi quia prudens & recta ratio dictat, adeſſe motiva digna aſſenſu. Cùm enim

enim in innumeris veritatibus tam speculativis quàm practicis motiva non sint convincentia, ideoque necessarius sit voluntatis impulsus, quo intellectus applicetur ad hujus vel illius opinionis assensum, ad prudentem & rectam rationem ceu arbitram pertinet, inspectâ motivorum dignitate sententiam ferre, an absque temeritatis vitio voluntas intellectum ad assensum hujus opinionis applicare possit, & si judicet posse, hoc ipso voluntas prudenter applicabit, intellectus prudenter assentietur; & [siquidem processus fiat ad dirigendam operationem] ex prudenti assensu prudens dictamen conscientiæ derivabitur. Sicuti ex eo, quòd prudentia dictet, in his circumstantiis hostiam esse habendam pro consecrata, sequitur illam esse adorandam. Unde ista propositio: *Hunc contractum prudenter censeo esse licitum:* non est opinativa, sed prudentialis & certissima, quantumvis originari possit in alia præsupposita opinativa tantùm, quâ judicem absolute, hunc contractum esse licitum. Quod ut fiat planius.

11. Advertendum est, in practica consultatione, quâ Conscientia ex probabilibus formatur, posse intervenire formaliter vel virtualiter duplex, aut triplex judicium: Primum remotum, inchoativum & directum est, quo cum formidine oppositi intellectus vi talium motivorum prudenter [hoc est juxta directionem prudenter] opinatur contractum esse licitum; alterum est proximius conscientiæ, sed reflexum & certum, cùm nempe intellectus supra opinionem reflectens, judicat illam verè probabilem & prudentem, quod est judicium certum & propositio non absoluta, sed modalis, modum prudentialitatis & probabilitatis includens: Hinc reflexioni potest accedere altera; si cogites usum veræ probabilitatis communissimo ac diutissimo DD. consensu & doctrina, Academiarum præsertim in Consiliis formandis, virorum æquè doctissimorum ac piissimorum usu & praxi receptum esse, quod principium infrà ampliùs stabiliendum etiam ex Adversariorum confessione sufficit ad conscientiam moraliter certificandam. Unde vides, tametsi remotum judicium [quod comparatione ad proximum speculativum dicimus] sit opinativum; quia tamen proximum & practicum, ex quo conscientia infertur, est moraliter certum; ideo ex probabili opinione certam conscientiam deduci posse.

§. III.

Corollaria.

12. Ex dictis inferes primò. Quo sensu verum sit, quòd quis ex conscientia probabili licitè operetur. Nam vel conscientiam vocas probabilem formaliter & intrinsecè, videlicet ex actu formali conscientiæ proximè dirigente operationem, & sic falsum est, quòd liceat operari ex conscientia probabili; quia actus conscientiæ, qui est regula honestæ operationis, debet esse certus & prudentialis; assensus verò probabilis est intrinsecè opinativus & incertus, includens formidinem oppositi. Vel vocas probabilem tanquam extrinsecè, præsuppositivè, & originativè, quia nempe originatur in speculativo judicio probabili & opinativo, tametsi ex parte ultimati assensûs sit conscientia certa absque formidine oppositi, & tunc licet operari ex conscientia probabili: tunc enim operans supponitur practicam formidinem deposuisse, & formare prudens dictamen conscientiæ, quod hactenus ostendimus. Nec refert, quantumvis ex parte judicii præsuppositi remaneat formido [quam latiori sensu etiam dubitationem appellant] obest operanti. Debet igitur operaturus ex probabili opinione, modis prædictis formidinem practicam deponere, quod si negligat, non excusabitur à peccato, quippe qui malâ fide & imprudenter operatur, ac temerè sese ingerit periculo peccandi: neque per ignorantiam invincibilem excusatur.

Inferes secundò: Non posse formari judicium certum rectæ conscientiæ ex opinione tantùm probabiliter probabili: neque proinde [nisi excusante necessitate] talis sententiæ usum & electionem licitam fore. Ita Honoratus Fabri, Tetillus, Beatus, & plerique tam Theologi, quàm Canonistæ contra Caramuelem, Tamburinum, & nonnullos alios. Ratio est: quia ut posset formari judicium certum conscientiæ, deberet adesse prævium aliquod judicium certum, quale ostendimus adesse, cùm conscientia formatur ex opinione verè ac certò probabili: sed tale nullum adest: ergo. Ais: Adesse illud: quòd opinioni probabili prudenter assentior. Contrà. Ideo prudenter assentior opinioni probabili, quia juxta prudentem & rectam rationem est digna assensu, sive quia habet talia motiva, quæ prudenter judicantur digna assensu: sed hoc solummodo convenit sententiæ verè & practicè probabili: quia quamdiu non certò constat, quòd motiva sint digna assensu, tamdiu non potest judicari opinio esse digna assensu: sed quamdiu opinio habet conjunctam formidinem improbabilitatis [uti fit in opinione tantùm probabiliter probabili] tamdiu non certò constat, quòd motiva sint digna: ergo etiam quamdiu opinio habet conjunctam formidinem improbabilitatis, tamdiu non potest prudenter judicari digna assensu. 13.

Accedit primò. Illa motiva non merentur prudentem assensum, quæ de hoc ipso sunt dubia: sed motiva, quæ faciunt aliquam opinionem probabiliter probabilem, sunt dubia, num mereantur prudentem assensum, eò quòd opposita motiva sunt tanta, ut faciant suam opinionem probabiliter certam: ergo non merentur prudentem assensum.

Accedit secundò. Quòd in probabilitate tam latè accepta vix appareat discrimen à laxitate conscientiæ & sententiarum, undequaque ab utriusque tam benignæ, quàm rigidæ sententiæ authoribus meritò impugnatâ, Pontificiis quoque decretis frequenter fulminatâ: ubi hoc tamen meritò improbandum, quòd à lustris non adeò multis quidam DD. ardentiori zelo pro morum disciplina correpti, dum vellent ac deberent laxitatem, universam probabilitatem, cujus nomine illa palliata intraverat, oppugnare cœperunt; cùm potiùs probabilitatem, sine qua inter homines nec vivitur, nec vivi potest, furto usurpatam laxitati eripere, suæ integritati restituere, & vera à fucatis distinguere debuissent.

Inferes

14. Inferes tertiò. Quemcunque probabilitatis gradum nequaquam sufficere, ut exinde recta conscientia & honesta operatio derivetur; nam tenuissimus probabilitatis gradus reperitur intra opinionem etiam tantùm probabiliter probabilem: sed ista non sufficit ad rectam conscientiam, juxta prædicta; ergo nec ille. Opposita sententia damnata meritò, & rejecta est à Summo Pontifice D. N. Innocentio XI. in nuperrimo decreto edito anno 1679. n. 3.

15. Ad rationes in contrarium, & ad 1. Respondeo negando minorem, probationem distinguo: qui habet formidinem practicam & ex parte judicii proximi, non habet conscientiam certam, concedo; qui habet formidinem tantùm speculativam, & ex parte judicii remoti, nego: Sed operans ex opinione probabili habet formidinem speculativam, concedo; practicam, nego minorem & consequentiam.

16. Ad secundum Respondeo. Ut ex opinione probabili formetur recta conscientia, esse necessarium, ut ad judicium opinativum de objecto accedat nova ratio, quæ certò persuadeat, operationem esse licitam, quod fit tum reflexione supra judicium opinativum modo explicato, tum etiam supra communem praxin, authoritatem & possessionem libertatis. Et ad illum discursum: *opus non servile &c.* dico illum esse virtualiter reflexum supra probabilitatem opinionis, propter ly *probabiliter* positum in minori, & facere hunc sensum: *Opus, quod mihi prudenter apparet non servile, possum licitè die festo exercere: sed pingere prudenter mihi apparet opus non servile: ergo possum illud hoc die festo licitè exercere.* Ubi ex utraque præmissa certa & evidenti sequitur similis conclusio. Sicut si in simili dicas: *Hunc pœnitentem prudenter absolvo, qui mihi prudenter apparet contritus, etsi forte non sit talis: sed iste mihi prudenter apparet contritus: ergo.* Hinc patet responsio ad Confirm. nam conclusio non habet majorem certitudinem, quàm præmissæ proximæ, concedo; remotæ, nego.

17. Ad tertium Respondeo. Probabilitas non potest esse regula humanæ operationis formalis, proxima, & antequam sit regulata per prudentiam, concedo; occasionalis, remota, vel quatenus regulata per prudentiam, nego.

18. Ad quartum respondeo. Si Cajus erret in sequendo opinionem probabilem, non peccare ex ignorantia vincibili, qui non adhibuit omnem diligentiam, quam potuit & debuit adhibere ad cavendum errorem: sed Cajus adhibuit omnem diligentiam, quam potuit adhibere, quia certitudinem in objecto merè probabili reperire non potuit; etiam quam debuit, quia ad plus non tenetur, quàm ne temerè & imprudenter assentiatur objecto. Ad probationem Respondeo: Ille vincibiliter errat, qui tenetur cavere errorem, adhibendo diligentiam debitam in veritate investiganda, eumque prævidet, tanquam ex omissione debitæ diligentiæ eventurum, concedo; aliàs quomodocunque eventurum, nego. Sed habens conscientiam probabilem ratione formidinis aliqualiter prævidet errorem, ut quomodocunque possibilem evenire, concedo; ut ex omissione debitæ diligentiæ eventurum, nego minorem & consequentiam.

ARTICULUS IV.

An sit possibilis electio opinionis probabilis in concursu æquè probabilis, vel probabilioris?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Fundamenta Mercori negantis hanc possibilitatem.*
3. *Impugnatur hoc singularis sententia.*
4. *Rationes pro possibilitate eligendi probabiliorem.*
5. *Solvuntur rationes Mercori.*
6. *Fundamenta sententiæ negantis possibilem assensum opinionis æquè probabilis.*
7. *Impugnatur hac sententia.*
8. *Et probatur opposita.*
9. *Respondetur ad rationes sententiæ contrariæ.*
10. *Rationes sententiæ negantis posse intellectum assentiri opinioni minùs probabili.*
11. *Impugnatur hac sententia & opposita statuitur.*
12. *Respondetur ad opposita fundamenta.*

§. I.

Statuitur possibilitas eligendi probabiliorem in concursu minùs probabilis.

1. Convenit inter omnes, posse quempiam eligere opinionem magis tutam, faventem præcepto, sive illa sit magis, æquè vel minùs probabilis, quàm opposita; tunc enim ex indubia honestate objecti movetur ad operandum, & formandum rectæ conscientiæ judicium. Nec minùs convenit, licitum esse sequi probabilem opinionem, cui in intellectu opinantis contradictoria nulla opponitur. Quæritur ergo, an, cùm duæ opiniones contradictoriè oppositæ, quarum una tutior, & favens præcepto [asserens actum illicitum] altera favens libertati [v. g. asserens actum licitum, nullam esse obligationem &c.] eidem intellectui objiciuntur, suntque ex gravibus motivis probabiles, possit intellectus minùs tutæ, sive magis, sive æqualiter, sive minùs probabili assensum præbere: & eò quidem sententiæ rigidæ argumenta provehuntur, ut non tantùm contendant, intellectum hoc licitè & prudenter non posse, sed ne quidem defectu sufficientis libertatis physicè posse, ita nimirum ut intellectus utriusque partis motivis ceu vinculis impeditus in neutram partem resolvi queat. Hanc partem præsenti, priorem sequentibus §§. disquirimus. Unde

2. Quæritur primò. An possit intellectus assentiri opinioni probabiliori in concursu, & sensu composito opinionis minùs, sed verè probabilis? Et contra communem aliorum opinionem & experientiam Respondet Jul. Mercorus p. 2. art. 7. negativè.

negativè. Et argumentatur primò: Intellectus de utraque parte contradictionis dubius, de neutra potest opinari: sed intellectus, cui una pars apparet magis, altera minùs probabilis, est dubius: ergo de neutra potest opinari. Major constat; quia in hoc differt opinio à dubio, quod istud suspendit; illa absolutum, quamvis formidolosum præbet assensum. Minor probatur: motivum grave & urgens causat dubium formale: sed opinio verè probabilis, tamen habet motivum urgens & grave: ergo causat dubium, & retrahit intellectum ab assensu propositionis probabilioris.

Secundò. Nemo opinatur, qui non solvit argumenta contraria, quemadmodum fert omnium Scholasticorum consuetudo & methodus: sed cùm simul opinioni probabiliori alia probabilis in intellectu opponitur, istius argumenta non sunt soluta; si enim forent soluta, jam non esset probabilis: ergo non potest intellectus de probabiliori opinari.

Tertiò. Si quis in bivio cònstitutus ignoraret viam, quæ ducit ad prata, vel ad nemus, in quo sunt leones, & interrogaret obvios, virum maturum & fœminam, & vir diceret, tene dexteram; fœmina, tene sinistram; licèt testimonium viri ratione sexûs esset probabilius, talis tamen viator ratione periculi imprudenter istud sequeretur: ergo similiter dic de intellectu constituto inter sententiam minùs probabilem, & probabiliorem, quarum alterutra certò ducit ad falsitatem.

3. Contra hanc tamen singularem sententiam est primò. Quòd cùm ipsam traderet Author illius, sanè non secutus est magis, sed minùs probabilem; quippe contra torrentem aliorum Authorum tam pro benigna, quàm rigida sententia scribentium: neque solvit graves rationes ipsorum; & tametsi solvere sibi visus fuisset, non ideo potuisset de tali solutione certificari, ut non illæ servarent efficaciam suam, & virtutem inclinativam in assensum; neque enim ipsius vel authoritas, vel rationes sunt tanti momenti, ut non maximo excessu superentur ab oppositæ sententiæ motivis & authoritate. Contra est secundò omnium inter duas contradictionis partes probabiles consultantium, & de alterutra determinantium experientia: quibus frequentissimum est, allatis utrinque rationibus ita adhærere probabiliori, ut tamen fateantur oppositam esse probabilem. Ita reperies in Thomistis scribentibus contra Scotistas, & econtrà. Imò nec S. Thomas aliter sententias probabiles tractavit & tradidit: Longissimè enim abest ab ipsius modestia, ut sententias oppositas, tametsi minùs probabiles, semper voluerit, aut aliquando potuerit improbabilitatis damnare.

4. Dicendum igitur est: posse, imò actu assentiri intellectum opinioni probabiliori in sensu composito alterius minùs probabilis. Ratio à priori est primò: Certissimum est, intellectum posse opinari, & sæpissimè opinari de parte magìs probabili: sed quoties de illa opinatur, toties eidem assentitur in sensu composito alterius etiam probabilis: ergo Minor probatur. Opinari est assentiri cum formidine oppositi: sed qui assentitur cum formidine oppositi, agnoscit alterius partis oppositæ motiva esse probabilia; si enim illa non appareant probabilia, sed improbabilia opinanti, jam intellectus alterius sententiæ motivis & evidentiâ convictus, certum, non opinativum præstaret assensum: ergo quisquis opinatur de sententia magis probabili, illi assentitur in sensu composito alterius etiam probabilis, non tantùm pro alterius, ut vult Mercorus, sed etiam pro suomet intellectu. Sic Thomista, tenens materiam primam non posse divinitùs existere sine omni forma, adhæret huic sententiæ tanquam probabiliori, etiam relatè ad argumenta contradicentium, quæ etiam in sensu composito suarum rationum judicat esse probabilia, eò quòd intellectus illa argumenta tanrùm probabiliter solvat, nec maneat illis rationibus & solutionibus convictus.

Ratio est secundò. Quando veritas objecti non est evidens, tunc potest intellectus à voluntate liberè applicari ad assensum: sed veritas minùs probabilis objecti non est evidens: ergo poterit intellectus à voluntate liberè applicari ad assensum probabilioris, non obstante oppositâ probabili, maximè cùm in partem probabiliorem major sit intellectûs propensio: &

Confirmatur 1. Non obstant motiva evidenter probabiliora, quin voluntas subinde applicet intellectum ad judicium temerarium ex levissimis motivis ferendum, quantò minùs obstabunt minùs probabilia, quin applicet intellectum ad assensum opinionis probabilioris?

Secundò. Voluntas [ut Adversariorum utar instantiâ] non impeditur à minori bono, quin eligat majus bonum: ergo nec intellectûs à vero minùs probabili, quin feratur in magìs probabile, cùm non minùs connaturali propensione feratur in verum, quàm voluntas in bonum.

Ad 1. nego minorem & majorem probationis; 5. non enim formido cum dubio formali & propriè sumpto confundi debet: Qui dubitat, nihil determinatè judicat; qui formidat, judicat determinatè, ut tamen metuat de veritate oppositi: ut si dicas: *Credo, quòd Titius mittet pecuniam, quam promisit, etsi timeam, ne fortè per oblivionem non sit missurus.*

Ad 2. distinguendo majorem: solvit argumenta contraria probabiliter, transeat; (hoc enim locum habet solummodo in opinante docto, qui motiva utriusque partis funditùs examinat) evidenter, nego. Aliàs jam sententia non esset probabilior, sed certa, quod est contra hypothesin.

Ad 3. Respondeo: Hac paritate non probari intentum, quia non probatur, intellectum non posse simpliciter amplecti probabiliorem [ut contendebat Mercorus] sed tantùm prudenter. Respondeo secundò, retorquendo paritatem: nam pone abesse periculum leonum, & viatorem quærere solùm de via ducente ad terminum intentum, certè poterit & quidem prudenter sequi consilium viri gravis, relicto consilio fœminæ: ergo & intellectus poterit & quidem prudenter sequi motiva opinionis probabilioris relictis motivis opinionis minùs probabilis. Respondeo 3. disparitatem esse, quòd ille itinerans non progrediendo à periculo se servat incolumem, quod progre-

progrediendo verisimiliter incurreret. At intellectus suspendendo judicium, omnem veritatem circa objecta opinabilia respueret, quod est grave malum ipsius: cùm enim in paucissimis habere possit evidentiam, est ipsi longè optabilius cum aliquo errandi periculo probabilem veritatem amplecti, & in suum connaturale bonum, meliori, quo potest, modo ferri, quàm eodem totaliter destitui.

§. II.

Statuitur possibilitas eligendi æquè probabilem.

6 Quæritur secundò. An possit intellectus assentiri opinioni probabili in concursu æquè probabilis? Et videtur quòd non. Nam primò intellectus inter motiva æqualiter moventia est velut in bilance æqualiter librata constitutus: unde in neutrâ partem præponderare potest.

Secundò. Voluntas inter duo media æqualia pendens neutrum potest eligere, juxta communem Thomistarum cum S. D. 1. 2. q. 13. a. 6. ad 3. ergo & intellectus inter motiva æqualiter probabilia constitutus, neutri potest assentiri.

Tertiò. Intellectus agnoscens æqualem probabilitatem inter utramque partem contradictionis, est inter utramque dubius: ergo de neutra potest opinari. Antecedens est D. Th. de verit. q. 13. a. 1. *Quandoque*, ait, *intellectus, non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud, vel propter defectum moventium, vel propter apparentem æqualitatem eorum, quæ movent ad utramque partem; & ista est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis.*

Quartò. Tunc intellectus non potest dare determinatum assensum, quando ex parte objecti non videt majorem rationem assentiendi, quàm dissentiendi: sed intellectus in nostra hypothesi ex neutra parte videt majorem rationem assentiendi, quàm dissentiendi: ergo neutri parti dat assensum. Minor probatur. Uti ratio dissentiendi est falsitas, ita ratio assentiendi est veritas; sed in æquali probabilitate ex neutra parte apparet major veritas vel falsitas; imò utrinque quantum intellectus sperat de veritate, tantùm metuit de falsitate: ergo ex neutra parte intellectus invenit majorem rationem assentiendi, quàm dissentiendi.

Quintò. Non esset ratio, cur intellectus non daret assensum utrique parti contradictionis; siquidem tanta est efficacia motivorum ex una parte, quàm ex altera.

Sextò. Hoc ipsum variis exemplis comprobatur. Neque enim judex in pari causa partium ferre potest sententiam pro una parte determinata. Neque si emptor tibi exhiberet duas æquales monetas, quarum unam scires certò falsam, alterutram pro pretio rei venditæ eligeres. Neque alterutram ex duabus navibus, quarum utraque appareret æqualiter tuta, altera tamen certò naufragatura: neque unum è duobus poculis æqualibus, quorum alterutri inesset venenum &c. Applica hæc intellectui, qui inter duas partes contradictionis æqualiter probabiles medius, scit uni ipsarum subesse falsitatem, quæ est deceptio, malum, naufragium, venenum intellectûs &c.

Contra tamen sunt pleraque, quibus priorem conclusionem firmavimus. Nam sententia æquè probabilis non minùs est digna assensu, quàm probabilior, & cùm non habeat motiva evidentia, non convincit intellectum, sed relinquit ipsum à voluntate determinabilem: ergo sicuti à voluntate potest intellectus applicari ad assensum probabilioris; ita & ad assensum æquè probabilis, & sicuti non possunt motiva opinionis minùs probabilis illam applicationem impedire, ita nec poterunt impedire motiva opinionis æquè probabilis &c. 7.

Dicendum igitur est: Posse intellectum à voluntate applicatum assentiri uni opinioni probabili, relictâ alterâ, quam censet æqualiter probabilem; quamvis hoc raró videatur contingere; ut adeò omnimoda æqualitas inter motiva ex utraque parte ponderantia reperiatur, quin vel ab extrinseca authoritate, vel à ratione partim directa, partim reflexa pars altera præponderet. Et ratio est: tunc potest intellectus assentiri in actu secundo uni ex duabus opinionibus, quarum utraque repræsentatur æqualiter probabilis in actu primo, quando potest à voluntate liberè ad alterutram determinari: sed potest: ergo. Major patet: nam in defectu evidentiæ objecti voluntas suo impulsu intellectum determinat. Minor probatur. Quoties voluntas invenit motivum potiùs inclinandi in unam quàm alteram partem, toties potest illam eligere, subditasque potentias ad illam determinare: sed in æquali probabilitate duarum opinionum voluntas invenit motivum, ut magis uni, quàm alteri adhæreat, & ad ejus assensum intellectum determinet: ergo. Minor probatur. Quando voluntas eligit unam ex duabus opinionibus sub æquali probabilitate repræsentatis in actu primo, adæquata ratio eligendi non est semper probabilitas, sed v. g emolumentum aliquod temporale rei domesticæ, quatenùs concessum: sed tunc voluntas præter probabilitatem invenit aliud motivum trahens ad electionem: ergo. Res patebit exemplò. Deliberas, an licitè emas censum? & ex una parte probabiliter licitus, ex altera sub æquali probabilitate apparet contractus illicitus: simul verò repræsentatur rei domesticæ emolumentum, si emas; dispendium, si emptionem negligas. Ex utraque parte adest sufficiens probabilitas, ut prudenter eligas; ex altera etiam motivum utilitatis domesticæ, quo fit, ut voluntas magìs inclinet in judicium, quo iste contractus affirmatur licitus, quàm quo illicitus. 8.

Et sanè si voluntas non obstante majori probabilitate, credibilitate, imò morali certitudine partis oppositæ frequenter impellit, & determinat intellectum ad assensum temerarium, hæreticum: cur non poterit determinare intellectum ad assensum opinionis probabilis, non obstante æquè probabili oppositâ? Ais: Imprudenter determinaret. Contra Quærimus in præsenti, an simpliciter & physicè possit? hoc enim, aut parum, aut nihil probant argumenta Adversariorum. An licitè & prudenter? videbimus §. seq.

Ad fundamenta opposita & ad . Respondeo, bilancem tamdiu mansuram in æquilibrio, quamdiu ex parte altera nullum novum pondus. vel 9.

impulsus accedit. Atqui in æquali probabilitate accedit ex altera parte impulsus voluntatis, ut dictum. Hinc etiam patet ad 2. nam adæquatum motivum voluntatis est bonum repræsentatum: unde nisi appareat major bonitas in una parte, quàm in altera, non est, cur in unam potiùs, quàm in alteram inclinet: atqui motiva probabilia, hôc ipsô, quòd non sint evidentia, non sunt tota ratio trahendi intellectum, sed relinquunt determinationem libero imperio, & impulsui voluntatis.

Unde ad tertium. Intellectus est dubius inter utramque partem æqualiter probabilem, antecedenter ad determinationem voluntatis, transeat: consequenter ad illam, nego. Et hoc sensu loquitur S. D.

Ad 4. nego minorem. Invenit enim voluntas ex una parte rationem & motivum, ex quo magis intellectum determinat ad assensum quàm dissensum, vel econtra. Est quidem ratio assentiendi veritas, & dissentiendi falsitas, ut conjuncta cum motivis voluntatem inclinantibus, concedo; ut sejuncta, nego. Ergo intellectus ex neutra parte invenit majorem rationem assentiendi, præcisè vi veritatis probabiliter repræsentatæ, transeat; vi alterius motivi conjuncti, quo voluntas inclinatur ad imperandum assensum, nego consequentiam.

Ad 5. Nego sequelam; neque enim adæquata ratio extorquendi assensum sunt illa motiva probabilia, sed etiam impulsus voluntatis.

Ad 6. Respondeo. Illa exempla non probare impossibilem assensum opinionis æquè probabilis, ut patet, quod tamen hic controvertitur. Sed neque probant imprudentem assensum. Non exemplum de Judice, is enim ex justitia obligatur sententiam ferre juxta merita causæ, quæ si sint utrinque æqualia, poterit utrique parti satisfacere, vel rei divisione, vel partium compositione. Ast inter opiniones probabiles de honestate actûs nullus compositioni, aut divisioni locus; nulla juris alicujus nedum justitiæ obligatio, ut neutri parti accedas; cùm ex hoc maximum damnum, nempe dispendium plurimarum veritatum probabilium, sine quibus oportet ignorantem vivere, incurreres. Reliqua etiam exempla à Mercoro concionatoriè allata nil evincunt, cùm errent in supposito consequentis; neque enim periculum qualecunque erroris aut falsitatis invincibilis [qualis est cùm post diligentem investigationem certa veritas inveniri non potest] est illud vulnus, venenum, naufragium &c. quod dicitur, non probatur. Præstat aliquando falli inculpabiliter, ut plurimarum veritatum probabilium notitiâ, & necessariâ civilium commerciorum commoditate fruaris, quàm timidum ac desidem intellectum à probabilium veritatum assensu suspensum tenere, & plurima ignorare, ne pauca ignores.

§. III.

Statuitur possibilitas eligendi opinionem minùs probabilem.

10 Quæritur tertiò: Fierine possit, ut intellectus opinioni minùs probabili adhæreat illâ relictâ, quæ sibi hic & nunc apparet probabilior? e. g. an intellectus habens motivum vehementiùs incitans ad credendum, quòd sibi non sit licitum pingere die festo, quàm quòd sit licitum, possit nihilominùs flecti in assensum posterioris opinionis? Et rigidioris sententiæ Patroni [quibus in hac parte accedit Esparza a. 112. & sequent.] consequenter ad superiora respondent negativè.

Probant primò Argumentis contra assensum opinionis æquè probabilis n. 6. adductis, & in hac rem facilè accommodandis.

Secundò. Impossibile est, ut intellectus existimet illam sententiam esse veram, quæ sibi magis apparet falsa, & è converso, ut abjiciat illud objectum, quod sibi magis apparet verum; sicut est impossibile, ut quis judicet esse nigrum, quod sibi magis apparet album, & econtra: sed opinio minùs probabilis magis apparet falsa, & econtra magis probabilis magis apparet vera: ergo est impossibile, ut intellectus existimet sententiam minùs probabilem in concursu probabilioris esse veram, utque proinde ipsi assensum præbeat.

Tertiò. Quælibet potentia naturaliter tandit in suum objectum, quantùm potest, & tantùm abhorret à suo opposito; veluti patet in gravibus & levibus, quæ, quantùm possunt, tendunt in suum centrum: sed verum est objectum intellectûs, ita ut in judicando connaturaliter quærat dicere veritatem, & istud magis resplendet in magis, quàm minùs probabili opinione: ergo intellectus connaturaliter ferri debet in magis probabilem opinionem. Confirmatur: Connaturalis inclinatio intellectûs in verum facit, ut illa potiùs amplectatur, quæ magis, quam quæ minùs conducunt ad assecutionem hujus finis: sed assentiendo opinioni magis probabili, existimat se faciliùs consequi veritatem, quàm assentiendo minùs probabili; ergo.

Quartò Volnntas non potest eligere minus bonum, relicto præstantiori: imò bonitas præstantior extinguit & supprimit bonitatem debiliorem: ergo pariter intellectus non potest adhærere opinioni minùs probabili in concursu probabilioris; imò illa probabilitas per affulgentiam majoris probabilitatis absorbetur & oblitteratur.

Contrà tamen est, quòd motiva opinionis probabilioris non elidunt efficaciam motivorum opinionis minùs probabilis, neque sunt evidentia & convincentia, adeòque adhuc intellectus subest liberæ applicationi voluntatis non tantùm quoad exercitium, ut possit suspendere probabilioris assensum, sed etiam ut ad ejusdam impulsum possit elicere opinionis minùs probabilis assensum. Adstipulatur pariter experientia: nulla enim opinio probabilis tanto excessu superat probabilem oppositam, quanto excessu fides Catholica superat quamcunque hæresin, & sectam oppositam: sed stantibus motivis potioris credibilitatis pro assensu fidei Catholicæ, etiam relatis ad motiva faventia hæresi, quæ cognoscuntur esse longè minoris momenti, quàm illa pro assensu fidei Catholicæ, adhuc potest voluntas intellectui imperare assensum hæreticum: ergo multò magis stantibus motivis majoris probabilitatis, potest voluntas imperare intellectui assensum sententiæ minùs probabilis. 11

Adde

Adde quòd hæc quæstio & controversia tam declamata: *An homo peccet sequendo minùs probabilem in concursu probabilioris?* esset de subjecto non supponente; siquidem homo non posset ex mente adversariorum mentem detorquere ad assensum minùs probabilis cognitæ ut talis, sicque cessaret omne litigium.

12. Nec difficilis est responsio ad objecta: nam argumentis ex n. 6. applicabilibus satisfactum est n. 9. Ad 2. distinguo majorem. Impossibile est, ut intellectus judicet sententiam esse absolutè veram [ut loquitur Jo. à S. Th.] quæ sibi magis apparet falsa, concedo; ut judicet esse veram apparenter, & probativè, nego. Ut enim bene advertit prædictus Jo. à S. Th. disp. 12. a. 3. n. 46. & Gabriel Beatus q. 5. n. 19. assensus probabilis non judicat suum objectum esse verum absolutè & in esse, sed cum restrictione, & in apparere; scilicet quantum est ex vi motivi, quod habet ad talem assensum. Cùm igitur motiva opinionis probabilioris non impediant, quò minùs motiva sententiæ verè, sed minùs probabilis faciant illam apparere veram, nil obstat, quin illa ex vi talium motivorum vera judicari possit. Instantia de nigro & albo non est ad rem, quia, quod magis apparet album, non habet incertitudinem de albedine, sicuti quò magis apparet verum, habet incertitudinem de veritate: tam enim falsitas potest subesse magis, quàm minùs probabili opinioni: neque dantur motiva suadentia aliquid esse nigrum, quod magis apparet album, dum contrà dantur motiva suadentia esse verum, quod oppositis motivis magis repræsentatur falsum.

Ad 3. distinguo majorem. Quælibet potentia naturaliter tendit in suum objectum, quantùm potest, potentiâ vel absolutâ, vel morali & proportionatâ subjecto, concedo; potentiâ simpliciter & absolutâ, nego. Aliàs argumentum probaret, quòd intellectus deberet omni possibili intensione ferri in suum verum, sicuti Lapis fertur in centrum, ad quod naturaliter est determinatus. Cùm ergo modus connaturalis, & humanæ naturæ accommodatus sit, ut in defectu evidentiæ per liberam voluntatis applicationem sectetur verum, quod prudenter apparet tale, satisfaciet connaturali inclinationi, si sectetur verum probabile, tametsi minùs tale. Ad confirmationem distinguo majorem; si media sunt certa ad consecutionem veritatis, & intellectus à sola objecti veritate trahatur, transeat; si sunt incerta, ut in probabilibus, & insuper accedat impulsus voluntatis, nego.

Ad quartum nego inprimis paritatem. Nam ideo voluntas non potest eligere minus bonum in concursu majoris, quia minus bonum, quatenus dicit privationem majoris boni, est aliquod malum voluntatis; sed verum minùs probabile nullam dicit privationem veritatis majoris & probabilioris: tum quòd veritas consistat in indivisibili, nec recipiat magis & minus ut bonum: tum quòd utrumque verum seu magis seu minùs probabile adjunctam habeat formidinem falsitatis. Deinde retorqueo paritatem. Cùm plura sunt media inæqualiter conducentia ad eundem finem, potest voluntas eligere medium minùs utile, dummodò per illud speret consequi suum finem, & aliunde accedat illi medio aliqua bonitas, quâ voluntatem alliciat, ut si præ cælibe, & religiosa vita statum sæcularem utilem quidem, sed minùs certum ad consecutionem salutis eligas, isque videatur tuo genio & inclinationi magis accommodus: ergo pariter intellectus poterit assentiri opinioni licèt minùs probabili, dum ex alterius motivi instinctu accedit voluntatis impulsus. Manet ergo, nullum esse physicum defectum libertatis, ut intellectus opinioni probabili, in concursu minùs, æquè, vel magis probabilis nequeat assentiri.

ARTICULUS V.

An liceat sequi opinionem minùs tutam, minùsque probabilem in concursu probabilioris?

SUMMARIA.

§. I.

Resolutio negativa in dubio facti & valoris.

Notandum primò. In hac quæstione illam opinionem, quæ inter contrarias Doctorum opiniones, an aliquid sit licitum, nec ne? negat esse licitum, & stat pro legis obligatione, communiter appellari tutiorem, eò quòd tali opinioni ad- 1.

ni adhærentes, dum ab omni operatione abstinent, nulli se periculo vel formaliter, vel materialiter, contra legem operandi committunt; cùm econtrà qui sequuntur oppositam opinionem, libertati & commodo sive privato sive communi faventem, saltem in periculo versentur, ne materialiter peccent contra legem, cùm forsan à parte rei talis actus legi Divinæ non sit conformis: ideoque opiniones libertati faventes, quæ actum licitum affirmant, minùs tutæ appellari solent, quamvis revera sint simpliciter tutæ, quatenus carent omni periculo inhonestatis formalis. Nam bene distinguendum est inter inhonestatem formalem & materialem. Formalis est, quâ actus, quatenus ab operante procedit, est difformis rectæ rationi, eique imputabilis in culpam. Materialis, quâ actus secundùm se est difformis legi, quamvis fortè ob invincibilem ignorantiam hujus difformitatis operanti in culpam imputari non possit.

2 Notandum secundò. Majorem probabilitatem intrinsecam [quæ majoribus à ratione fundamentis nititur] non esse adeò perspicuam; neque enim consistit in indivisibili, cùm pro dispari ingeniorum conditione hæc pars uni, illa alteri, ista Thomistæ, opposita Scotistæ probabilior videatur: neque de majori minorive probabilitate, nisi à litteratis, qui rationum pondera utrinque exactè appenderunt, judicium ferri possit. His positis nemini dubium est, esse rem optimi consilii, amplecti tutiora, & à periculo vel materialiter tantùm legem DEI transgrediendi remota. Quæritur verò sitne præceptum & obligatio, in omnibus tutiora [ita sentiunt Vincent. Baron. Jul. Mercor. Wendrochius, & in materia juris naturalis Sinnichius] vel certe probabiliora [ut Joan. Bapt. Gonet. Vincent. Contenson, aliique sententiæ rigorosæ Patroni] sectandi. Ubi distinguendum est inter opiniones contrarias; nam aliquæ versantur circa actiones & jus, aliquæ circa res vel factum. Illæ sunt, quæ præcisè in utramque partem disputant, an aliqua actio sit præcepta vel prohibita; licita vel illicita? v. g. *sitne licitum pingere die festo? sitne necessaria attentio in recitando Divino officio?* Istæ, quæ disputant, utrùm à parte rei hæc actio sit valida, vel non? an sequatur ex tali opere tale damnum, vel non? v. g. *an accusatus sit nocens? an hæc medicina sit obfutura?* &c. Multùm enim inter utramque interest: quia rectitudo & honestas formalis actionis non tam desumitur ex eo, quod est à parte rei, quàm quòd apparet inculpabiliter operanti; unde potest quandoque contractus in se usurarius, tamen esse licitus propter bonam fidem, & invincibilem ignorantiam operantis; at verò valor Sacramenti, veritas alicujus periculi & damni non desumitur ab eo, quòd ita vel aliter appareat operanti, sed quia à parte rei ita se habet. Unde licèt tibi forma aliqua ad Sacramentum sufficiens videatur, si tamen à parte rei non sufficit, nullum conficis Sacramentum; cùm ipsius valor non à tua opinione, sed à Christi institutione dependeat.

3. CONCLUSIO PRIMA. *Cùm opiniones contrariæ versantur circa valorem rei, & quæstionem facti, ubi intervenit speciale præceptum charitatis, justitiæ, vel religionis, quo tenemur abstinere ab actione, quâ prævidetur probabile damnum temporale, vel spirituale proximi, aut nullitas Sacramenti, tenemur sequi partem tutiorem, quæ sola in tali casu est practicè probabilis.* Ita communiter Authores utriusque sententiæ tam benignæ, quàm rigorosæ. Et ratio est: Illa solùm opinio est practicè probabilis, ex qua possum formare certam conscientiam de honestate, & deponere practicam formidinem de formali inhonestate meæ operationis: sed sola opinio tutior in proposito est talis; ergo. Minor ostenditur: formalis inhonestas operationis in hoc casu consurgit ex proximo periculo damni proximi, vel invaliditatis Sacramenti &c. sed qui non sequitur tutiorem, committit se tali periculo proximo, cùm non sit certus, ne ex sua actione sequatur tale damnum, vel invaliditas Sacramenti. Major probatur. Eâdem lege charitatis, justitiæ, religionis, quâ prohibetur damnum proximi, vel præcipitur confectio veri, & certi Sacramenti, prohibetur proximum periculum damni, vel non conficiendi verum Sacramentum: sed est certa obligatio charitatis, justitiæ, religionis ad vitandum damnum, conficiendum verum Sacramentum &c. ergo est etiam certa obligatio ad vitandum periculum &c. Neque hîc suffragatur possessio libertatis, lex enim est certa, & in possessione, dubium verò est, num partem solùm probabilem & minùs tutam sequendò tali obligationi satisfacias, ideoque nullum habes fundamentum practicam formidinem deponendi, quamdiu tutiora non sequeris. Particularem hujus doctrinæ applicationem infrà dabimus.

§ II.

Statuitur licita sequela sententiæ probabilis minùs tutæ, seu faventis libertati.

CONCLUSIO SECUNDA. *Cùm quæstio est de honestate actionis, prudenter & licitè eligitur sententia verè probabilis, quantumvis sit minùs tuta & favens libertati.* Ita Authores benignæ sententiæ paulò inferiùs allegandi contra Jul. Mercor. & Vinc. Baron. qui contendunt, ne quidem licitum esse usum opinionis probabilioris, si sit minùs tuta, & 4.

Probatur primò. Opinio verè probabilis gignit prudentem assensum, ut §. 4. ostendemus, ex prudenti assensu formatur conscientia recta, ex ista sequitur licitus usus ejusmodi opinionis: sed opinio, quantumvis minùs tuta, est verè probabilis, ut supponitur. Ergo illi prudenter assentimur, eamque bonâ conscientiâ sequimur.

Secundò. Si non possemus sequi probabilem opinionem, vel probabiliorem minùs tutam, esset vel periculum peccati, vel præceptum, quod in dubiis tutior pars sit eligenda: sed neutrum dici potest; ergo. Non primum; quia nulla est obligatio evitandi peccata materialia; talis enim lex & obligatio foret de re impossibili, inutili, nociva, nec ampliùs ignorantia invincibilis excusaret, ut tu fusè deducit Esparza à q. 22. ad 25. & claudit cum D. Augustino l. de utilit. cred. c. 12. dicente: *Multa possunt afferri, quibus ostendatur, nil omnino humanæ societatis incolume remanere, si nil*

si nil credere [opinativè judicare] *statuerimus, quod non possumus tenere perceptum.* [hoc est, certò cognitum] de quo illo libro. Non secundum; quia quòd illa regula non continuat vim præcepti, nisi in dubio practico, & ubi non est sufficiens fundamentum dubietatem aut formidinem deponendi, dictum est disp. 12. a. 4.

5. Probatur tertiò ab absurdis à Mathia de Moya latè congestis tr. 1. de opin. prob. q. 5. sequitur enim primò contra illos Thomistas, qui usum probabilioris minùs tutæ interdicunt, nullam sententiam à D. Thoma, vel Scoto in re morali & opinativa traditam, nisi legi faveat, ad praxin servire posse: quia, esto sit probabilior, erit minùs tuta. Quis autem nescit, ab utraque Scholæ Angelicæ, & subtilis Principe multas opiniones esse traditas, quæ non legi, sed libertati favent? Viginti exempla è D. Thoma affert cit. de Moya, è quibus unum duntaxat alterumque delibo. Docet S. D. in 4. dist. 17. q. 3. a. 4. q. 1. in c. fictè (hoc est absque dolore sufficienti ad remissionem mortalium, quæ clavibus subjicit) confessum non teneri ad iterandam confessionem, sed tantùm ad fictionem suam postmodum confitendum. Circumstantias notabiliter aggraventes intra eandem speciem non necessariò subjiciendas confessioni. ibid. dist. 16. q. 3. a. 2. q. 5. Non esse obligationem subveniendi extremè indigenti ex bonis ad decentiam status conservandam simpliciter necessariis 2. 2. q. 32. a. 6. quæ sententiæ utpote non legi, sed libertati faventes, sunt min s tutæ, habentque oppositas opiniones tam ab authoritate, quàm ratione probabiles. Similia exempla è Seraph. Doctore D. Bonavent. & subtili Scoto affert Herincx q. 3. §. 2.

6. Sequitur secundò. Summos Pontifices mortaliter peccâsse, quoties in voto solenni cum Religiosis professis dispensârunt, in ordine ad contrahendum matrimonium, vel in matrimonio rato non consummato, vel quoties sententiam minùs tutam in ferendis sententiis sunt secuti, quam sequelam concedere vix non est temerarium. Sequela probatur: nam SS. Pontifices in ejusmodi dispensationibus secuti sunt sententiam probabilem minùs tutam, & siquidem secundùm principia Adversf. minùs probabilem, siquidem egerunt contra doctrinam S. Th. in cujus sententia votum solenne Religionis est indispensabile: sententia autem D. Th. aut est [ut vult Vinc. Baron.] omnino moraliter certa, aut probabilissima. quòd verò ita dispensârint, & sententiam dixerint, constat ex probatissimis authoribus, qui cum Baronio ad annum 1041. referunt Alexandrum III, Honor. II. Cælestinum III. Clementem II. in voto solenni Religionis dispensâsse. D. Gregor. VII. Mart. V. aliique complures leguntur in matrimonio rato dispensâsse contra tutiorem & probabilem, imò ut Sanchez vocat l. 2. de matr. disp. 14. n. 1. probabilissimam Scotistarum aliorumque DD. affirmantium, matrimonii rati vinculum nulla dispensatione esse solubile. Similiter Summi Pontifices aliquando ex opinione, & quidem minùs tutà, dedisse responsa etiam contraria satis colligitur ex c. *licèt de Sponsa duorum.* Ubi Alexander III. mandat, insisti matrimonio rato priùs contracto, etsi posteriùs initum fuisset cum altero consummatum, addens: *Quamquam aliter à prædecessoribus nostris sit aliquando judicatum.*

Et Innocent. III. c. *Tuas fin. eodem.* tractans de consuetudine Ecclesiæ Mutinensis adhuc contraria prædicto c. *licèt*, non damnat contracta, sed *in matrimoniis* [inquit] *de cætero contrahendis illud* [quod in c. *licèt* decernitur] *Te volumus observare.* in quod cap. Covarr. in 4. *Decret.* c. 7. §. 3. n. 5. citatus ab Herincx l. cit. *Potuit autem illa consuetudo, si rationabilis à viris doctis censebatur, à peccato excusare, etiam in Divino judicio, & sic in foro conscientiæ.* Leo X. & PP. Concilii Lateranensis declarârunt licitos esse Montes pietatis relictâ tutiori opinione Cajetani & aliorum, quæ favebat legi naturali, eosque illicitos affirmabat.

Sequitur tertiò Omnes Summas & libros de rebus moralibus tractantes fore prohibendos, tanquam perniciosos & materiam peccandi legentibus ministrantes, eò quòd vix ulla in iis reperiatur opinio pro libertate, quæ non habeat probabilem oppositam faventem legi, adeòque tutiorem. 7.

Sequitur quartò. Non rectè in materiis controversis fidei vel morum à Summ. Pontif. usque ad ulteriorem Ecclesiæ declarationem permitti libertatem opinandi pro qualibet parte, cùm tutius esset suspendere judicium, ut quis ab omni periculo circa fidem vel mores errandi esset immunis. Et tamen contraria praxis est luce meridiana clarior, & patet ex c. *Capellanus de feriis.* & c. *Litteras de restit. spoliatorum.*

Sequitur quintò. Nec tolerandas esse Scholas unius Doctoris v. g. Angelici, vel Subtilis authoritati addictas, nec posse ampliùs vel Thomistam, vel Scotistam jurare in verba Magistri: siquidem impossibile est, ut in tot sententiarum invicem confligentium, copia non sint aliquæ faventes libertati, & hôc ipsô minùs tutæ.

Sequitur sextò. Damnandos etiam esse SS. PP. & S. Scripturæ interpretes, qui in expositione S. Script. secundùm probabile judicium opiniones contrarias (in quibus periculum falsitatis subest, cùm ex duabus oppositis altera necessariò debeat esse falsa) tradiderunt, & sæpe proprias mutârunt, revocârunt; cùm utique tutiùs & ab omni falsitatis periculo remotiùs egissent, si judicium suum suspendere maluissent.

Sequitur septimò. Nec subditos rectè parere Superioribus juxta benigniorem opinionem jubentibus aut permittentibus, nec Superiores bene præcipere, vel permittere, nisi quæ sint strictiora & rigidiora; Leges quoque ipsas & consuetudines, quippe frequenter in probabili & minùs tutâ opinione fundatas, de suo vigore suspectas fore.

Quibus omnibus rectè pensatis sic firmatur nostra assertio. Illud ex omnium confessione certò prudenter, & licitè sequor, quod est conforme communi Summorum Pontif. & Ecclesiæ, Tribunalium, Doctorum sanctitate & pietate præstantium, integrarum Religionum, & Academiarum praxi: sed operari secundùm sententiam verè probabilem, quamvis minùs tutam est conforme prædicto modo &c. ergo opinionem verè probabilem relictâ tutiori licitè sequor. Sed etiámne, si illa opinio sit minùs probabilis?

§. 3. Sta-

§. III.

Statuitur licita sequela sententiæ minùs probabilis & minùs tutæ in concursu probabilioris.

8 CONCLUSIO TERTIA. *Licet in praxi sequi sententiam minùs tutam & minùs probabilem relictâ probabiliori.* Ita Authores iidem. Probatur primò ex fundamentis prosuppositis. Omnem opinionem verè practicè probabilem prudenter eligo: sed opinio quamvìs minùs tuta & minùs probabilis est tamen verè probabilis: ergo illam prudenter eligo.

9. Occlamat Mercorus, & ex hoc Vinc. Baron. hanc probationem esse paralogismum, & continere fallaciam compositionis, dum nempe transitur à probabili opinione simpliciter, & non impedita, ad probabilitatem minorem, & impeditam. Sed Contra est, quòd minorem probabilitatem in concursu probabilioris dicunt esse impeditam, non probant. non enim motiva potiora alterius partis auferunt vim & efficaciam probabilitatis motivis minùs vehementibus, aliàs quælibet opinio minùs probabilis in sensu composito probabilioris fieret improbabilis, quod est falsum; siquidem, ut ipse Mercorus in § præced. relatus fatetur, sententia minùs probabilis non obstante probabiliore potest esse verè probabilis, & niti gravibus motivis. Sed neque adimitur libertas assentiendi, ut in § præced. deduximus.

10. Dicunt quidem adversarii: Ita se habet minus verum ad intellectum, sicut minus bonum ad voluntatem: sed minus bonum in comparatione majoris boni non movet voluntatem; ergo nec minus verum in comparatione majoris veri trahit intellectum. Sed iste Achilles Advers. (Ita appellat M Ildefons Cæsaraug. paulò modestiùs, quàm Gonet §. 3. oppositum fundamentum appellans *clypeum straminenm*) non urget: nam ut dictum, & suppositum minoris veri est falsum, & paritas permissa non concessa pugnat contra Adversf. nam quod comparativè ad aliud est minus bonum, si aliunde addatur ratio boni, potest movere voluntatem: ergo etiam, quod apparet minus verum, si aliunde addatur motivum illam opinionem amplexandi, potest trahere intellectum.

Contra est secundò. Quòd Summ. Pontif. non posset concedere licentiam in materia fidei & morum liberè opinandi utrumque oppositum; nam altera pars aut erit manifestè probabilior, aut saltem erit dubium, quænam ex iis sit probabilior, cùm utramque æquè probabilem esse rarissimè contingat, & tamen concedit hanc licentiam, e. g. liberè opinandi (non tamen disputandi & scribendi) pro vel contra Immaculatam Conceptionem B. V. donec Ecclesia Catholica aliquid certi definierit.

Contra est tertiò. Praxis DD. in Scholis, qui licèt alicui opinioni ceu probabiliori adhæreant, fatentur tamen etiam oppositam esse verè & practicè probabilem.

11. Probatur secundò. Vel esset obligatio sequendi probabiliorem, quia est tutior, vel quia rationabilior. non quia tutior, hoc enim suprà rejecimus, & constabit ampliùs ex §. seq. non quia rationabilior, quia nemo tenetur operari, quod prudentius & rationabilius, sed quod prudenter & rationabiliter fieri posse existimat. Confirmatur probationibus prioris partis facilè ad hanc accommodandis: nam inter opiniones probabiles invicem oppositas, non tantùm est necesse, aliquas esse minùs tutas, sed etiam minùs probabiles: sed permittitur licitus usus opinionum oppositarum, approbatur, practicatur à Summ. Pontiff. Permittitur: nam hoc tempore utique probabilius est, B.V. esse sine originali labe conceptam, eoque titulo meritò venerandam [En! materiam fidei & morum; morum, quia agitur de prudenti & licito cultu hujus festivitatis; fidei, quia agitur de exceptione ab universali illa lege, quòd *in Adam omnes moriuntur*] & tamen permittitur cuivis, donec Ecclesia aliter ordinàrit, opinari contrarium.

Approbatur: nam ante Concilium Lateranense erat controversum, an Montes pietatis essent usurarii, nec ne? Leo X. unà cum PP. illius Concilii definiit esse licitos, nihilominus utriusque oppositæ sententiæ studia (è quibus altera negans esse licitos, erat tutior, altera affirmans, erat ab Authoritate plurium Pontiff. antecedentium, qui eos approbaverunt, extrinsecè probabilior) his verbis commendavit: *Alterius quidem partis justitiæ zelum, ne vorago aperiretur usurarum: alterius pietatis & veritatis amorem, ut pauperibus subveniretur; utriusque verò partis studium commendantes.* Practicatur, quia tametsi Labat to. 7. tr. 3. d. 6. dub. 4. affirmet, Adrianum VI probabiliorem Thomistarum sententiam secutum negâsse, sibi competere potestatem dispensandi in matrimonio rato, tamen etiam in solenni Religionis voto [cujus indispensabilitas est sententia D. Th.] dispensâsse.

Ajunt. Ipsos speculativam probabilitatem secutos per ignorantiam invincibilem à peccato excusari 12.

Sed contra est primò Si per Adversf ad honestam operationem non sufficit minor practica probabilitas, quomodo sufficiet speculativa? Imò Sinnichius in Saule Exrege § 260. refert ex Dominico Soto, prædictum Adrianum VI. in matrimonio rato contra propriam opinionem dispensâsse, postquam sententiam Cajetani pro dispensatione audiisset.

Contra est secundò. Quòd per Adversar. si sequens opinionem minùs probabilem errat, vincibiliter errat, ut patet ex quarto argumento Mercori suprà a. 3. § 1. n. 5. relato. Addit Arsdekin p. 3. tr. 2. ex c. *laudabilem. de frigidis & malefic.* concessionem Cælestini III. qua permisit conjugibus naturaliter frigidis cohabitationem usque in triennium, cùm tamen post copulam per biennium frustra tentatam longè probabilius sit, esse impedimentum impotentiæ, sicque tutius foret à conjugali toro abstinere.

Probatur tertiò. Obligatio sequendi opinionem, quæ operanti apparet directè probabilior, est inutilis ad praxin; adeòque aliena à veritate. 13. Antecedens probatur. Vel foret utilis pro indoctis & illiteratis, vel pro doctis & literatis; non pro indoctis, isti enim non tenentur instituere comparationem inter momenta authoritatum, vel rationum; sed satisfaciunt suæ obligationi, & formant securam conscientiam, si obsequantur consilio

consilio Confessarii, vel alterius gravis & docti viri. Non pro litteratis: quis enim omnia alicujus sententiæ fundamenta ita exactè ponderavit, ut non meritò & prudenter dubitare possit, ne fortè opposita, quæ ipsi videtur minùs probabilis, sit probabilior: cùm in conflictu contrariarum opinionum verè probabilium nunquam desint, quibus probabilius apparet, quod aliis minùs probabile, ipsa quoque probabilitas mutationi subjaceat, ut accessu novæ rationis, vel authoritatis id modò videatur magis probabile, quod priùs censebatur minùs probabile, vel quod ab intrinseco est probabilius, minùs probabile efficiatur oppositæ sententiæ authoritate. Quod Thomistæ est probabilius, non ideo probabilius videtur Scotistæ. Absolutio conditionata Catholici moribundi subitò sensibus destituti vix aliquando probabilis habebatur, nec potest dubitari, quin opposita ab intrinseco & speculativè sit multò probabilior; nihilominùs per authoritatem D. Augustini, tum etiam Gregorii XV. & plurium Ritualium, ac praxin variarum diœcesium practicè facta est probabilior. Ipsimet Doctores gravissimi frequenter suum mutant & mutârunt judicium, cùm ad novæ rationis aut fundamenti apparentiam id modò improbârunt, quod priùs probârunt. Ex quibus omnibus sic arguo: In tantum sequela opinionis probabilioris esset utilis homini litterato, in quantum & ipse posset in suis actionibus de practica veritate certificari, & rursus aliorum, quos dirigit, conscientias certificare: sed ad hoc non est utilis: ergo. minor probatur fundamento Adversi: Qui dubitat, non certificatur: sed vir litteratus, qui scit opinionum probabilium diversitates, dubitat tum de veritate probabilioris [neque enim hæc est certa, sed cùm contineatur intra limites opinionis, habet adjunctam periculum falsitatis] tum de ipsa majoritate probabilitatis, siquidem nec ista potest ipsi videri certa, aliis affirmantibus, aliis negantibus: ergo.

14. Probatur quartò à praxi Adversi. Nam inprimis Vincent. Baron. 1. p. Theolog. mor. contra Caramuel. disp. 2. se. 4. negat, divites obligari, ut redimant captivos apud Turcas redemptione maximè indigentes, & tamen opposita sententia, quam tuentur Leander, Cajetanus, Major, Azor, Filliucius & alii, est tutior pro lege charitatis, imò & practicè probabilior: quia sententia, quæ non est tuta, non est practicè probabilis: sed sententia asserta à Baronio non est tuta: ergo nec practicè probabilis. minor eruitur ex ipsiusmet verbis loc. cit. scribentis: *Id, quod agitur contra legem, semper esse malum, nec excusari per hoc, quòd sit secundùm conscientiam quacunque probabilitate munitam.* Cùm ergo hæc ipsa sententia possit esse contra legem charitatis, poterit esse mala, & cum peccato conjuncta; quomodo ergo tuta?

Deinde Jul. Mercor. p. 3. a. 24. concedit, Titium, qui novit, se, cùm decies ad domum Bertæ accessisset, quinquies cum ea peccâsse, posse ad eandem domum redire, siqua alicujus temporalis boni exigat necessitas, quæ opinio, uti non est tutior, ita juxta ipsius principia nec probabilior, cùm damnum temporale postponendum sit damno spirituali, nec intuitu commodi temporanei liceat minùs tutam etiam magis probabilem eligere, relictâ tutiori etiam minùs probabili.

Tandem Prospero Fagnano objicit Caramuel relatus ab Honorato Fabri Dial. 11. n. 94. quòd cùm Urbanus VIII. eundem jam oculis captum Correctoris S. Pœnitentiariæ officio privâsset, idque per Diploma Pontificium D. Annibali Albano contulisset, eò quòd per Bullam Pii V. decretum esset, ut Corrector S. Pœnitentiariæ per se ipsum litteras corrigeret, is post mortem Urbani VIII. sub Innocentio X. pro sua causa scriptionem dictaverit, quâ probare conatur, eum qui per alium corrigit, per seipsum corrigere censendum esse. Quod stante illâ Bullâ vix æquè probabile nedum probabilius censeri potest.

Sinnichius in Saule Exrege l. 1. § 260. admittit, posse quem contra propriã opinionem secundùm probabilem sententiam operari, & adducto exemplo Adriani VI. *Neque enim*, inquit, *pejoris conditionis censeri debent Summi Pontifices, quàm cæteri homines, quibus subinde licitum est in praxi procedere secundùm probabilem sententiam, ei etiam adversam, quam speculativè reputant veriorem.*

Probatur quintò. Sequeretur ex opposita sententia primò, quemlibet teneri in suis operationibus investigare sententiam probabiliorem: sed hoc est nimis scrupulosum & onerosum: ergo. Minorem negat quidem Baronius concessa majori, Theolog. moral. disp. 2. se. 2. sed concedit Mercorus p. 2. art. 28. & negat sequelam. Hanc probo ex doctrina ejusdem. Quilibet tenetur omni meliori modo quærere veritatem, & evitare periculum peccati seu legem transgrediendi, quantum potest: sed non evitat, si negligat investigare probabiliorem: cùm enim meritò suspicari possit, ne sit aliqua sententia probabilior, quàm quæ ipsi hic & nunc proponitur, non excusabitur per invincibilem ignorantiam, si opinio opposita illi, quam hic & nunc sequitur, sit probabilior. 15.

Sequeretur secundò. Quemlibet fore obligatum ad mutandam sententiam, quoties ex opposita parte aliqua nova ratio, vel authoritas accederet, quæ videretur utriusque opinionis æquilibrium tollere; nam major probabilitas oppositæ sententiæ probabilitatem extinguit. Unde si hodie sentires, licitam esse pluralitatem beneficiorum, eò quòd sententia affirmans apud te habeat novem fundamenta probabilitatis, & opposita tantùm octo: si crastinâ die duo nova fundamenta apparerent pro negativa, tenereris priorem relinquere, &, si post horam aliud novum pro favorabili opinione occurreret, posses eandem resumere &c. quod rationi & experientiæ adversatur.

Sequeretur tertiò. Illicitum esse, in scholis legere & docere sententiam minùs probabilem, eámve aliis consulere: sed hoc est contra communem sententiam & experientiam: dum aliqui etiam tenentur subinde docere opinionem v. g. D. Thomæ, vel Scoti, tametsi sibi minùs probabilis videatur, aut saltem de majori probabilitate dubitent.

Sequeretur quartò. Subditum non teneri ad obediendum Superiori, imò nec posse licitè obedire, quoties ipsi res præcepta minùs probabilis apparet: nam si conscientia dictat esse illicitum, quod

quod Superior jubet, subditus obedire non potest: sed quotiescunque Superior præciperet aliquid, quod minùs probabile apparet, toties conscientia dictaret subdito, quòd res præcepta foret illicita: ergo.

16. Probatur sextò Rationibus reflexis & indirectis [1.] prudenter & licite amplectimur sententiam probabiliorem: sed est sententia probabilior, quæ docet, usum opinionis minùs tutæ & minùs probabilis esse licitum: ergo licitè & prudenter hanc sententiam amplectimur, nosque eidem conformamus. Majorem admittunt adverss. paucissimis exceptis, qui tamen sibiipsis malè concordant, ut contra Vincent. Baron. *observat. cit Matth de Moja.* minor probatur. Sententia, quæ firmioribus nititur fundamentis, est probabilior: sed hæc benigna nititur firmioribus motivis, tum extrinsecis [de quibus infrà] tum intrinsecis partim directis, nempe naturâ probabilitatis, libertate assentiendi, continuâ Ecclesiæ, Doctorum, Universitatum praxi, oppositæ sententiæ morali impossibilitate & inutilitate &c. partim indirectis: nam [2.] lex dubia, quam probabilius est non dari, quàm dari, non obligat: sed lex sequendi in omnibus partem faventem legi, vel probabiliorem, est dubia, eamque est probabilius non existere, quàm existere: siquidem multò plures sunt, qui hanc legem negant, quàm admittunt, neque adversarii hanc legem probant argumentis, non facilè solubilibus: ergo ejusmodi lex & obligatio non datur. Major constat: Lex non sufficienter promulgata non obligat: sed lex dubia non est sufficienter promulgata: ergo. Unde [3.] in dubio melior est conditio possidentis in omni materia virtutis, [ut disp. 3. a. 3. probavimus] sed lex obligans ad tutiorem & probabiliorem est dubia, possessio verò stat pro libertate: ergo melior est conditio libertatis; adeóque quàm liberè tam licitè amplectimur sententiam minùs tutam, & minùs probabilem [4.] si daretur ejusmodi lex, nostra sententia non esset probabilis, quia contra legem non potest dari practica probabilitas: sed Adversarii negare non possunt, quia nostra sententia sit saltem probabilis: ergo iidem debent concedere non dari certam legem in contrarium. [5.] Incredibile videtur, ut lex pertinens ad jus & legem naturalem in Ecclesia Catholica à pluribus, iisque piis, ac doctis ignoretur, quàm agnoscatur: sed lex ista sequendi tutiora & probabiliora pertinet ad legem naturæ, quæ tamen à pluribus iisque doctis ac piis in Ecclesia Catholica ignoratur, quàm agnoscitur: ergo ejusmodi lex non datur. [6.] Lex evitandi peccata materialia est pro statu naturæ lapsæ moraliter impossibilis, magis nociva, quàm proficua communi bono: sed ideo obligaremur sequi probabiliorem, quia tenemur evitare periculum peccati materialis: ergo. Imò cùm etiam opinio probabilior, si faveat libertati, conjunctum habeat periculum peccati materialis, etiam non liceret sequi probabiliorem, ut putat Mercor. suprà refutatus. [7.] Veritatem invincibiliter ignoranti error ad culpam imputari non potest: sed constitutus inter duas sententias oppositas, si adhibitâ diligentiâ debitâ non inveniat certam veritatem, invincibiliter ignorat, ex qua parte stet veritas, tametsi una opinio sit probabilior alterâ: ergo tametsi erret in eligendo, ille tamen error ad culpam imputari non poterit.

§. IV.

Corollaria.

Inferes ex dictis primò. Prudentem & licitum esse usum opinionis minùs tutæ, & æquè probabilis: nam argumenta, quæ probant licitum usum minùs probabilis, multò magis evincunt usum opinionis æquè probabilis. 17.

Inferes secundò. Si ly *tutum* capias pro eo, quod excludit periculum formalis peccati, sic omnem sententiam verè probabilem esse æqualiter tutam, quia quælibet excludit periculum hic & nunc DEUM offendendi, sicque neutra ex oppositis erit magis vel minùs tuta. 18.

Inferes tertiò. In praxi vix posse contingere, ut quis sequatur opinionem probabilem, quàm extrinsecis, tam directis, quàm indirectis, & reflexis non videatur probabilior operanti. Nam licèt in judicio speculativo & ex vi directi motivi aliqua opinio minùs probabilis appareat; si tamen accedant extrinseca, & indirecta, ut quòd dubia lex non obliget, quòd melior sit conditio possidentis, quòd prudens assensus licitè reducatur in praxin &c. jam opinioni major probabilitas conciliatur. Ex quo tale judicium certum conscientiæ deduci potest: *Probabilius est omnibus pensatis esse licitum usum opinionis verè practicè probabilis, etsi illa secundùm motiva directa videatur esse minùs probabilis, & minùs tuta: sed hæc opinio v. g. pingere die festo est licitum, est talis: ergo probabilius est, illius usum esse licitum: sed quod probabilius est esse licitum, est evidenter & absolute licitum: ergo.* 19.

Nec tamen probo opinionem Terilli, existimantis, opinionem minùs probabilem ex ipso assensu & judicio opinantis evadere probabiliorem, *eò quòd cuilibet suam opinatum sit probabilius.* Nam contra est primò. Quòd proprium judicium nec pertinet ad intrinsecam [cùm non sit aliqua ratio assentiendi] nec ad extrinsecam probabilitatem, quæ accipitur ab extrinseca dicentis authoritate quam nemo fecit sibiipsi: quomodo ergo faciet majorem probabilitatem? Secundò. Judicium proprium opinantis non habet majorem probabilitatem, quàm accipiat à motivis, cùm ex se sit indifferens, ut sit prudens, vel imprudens: ergo ipsum non potest tribuere novum gradum probabilitatis. Tertiò. Sequeretur, quòd quantò vehementius est judicium, tantò major exinde probabilitas consurgeret, quod est falsum; cùm judicii vehementia sæpe ex passione proveniat, quâ recta ratio magis turbatur, quàm juvatur, & hæretici sæpenumero suis erroribus maximâ judicii pertinaciâ [nec ideo prudentiùs sed imprudentiùs] adhæreant. Suum quidem, ex communi verbo, cuique pulchrum, at non ideo probabilius; cùm facillimè aliquo affectu, & passione abducamur à vero: unde & medici ægrotantes proprium placitum prætermittere, & alienis debent consiliis obsequi. 20.

ARTI-

ARTICULUS VI.

Expediuntur argumenta adversariorum à ratione petita.

SUMMARIA.

1. *Primò arguitur ex incertitudine inhonestatis.*
2. *Respondetur. Incertitudinem & formidinem, tantùm esse speculativam ex parte judicii remoti, & motivi directi.*
3. *Secundò arguitur ex periculo peccandi.*
4. *Respond. Tantùm esse periculum materialis peccati, non formalis.*
5. *Nemo potest sequi sententiam, quam putat erroneam in judicio proximo, & in sensu composito ipsius, bene autem in sensu diviso.*
6. *Objicitur paritas de fide Divina.*
7. *Assignatur duplex disparitas de fide & religione universim sumpta.*
8. *Objicitur repugnantia probabilitatis cum lege charitatis.*
9. *Respondetur, DEUM non offendi per venialem legis transgressionem.*
10. *Plures instantiæ è moralibus cumulatæ.*
11. *Diluuntur.*
12. *Absurditates objecta errant in supposito.*

§. I.

Prima classis objectionum diluitur.

1. Authoritatem & fundamenta extrinseca posteà discutiemus: nunc rationes examinemus, quarum quidem sat multas in præcedentibus præoccupavimus, nunc reliquas juxta Vincentii Baronii modum in tres classes compendio colligemus. Prima ergo classis argumentorum est, quæ petuntur ex communibus prudentiæ & conscientiæ principiis. Et arguitur primò. Judicium & dictamen ultimum conscientiæ, quo operatio honesta dirigitur, debet esse certum, juxta illud Eccles. 37. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* Sed sequens opinionem minùs probabilem faventem libertati non habet judicium certum & firmum, quo excludatur formido oppositi: ergo sequens opinionem minùs probabilem faventem libertati non habet conscientiam certam & regulam honestæ operationis. Minor probatur: De illa opinione intellectus non potest habere judicium moraliter certum, contra quam magis urgent rationes, quòd sit falsa, quàm propria suadeant motiva, quòd sit vera: sed contra opinionem minùs probabilem plures urgent rationes, quòd sit falsa, quàm quòd sit vera: ergo intellectus de illa non potest habere moralem certitudinem.

Confirmatur 1. Inde non potest intellectus certificari, ex quo magis inducitur in dubitationem, cùm quælibet probabilis generet formidinem, & quidem minùs probabilis majorem formidinem oppositi: ergo ex probabilitate præsertim minori intellectus non potest certificari.

Confirmatur 2. Qui habet in intellectu conjuncta motiva pro sententia minùs & magis probabili, vel dubitat de minùs probabili, vel non dubitat? Si non dubitat, agit imprudenter & temerè; siquidem habet majora motiva suspicandi falsitatem, quàm judicandi veritatem. Si dubitat: ergo non habet conscientiam certam, nec licitè ex tali opinione operatur.

Confirmatur 3. Judicium magis difforme, quàm conforme veritati & honestati, non potest esse regula humanæ operationis: sed tale est judicium opinativum minùs probabile: ergo.

Respondetur ex fundamentis in art. 1. 3. & 2. præcedent. præsuppositis, à quibus istarum rationum solutio pendet, negando minorem. probationem distinguo: De illa opinione intellectus non potest habere judicium certum, contra quam urgent &c. judiciũ certum speculativũ, & stando præcisè in motivis directis, concedo; practicum, & adjunctis motivis indirectis, vel reflexis, nego. 2.

Ad 1. Confirmationem distinguo minorem. Intellectus ex conflictu duarum probabilitatum inducitur in dubitationem speculativam & remotam, concedo; proximam & practicam, nego. Ergo inde non potest certificari ex parte judicii remoti speculativi, concedo; proximi & practici, nego consequentiam.

Ad 2. Confirmationem Respondeo: Habentem motiva pro utraque parte opposita dubitare speculativè, dubietate latè accepta, non dubitare practicè modo superiùs explicato.

Ad 3. Confirmationem: Aut concedo totum; neque enim asserimus judicium opinativum esse regulam humanæ operationis, sed initium quoddam & occasionem ipsius: aut distinguo majorem: Judicium magis difforme &c. non potest esse regula humanæ operationis, proximè directiva, concedo; inchoativa, & instar remotæ occasionis, nego.

Arguitur secundò. Qui se committit periculo peccandi, peccat: sed qui sequitur minùs probabilem, committit se periculo peccandi: quia illa opinio apparet propior errori, & transgressioni Divini præcepti, quàm ab illa remotior: ergo peccat. Nec potest excusari per invincibilem ignorantiam, cùm periculum peccandi in motivis retrahentibus sufficienter prævisum sit. 3.

Confirmatur primò. Nemo potest tutâ conscientiâ sequi sententiam, quam prudenter judicat esse erroneam, & inducentem in peccatum: sed sententiam æquè vel minùs probabilem & faventem libertati aliquis prudenter judicat erroneam & inducentem in peccatum: ergo. Minor probatur: Illam sententiam prudenter judico erroneam, contra quam stant gravia motiva, quæ suadeant dissensum & judicium falsitatis, sicuti in nostris fundamentis illam sententiam prudenter judico veram & licitam, pro quo stant gravia motiva suadentia assensum: sed contra opinionem minùs probabilem stant gravia motiva suadentia rationabilem dissensum: ergo.

Confirmatur 2. Si probabilitas reflexè cognita in aliqua opinione posset excludere formidinem malitiæ formalis in aliqua operatione, sequitur, quòd affirmatio esset causa negationis, & quòd ideo non haberem formidinem de aliquo, quia habeo formidinem: consequens est absurdum: ergo. Sequela patet, quia formido est de intrin-

intrinseca ratione opinionis probabilis, nam ut D. Th. q. 14. de Verit. a. 1. *Tunc est dispositio opinantis, quando intellectus accipit quidem unam partem, sed de opposita dubitat.* Et 1. p. q. 79. a. 9. *opinio significat actum intellectûs, qui fertur in unam partem contradictionis cum formidine alterius.*

4. Respondeo, distinguendo majorem, qui se committit periculo formaliter peccandi, peccat, concedo; materialiter, nego. Nulla est enim obligatio vitandi omnes materiales errores & transgressiones legis, ut dictum.

5. Ad paralogismum Confirmationis distinguo majorem. nemo potest sententiam, quam prudenter actu judicat esse erroneam, tutâ conscientiâ sequi in sensu composito, & ex vi talis judicii, concedo; quam potentiâ & in actu primo judicat esse erroneam, non potest sequi in sensu diviso talis judicii, vel ex vi alterius principii & judicii distincti proximi, nego. Habeam igitur in opinione probabili motiva suadentia prudentem dissensum, ex quibus possim prudenter judicare esse erroneam. Quòd si ita judicem, & stante tali judicio, atque ex vi ipsius velim procedere ad operandum, non potero illam opinionem sequi, quam practicè judico illicitam. At verò, si ex oppositis motivis actu inducar in opinionis assensum, quod prudenter fieri posse probavimus art. anteced. vel non obstante judicio speculativo ex aliis principiis efformem certum judicium de licita sequela hujus opinionis, quam ego speculativè sive in habitu censeo falsam, tutò & prudenter illam sequor in praxi. De quo paulò inf. plura.

Ad 2. Confirmationem distinguo majorem. Si probabilitas reflexè cognita, & præcisè relata ad objectum, posset excludere formidinem malitiæ, sequeretur illud absurdum, transeat; si probabilitas relata ad prudentiam, quâ regulatur, illam posset excludere, sic nego. E. g. probabilitas de consecratione hostiæ, de contritione pœnitentis præcisè ut relata ad suum objectum, non excludit formidinem, an hostia sit adoranda, pœnitens absolvendus &c. bene autem ut relata ad prudentiam, quia exinde resultat certum judicium, *hostia, quam prudenter judico consecratam, est adoranda; pœnitens, quem prudenter judico contritum, est absolvendus &c.* & unde prudenter? *quia illud prudenter judico esse tale, quod in defectu certitudinis probabiliter apparet tale.* Sic pariter probabilitas reflexa de honestate operationis excludit malitiæ formalis formidinem; quia hoc prudenter sequor in praxi, quod prudenter judico licitum; & hoc in defectu certitudinis prudenter judico licitum, quod per gravia motiva probabiliter apparet licitum. Alias sanè ex nulla probabili sententia possem certam conscientiam formare, cùm hæc argumentatio omnem cujuscunque opinionis usum impugnet, quod in art. 3. & 4. refutavimus, & ipsis adversariis est solvendum.

§. II.

Diluitur classis secunda & tertia objectionum.

6. Altera classis est argumentorum, quæ à paritate variorum officiorum in humana & Christiana vita occurrentium ducuntur. Et primò occurrit fides, ex qua sic arguitur. Si licet in materia morum sequi minùs probabilem, & minùs tutam opinionem, idipsum pariter licebit in materia fidei: sed consequens est absurdissimum, hinc enim sequitur, vix ullum ampliùs formalem hæreticum reperiri, quæ enim est secta, vel hæresis, quæ non habeat aliqua motiva probabilia suæ opinioni faventia, & insuper authoritatem virorum, qui inter suos doctrinæ soliditate, & vitæ modestiâ commendatur? Sequela probatur: quia non minùs homo errando in materia morum aberrat ab ultimo fine, quàm errando in materia fidei: ergo sicuti hoc non obstante sequi potest opinionem, quæ sibi apparet minùs probabilis in morum materia, sic etiam poterit in materia fidei. quam sequelam ex Caramuele pluribus urget Gonet §. 3. n. 11.

Respondeo, vel esse sermonem de materia fidei in particulari, quoad unum alterúmve articulum ad materiam fidei pertinentem, v. g. *sintne hæretici baptizandi? an animæ Beatorum admittantur ad beatificam visionem ante diem judicii?* &c. vel de materia fidei in universum? *Sitne Religio Catholica præferenda Gentilismo, Mahometismo, Calvinismo?* &c. 7.

Si primum; concessâ sequelâ, negatur absurditas; nam quamdiu non constat, per Ecclesiæ definitionem, aut evidentem illationem aliquem articulum esse revelatum, licet cuique opinari, quod sibi probabile visum fuerit, ut patet quàmplurimis exemplis: ita antiquitùs D. Cyprianus, antequam Ecclesia oppositum definiret, censebat, hæreticos esse rebaptizandos. An animæ Beatorum ante extremum judicii diem clarè videant Divinam essentiam, olim ante Florentini & Tridentini definitionem disputabatur in utramque partem. Pius II. in Bulla *ineffabilis* datâ Anno 1464. relinquit in sua probabilitate opinionem negantem unionem sanguinis cum Verbo in triduo passionis, donec Romana Sedes aliud definierit. De facto libera est opinandi facultas de auxiliis Divinæ gratiæ, de universalitate illarum Scripturarum: *DEUM nemo vidit unquam. In Adam omnes moriuntur.*

Si verò sit Sermo de fide in universum, negatur sequela, & paritas. Primò: quia licèt tantùm una opinio ex contradictoriis possit esse vera, sicut una tantùm est vera fides; tamen possunt duæ opiniones oppositæ esse verè & evidenter probabiles; cùm econtrà tantùm una fides sit verè & evidenter credibilis ac probabilis: unde hoc ipso, quòd alicui fides Catholica appareat probabilior, debet oppositam habere suspectam de improbabilitate, nec proinde poterit ipsi ulteriùs adhærere: sed si una opinio apparet probabilior, non ideo opposita amittit suam probabilitatem, aut sit de improbabilitate suspecta.

Secundò. Cùm fides vera, ut in se est, sit de necessitate medii, & detur certa fidei regula, ac evidentia credibilitatis, qui recederet à probabiliori opinione, recederet ab evidentia credibilitatis, simulque exponeret se periculo amittendi medium unicè necessarium ad salutem: at verò objecta, de quibus utrinque disceptatur, sintne licita, vel illicita, non sunt de necessitate medii, neque

neque potest [ut supponitur] in iis deveniri ad certitudinem veritatis; neque tribuunt actibus bonitatem, ut in se, sed ut sunt in conscientia & cognitione, ideo in materia fidei semper oportet amplecti partem securiorem, non semper in morum materia.

8. Secundò. Usus probabilitatis videtur solvere jura charitatis & amicitiæ tum DEO, tum sibi-ipsi debitæ. Deo debitæ: nam lex amicitiæ erga DEUM juxta S. D. 2. 2. q. 23. a. 1. nos adstringit, ut quantum possumus, ei velimus bonum honestum, nempe ejus honorem, & obedientiam ad mandata ipsius: sed qui sequitur & consulit opinionem minùs probabilem, hoc nequaquam facit: cùm enim eligat opinionem faventem libertati contra præceptum, putat, se hic & nunc posse agere contra Divinum præceptum.

Confirmatur: Qui probabiliùs crederet ex tali opinione amicum graviter offendendum, quàm non offendendum, nec tamen vellet ab illo desistere, ad quod nulla illum urget necessitas, convinceretur de violatis legibus amicitiæ, cùm non curet amici offensam: sed hoc ipsum agit, qui sequitur minùs probabilem; quippe quam videt DEO magìs displicere, quàm placere. Solveret etiam jura charitatis sibi debitæ: tum quia sequendo minùs probabilem, causat sibi graves remorsus conscientiæ; tum quia se ipsum defraudat maximo bono spirituali veritatis, & conjicit se in periculum falsitatis. Unde si peccat Medicus, extra necessitatem præscribens, infirmus acceptans medicinas probabiliter, aut probabiliùs nocituras, Sacerdos administrans Sacramenta operando ex sententia minùs probabili, probabiliter credens ex incerta materia aut forma posse emergere nullitatem valoris; non minùs peccabit, qui sequendo vel suadendo sententiam minùs probabilem seipsum vel proximum conjicit in periculum erroris, & peccati.

9. Respondeo, usum probabilitatis non solvere jura charitatis DEO vel sibi debitæ. Non DEO debitæ: nam lex charitatis non obligat nos ad volendum, quantum possumus DEO bonum honestum, & obedientiam mandatorum, quæ dubia sunt, sed quæ certa sunt: & ideo eligens sententiam minùs probabilem non violat legem amicitiæ, quia sequitur opinionem faventem libertati contra præceptum dubium, non contra certum.

Ad Confirmationem nego minorem. Nam qui operatur ex sententia etiam minùs probabili, operatur ut certus de DEO non offendendo, quippe qui non offenditur materiali suæ legis transgressione [cujus evitatio stante istâ fragilitate humanæ naturæ est moraliter impossibilis] sed formali. Non etiam solvuntur jura dilectionis sibiipsi aut proximo debitæ: neque enim potest esse remorsus, ubi est certitudo conscientiæ, quam asserimus; neque est probabile periculum notabilis damni, sicuti est, si applicentur medicinæ dubiæ, materiæ aut formæ Sacramentorum dubiæ &c. Nam materialis falsitas, & transgressio legis non est grave damnum animæ, cujus tantummodo aliquale periculum subesse potest.

10. Opponunt ulterius quædam exempla, & paritates è moralibus petitas, ex quibus videtur usus opinionis minùs probabilis rectæ rationi & prudentiæ refragari. Nam (1.) imprudenter quis comederet fructum, quem probabiliùs judicat veneno infectum. (2.) Imprudenter Imperator prælium iniret, quo tempore & loco probabiliùs se vincendum existimaret. (3.) Imprudenter viator viam eligeret, quam probabiliùs crederet leonibus aut latronibus infestam (4.) Imprudenter imò & injustè judex pro parte minùs probabili sententiam ferret. Quomodo ergo excusabitur homo sequens opinionem cum periculo peccati, & falsitatis probabiliùs conjunctam? (5.) Certè Princeps aliquis non esset contentus cum suo ministro, si is ageret, quæ probabiliùs existimat adversari mandato Principis. Et DEUS debebit nobiscum esse contentus, si illa sequamur, quæ probabiliùs judicamus à DEO prohibita?

Respondeo ad primas instantias ut suprà, non 11.
esse in sequela opinionis minùs probabilis periculum peccati formalis, sed tantùm materialis, cujus evitandi obligatio in consequente supponitur quidem ab adversariis, non autem probatur. In allatis verò primis instantiis est periculum gravis damni, quod evitare præcipit certa lex charitatis. Quarta instantia de Judice, ut suprà quoque advertimus, non est ad rem; ille enim ex officio, & certa lege justitiæ tenetur judicare secundùm merita causæ: nihil horum in conscientiæ judicio, ubi alia obligatio non est, quàm illud judicandi licitum, quod prudenter apparet licitum; hoc autem in defectu certitudinis etiam probabili opinioni convenire, jam antea multis ostendimus. Ad 5. instantiam de Principe Respondeo, illum non habere justam causam indignandi, si minister, cùm non habet facultatem petendi interpretationem & certitudinem mandati [quod rarò contingit] ea faciat, quæ rationabiliter existimat mandato non comprehendi, quamquam non desint rationes & motiva, quæ oppositum suadeant; sibi enim imputet Legislator, si obscurè loquitur. Quia verò plerumque minister ad determinata negotia omni meliori modo perficienda deligitur, etiam à Principe non communis sed exacta diligentia solet exigi, quâ ad securiorem mandati observantiam minister adstringitur. Et sic etiam homines in quibusdam certis materiis ad securiora sectanda obligantur, ut infrà dicemus. Universim verò tantùm adstringuntur, ut tutò, prudenter, rationabiliter operentur.

Tertia classis est argumentorum, quæ à poste- 12.
riori, sive ab absurdis objiciuntur: nempe totius [ut aiunt] Moralis Disciplinæ, vitæque Christianæ sanctitas per probabilismum periclitatur, dum ex probabilitate innumeræ opiniones laxissimæ [quas magno numero acervant Fagnanus, Gonet, Baronius, Contenson] oriuntur, quibus in omni materia, legum reverentia & observantia eliminatur, mores enervantur, jamque non secundùm virtutem & veritatem, ut Christus docuit, seque ipsum in exemplum proposuit, sed secundùm aliquam veritatis larvam, & probabilitatis commento fucatam speciem vitam instituimus. Verùm omnes illæ objectiones tantis contentionibus declamatæ extra scopum vagantes laxitatem tantùm, aut illimitatam probabilitatem impugnant, unde iisdem immorari non va-

cat. Limitata verò probabilitas tantùm abest à laxanda morum disciplina, ut Mercorus ipse p. 3. a. 8. fateatur, Joannem à S. Th. cujus doctrinam unicè sequimur, à sua sententia non dissentire.

ARTICULUS VII.

An benigna sententia adversetur S. Script. dictis SS. PP. & SS. Canonum?

SUMMARIA.

1. *Textus S. Script pro rigida sententia.*
2. *Textus soliti allegari pro benigna.*
3. *Utrique facilè explicantur ab Adversariis.*
4. *Opponuntur exempla S. Script. contra opinionem probabilem, Adamus, Saul, Roboam, Judai.*
5. *Adamus ineptè proponitur in exemplum minoris probabilitatis.*
6. *Neque Saul habuit sententiam probabilem.*
7. *Neque Roboam sequens inconsultum consilium juniorum.*
8. *Judai non arguuntur à Christo, quòd sequerentur probabilem opinionem Pharisaeorum.*
9. *Exempla Scripturæ pro usu sententiæ minùs probabilis adducta.*
10. *Non habent magnam efficaciam.*
11. *Objecti textus è S. Bernardo & D. Chrysostomo.*
12. *Exponuntur.*
13. *Triplex locus ex S. Augustino contra benigniorem sententiam.*
14. *Ostenditur differentia sententiæ probabilis ab Academica opinabilitate, de qua loquitur S. August.*
15. *Ostenditur mens S. Augustini pro benigna sententia.*
16. *Quid de SS. Canonibus sentiendum?*

§. I.

Expenditur authoritas S. Script.

1. AD probabilitatem extrinsecam & authoritates convertimur. Ubi adversarii magnam benignæ sententiæ invidiam concire nituntur, dum illam *novum Casuistarum dogma, neotericorum commentum* &c. appellant, S. Scripturæ & SS. PP. sensui difforme, cujus in antiquis & celeberrimis Ecclesiæ Doctoribus nullum extet vestigium. Verùm, quod ad S. Scripturam attinet, existimo, neque pro rigida, neque pro benigna sententia claram authoritatem afferri posse. Pro rigida afferuntur inprimis quædam S. Scripturæ dogmata, velut Deut. 26. ubi DEUS præcipit, custodiri *& impleri sua mandata ex toto corde, & ex tota anima*, h. e. juxta Interpretes, impleri, quantum quis scit, & potest implere. Psal. 118. *Tu mandâsti mandata tua custodiri nimis*, h. e. omni possibili studio, & observantiâ Matth. 7. *Quam angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam?* sed sententia benigna illam facit latam & spatiosam. 1. Thess. 5. *Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos* &c. Ephes. 4. *Ne simus parvuli fluctuantes omni vento doctrinæ.* Christus Joan. 14. *Ego sum veritas*, non, *ego sum probabilitas*, &c.

2. Reponuntur pro benigna sententia inprimis illud Christi, Matth 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve*, quod tamen vehementer aggravatur per rigidam sententiam, quâ imponitur obligatio ubique tutiora & probabiliora sectandi, quod vix est possibile. Et Matth. 22. ubi arguuntur Pharisæi, quòd *alligent subditis onera gravia & importabilia* &c. quale onus est illa ipsa obligatio. Act. 15. *Visum est Spiritui S. & nobis, nil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria.* Deut. 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo* h. e. ut explicat Gerson. p. 2. *de Reg. moral. sub tit. de Sup. Ambulandum est in virtutis doctrina viâ regiâ, ut nec strictius fiat DEI mandatum, nec latiùs, quam ipse mandaverat.*

Respondent sententiæ rigidæ Patroni, has authoritates ad se non pertinere, quòd sensus sit, jugum Christi fieri suave non libertate opinandi, sed condimento charitatis, quæ omnia facit levia amanti. Et quod Pharisæi per suas traditiones imposuerint hominibus obligationes, repugnantes legi Divinæ; sententia verò rigorosa stet pro lege Divina &c. 3.

Sed respondent pariter sententiæ benignæ patroni, nec illos Script. textus contra se congestos ad se pertinere; quia illic non jubemur mandata dubia, & quæ nescimus, implere ex toto corde, & custodire nimis, sed quæ scimus, & in quantum scimus, ut ipsimet Adversarii interpretantur. Via quoque Evangelica non dicitur arcta propter obligationem vitandi quædam pericula peccati materialis, sed propter certissimas & notissimas Evangelii sanctiones, quibus præcipimur inimicos diligere, benefacere his, qui oderunt nos, damnata occulta cordis concupiscentia, & morosa delectatio, prohibetur quævis in proximum iracundia, &c. quæ vitiatæ per peccatum naturæ tam arcta & adversa apparent, ut teste Esparza art. 38. Averroës exclamârit, *Lex Christianorum, lex impossibilium*, & Mandarini Chinenses illâ auditâ dixerint, *non esse legem pro hominibus, sed pro spiritibus.* Speciem quoque malam, & fluctuationem usus veræ probabilitatis excludit, dum conscientiæ certitudinem ab omni formalis inhonestatis formidine immunem admittit. Etiamsi quoque Christus non dixerit: ego sum probabilitas, non ideo sequitur: ergo non licet ex probabili opinione operari; aliàs neque ex fide liceret operari, cùm Christus non dixerit: Ego sum fides.

Exempla quoque è S. Script. pro rigida sententia proponuntur. Et primò Mercorus p. 2. a. 18. ex Gen. 2. opponit: Adamum, & Evam, qui poterant probabiliter credere, se non graviter peccaturos ob parvitatem materiæ, vel quòd lex tantùm esset pœnalis, adeòque non obligans nisi ad culpam civilem, & tamen hac probabilitate non obstante peccârunt. 4.

Secun-

Secundò. Saul Rex Iſraëlitarum, ut habetur 1. Reg. 15. graviter peccavit, à DEO propterea objurgatus, reprobatus, regno & vitâ exutus, quòd contra DEI præceptum, quo dicebatur: *Vade, & percute Amalec, & demolire universa ejus; Non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid, ſed interfice à viro uſque ad mulierem, & parvulum, atque lactentem, bovem & ovem, camelum & aſinum*; nihilominùs *pepercit Agag, & optimis gregibus ovium*, &c. & tamen Saul pro ſe habebat opinionem probabilem, quòd liceret Regem Agag reſervare pro magnificentia triumphi, & pecora DEO in ſacrificium immolanda; quid enim intererat, an illa gladio demolitetur in bello, vel igne conſumetet in altari? &c.

Tertiò reprehenditur Roboam 3. Reg. cap. 12. quòd relicto conſilio Sapientum magis probabili ſecutus ſit conſilium Juvenum minùs probabile, qui exponente Lyrano dicuntur juvenes, tantùm comparativè ad conſiliarios Salomonis, abſolutè verò erant viri adulti coætanei Regis, qui ſuſcepto regno jam erat annorum 41.

Quartò [ut opponit Sinnich. n. 371.] Judæi ſequentes falſas Scribarum & Phariſæorum interpretationes de non ſubveniendo parentibus, non ſatisfaciendo creditoribus, fuiſſent excuſabiles propter extrinſecam ſaltem probabilitatem, cùm tamen Chriſtus etiam illos peccati condemnet, dicens de Phariſæis: *Cæci ſunt, & duces cæcorum* &c. Matth. 15.

5. Sed quod ad primum attinet, mirum eſt, poſſe à Thomiſta primos parentes in probabilitatis exemplum adduci, cùm D. Th. ex profeſſo doceat in q. 18. de verit. a. 6. in ſtatu innocentiæ nullum ulli opinioni nedum falſæ & minùs probabili locum fuiſſe. Ita inquit in c. *ex quo patet, quòd non ſolùm in eo nulla opinio falſa fuiſſet, ſed penitùs nulla opinio in eo fuiſſet, & quidquid cognoviſſet, ſecundùm certitudinem cognoviſſet*. Et unde obſecro, probabile videri poterat primis parentibus, ſe non peccaturos, vel non morituros tranſgrediendo præceptum DEI? ab authoritate forſan mendaciſſimi æquè ac fallaciſſimi ſerpentis? Sed neque à ratione; cùm nec ſerpens deceptor ullam attulerit, nec ipſi prævaricatores DEO objurganti in ſui peccati excuſationem ullam obtenderint, nec potuerit aliqua probabilis opinio locum habere, ubi primi parentes erant à DEO ſpecialiter illuminati, ut certitudinem præcepti obligantis in conſcientia, ejuſque gravitatem, cùm totius poſteritatis ſalus exinde penderet, diſtinctiſſimè cognoſcerent. Et ita ſentit expreſſiſſimè D. Auguſtinus compluribus locis ab Eſparza a. 2. citatis, præſertim l. 14. de Civit. c. 11. *Ille autem* (Adam) *ab unico noluit conſortio dirimi, nec in communione peccati, nec ideo minùs reus, ſed ſciens prudensq́ peccavit*. Minimè igitur probabilem ſequuntur opinionem adverſarii, dum primorum parentum peccato probabilitatem affingunt.

6. Sed neque Saul [quod erat ſecundum] ullam habuit rationem verè probabilem, quâ perſuaderetur, ut parceret Regi Amalec, & armentis ipſius, cùm verba Divini præcepti fuerint meridianâ luce clariora. &, ſi de ejus obligatione dubitâſſet, ipſius interpretationem à Propheta Samuele, quem, cùm vellet, ad manum habebat, non ex vulgi affectu & opinione petere debuiſſet. Unde & ipſe ingenuè fatetur, ſe ex timore populi contra præceptum DEI peccâſſe v. 24. *Peccavi, quia prævaricatus ſum ſermonem Domini & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum*.

Ad 3. exemplum Roboami Reſpondeo, illud conſilium juvenum non fuiſſe verè probabile ut ſatis clarè colligitur ex Scriptura: fuit quippe datum ab hominibus ad adulationem compoſitis, rerum inexpertis, & cum Rege in delitiis enutritis, nec ſufficientem cautelam de damno evitando adhibentibus, nec ullo vel in ſpeciem rationabili motivo ſapientiſſimum conſilium ſeniorum ſolventibus. 7.

Ad 4. exemplum ex Terillo Reſpondeo, vel plebem Judaicam vincibiliter vel invincibiliter fuiſſe ſeductam. Si vincibiliter: tunc argumentum adverſariorum nihil probare, quia procedit de ſubjecto non ſupponente; non enim illis probabile erat, ſuos parentes, templi intuitu, potuiſſe privari filiorum ſubventione. Si invincibiliter: tunc argumentum pugnare contra Adverſarios; ſiquidem ex probabili fundamento potuiſſent in invincibilem ignorantiam legis naturalis induci, ex qua [ut ante probavimus] etiam à formali peccato fuiſſent excuſati. Imò, inquis, non fuiſſent excuſati, quia Chriſtus dixit, *eſſe cæcos, & in foveam cadere*. 8.

Reſpondet Terillus: Hæc verba non dici de plebe Judaica, ex eo præciſè, quòd ſequerentur doctrinam Phariſæorum, cùm Chriſtus ipſe Matth. 23. dixerit. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite*. Sed [veluti ex textu patet] quia ſuperſtitioſis obſervationibus Phariſæorum erant imbuti, qualis erat; *non manducare, niſi lotis manibus* [de quibus illo loco Chriſtus loquitur] ideoque frequenter contra conſcientiam peccabant, quoties tales ceremonias omittebant.

Pro benigna ſententia Caramuel ex S. Script. producit primò exemplum Machabæorum, qui, non obſtante communi opinione, quòd conflictus die Sabbathi eſſet illicitus [ut eſt 1. Mach. 2] & tertio Decalogi præcepto contrarius, probabili ratione ex præſenti neceſſitate ductâ judicârunt, litteræ rigorem ad talem caſum ſe non extendere, quod & olim à Davide factum, cùm fame preſſus panes propoſitionis, ſibi tanquam laico alioquin vetitos à Sacerdote popoſcit. 9.

Addi poteſt ſecundò: quòd iidem Machabæi non obſtante Divinâ prohibitione Exod. 34. n. 12. *Cave, ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias*. Et v. 15. *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum*. Et increpatione Regis Joſaphat, quòd cum impio Rege Ochozia fœdus pepigiſſet 2. Paralip. 19. *Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris?* Suadente probabili ratione ac temporum conditione cum Romanis & Spartiatis fœdus inierint, ut conſtat ex 1. Mach. 8. & 12. qui ſuper ejuſmodi fœdere nequaquam reprehenduntur.

Tertium exemplum ponit Terillus ex B. V. & S. Jo-

S. Josepho, qui ad Christum servandum alendumque quàm maximè obligati, illum Hierosolymis reliquerunt, & postquam fuissent progressi unius diei iter, *inter cognatos & notos requirebant*, non certâ sed probabili ratione & quidem falsâ à parte rei, prudenter tamen inducti, *existimantes eum esse in comitatu*: quâ probabilitate excusabantur, quòd puerum JESUM citiùs non inquisiverint.

10. Nihilominus etiam ista exempla non videntur habere magnam efficaciam: quia prima duo loquuntur de casu necessitatis, in quo ex duobus malis minus est eligendum, & per epikiam aliquis interpretari potest, legis obligationem ad talem casum se non extendere. Nec desunt apud Sinnichium n. 189. qui de icto cum Gentilibus fœdere Machabæos redarguant, & sinistros eventus, quos post illud fœdus S. Scriptura commemorat, non in aliam causam refundant, quàm quòd Machabæi fiduciam à Divina potentia, cujus præsentissimam opem toties experti fuerant, in humanam potentiam, cujus tunc laude Romani florebant, transtulerint. Probabilitas quoque, quam B. V. & S. Josephus fuerunt secuti, quia erat solitaria, & non in concursu alterius æquè vel magis probabilis, vel magis tutæ, facilè sufficiebat ad bonam fidem, & prudentem assensum, ideoque videtur parùm conducere ad præsentem quæstionem, ubi agitur de opinione probabili in concursu tutioris, & æquè vel magis probabilis.

§ II.

Quid sentiendum de Authoritate SS. PP. & SS. Canonum?

11 SOlent etiam rigidæ sententiæ Patroni quædam SS. PP. loca, tanquam nobis contraria adducere: & primò ex D. Bernardo in l. de præcepto & disp. c. 17. *Ut interior oculus verè simplex sit, duo illi esse arbitror necessaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem.* Subsumunt: sed eligens opinionem minùs probabilem & minùs tutam, non habet in electione veritatem; ergo. Secundò ex D. Chrysost. hom. 44. in Matth. *An non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi sincerè veritas Christi venundatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere, plùs quàm vestimentum?*

12. Sed neutro testimonio quicquam probatur: non primo; nam vel Adversarii volunt à D. Bernardo intelligi certam veritatem etiam speculativam, vel tantùm practicam. Si speculativam, neque licebit sequi probabiliorem, cùm nec ista sit sinè periculo falsitatis, quod plerique ex ipsis negant, & satis rejectum est. Si practicam, nihil contra nos arguitur. Imò verò eodem loco c. 18. D. Bernard. agnoscit, malum, quod probabili opinione bonum creditur, & piâ intentione seu bonâ fide exercetur, bonum esse. *Et quidem*, inquit, *laude dignam dixerim, vel solam intentionem piam; nec planè condignâ remuneratione fraudabitur in opere quoque non bono ipsa bona voluntas: attamen sinè malo quocunque* [erroris non imputabilis in culpam] *non erit decepta simplicitas.* Unde cùm postea tale opus peccatum nominat, de peccato materiali est intelligendus, ne ipsum in eodem capite sibi contradicere asseramus.

Altera D. Chrysost. authoritas, [si tamen Chrysostomi, quæ tantùm est authoris operis imperfecti] si loquatur de veritate moralis honestatis in nostris actionibus, non potest significare præceptum, sed purè consilium: aliàs contra adversarios probaret, quòd quilibet è populo teneretur diversas DD. opiniones investigare. Videtur verò magis loqui de Veritate fidei, & verâ Christi doctrinâ, quæ cùm sit de necessitate medii ad salutem, certamque habeat regulam veritatis, ac evidentiam credibilitatis, obligat ut securiori viâ quæratur, & eligatur.

Potissimùm verò adducitur tertiò in medium 13. D. Augustinus, disputans contra Academicos, eorumque placitum, cùm agit quisque, *quod ei probabile videtur, non peccat, nec errat*, ex eo potissimùm impugnans, quòd ex hac doctrinâ via aperiatur ad omne flagitium: *Id enim audiens adolescens insidiabitur pudicitiæ uxoris alienæ, &c.* l. 3. contr. Acad. c. 16. Urget etiam Sinnichius illud l. 6. *de utilit. cred.* c. 11. *Tria sunt velut finitima sibimet in animis hominum distinctione dignissima, intelligere, credere, opinari, quæ si per seipsa considerentur, primum sinè vitio est, secundum aliquando cum vitio, tertium nunquam sine vitio.* Ubi S. P. omnem opinionem vitiositatis damnare videtur. Tertiò in l. 1. de bapt. contr. Donat. c. 3. loquens de Donatista volente ad Catholicam transire Ecclesiam, & dubitante, an licitè possit in parte Donati recipere baptismum, quem in Ecclesia Catholica licitè recipi posse non dubitat, ita respondet: *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum, non ibi potiùs accipere, ubi certum est non esse peccatum?* Ergo, infert Wendrochius, qui in negotio suæ salutis sectatur opinionem incertam, & minùs tutam, relictâ certâ & tutiori, certò peccat.

Verùm & ista sunt præter scopum, & sicut est 14. acerba probabilismi ad Academismi similitudinem appellatio, ita prorsus inepta probabilitatis Academicæ ad probabilitatem Catholicam accommodatio: differentia pulcherrimè & fusissimè descripta ab Esparza a. 72. & seqq. in hoc consistit, quòd Academicum probabile est omne opinabile absque ulla distinctione, sive prudenter sive imprudenter, & temerariè tale: unde Academici speciem cum genere, opinionem cum probabilitate confundebant, docentes, quòd quilibet posset agere, quod hoc modo probabile [potiùs opinabile] videretur, dummodo in neutram partem assensum determinaret. *Id probabile*, inquit D. Augustinus l. 2. contra Acad. c. 11. *vel verisimile Academici vocant, quod ad agendum sinè assensione potest invitare.* Ex qua monstrosa probabilis & improbabilis confusione, enata est illa monstrosissima ad omnem morum perversitatem aperiendam regula, non peccare quemquam, qui ageret, quod ipsi hoc modo probabile videretur. At nostrum probabile temerario & improbabili oppositum illud solùm est, quod ex gravibus motivis prudentem meretur assensum, unde toto cœlo differt ab illo Academico probabili, nec ulla D. Augustini argumenta contra Academicos nos oppugnant.

Opinio quoque, quam S. Augustinus dicit, nunquam esse sinè vitio, non est assensus imbe-

eillis cum formidine oppositi, quot enim aliàs doctrinæ Adversariorum [imò hæc ipsa, quâ nobis dissentiunt] forent vitiosæ, quis absque peccato S. Eucharistiam accederet, cùm non nisi de statu gratiæ probabiliter opinari possit? sed est prava animi dispositio, quâ quis scire se putat, quod nescit, & objecto fallibiliter apparenti ex temerario voluntatis affectu firmum præbet assensum. Ita se explicat ipse S. D. qui cùm dicto lib. *tria genera hominum meritò improbanda* dixisset: *Primum*, inquit, *est opinantium, id est eorum, qui arbitrantur scire, quod nescimus.* Neque tertio loco D. Augustinus est nobis contrarius, qui ibidem loquitur de Donatista practicè dubitante, & ex una parte habente certitudinem, ex altera verò non habente practicam probabilitatem honestatis, ubi certa incertis præferenda ultrò concedimus.

15. Multò clariora sunt in rem nostram SS. PP. testimonia & exempla. Nam prædictus D. Augustinus l. 1. *de adulterin. conjug.* c. 16. inter oppositas sententias, quarum una dicebat catechumenos subitò paroxismo oppressos, quo baptismum petere, & ad interrogata respondere prohibentur, esse baptizandos; altera, sensibus & signis destitutum non posse licitè baptizari contendebat, ipse benigniorem amplectitur, nec tamen damnat oppositam, sed illam in sua probabilitate relinquit. Mox c. 18. eandem doctrinam ad illos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, extendit, rationem dans: *quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebrâ usque ad baptismum statuerant detineri?* Tandem eodem cap. idipsum affirmat absque distinctione de Sacramento Pœnitentiæ: *Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit, neque ipsos ex hac vitâ sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.* Ubi tametsi loqui videatur de pœnitente, non tamen loquitur de illo, cujus pœnitentia per signa manifestatur, sed ex vita vel fide Christiana præsumitur; aliàs ipsius dicta non concordarent. Ecce! hîc in secundo saltem & tertio casu D. Augustinus amplectitur opinionem plurimorum præsertim nobis adversantium judicio minùs tutam, & minùs probabilem? & quamvìs amplecteretur magis probabilem, quia tamen oppositam non condemnat, etiam illam putat esse tutam & probabilem.

De S. Cypriano suprà mentionem fecimus, qui decrevit, ab hæreticis baptizatos, cùm ad Ecclesiam redirent, esse rebaptizandos: quæ opinio [nunc damnata & erronea] propter bonam fidem & probabilem persuasionem sanctissimi Martyris excusatur, quantumvis esset minùs probabilis, utpote communiori Ecclesiæ consuetudini contraria. Zacharias Papa à D. Virgilio admonitus, quòd D. Bonifacius quosdam, ex imperitia baptizantis *in nomine Patria, & Filia, & Spiritua Sancta* baptizatos rebaptizâsset, factum reprehendit, sed de peccato nequaquam accusat, haud alia de causa, nisi quòd Pontifex D. Bonifacium bonâ fide in probabili ratione fundatâ crederet excusatum. Hinc mediâ viâ nec minis arctando, nec laxando conscientias incedendum est, & fugienda zeli exorbitantis indiscretio juxta D. Ambrosii monitum in Ps. 118. serm. 5. *Sunt etiam in nobis, qui habent timorem DEI, sed non secundùm scientiam, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere. Timor in eo est, quia videntur sibi consulere disciplinæ, opus virtutis exigere; sed inscitia in eo est, quia non compatiuntur naturæ, non æstimant possibilitatem.*

Ad rescripta SS. Pontiff. & Canones, qui ex corpore juris opponuntur disp. 12. a. 4. §. 1. responsum est: qui benignæ sententiæ & nostræ favent, sup. art. 5 § 3. n. 5. & 6. referuntur. Addo monitum Leonis Papæ in cap. *sicut quædam*, dist. 15 *ut in iis, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis SS. PP. inveniatur adversum.* Cùm ergo ex hactenus dictis & disputatis constet, doctrinam sententiæ probabilis à nobis explicatam, neque præceptis Evangelicis contrariam, nec SS. Patrum decretis esse adversam, licitè illam sequemur in praxi. 16.

ARTICULUS VIII.

An nostra sententia adversetur doctrinæ S. Th. ejusque Interpretum?

SUMMARIA.

1. *Adversariorum opinio de antiquitate suæ sententiæ.*
2. *Textus, qui opponuntur ex S. D.*
3. *Ostenditur, expositionem rigorosæ sententiæ esse contrariam menti D. Thomæ.*
4. *Eruitur genuinus sensus & mens D. Th. in primo textu.*
5. *Exponuntur reliquæ authoritates.*
6. *Firmatur expositio authoritate antiquorum Thomistarum.*
7. *Adducuntur plures DD. ex Schola D. Thomæ pro benigna sententia.*
8. *Ex quibus colligitur, benigniorem sententiam esse verè Thomisticam:*
9. *Nullo modo novitium dogma, sed ratione, & authoritate potiorem.*
10. *Nostra sententia ex principiis adversariorum secura in praxi.*
11. *Est licita etiam in articulo mortis.*
12. *Regula reperiendi certam probabilitatem.*
13. *Sententia benigna etiam à Spiritu S.*

§. I.

Proponitur authoritas D. Th.

Potissimum oppugnationis robur collocant adversarii in D. Thomæ, Scholæque Thomisticæ authoritate, cui benignam sententiam adversari, & hanc *opiniosiorum Probabilistarum licentiam* 1.

centiam antiquis omnibus suspectam fuisse dictitant. Imò Dominicanam familiam, inquit Vincent. Baron. *à S. Doctore, in cujus verba jurant, hoc dogma inconcussum habere, quod agitur contra legem, semper esse malum, nec excusari per hoc, quòd sit secundùm conscientiam, quacunque probabilitate munitam, quæ incertitudinem nunquam sit evasura, quamdiu reclamabunt Doctores graves, & contra stabunt rationum momenta.* Jul. Mercorus plus audet, & p. 2. a. 26. antiquitatem sententiæ rigorosæ refert adusque tempora Apostolorum, quod exinde probat: *Quia quatuor ultimis sæculis elapsis S. Thomas, Scotus, S. Antoninus, Gerson, Jo. Major, Adrianus, & alii docuerunt, non licere sequi minùs tutam, seu minùs probabilem: non est autem verisimile, hujusmodi Doctores voluisse scribere contra regulam, quæ communiter tunc habebatur in Ecclesia.* Nunc igitur primò Angelici Doctoris, cujus illibatam doctrinam, ex perpetuo nostræ Universitatis instituto & more, pro meæ sententiæ regula & cynosura colloco, verba & ex his mentem inspiciamus.

2. Primus igitur & præcipuæ considerationis locus est ex quodl. 8. S. Th. a. 13. ubi instituta quæstione, *utrùm ille, qui habet plures præbendas, peccet?* sic resolvit. *Aut ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, utpote habendo plures præbendas &c. in quandam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & sic, si manente tali dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem. Aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic se non committit discrimini, nec peccat.* Ex quo videtur inferendum: sed qui sequitur opinionem probabilem, præsertim minùs probabilem contra alteram faventem legi, hoc ipso in dubitationem adducitur: ergo committit se periculo peccandi: ergo peccat.

Accedit, quòd ibidem in c. art. dicat S. D. *Illud autem, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundùm conscientiam.* Subsumitur: sed qui sequitur minùs probabilem contra legem, exponit se periculo agendi contra legem: ergo exponit se periculo peccandi: & si actus reverà sit contra legem, peccabit, non excusandus per conscientiam probabilem.

Adducuntur præterea alii duo textus ex quodl. 9. a. 15. in corp. *error, quo non creditur peccatum mortale, non excusat à toto, licèt fortè à tanto.* Ergo sequens partem minùs tutam, si erret, ex mente S. D. non excusabitur à toto &c. Et rursus ibid. *omnis quæstio, in qua de peccato mortali quæritur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur.* Sed si liceret utramque opinionem pro libitu sequi, non esset tam operosè & scrupulosè desudandum in resolutione quæstionis: ergo. Tandem quodl. 3. a. 10. *In his, quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri, in talibus enim ignorantia non excusat.*

§. II.

Expenditur eadem authoritas, & exponitur.

3. Existimo tamen, D. Thomam non satis Thomisticè in rigorosæ sententiæ patrocinium trahi, cùm explicatio & applicatio istorum textuum ab adversariis facta videatur ipsi S. D. contradicere, & eundem contradictionis arguere. Nam adversarii dicunt, & ex textu, ut putant, colligunt: *Qui in contrarietate opinionum judicat sibi licitum esse habere plures præbendas, semper in dubietatem inducitur, & ideo peccat, & nunquam sequi potest minùs tutam faventem commodo.* D. Thomas teste Jo. à S. Th. disp. 12. a. 3. n. 14. dicit: *Non semper aliquis ex contrarietate opinionum in dubietatem adducitur, nec proinde peccat.* Ita habet, vel potiùs supponit cit. quodl. 8. a. 13. in fin.

Item S. D. ibidem decernit, quòd sequens opinionem faventem commodo contra legem habendo plures præbendas, quæ est pars minùs tuta, & fortè minùs probabilis, modò non habeat dubitationem, non peccet. Adversarii dicunt, & colligunt sua opinione ex S. D., errantem contra legem in jure naturali nunquam excusari à peccato, vel quia invincibilis error non excuset in jure naturali, ut vult Jansenius cum suis collateralibus; vel quia non detur invincibilis ignorantia juris naturalis, ut volunt Sinnich. Fagnanus, Vincen. Baron. Contenson.

D. Thomas affirmat omnem invincibilem errorem excusare à peccato, neque distinguit inter ignorantiam juris naturalis & positivi. Ita enim inquit cit. quodl. 8. a. 15. *Error conscientiæ quandoque habet vim absolvendi, seu excusandi, quando scilicet procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire non potest, vel scire non tenetur. Et in tali casu quamvis factum sit de se mortale, tamen intendens peccare venialiter, peccaret venialiter.* Et hoc ipsum docet ex instituto 1. 2. q. 6. a. 8. & q. 17. de verit. a. 3. & 4. Quòd verò detur juris naturalis, eaque inculpabilis & invincibilis ignorantia, ex fundamento ejusdem S. D. distinguentis inter præcepta naturalia primaria & secundaria, & antiquiorum Thomistarum sententia dictum est in disp. 2. §. 2. Aut ergo adversarii D. Thomam contra suammet mentem explicant, aut faciunt ipsum contradicentem sibi. Neutro sanè modo Thomisticè.

Genuinum igitur sensum & mentem D. Th. tum ex ipsomet contextu, tum ex antiquiorum Thomistarum interpretatione eruamus. Illa est mens & assertio Divi Thomæ, quam ponit in corpore articuli per modum scopi ac centri, quo totus articuli discursus collimat, illa non est assertio D. Thomæ, quam sibiipsi solvendum objicit; sed opinionem & principalem scrupulum adversariorum sibiipsi objicit. Ita enim inquit cit. a. 13. circa 3. *sic proceditur. Videtur, quòd ille, qui habet plures præbendas, peccet ex hoc ipso, quod opiniones Magistrorum sunt in contrarium. Quicunque enim committit se discrimini in his, quæ sunt ad salutem, peccat: sed iste committit se discrimini, ut videtur, cùm faciat contra multorum peritorum sententiam: ergo videtur, quòd peccet.* En! ipsissimam adversariorum argumentationem! Concludit verò corpus articuli verbis suprà allegatis distinguendo; *Aut ex contrarietate opinionum in dubietatem inductus manente dubitatione habet plures præbendas, & sic peccat: aut in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit* 4

mittit se discrimini, nec peccat. Et hoc est, quod nos asserimus, videlicet illum, qui non deposito dubio cum practica formidine sequitur sententiam minùs tutam, peccare; qui verò practicè & rationabiliter non dubitat, vel formidat, ut in conflictu duarum adversantium opinionum probabilium, [hæc enim est hypothesis articuli] fieri posse expressè supponit S. D. tum in corp. tum in arg. Sed contra, quod per omnia respondet cum ultimata resolutione, illum non peccare. In adversariorum autem doctrina S. D. hanc quæstionem tali modo resolvere nequaquam potuisset; nam per ipsos hærens inter duas opiniones probabiles non potest alteri parti dare determinatum assensum; non potest non practicè dubitare de honestate actionis; non potest non versari in periculo peccati eligendo partem minùs tutam æquè vel minùs probabilem, qualis hic est, habere plures præbendas: nec potest in hoc peccato, utpote versante in materia Juris naturalis operans per bonam fidem & invincibilem ignorantiam excusari. Debuisset igitur Angelicus Præceptor à suis discipulis aliam respondendi viam discere, & dicere, inter contrarias Magistrorum opiniones constitutum, nisi viam tutiorem eligat, & relictâ beneficiorum pluralitate sese peccandi periculo eximat, peccare.

5. Altera authoritas ex quodl. 9. a 15. vel loquitur de errore invincibili, & sic nimiùm probat: quia etiam invincibilem ignorantiam facit inexcusabilem, quod nec adversarii extra partes Jansenii admiserint. Si de vincibili [uti exponi debet] nostram sententiam non oppugnat.

Tertia ex eodem loco est ipsis adversariis solvenda. Si enim in controversia de peccato mortali, semper contra libertatem ad evitandum periculum peccati [ita volunt Adversarii] quod in materia juris naturalis per ignorantiam invincibilem, & authoritatem magistrorum non evitatur, ferenda est sententia, non est scrupulosa indago, & deliberatio de sententiæ determinatione instituenda. Cur ergo est periculosa determinatio? Est respectu ipsius Magistri docentis, ex una parte, ne plausibiles aliquas & fucatas rationes pro solidis & probabilibus prehendens ad laxitatem viam aperiat; ex altera parte, ne onera indebitè multiplicans sit causa, ut homines contra conscientiam peccent, quod ex rigida adversariorum sententia facilè evenire potest.

Quarta ex quodl. 3. a. 10. in sensu adversariorum rursus nimium probat, ut primùm in responsione ad 2. authoritatem diximus, subsistit verò in sensu D. Th. quem ipse se explicans & concludens statim subjungit: *Qui ergo assensit opinioni alicujus Magistri contra expressum Scripturæ testimonium, sive contra id, quod publice tenetur secundùm Ecclesiæ authoritatem, non potest ab erroris vitio excusari.* Vides, D. Th. loqui de sequela opinionis non probabilis, de qua disputamus, sed improbabilis, utpote quæ est contra expressam Scripturam, Ecclesiæ authoritatem &c. unde & confirmat suam doctrinam: *alioquin immunes à peccato fuissent, qui secuti sunt opinionem Arii, Nestorii &c.* qui utique non probabiles, sed maximè improbabiles & hæreticas sententias docuerunt. Unde cùm exceptio firmet regulam, sic potiùs contra adversarios vertitur argumentum: Qui contra expressum Scripturæ vel Ecclesiæ testimonium sequitur erroneam opinionem Magistri, non excusatur: ergo à sensu contrario si non sit contra expressum Scripturæ testimonium &c excusatur.

Adstipulantur antiqui DD. & præclara Scholæ Thomisticæ lumina, inprimis D. Antoninus, qui locum è quodl. 8. objectum pridem ita resolvit. 1. p. tit. 3. cap. 10. §. 10. *Hæc verba D. Thomæ [quod agitur contra legem, semper est malum &c.] non possunt intelligi nisi de his, ubi manifestè patet ex Scriptura, vel Ecclesia determinatione, quòd sit contra legem DEI, & non de illis intelligit, ubi non apparet: aliàs sibi contradiceret in eodem libro.* Ad illud, quod D. Th. dicit, peccare mortaliter, qui operatur manente dubitatione, an sit peccatum mortale, dicit *verum esse, sumendo propriè & strictè dubitationem, videlicet prout rationes sunt æquè ponderantes ad utramque partem, neque magìs declinat quis ad unam, quam ad aliam,* & quòd ille, qui ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, operando non peccet, causam subjungit: *quia talis non operatur in dubio mortalis, sed secundùm opinionem probabilem.* Itáne dicunt Baronius, Contenson. &c. Eadem est explicatio Joannis à S. Th. loc. cit. in omni D. Thomæ doctrina profundissimè versati, & ex eo quoque capite in hac materia suspiciendi, quòd Philippo IV. Regi Hispaniæ fuit à Confessionibus, tantoque magis variarum opinionum & practicorum casuum, quorum nullibi major, quàm in aulis copia, peritus. Ita pariter exponunt D. Thomam Sylvester in Summa V. opinio q 1. & M. Joannes Nider in *consolatorio timoratæ conscient.* p. 3 c. 11. & plures, quorum verba relata à Terillo. & à Math. de Moya tr. 1. q. 6. §. 4. brevitatis causâ prætermitto. 6.

Licitum quoque opinionis minùs tutæ, tametsi minùs probabilis, delectum suadent antiqui & gravissimi ex eadem D. Thomæ Schola Magistri & Doctores, relati magno numero à prædictis Terillo, de Moya, & Stephano de Champs *in quæst. facti.* quos inter præcipui sint Barthol. Ledesma in tr. de Sacram. pœnit. diffic. 14. Didacus Alvarez Archiepisc. Tranensis in 1. 2. disp. 80. asserens, quòd hanc sententiam teneant, Magister Medina, & alii doctissimi Thomistæ. Dominicus Bannez, in 1. 2. q. 10. a. 1. dub. 3. conclu. 4. dicens: *Dicimus, quòd de opinionibus prioris generis* [quæ versantur circa actionem exercendam, ut an aliquis contractus sit licitus?] *verum est, posse hominem sequi probabilem opinionem relictâ tutiori & probabiliori.* Petrus Ledesma, 40. annis Theologiæ Professor, licitum usum sententiæ minùs probabilis ad ipsum usque Judicem extendit in Summ. p. 2. tr. 8. cap. 22. M. Prado to. 1. Theolog. Moral. cap. 1. q. 4. §. 3. n. 12. excusat à peccato amplectentem opinionem minùs tutam æquè probabilem ac est contraria: *Nam in practica,* inquir, *habet certitudinem moralem, quòd rectè operetur, quia quæsitâ veritate, quantum potuit, si in re erret, invincibiliter ignorat.* Expressissimè nostram sententiam tuentur Jo. Ildefonsus, Bapt. Cæsaraug. in Commentariis super 1. & 2. jussu Capituli Generalis anno 1644. Romæ congregati editis, disp. 208. dub. 8. fragm. 2. n. 677. 7.

& addit seq. fragm. 3. n. 684. sequens opinionem probabilem, nulli se exponit periculo peccandi, nam etsi illa esset falsa, & revera esset peccatum, ipse excusatur ab illo, sequendo quod probabile censet. Non minùs Jo. à *S.* Th. cit. disp. 12. a. 3. n. 10. expressè dicit: *Positâ istâ probabilitate practicâ & prudenti, quacunque dubitationes speculativa insurgant, [quæ omnino insurgunt, dum non datur evidentia de opposito] aut etiamsi altera pars securior & tutior, seu probabilior videatur, non tenemur id sequi, aut omittere id, quod absolutè & simpliciter prudens est, & prudenter regulatum.*

8. Nunquam igitur orbi litterario Adversarii persuadebunt, sententiam de licito usu minùs tutæ, minùsque probabilis opinionis intra debitos cancellos restrictam, esse D. Thomæ, aut Thomisticæ doctrinæ contrariam; quippe quam ad doctrinæ Thomisticæ consequentiam multò magìs accommodam docent Thomistæ omni exceptione majores, authoritate & numero potiores, ut proinde si trahatur in controversiam, an benigna vel rigida sententia sit magìs Thomistica, ex ipsorummet Adversariorum principiis pro nostra & benigna sit standum, quippe pro qua militat consequentia doctrinæ D. Thomæ, ac tot tantique Thomistæ per tot annos Scriptis Angel. Doct. immersissimi, & antiquiores, qui in media litterarum pace nullis etiamnum apologeticis satyris lacessiti, cùm de sinistro affectu aut passione nullatenus possent esse suspecti, pacatissimo animo suam dixere sententiam, ut penè nefas sit dubitare, quin magno excessu sit probabilius, benignam sententiam esse quàm non esse Thomisticam. Multò minùs Adversarii persuadebunt, hanc de probabilitate sententiam esse novitium dogma, & neotericorum commentum; oppositum quippe partim ex dictis constat, partim ex eo, quòd Terillus Authores à se inspectos à tribus sæculis, ultra 130., & in istis sanctitate & pietate conspicuos Albertum Magnum, D. Antoninum, D. Bonaventuram, Joannem Niderum, Joannem Gersonem &c. recenseat, & i super provocet adversarios, ut vel unum ex antiquioribus referant, qui hanc communem D. Antonini, Gersonis, Nideri sententiam impugnârit. Addit Stephan. de Champs, Si quos antiquiores in suas partes vocant adversarii, illos vel loqui de dubio vero & practico, vel de ignorantia vincibili, vel in particulari casu, in quo vitandum est damnum proximi ex lege justitiæ, vel charitatis.

9. Non est igitur nova hæc nostra sententia, sed noviter agitata, postquam sententiarum probabilitas deflexit in laxitatem, & quorundam intempestivus rigor utramque confudit in unum. Limitata, quam propugnamus, probabilitas, mediâ ideoque securâ incedit viâ, quam apud Esparz. append. a. 213. suadet D. Bonaventura. *Cavenda est conscientia nimis larga, & nimis stricta, nam prima generat præsumptionem, secunda desperationem. Item prima dicit sæpe malum bonum, secunda contrà bonum malum. Item prima sæpe salvat damnandum, secunda verò damnat salvandum.* Hæc *S.* D. In eundem sensum loquuntur D. Antoninus sup. cit. & Jo. Gerson l. de vit. spirit. lect. 4. coroll. 11. *Ex his*, inquit, *elicio pro Doctoribus Theologis doctrinam salutarem, ne sint faciles asserere, actiones aliquas, aut omissiones esse peccata mortalia.* Rationem dat: *Quia per tales assertiones publicas nimis duras, generales, & strictas, præsertim in non certissimis, nequaquam eruuntur homines è luto peccatorum, sed in illud profundiùs quia desperatiùs, immerguntur. Quid prodest, imò quid non obest coarctare plus justo mandatum DEI, quod est latum nimis? quid expedit amarius, graviusq; reddere illud Christi jugum, quod suave est, & onus leve? &c.*

Obsequimur huic monito, imò ipsorum adversariorum principiis, dum sequimur benignam sententiam, ceu ratione, & multò maximè authoritate probabiliorem: quam à pluribus sæculis, viri litteris & pietate clarissimi suâ praxi & doctrinâ comprobârunt, quam in omni gradu, statu, Religione, Academiis undequaque celeberrimis doceri Summo Pontif. sciente, tolerante cernimus. Docuit illam ex Sorbona Parisiensi Isambertus, & Gamachæus; ex Lovaniensi [teste de Champs] Joa. Malderus; ex Duacena Sylvius; ex Salmanticensi Basilius Poncius, Petrus Cornejo &c. ex Complutensi Petrus de Lorca; ex Ingolstadiensi Haunoldus, Erhard, Illsung; ex Græcensi Amicus, Rosmer. Docuerunt [ut jam relatos ex D. Dominici familia Thomistas, & DD. Societatis J. de quibus constat, prætercam.] ex ordine S. Benedicti Abbas Panormitanus ad c. *Capellanus.* de feriis n. 6. dicens: Notandum ex hac glossa sic intellecta, quòd non peccat non servans jus præcepti, ubi sunt variæ opiniones, licèt postea appareat contrariam opinionem fuisse veram, & aliam, quæ tenebatur, non subtiliter investigatam. Et pro hoc adducitur &c. Caramuel, Sairus, Illustriss. Reding. Ex D. Augustini prædictus Poncius, Michaël Salonius, & Gibbon; ex Carmelitis Cornejo. Jo. Bapt. de Lezana & alii; ex Cistercienfibus prædictus Petrus de Lorca, Petrus à S. Joseph, Fuliensis. Ex Carthusianis Josephus Rossel. Ex D. Francisci familia, subtili Doctori addicta, Josephus Angles, Jo. Poncius, Petrus Marchantius, Guilielmus Herincx; ex Capucinis Eligius Bassæus, Ludovicus Caspensis; ex Clericis Regularibus Zacharias Pasqualigus, Antoninus Diana, & alii, de quibus vide Stephan. de Champs loc. cit.

§. III.

Corollaria.

INferes ex dictis primò. Nostram de probabilitate sententiam etiam secundùm principia adversariorum esse securam in praxi. Nam juxta Fagnanum sententia probabilior est moraliter certa: nostra est probabilior; tametsi enim ex rationum motivis non esset, fieret tamen multò probabilior ex pondere authoritatis; ergo. Rursus Mercorus p. 3. art. 7. concedit, licitum usum sententiæ minùs probabilis faventis libertati, *si nomine partis probabilis intelligatur pars tuta, & nomine probabilioris tutior, seu, ut alii dicunt, nomine partis probabilis intelligatur ea pars, quam si quis eligeret, esset prudens, si verò oppositam probabiliorem eligeret, esset magis prudens, quo modo* [inquit] *probabilitas accipitur, ut est constitutiva objecti prudentiæ.* Sed hoc, & nil aliud est, quod dicimus, & sentimus. Is ipse post pauca idem concedit,

concedit, ſi minùs *probabilis ex motivo intrinſeco favens libertati, per motivum extrinſecum redditur moraliter certa.* Exemplum ponit de exiſtimante ex rationibus intrinſecis probabilius eſſe, ſibi non licere in die feſto opus ſervile per horam: is tamen *ſi advertat, quòd perſona Religioſa, docta, & DEI timorem habentes faciunt laborare ſuos famulos per horam in die feſto extra caſum neceſſitatis, ex hoc tanquam extrinſeco motivo poteſt ſequi ſententiam, quæ ipſi apparet minùs probabilis ex motivo intrinſeco.* Sed quis dubitet, noſtram ſententiam doceri, teneri, & practicari à perſonis Religioſis, doctis, DEUM timentibus &c.? ergo noſtra ſententia, tametſi foret per intrinſecas rationes minùs probabilis, adhuc ex motivo extrinſeco juxta Mercorum fieret probabilior, imò moraliter certa.

11. Inferes ſecundò. Uſum ſententiæ certò, quamquam minùs probabilis, etiam eſſe licitum in articulo mortis: nam articulus mortis ex licito non facit illicitum, & ſi ſententia ſemel fuit prudens, ſecura, & remota à periculo offendendi DEUM, erit etiam talis in articulo mortis. Ideo beneficiarius, qui ſententiam probabilem ſecutus, habuit plures præbendas, non eſt in articulo mortis cogendus ad illarum reſignationem: Clericus, qui ſententiam probabilem ſecutus, non reſtituit, quæ de proventibus Eccleſiaſticis ſibi ſuperflua in profanos uſus expendit, non eſt cogendus ad reſtitutionem; nec mercator ad reſcindendos contractus probabiliter licitos &c.

12. Inferes tertiò. Non eſſe difficile, ut quidam exiſtimant, reperire, an aliqua ſententia ſit certò probabilis, nec ne? Tres regulas tradit Terillus, & ex illo Erhard in theſ. de opinione probab. Prima eſt: Illa opinio eſt certò probabilis, quæ talis ab omnibus aut plurimis aſſeritur, nemine contradicente. Vel ſiqui pauci contradicant, aliorum tamen rationes non ſolverunt, nec rationes convincentes attulerunt: tunc enim certa probabilitas talis opinionis manet in poſſeſſione, uſque dum per argumenta convincentia evertatur. Secunda: Opinio communis, quam frequenter Authores in libris, vel Magiſtri in Scholis tradunt, tamdiu manet certò probabilis, quamdiu nullus probabilem eſſe negat, nec affert rationes convincentes in oppoſitum, tunc enim probabilitas certa rurſus eſt in poſſeſſione. Tertia: Illiteratus & indoctus illam opinionem poteſt habere pro certò probabili, quæ ipſi tanquam vera vel certò probabilis ſuadetur à viro docto & probo, & nihil aliud occurrit in contrarium. Nam ad prudens judicium certæ probabilitatis id ſufficit in homine illiterato, quod ſufficit ad prudentem fidem: ſed authoritas viri docti ac pii ſufficit ad prudentem fidem, ut aliàs dictum: ergo.

Inferes quartò. Sententiam benignam non 13.
eſſe à carne & ſanguine, & concupiſcentiæ fovendæ invenram, ſed à Spiritu S., quia, quod majori Eccleſiæ parti probatur, & ab illa in praxim deducitur, probabiliùs eſt à Spiritu S. ceu Spiritu Veritatis, à quo omnis rationabilis cogitatio & pro conſcientia formanda ratiocinatio ſumit exordium: atqui talis eſt ſententia benigna: ergo. Non item à Spiritu Veritatis & Charitatis edocti, nec tutam vel probabilem [ut optimè advertit Herincx. diſp. 4. de conſc. q. 3. §. 1. n. 26.] opinionem ſecuti ſunt rigidæ ſententiæ Authores, quando benignæ probabilitatis Patronos, viros doctrinâ & pietate conſpicuos, laxones, palpones, novatores appellârunt, aliiſque, quæ referre piget, conviciis, non minùs in veritatis, quàm charitatis Chriſtianæ præjudicium onerârunt.

ARTICULUS IX.

An liceat contra propriam ſententiam ſequi, vel conſulere probabilem oppoſitam?

SUMMARIA.

1. *Licet contra propriam ſententiam ſequi oppoſitam probabilem.*
2. *Nec propterea ſimul ſtant in intellectu judicia contradictoria.*
3. *Licitè aliquis dat conſilium ſecundùm alienam ſententiam probabilem.*
4. *Nec propterea loquitur contra mentem propriam.*
5. *Idem dicendum de Confeſſario.*
6. *Monitum pro Confeſſario.*
7. *Pœnitenti contrariam ſententiam probabilem tenenti à Confeſſario non poteſt denegari abſolutio.*
8. *Judex licitè ſequitur ſententiam alienam, quæ æquior apparet.*

§. I.

Reſolutio affirmativa.

1. CONCLUSIO. *Licet contra propriam ſententiam ſequi oppoſitam, quam quis judicat verè probabilem.* Ita Dom. Sotus, Thomas Sanch. 1. in Decal. c. 19. n. 14. citans plurimos Authores. Eandem ut probabilem admittit in exercenda poteſtate [illegible]vium, & exemplificat per Adrianum V. ſuperiùs relatum & Joann. XXII. Sinnichius §. 260. Contrariam tenent Eſparza & Scildere.

Ratio eſt: Ille licitè operatur, qui habet & ſequitur judicium certum practicum de honeſtate ſuæ operationis: ſed qui operatur ſecundùm ſententiam probabilem, quam ſpeculativo vel habituali judicio æſtimat eſſe falſam, poteſt habere certum & practicum judicium de formali honeſtate ſuæ operationis: ergo. minor probatur: quandocunque adſunt principia ſufficientia, ex quibus formalis honeſtas alicujus operationis poteſt inferri, tunc poteſt formari certum judicium practicum de tali honeſtate: ſed ſive ſentiam ex propria opinione, & judicio ſpeculativo talem contractum eſſe licitum, ſive non eſſe licitum, adſunt principia ſufficientia indirecta vel reflexa, ex quibus poteſt inferri formalis honeſtas talis

contractûs hîc & nunc ineundi: ergo sive speculativè sentiam esse licitum, sive illicitum, possum formare certum judicium practicum de honestate formali talis contractûs; adeòque non obstante meâ opinione contrariâ possum alterius oppositam sententiam sequi. Minor probatur. Tametsi sentiam hunc contractum esse usurarium, adhuc tamen possum judicare, &, si opposita videatur verè probabilis, debeo prudenter judicare, etiam oppositæ sententiæ motiva esse digna assensu: sed ex hoc principio formatur & infertur judicium practicum certum de formali honestate operationis: e. g. *secundùm illam sententiam licitè operor, quæ est digna prudenti assensu: sed hæc sententia, quæ docet hunc contractum non esse usurarium, per rationabilia motiva, quæ habet, est digna prudenti assensu, quantumvis meâ opinione iste contractus sit usurarius: ergo secundùm hanc sententiam licitè operor.*

2. In quo casu non sunt simul in intellectu hæc duo contradictoria judicia, *contractus est usurarius, contractus non est usurarius*, sed disparata, & nequaquam opposita: *contractus est verisimiliter usurarius; & est probabile, contractum non esse usurarium.* Et verò si dubium & formido ex parte judicii speculativi non obest certitudini judicii practici, quippe cui aliud objectum respicienti tantùm remotè præsupponitur, ita nec judicium speculativum de materiali inhonestate potest obesse judicio certo & practico de formali honestate actûs, cùm & ista judicia diversa objecta respiciant, & judicium practicum ex speculativo proximè non inferatur.

§. II.

Corollaria.

3. HInc inferes primò: Posse consultum respondere & consilium dare consultanti non tantùm secundùm propriam, sed etiam juxta alienam sententiam verè practicè probabilem. Sic Medina, Suarez, Sairus, Thomas Sanch. Layman, aliique quos citat, & sequitur Ildefons. Bapt. Cæsaraug. disp. 203. dub. 14. fragm. 2.

Sequitur primò ex assertione præced. quia quod quis ipse licitè sequitur, hoc etiam licitè suadet alteri, cùm nemini incumbat major obligatio alienam conscientiam curandi, quàm propriam: sed, ut dictum, potest quis licitè sequi alienam sententiam contra propriam: ergo. Secundò: Illam sententiam aliquis licitè suadet, quam consultans licitè exercet; tunc enim satisfacit intentioni consultantis, suæque obligationi [neque enim videtur curare consultans, nisi aliud exprimat, quæ sit mens ipsius consulti, sed potiùs quid sibi hîc & nunc possit esse licitum] sed consultans licitè sequitur opinionem verè probabilem: ergo.

4. Dices. Consultus in tali casu loquitur contra propriam mentem, quod non licet. Respondetur. Non loqui contra mentem, quia cum speculativo dissensu de liciditate actûs ex motivis directis stare potest judicium practicum, & assensus de probabilitate oppositi, quod sufficit, ut quis possit oppositam sententiam sequi, vel alteri suadere. Dixi: *nisi consultans aliud exprimat,* quia, ut rectè notat Jo. à S. Th. si quis Doctor de propria sententia, vel de probabiliori requiratur, quid nimirum ipse, vel quid plures & doctiores de aliquo puncto sentiant, tenetur juxta propriam mentem, & probabiliorem respondere; aliàs quippe interrogantem decipiendo peccaret contra veracitatem & fidelitatem.

Inferes secundò. Hactenus dicta extendi debere ob identitatem rationis ad Confessarium. 5.
Unde primò potest Confessarius à pœnitente interrogatus v. g. an sit obligatus ad jejunium &c. respondere secundùm quamcunque opinionem verè practicè probabilem, etiam contra propriam, ut est communis sententia, & fatetur Sinnich. loc. cit. Secundò, cùm duæ sunt opiniones, quarum una rigida obligat ad jejunandum, altera favorabilis non obligat, non videtur consultum, ut Confessarius pœnitentem obliget ad jejunandum, primò, quia sic non respondet juxta intentionem interrogantis, qui tantùm videtur esse sollicitus, quid sibi liceat, non quid Confessarius, vel rigidiores Authores tutius esse sentiant: secundò, quia videtur loqui contra propriam mentem; etsi enim ipsemet oppositam opinionem, quæ ad jejunandum obligat, veram esse speculativè censeat, nihilominùs debet judicare, pœnitentem non peccare sequendo illam opinionem verè probabilem, quæ deobligat à jejunando. Unde tertiò conjiceret pœnitentem in periculum formaliter peccandi contra conscientiam, si existimans se lege jejunii obligatum, non jejunaret.

Prudentissimè tamen Confessarius suo officio 6.
satisfaciet, si, ut optimè monet clarissimus P. Erhard in Thes. Non quidem dicat pœnitenti, quòd sit obligatus ad jejunandum, suadeat tamen, & hortetur ad perfectiora, ostendendo occasionem meriti &c. At quid si Confessarius advertat, pœnitentem versari in errore, existimando aliquam opinionem verè probabilem, quæ non est talis? tunc enimverò prudentia dictabit Confessario, an ex gravibus causis, & ad evitanda graviora mala expediat pœnitentem in bona fide relinquere, vel potiùs errorem [quod per se loquendo faciendum, præsertim si error sit crassus] adimere.

Inferes tertiò. Pœnitenti, qui juxta senten- 7.
tiam probabilem judicat, aliquid esse licitum, quod Confessarius secundùm propriam sententiam judicat esse illicitum, non posse à Confessario denegari absolutionem. Nam Confessarius tenetur impertiri absolutionem pœnitenti ritè disposito: sed in casu, quo pœnitens habet alia omnia debita requisita, & tantùm non acquiescit opinioni Confessarii propter oppositam sententiam, quam etiam scit esse verè probabilem, est ritè dispositus, nam sequela contrariæ opinionis probabilis, seu culpâ vacans non impedit debitam dispositionem. Ita Jo. à S. Tho. disp. 12. a. 6. cum communi.

Ais. Confessarius est Superior respectu pœnitentis: ergo pœnitens tanquam subditus tenetur sequi opinionem Confessarii. Respondeo. Est Superior quoad illa, ad quæ potestas clavium extenditur, transeat [est enim potiùs judex, quàm Superior] quoad alia, nego. sed actio, quæ probabiliter licita videtur pœnitenti, non est clavibus subjicienda.

Inferes

8. Inferes quartò. Etiam Judicem in judicio licitè ſequi opinionem alienam, quæ ſibi æquior apparet: ſic enim intentioni Reipubl. ſuoque officio magìs ſatisfacit, quàm ſi propriam ſententiam ſequeretur. Nam intentio Reipubl. ac litigantium, officii quoque obligatio non exigit, ut judex proprii capitis placitum pertinaciter ſequatur, ſed ut illud agat, & pronuntiet, quod legibus & æquitati conformius judicaverit: cùm igitur aliena ſententia apparet æquitati conformior, judex rectiſſimè faciet ſeſe illi conformando in praxi, imò eandem ſequi tenebitur, ſi ſuam videat eſſe minùs probabilem. Ita cum communi Ildefonſ. Cæſaraug. n. 978.

ARTICULUS X.

Quid ſentiendum de Miniſtro Sacramenti, Medico, Judice, Advocato?

SUMMARIA.

1. *Præmittitur ſtatus quæſtionis.*
2. *Miniſter Sacramenti tenetur ſequi tutiorem.*
3. *Caſu neceſſitatis excepto.*
4. *Praxis Eccleſiæ facit ſententiam ſimpliciter tutam.*
5. *Non tenetur ſequi probabiliorem in controverſia juriſdictionis.*
6. *Medicus per ſe obligatur adhibere remedia certiora.*
7. *In caſu deſperatæ ſalutis licet adhibere medium dubium.*
8. *Exponitur controverſia de Judice.*
9. *Licet Judici amplecti ſententiam minùs probabilem faventem juriſdictioni:*
10. *Item reo faventem in cauſa criminali.*
11. *Non licet ſequi minùs probabilem probabilitate circa factum.*
12. *Tenetur etiam ſequi probabiliorem probabilitate Juris.*
13. *Ratio fundamentalis.*
14. *Abſurda, quæ ex oppoſito ſequerentur.*
15. *Quid Judici faciendum in jurium æqualitate?*
16. *Aliud de Advocato dicendum.*
17. *Paritates à Mercoro è noſtris Corollariis formatæ*
18. *Depelluntur.*

§. I.

Quid agendum Miniſtro Sacramenti?

1. Dictum eſt art. 5. §. 1. tutiorem ſententiam [quæ ſola tunc practicè eſt probabilis] eſſe ſequendam, cùm opiniones contrariæ verſantur circa valorem rei, & quæſtionem facti, dependentis non ab exiſtimatione morali operantis, ſed à phyſica poſitione cauſæ, ut contingit in Sacramentis, quorum valor in inſtitutione Chriſti fundatus tunc obtinetur, cùm adſunt, & à parte rei ponuntur eſſentialia requiſita à Chriſto determinata, non à Miniſtro tantùm exiſtimata. Quam doctrinam ut compendiò per modum Corollarii applicemus ad particulares conſcientias, ponimus Miniſtrum Sacramenti, Medicum, Judicem, Advocatum, & de primo quærimus, an vel quando ſit obligatus ſequi ſententiam tutiorem? ubi Nota, quòd probabilitas ſpeculativa poſſit eſſe vel circa ſubſtantiam, vel circa ritum, & cæremonias accidentales, vel circa diſpoſitionem ſuſcipientis, vel adminiſtrantis Sacramentum, vel circa juriſdictionem Miniſtri?

2. Dico & infero primò. Extra caſum neceſſitatis circa ſubſtantiam & ritum Sacramentorum Miniſter Sacramenti ſequi debet opinionem tutiorem, vel in Eccleſiæ praxi receptam, eſto oppoſita ſpeculativè ſit probabilior. Ita comm. DD. Et ratio ex dictis loc. cit. eſt, quòd illud tantùm licitè operamur, quod eſt practicè probabile; ſed in adminiſtratione, & confectione Sacramentorum illa ſola ſententia eſt practicè probabilis, quæ vel eſt tutior [hoc eſt de validitate Sacramenti certior] vel Eccleſiæ praxi recepta, tunc enim efficitur ſimpliciter tuta: ergo in adminiſtratione, vel confectione Sacramentorum oportet ſequi tutiorem, vel praxi Eccleſiæ receptam. Minor probatur. Sententia minùs tuta, & oppoſita Eccleſiæ contrariatur certo præcepto, primò Religionis, quo jubemur in re tam gravi operari ſecundùm inſtitutionem Chriſti, ac proinde cavere periculum fruſtrandi inſtitutionem Chriſti, quod fieret, apponendo formam, vel materiam, quæ in re ipſa non eſſet conformis inſtitutioni Chriſti; ſecundò Charitatis, quo jubemur vitare damnum non minùs ſpirituale, quàm temporale proximi, cui tamen is ex dubio valore Sacramenti exponitur; Tertiò Tridentini, quod ſeſſ. 7. can 13. decerit, *receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in Sacramentorum adminiſtratione non poſſe contemni, aut ſine peccato à Miniſtris pro libitu omitti &c.* Atqui ſententia certæ legis obligationi contraria non poteſt eſſe practicè probabilis: ergo.

Dixi primò: *extra caſum neceſſitatis*; quia in extrema neceſſitate [prout Eccleſiæ praxis comprobat] favor & reverentia Sacramenti cedit favori periclitantis animæ: finis quippe eſt principalior, quàm media: ſed Sacramenta ſunt inſtitura pro ſalute animæ; ideoque ſalus animæ principaliùs debet reſpici, quàm valor Sacramenti; præſertim cùm reverentiæ Sacramenti appoſitione conditionis, v. g. *ſi es debitè diſpoſitus, te abſolvo*, ſufficienter conſulatur.

Dixi ſecundò: *vel in Eccleſiæ praxi receptam*; quia Eccleſiæ praxis, ut dictum, facit ſententiam abſolutè tutam, & moraliter certam, quamvis illa abſolutè ſpectata minùs accedat ad ſecuritatem Sacramenti. Ita actualis intentio miniſtri, & contritio pœnitentis haud dubiè magìs accedunt ad certitudinem, illa conficiendi, iſta recipiendi Sacramentum. Et tamen, quia praxis Eccleſiæ approbat etiam intentionem virtualem, & ſententia Eccleſiæ in Tridentino approbat attritionem cognitam ut talem, ſeſſ. 14. c. 4 *quamvis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad juſtificationem perducere*

ducere peccatorem nequeat; *tamen eum ad DEI gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*. idcirco illâ licitè utitur Minister Sacramenti, hâc pœnitens.

5. Verùm etiámne tenetur Minister sequi sententiam probabiliorem, quando de jurisdictione controvertitur? Probabiliter negat Jo. à S. Tho. dict. l. n. 51. Lessius, Sanch. aliique plurimi apud Dicastillo disp. 10. dub. 8. nam cùm quis habet titulum coloratum & probabilitatem suæ Jurisdictionis, tunc etiamsi à parte rei non habuisset jurisdictionem, tamen pro illo casu suppletur ab Ecclesia, sicut supplentur, quæ simili modo fiunt à judice in foro externo. ex l. *Barbarius. ff. de offic. Prætoris*, ac proinde valor Sacramenti non ita periclitatur, sicuti si tantùm probabili formâ, vel materia Minister utatur.

§ II.

Quid liceat Medico vel chirurgo?

6. DIco & infero secundò Medicum vel chirurgum per se loquendo esse obligatum in conscientia, ad applicanda media certa relictis incertis, & probabiliora relictis minùs probabilibus.

Ratio est primò: quia certa lex charitatis obligat, ut vitemus, quantùm possumus, proximi grave damnum ex nostris actionibus probabiliter eventurum: sed cum medicina incerta & minùs probabili jungitur periculum gravis damni probabiliter secuturi.

Secundò. quia Medicus adhibens incertiora medicamenta non satisfacit suo muneri: nam ut Arist. 1. top. c. 2. *nec Rhetor omni ex modo persuadebit, neque Medicus sanabit; sed si ex iis, quæ contingunt, nihil omiserit, sufficienter disciplinam eum habere dicemus*. Et Boët. *de Trinit*. *Neque enim Medicus semper ægris affert sanitatem, sed nulla culpa erit medentis, si nihil eorum, quæ fieri oportebat, omiserit.*

Tertiò. Quia facit contra tacitum contractum, qui inter ægrotantem & ipsum intercedit. nam æger eâ se conditione præsumitur permittere Medico, ut sibi meliori & securiori modo de salute prospiciat: nam si ægrotantibus compertum foret, Medicum adhibere medicinas incertas, fallaces, certioribus prætermissis, omnes ejusmodi Medicum desererent, imò nec prudenter suam sanitatem eidem credere possent.

7. Dixi *per se loquendo*. Nam in casu, quo salus ægroti est desperata, isque certò moriturus præsumitur, nisi medium, de quo dubium est, sitne potiùs obfuturum, quàm profuturum, applicetur, licebit illi applicare, quia dubia & probabilis spes salutis est præferenda certæ morti: atqui non applicato medicamento supponitur mors certa moraliter, illo verò applicato est spes probabilis salutis: ergo. Neque refert, si ægrotus exinde decedat: id enim est præter intentionem medici, & ægrotus aliunde erat moriturus. Vide Sanch. in Summ. & P. Rosmer de Conscientia.

§. III.

Quid liceat Judici & Advocato?

8. NOn levis etiam est quæstio, quomodo judex inter probabiles opiniones constitutus conscientiam formare debeat? ubi *distinguendum est primò* inter opinionem probabilem de jurisdictione, & inter opinionem probabilem de ipsa causa litigantium, de qua ferenda est sententia: secundò inter causam criminalem & civilem: tertiò inter opiniones circa factum, ut *an delictum sit sufficienter probatum*? & opiniones circa jus, ut *an testamentum tempore pestis conditum cum minori numero testium sit validum*? Quartò inter majorem probabilitatem, quæ oritur ex vi & efficacia juridicæ probationis, quâ unus litigantium alteri prævalet in judicio: vel quæ oritur ex diversis interpretationibus & sententiis authorum.

Et quidem communis DD. benignæ sententiæ in hoc convenit, quòd liceat Judici amplecti sententiam minùs probabilem faventem jurisdictioni, argumento sup. n. 2. pro Ministro Sacramenti adducto, & quia tunc non est periculum de damno proximi, neque aliquod præceptum justitiæ vel charitatis stat in oppositum. 9.

Convenit secundò inter authores, judicem in criminalibus licitè amplecti minùs probabilem, quæ reo favet, tunc enim maximè locum habet illa Juris regula: quòd *reo potiùs sit favendum, quam actori*, per 11. Reg J. in 6. & quia in criminalibus ad condemnandum reum requiruntur *probationes luce meridiana clariores*, quales non sunt, quamdiu defensio rei adhuc manet probabilis. 10.

Convenit tertiò ferè inter omnes in civilibus, cùm probabilitas est circa factum, & ex vi ipsarum probationum juridicarum, puta testium, instrumentorum &c. Judicem non posse pro libitu ferre sententiam secundùm opinionem minùs probabilem, ita exigente officio judicis, ut procedat secundùm merita causæ; sed utique is, qui efficaciùs probavit, habet majora merita suæ causæ. Opposita sententia tanquam æquitati naturali, & bono communi contraria, ac penè nullo nixa fundamento meritò improbabilis judicatur à P. Ethardt de opin. prob. n. 57. 11.

Cùm verò probabilitas versatur circa jus, eaque oritur ex interpretatione legum & opinionibus Doctorum, non desunt graves Authores, qui existimant, judici esse concessam libertatem in causis civilibus ex opinione minùs probabili proferendi sententiam definitivam juris. Ita Medina p. 2. q. 19. a. 6. Jo. Sanch. d. 44. n. 40. Diana p. 2. tit 13. Longè tamen probabilior est sententia opposita, cum qua Dico & infero tertiò: Judicem tam in controversiis juris quàm facti teneri relictâ minùs probabili secundùm probabiliorem opinionem [si sit notabiliter probabilior, nam aliàs pro æquali habebitur] judicare. Ita præter rigidæ sententiæ Authores Soto l. 3. de Just. q. 6. a. 5. ad 4. Bannez, Valentia, Laymann, Thomas Sanchez, aliique quos citat & sequitur Ildefons. Bapt. Cæsaraug. d. 208. dub. 16. n. 971. Oppositam Terillus q. 24. Esparza p. 2. a. 124. Erhardt loc. cit. jure merito censent improbabilem. 12.

Facit pro hac sententia inprimis authoritas D. Ambrosii Serm. 20. in ps. 119. *Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, & domestica proposito voluntatis,*

tatis, *ſed juxta leges & jura pronuntiat*, *ſtatutis quoque juris obtemperat*, *non indulget propriæ voluntati. Nil paratum & meditatum domò defert*, *ſed ſicut audit*, *ſic judicat*, *& ſicut ſe habet negotii natura.* Præterea in l. *ob carmen.* ff. *de teſtibus* dicitur: *Confirmabit Judex motum animi ſui ex argumentis*, *& teſtimoniis*, *quæ & rei aptiora*, *& vero proximiora eſſe compererit.* in l. *rem non novam. c. de judiciis* §. *hodie.* dicitur, Judices jurare ſe facturos, quod eis juſtius & melius viſum fuerit.

13. Ratio fundamentalis petitur ex ipſo officio Judicis. Judicis quippe officium eſt, ut tanquam lex viva & jus animatum inter partes litigantes æqualitatem conſtituat, ideoque propendere debet in illam partem, in quam jus & æquitas inclinat: ſed jus & æquitas inclinat in partem probabiliorem; quæ ceu victrix & præponderans jus ad ſententiam pro ſe ferendam ſibi vendicat: ergo officium judicis exigit, ut ferat ſententiam pro parte probabiliori. Aliàs ſanè Judex dicet mendacium perniciofum, ſi pro parte minùs probabili pronuntians dicat, illam eſſe victricem, quæ victa; potiorem, quæ infirmior & inferior eſt. Majorem probant præſumpta Reip. judicem conſtituentis voluntas, ipſorum litigantium implicitum pactum, conſenſus gentium ac populorum, demum ipſa Judicis conſcientia. Voluntas Reipubl.; quia [ut rectè Cæſaraug.] reſpublica bene inſtituta nil aliud magis intendit & optat, quàm ut judices judicent juxta id, quod veriſimilius & probabilius eſt; judex quoque ſuperior ſententiam inferioris reſcinderet, eumve ab officio amoveret, ſi ſciret ipſum ſecundùm proprium commodum & affectum & non ſecundùm æquitatis inclinationem procedere.

Probat, inquam, implicitum pactum ipſorum litigantium, qui non aliâ conditione cenſentur ſe, ſua jura, & fortunas ſententiæ judicis permittere, & acquieſcere velle ſententiæ ipſius, niſi ut judex ſit reciprocè obligatus, non juxta favorem, ſed merita cauſæ, & æquitatis dictamen procedere. Certè ſicut medicum paſſim incertiora pharmaca præſcribentem execrarentur ægroti; ita & judicem ſecundùm minùs probabilem opinionem in judicio procedentem execrarentur litigantes. Probat populorum & gentium communis ſenſus, qui juſtitiæ ſimulacrum pingunt velatis oculis cum bilance in manu, ut deſignent judicis juſtitiam adminiſtrantis id unicum munus eſſe, ut abſque reſpectu amicitiæ commodique proprii cauſam ſolummodò ad juris & rationum momenta appendat, & ubi majus pondus adverterit, illic ſuum quoque judicium inclinat. Ideo D. Th. 2. 2. q. 60. a. 2. *ad hoc*, *quòd judicium ſit actus juſtitiæ*, requirit, *ut procedat ex inclinatione juſtitiæ.* Probat demum ipſa judicis conſcientia: quis enim Judicum audet publicè profiteri, ſe aut tuliſſe, aut velle ferre ſententiam in favorem partis minùs probabilis? imò quis judicum ſibi ipſi talem optaret judicem, qui minùs probabilem opinionem in judicando ſequeretur? Patet ergo, quòd Judex pro parte minùs probabili ferens ſententiam, peccet contra notiſſima naturæ rationalis principia: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Et verò ſi Judici libera ſit facultas juxta minùs 14. probabilem pro libitu judicandi, judices potiùs erunt domini rerum, quàm declaratores juſtitiæ, cùm bona, de quibus litigatur, dare poſſint cuicunque voluerint litigantium: aperietur via ad acceptionem munerum, & perſonarum: nec erit victor in judicio, qui fuerit majori juris & rationum, ſed nummorum præſidio, aut amicitiæ titulo munitus. Econtrà claudetur porta portuſque juſtitiæ miſerabilibus perſonis, pauperibus, pupillis, viduis; quippe quos divitiis, potentiâque deſtitutos major probabilitas tueri non poterit. Quod quantum ſit in Chriſtiana Republ. abſurdum, quis non videt? Rectè proin affirmat Terillus, oppoſitam ſententiam nec intrinſecè, neque [hoc ſaltem tempore] extrinſecè eſſe probabilem. Non intrinſecè: *quia Theologi*, *qui hanc propoſitionem defendunt*, *vix aliud argumentum afferunt*, *quam* quod à paritate rationis deducitur: illud autem ex ſua natura eſt debile &c. *in contrarium* verò pro noſtra ſententia *ſunt ſolidiſſima argumenta tum à priori*, *tum à poſteriori*, *quæ talia ſunt*, *ut in comparatione eorum rationes & paritates illæ prorſus evaneſcant.* Non extrinſecè: *quia Theologi*, *qui illam docuerunt*, *paucis lineis rem tanti momenti expediverunt*, *& à paritate tantùm rationis argumentati ſunt &c.*

Sed neque ſi in cauſis civilibus jura partium 15. creduntur æqualia, licet judici pro libitu cauſam parti, cui voluerit, adjudicare: id enim probant ferè omnes rationes primùm n. ſuper. adductæ: quo pacto enim poterit judex abſque violatione Juſtitiæ inæqualitatem inducere, ubi ipſa juſtitia & ratio oſtendit jura partium eſſe æqualia? aut ſine mendacio affirmare, hanc partem eſſe victricem & ſuperiorem, quam credit eſſe æqualem? Tenebitur itaque vel partes ad compoſitionem inducere, vel rem, de qua litigatur, inter litigantes dividere, prout docent Bannez. 2. 2. q. 63. a. 4. Suar. Sairus, Laymann. Thomas Sanch. Ildef. Cæſaraug. & alii.

Aliud dicendum eſt de Advocato: is enim non 16. tantùm inter duas partes æquè probabiles poteſt utramlibet defendendam ſuſcipere, ſed etiam cauſæ, quæ ſibi minùs probabilis videtur, patrocinari. Nam officium Advocati, in hunc finem à Republ. conſtituti, eſt, ut pro ſuo cliente judici repræſentet rationes, ex quibus cognoſcat, quidnam ſibi ſecundùm jura & æquitatem ſit definiendum: ſed huic officio ſatisfacit, ſive patrocinetur parti magis, ſive minùs probabili, ideoquè gaudet eâdem libertate, quâ alii, ſequendi ſententiam verè probabilem, tametſi ſit minùs probabilis, præſertim cùm advocatus ſit adjutor, & quaſi vicarius litigantis, ut nempe actor per advocatum Judici exponat bonitatem ſuæ cauſæ; cùm ergo actor jus habeat ſuas rationes probabiles in foro externo exponendi, hoc ipſum licitè per advocatum fieri poterit, quia *hoc quis poteſt per alium*, *quod poteſt facere per ſeipſum*, ut habetur Reg. Jur. 86. in 6. Accedit, quòd inter litigandum frequentur occurrant novæ rationes, quæ cauſam reddunt probabiliorem, eædemque rationes, quæ cauſidico videntur minùs efficaces, judici poſſint videri efficaciores. Nec urget argumentum Valentiæ, quòd nemo poſſit licitè alteri

suadere. quòd faciendo peccat: sed Advocatus, patrocinans causæ minùs probabili suadet Judici, ut pro illa causa decidat, quod sine peccato in nostra sententia non potest: ergo. Nam nego minorem: quia Advocatus non inducit Judicem ad sententiam pro sua parte ut minùs probabili ferendam, sed tantùm proponit momenta causæ, & rationes expendendas. Limitat prædicta Terillus, nisi aliqua opinio sit certò minùs probabilis, & Judices semper contra illam judicent: tunc enim Causidicus advocando pro sententia minùs probabili deciperet clientem, eumque ad expensas frustratorias incitaret. Sed in tali casu videtur opinio jam non certò probabilis, sicque variatur status quæstionis.

§. IV.

Illationes Mercori depelluntur.

17 EX hactenus dictis rectè videtur sibi inferre Mercorus p. 2. a 14 & seq contra nostram sententiam de licita sequela opinionis minùs rutæ, minùsque probabilis, primò. Sacerdos peccat contra charitatem, si in administratione Sacramenti non operatur juxta opinionem tutiorem & probabiliorem faventem eorum validitati: ergo similiter peccabit contra charitatem Confessarius, si pœnitenti consulat, vel alius quicunque amplectens minùs probabilem in materia morali, quia similiter vel exponit, vel exponitur periculo magni damni spiritualis, nimirum operandi erroneè.

Secundò. Medicus tenetur adhibere pharmaca tutiora, & certiora: ergo etiam Confessarius tanquam Medicus animarum in regulandis pœnitentum conscientiis tenetur sequi sententiam tutiorem, ne similiter pœnitentem conjiciat in periculum aberrandi à via virtutis, quod est magnum malum spirituale, ideoque est actus misericordiæ, & eleemosyna spiritualis, *docere ignorantes.*

Tertiò. Judex in sententiis ferendis tenetur sequi probabiliorem: sed quisque est judex suæ conscientiæ, an actus, qui occurrit, sit licitus: ergo quisque in ferendo judicio practico, an actus hic & nunc sit licitus, tenetur sequi probabiliorem relictâ minùs probabili.

18. Verùm ad omnes istas paritates, præsertim primam & secundam satisfit ex dictis, quòd minister Sacramenti non sequens tutiora vel certa faventia validitati Sacramenti exponit Sacramentum periculo realis nullitatis, proximum periculo realis damni; quemadmodum & Medicus dubia applicans medicamenta, & Judex ferens sententiam pro minùs probabili, ideoque utrique hîc & nunc obstat lex certa tum Religionis, tum charitatis, tum justitiæ. Atqui homo in controversia honestatis moralis amplectens opinionem certò, quanquam per directa motiva minùs probabilem, nec se, nec alium conjicit in periculum gravis damni, nam incertus error materialis & invincibilis non est grave damnum [ut fingunt adversarii] cùm certa veritas haberi non potest: neque aliquam legem naturalem evitandi quascunque materiales legis transgressiones Adversarii hactenus ostenderunt.

Tertiam paritatem de judice, quam specialiter urget Mercorus, inprimis retorqueo in authorem: nam judex publicus tenetur ferre sententiam in favorem rei possidentis, cùm probationes sunt obscuræ: ergo similiter conscientia debebit in favorem libertatis ferre sententiam, cùm incerta & obscura est legis obligatio. Deinde opinio speculativè & ex motivis directis minùs probabilis, fit tamen practicè probabilior junctis motivis indirectis & reflexis: ergo cùm judex debeat judicare secundùm opinionem magis probabilem, poterit, imò juxta principia Mercori tenebitur in conscientia benigniorem sententiam ex motivis directis minùs probabilem amplecti.

Disparitas igitur est, quòd judicium forense sit institutum ad lites terminandas, partibus jus suum tribuendo, prout merita causæ & inclinatio justitiæ requirit. Unde cùm æquitas inclinet in partem probabiliorem, judex officii sui, & justitiæ certæ obligationi adversatur, si pro parte minùs probabili fert sententiam: neque potest illa sententia & judicium aliquam moralis honestatis probabilitatem, nedum certitudinem adipisci. At judicium internum conscientiæ est divinitus institutum ad regulandam voluntatem, ne in suis operationibus à Divina lege deflectat, ipsi intimando, quid hîc & nunc licitè vel illicitè operetur. Cùm ergo adsint principia certa, vel saltem probabiliora, quòd practicè liceat sequi opinionem, quæ speculativè per directa motiva minùs probabilis apparet, nec aliquod præjudicium tertii immineat, exinde certum & prudens conscientiæ judicium formari potest. Hîc finio, atque hactenus dicta & disputata S. Ecclesiæ judicio submitto, DEI ter Opt. Max. gloriæ, Deiparæ, ac D. Thomæ Aquinatis honori consecro.



TRA-

TRACTATUS VI.
DE
PECCATO PERSONALI.

PEccati Tartaream Larvam & infame monstrum Tibi ob oculos pono, Amice Lector, omnemque ejus ortum, partum, patriam, & (ut sic loquar) Genealogiam. Facies ipsius hoc ipso summè deformis est, quia informis, in quâ nec lucis radium, nec boni alicujus colorem, nec lineam entis reperias. Umbra est omnibus inferni umbris tetrior, atque umbrosior: *Sub umbra dormit, protegunt umbræ umbram ejus.* Job. 40. Ortus ipsius (ut monstris solet) abortus est. Nascitur refugo, & velut ad Thyestæas epulas lucem suæ gratiæ retrahente æterno sole. Qui possent obscuriores esse natales? Ita etiam cùm prodit in lucem, perdit lucem & perimit, lucifugæ mentis, cæcæ voluntatis partus tenebrosus. Hinc claros scilicet agnosce parentes: Sunt cæcitas, error, ignorantia, tenebræ, nox. Nec ipsum tamen, ut alia monstra, sterilitate damnatur. Amplissimum peccati genus prô in quantas familias, species, numerosque diffunditur! *Multiplicata sunt super capillos capitis*, Psal. 39. Sedem porrò non alibi figit hoc lethale, & illætabile monstrum, quàm in creatæ voluntatis à DEO deviæ, & in perplexos errores intricatæ Labyrintho. Hæc ipsi avita domus, sedes, & patria. Quid jam mirum, si in hoc Labyrintho labor intus? cùm peccati collactanei comites sint *Terribiles visu formæ, Lethumque laborque*? Comites, inquam, & appendices terribiles, macula, & reatus pœnæ æternæ: Illa mors animæ, hic labor & dolor sine fine: ex illa *malum*, ex ista *amarum est dereliquisse Dominum DEUM.* Jer. 2. Ex hâc caudâ draconem, ex ovo aspidem æstima, & vel fuga, vel fuge peccatum *tanquam faciem colubri*, Eccli. 21. Quod ut posses, cum S. D. à q. 71. primò vitii, quod moralis malitiæ proximus fons est, dein ipsius peccati totam deformitatem ob oculos ponimus. Et nunc quidem de personali peccato, quod propriâ voluntate perpetratur; sequenti ac speciali Tractatu de peccato originali disputabimus.

DISPUTATIO XV.
DE
Contrarietate vitii & peccati.

VItium sive à vitiando, sive sit à vituperando dictum, juxta diversos oppositionis terminos comparari potest, vel ad subjectum, in quo recipitur, vel ad virtutem quam oppugnat; eamque vel supernaturalis ordinis, & divinitus infusam, vel ordinis naturalis, & nostris actibus acquisitam. Sub prima consideratione quæritur, an vitium contrarietur hominis naturæ, eique vel ut rationali, vel ut sensitivæ? Sub secunda quæritur, an vitium contrarietur virtuti tum acquisitæ, tum infusæ? Nunc sit

ARTICULUS I.

An vitium contrarietur virtuti?

SUMMARIA.

1. *Datur propriè dicta contrarietas inter vitium & virtutem acquisitam.*
2. *Quomodo virtus in medio?*
3. *Bonum & malum opponuntur & privativè & contrariè.*
4. *Quomodo unum uni contrarietur?*
5. *Triplex opinio de contrarietate vitii cum virtute.*
6. *Vitium virtuti infusæ non directè,*
7. *Sed indirectè opponitur.*
8. *Diversa motiva non semper tollunt contrarietatem.*
9. *Quandonam habitus contrarii possint in gradibus intensis simul consistere.*

§. I.

Contrarietas vitii cum virtute acquisita.

1 CONCLUSIO. *Vitium opponitur virtuti contrarietate propriè dictâ* S. D. q. 71. a. 1.

Ratio est: Contraria propriè sunt, quæ sub eodem genere maximè distant, seque ab eodem subjecto mutuò expellunt: sed virtus & vitium in genere moris & qualitatis maximè distant, nam virtus secundùm Philosophum in 7. phys. est *dispositio perfecti ad optimum*, vitium autem juxta D. Aug. L. de perf. just. c. 2. est *qualitas secundùm quam malus est animus.* Insuper sese mutuò ab eodem subjecto expellunt: neque simul consistere possunt in gradibus intensis: neque enim simul aliquis est temperans, & intemperans, sed vel per actus frequentatos fit ex intemperanti temperans, vel per actus oppositos fit ex temperanti intemperans. Ergo vitium & virtus propriè contrariantur.

Dixi tamen *in genere moris* vitium & virtutem maximè distare: quia licèt duo vitia extrema, v. g. prodigalitas & avaritia à se invicem magìs distent, quàm à virtute liberalitatis in genere physico, non tamen in genere moris, & sub consideratione honesti, vel inhonesti; sic enim utrumque vitium continetur sub genere inhonesti, dum econtra virtus liberalitatis pertinet ad lineam honesti.

2. Dices primò. Virtus etiam in genere moris spectata consistit in medio: sed extrema à se invicem magìs distant, quàm à medio: ergo vitia etiam in genere moris à se magis distant, quàm à virtute.

Respond. Virtus in genere moris spectata consistit in medio, connotativè [hoc est, in quantum ex parte objecti & materiæ, circa quam versantur, connotat medium inter excessum & defectum] concedo; subjectivè & formaliter [quasi ipsa in se foret media inter utrumque vitium] nego: sic quippe utrumque vitium extremum constituit unam adæquatam inhonestatem, virtutis adæquatæ honestati oppositam.

3. Dices secundò. Inter bonum & malum non est oppositio contraria, sed privativa, siquidem malum formaliter dicit absentiam bonitatis debitæ: atqui vitium & virtus sibi opponuntur ceu bonum & malum: ergo inter illa non est oppositio contraria, sed privativa.

Respond. disting. major. Bonum & malum secundùm abstractam rationem mali sibi privativè opponuntur, concedo; secundùm concretam rationem mali, nego: ergo vitium & virtus privativè opponuntur, secundùm abstractam rationem vitiositatis, concedo; secundùm concretam, nego consequentiam. De quo mox plura.

Dices tertiò. *Uni non nisi unum contrariatur*, 4 inquit Philosophus 10. Metaph. tex. 17: atqui virtuti opponuntur duo extrema vitia: ergo inter vitium & virtutem non est vera & propriè dicta contrarietas.

Resp. Unum uni contrariatur secundùm unam rationem concedo; secundùm alias & diversas, si in se plures includat, nego. Cùm igitur virtutis adæquatum motivum plures inadæquatas includat, quarum unâ prohibetur excessus, alterâ defectus, nihil obstat, quin duplici vitio contrariari possit.

§. II.

Examinatur contrarietas vitii cum virtutibus infusis.

Circa contrarietatem vitii cum virtute infusâ 5 triplex est Doctorum opinio. Prima negat dari ejusmodi contrarietatem, quam tenet Suar. Curiel, & Lorca in ps. disp. 2. Secunda docet oppositum, cui favent Zumel, & Alvarez, disp. 122. Tertia ex hypothesi, quòd habitus infusi non tantùm dent simpliciter, sed etiam faciliter posse, distinguit inter vitia producta per actus directè recedentes ab honestate & rectitudine virtutis supernaturalis, prout est odium DEI, & inter vitia producta per actus directè recedentes tantùm à motivo & honestate virtutis naturalis. Prioris generis vitia, dicit, habitibus virtutum supernaturalium directè contrariari; sic enim certum est, odium DEI per actum charitatis formaliter expelli; posterioris generis vitia docet non opponi contrariè, saltem directè. Ita Montesinos hîc q. 1. n. 16.

CONCLUSIO. *Vitium, quantumvis non di-* 6 *rectè recedat à motivo & honestate virtutis infusæ; habet nihilominus cum ipsa contrarietatem* (1.) *non quidem directam* (2.) *sed indirectam. Ita Godoyus hîc tr. 3. disp. 15. §. 1.*

Prior pars est expressa S. D. in 4. dist. 14. q. 2. a. 2. ad 4. dicentis. *Dicendum, quòd sicut in 3. L. dictum est, virtus infusa & acquisita non sunt ejusdem speciei: unde cùm habitus ex frequentia operum peccati generatus, virtuti acquisitæ contrarius sit, non contrariatur directè virtuti infusæ, quæ habet oppositionem cum peccato ex parte illa, quâ est offensa DEI, unde non oportet, quòd statim virtutibus infusis restitutis, habitus vitiorum totaliter tollantur, quamvis impediantur, & diminuantur.* Hæc S. D. Unde formatur duplex ratio: Contrarietas directa non est nisi per ordinem ad unum idemque formale objectum; sed non est unum

unum idemque objectum formale virtutis acquisitæ & infusæ, siquidem specie distinguuntur; cùm virtus acquisita habeat motivum honestatis ex lege & ratione naturali derivatæ, infusa verò motivum honestatis derivatæ ex lege supernaturali, & regulatæ per lumen fidei: ergo non potest vitium exercere directam contrarietatem adversùs utramque virtutem. Contra quam igitur pugnat? Contra illam, à cujus motivo directè recedit, & hæc est virtus acquisita.

Secundò. Illi virtuti directè contrariatur vitium, cum cujus motivo directè pugnat actus vitii: habitus quippe sunt propter actus, & ab illis proximè specificantur: atqui actus vitii directè pugnat cum motivo virtutis acquisitæ, non infusæ: ergo non virtuti infusæ, sed acquisitæ directè contrariatur.

7. Altera pars æquè probatur authoritate & ratione *S. D.* Inter illos habitus intercedit aliqua contrarietas indirecta; cùm enim sint inter se incompossibiles, debet illa incompossibilitas reduci ad aliquod genus oppositionis; nec potest facilè ad aliud reduci quàm positivæ contrarietatis, siquidem utrumque extremum est positivum.

Confirmatur primò. Virtus, quæ diminuit habitum vitii, habet aliquam oppositionem contrariam cum illo: sed virtus infusa per suum actum tametsi non omnino destruat, diminuit tamen habitum vitii, & facit ut sit in statu corruptionis, ita affirmante Doctore Angelico q. 1. de Virt. in comm. a. 10. ad 16. *Dicendum, quòd licèt per unum actum simplicem non corrumpatur habitus virtutis acquisitæ, tamen actus contritionis habet hoc, quòd corrumpat habitum vitii generatum ex virtute gratiæ, unde in eo, qui habet habitum intemperantiæ, cùm conteritur, non remanet cum virtute temperantiæ infusâ habitus intemperantiæ in ratione habitûs, sed in via corruptionis, quasi dispositio quædam, dispositio autem non contrariatur habitui perfecto.*

Confirmatur secundò. Peccatum avertens hominem ab ultimo fine naturali, indirectè etiam avertit à fine ultimo supernaturali, & vice versâ; quia ultimus finis naturalis, quantumvis diversi ordinis, est tamen subordinatus ultimo fini supernaturali, & efficax conversio in finem ultimum supernaturalem est incompossibilis cum aversione ab ultimo fine naturali: ergo pariter inclinatio in peccatum [h. e. vitium] indirectè contrariatur cum inclinatione in actum virtutis infusæ, qui est mediata vel immediata, formalis vel virtualis conversio in ultimum finem supernaturalem.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

8. Objicies primò. Habitus inclinantes in actus oppositos tantùm materialiter, sive circa objectum materiale, sub diversis tamen mediis aut motivis formalibus, sibi invicem non contrariantur: sed vitium & virtus infusa inclinant tantùm in actus oppositos, sub motivis formaliter diversis: ergo non contrariantur. Major probatur: Sic habitus erroneus circa physicam demonstrationem rotunditatis terræ, non contrariatur mathematicæ demonstrationi ejusdem: quia licèt circa objectum materiale habeant oppositionem, procedunt tamen ex motivis formaliter diversis.

Respond. negando vel dist. Maj. si illa diversitas motivorum sit sufficiens tollere effectus privativè oppositos, concedo; si non sit sufficiens, sed illos potiùs causet, nego majorem: & sic distinctâ min. nego consequentiam. Unde ad probationem nego assumptum; nam intellectus per habitum erroneum redditur obscurus & incertus de terræ rotunditate, per scientiam verò mathematicam efficitur clarus & certus, quia effectus formaliter oppositi non tolluntur sed potiùs causantur per diversa motiva formalia: prout in simili loquuntur Thomistæ in 2. 2. cùm probent habitus fidei supernaturalis, & scientiæ naturalis circa idem objectum materiale simul in intellectu componi non posse, quantumvis sint diversi ordinis & procedant ex diversis motivis.

Objicies secundò? Contraria sunt, quæ se mutuò expellunt ab eodem subjecto, ideoque in gradibus intensis non possunt simul consistere: atqui virtus infusa quantumvis in gradu valde intenso consistit in homine recenter justificato unà cum vitio per actus frequentatos generato & opposito honestati virtutis naturalis: ergo inter se non contrariantur. 9.

Respond. distinguendo majorem. Quæ se mutuò expellunt &c. quando sunt in gradibus intensis tam quoad substantiam, quàm quoad modum habitûs, concedo; tantùm quoad substantiam, nego maj. sed in homine recèns justificato reperitur virtus infusa in gradu intenso quoad substantiam habitûs, concedo; quoad modum habitûs, hoc est, quoad rationem difficulter mobilis, nego: sic & vitium reperitur quoad substantiam in gradu intenso, non autem quoad modum; jam enim, ut docebat Ang. D. cit. est in via corruptionis, est faciliùs mobile, ideoque habet modum dispositionis. Sed cur virtus infusa in recèns justificato non habet modum habitus? Quia propter imbecillitatem subjecti facilè amitti potest.

Inquis. Hâc ratione per unicum actum peccati, quo virtus infusa unà cum gratia sanctificante expellitur, vitium restitueretur tam quoad modum, quàm quoad substantiam habitûs, quod videtur absurdum. Respond. Restitueretur per se, quasi dando novum esse, nego sequelam; per accidens, removendo videlicet inclinationem supernaturalem, quâ frænabatur illa prava inclinatio, concedo, quod tamen nequaquam est absurdum.

ARTICULUS II.

De contrarietate vitii ad naturam.

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Vitium est contra naturam hominis, ut homo est.*
3. *Etiam cùm opponitur virtuti infusæ.*
4. *Variæ instantiæ solvuntur.*
5. *Potentia peccandi non probat inclinationem naturæ ad peccandum.*
6. *Quomodo virtutes infusæ dicantur perfectiones naturæ?*
7. *Non requiritur innata aversio, ut aliqua vitia sint contra naturam.*
8. *Duplex consideratio appetitûs sensitivi in homine.*
9. *Appetitus sensitivus prout natus subjici imperio rationis,*
10. *Opponitur vitio.*
11. *Non prout est homini brutoq́ communis.*
12. *Disparitas inter intellectum conjunctum lumini gloriæ, & appetitum conjunctum rationi.*
13. *Peccatum in genere moris est simpliciter pejus, quam vitium.*
14. *Actus vitiosus potest consistere cum virtute in statu imperfecto.*

§. I.

1\. NOtandum Tò *contra naturam* in duplici sensu posse intelligi, primò prout opponitur illi, quod est à natura, & sic violentum est contra naturam; Secundò prout opponitur illi quod est secundùm naturam. Illud porrò dicitur esse secundùm naturam hominis, quod est conveniens ipsius formæ, & naturæ, in quantum est homo, sive sit debitum naturæ, ut perfectiones naturales; sive indebitum, ut perfectiones supernaturales, nam & istæ tametsi naturæ ut sic sint nentiquam debita, quia tamen eandem maximè perficiunt, rectè dicuntur esse secundùm naturam hominis. Quia verò ipsa hominis natura non tantùm includit appetitum naturalem, sed etiam sensitivum, in quo aliqua vitia & peccata subjectantur, idcirco oritur quæstio, an vitia adversentur naturæ hominis non tantùm ut homo est & secundùm inclinationem rationalem, sed etiam ut sensitivus est, & ut secundùm inclinationem sensitivam? Nunc de prima contrarietate contra naturam hominis ut homo est, sit

2\. CONCLUSIO. *Vitium tam ut directè oppositum virtutibus acquisitis, quam ut indirectè vel directè oppositum virtutibus infusis, est contra naturam hominis, ut homo est.* Ita S. D. a. 2.

Prima pars non est admodum controversa, Nam quod est contra perfectionem & inclinationem naturalem hominis ut homo est, illud est contra naturam hominis, sed vitia directè opposita virtutibus acquisitis ita se habent: homo quippe secundùm appetitum rationalem naturaliter appetit bonum honestum, tanquam bonum rationis, ad quod per virtutes acquisitas tanquam perfectiones naturæ rationali proprias ordinatur, atque deducitur: sed vitia prædicta oppugnant bonum honestum, & virtutes, quæ circa illud versantur; ergo.

Secunda pars, quæ includit etiam illa vitia, quæ & quatenùs sunt opposita virtutibus infusis, probatur inprimis authoritate S. P. Augustini, qui indiscriminatim & ex ipsa generica ratione vitii docet, omne vitium esse contra hominis naturam. Sic l. 3. de lib. arb. c. 13. docet: *Omne vitium, eo ipso quòd vitium est, contra naturam est.* Et l. 12. de civi. c. 1. *Omne vitium,* inquit, *naturæ nocet, ac per hoc contra naturam est.* 3.

Ratio quoque est: Illud est contra naturam hominis, ut homo est, quod est contra perfectionem naturæ rationalis, quà talis: sed vitia etiam prout contrariantur virtutibus infusis, sunt contra perfectionem naturæ rationalis, quà talis: quis enim dubitet, naturam rationalem per virtutes infusas summopere perfici? ergo vitia, etiam ut opposita virtutibus infusis, sunt contra naturam hominis, ut homo est.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies primò contra rationem nostræ assertionis. Tunc ex contrarietate vitiorum ad virtutes acquisitas non rectè probatur contrarietas vitiorum cum humana natura, quando admissâ illâ oppositione, tamen non est necesse, ut vitia sint contra inclinationem naturæ: sed non est necesse; quod probatur. Esto quòd voluntas matrimonii opponatur cum voluntate virginitatis, quæ est secundùm inclinationem naturæ rationalis quà talis, non sequitur, quod voluntas matrimonii sit contra innatam inclinationem naturæ rationalis quà talis. Mors, esto quòd sit contraria vitæ, quam natura naturaliter appetit, non tamen est contra naturam, sed potiùs secundùm inclinationem & exigentiam naturæ: Motus sursum esto sit oppositus motui deorsum, in quem natura lapidis inclinat, non tamen est contra naturam, quando ascendit lapis ad impediendum vacuum, &c. 4.

Respond. negando min. ad cujus probationem & instantias adductas Respond. In allatis instantiis utrumque terminum oppositum comprehendi sub adæquato termino naturalis appetitûs: atqui vitium nullo modo continetur sub adæquato termino appetitûs rationalis, quod est bonum rationis, seu honestum. Ita matrimonium non est contra naturam hominis ut rationalis, quia est bonum honestum, neque sub hac ratione opponitur cum virginitate: mors est homini naturalis, quia licèt non sit secundùm appeditum naturalem inadæquatum ex parte formæ, est tamen secundùm appetitum inadæquatum ex parte materiæ: motus sursum licèt non sit secundum naturam lapidis, in particulari ut lapis est; est tamen secundùm appetitum & naturam ipsius communem, ut est pars unversi, &c.

Objicies secundò. Vitia sunt secundùm inclinatio-

clinationem naturæ humanæ, ergo non sunt contra naturam humanam. Consequentia tenet ex nostra ratione. Antecedens probatur: Ubi datur naturalis potentia, ibi etiam datur naturalis inclinatio: sed in natura rationali creata datur naturalis potentia ad peccandum, siquidem est de essentia ipsius posse peccare: ergo datur in illa naturalis inclinatio ad peccatum, & consequenter ad vitium.

Respond. negando antec. ejusque probationem distinguo: Ubi datur naturalis potentia effectiva & perfectiva, ibi est naturalis inclinatio, concedo maj. ubi est potentia defectiva, nego maj. & pariter distincta min. nego consequentiam. Rursus si sit naturalis, h. e. fluens ex positiva radice naturæ, concedo majorem; si naturalis, eò tantùm quòd adhæreat naturæ quatenùs creatæ ex nihilo, adeòque secundùm aliquam negativam radicem, nego majorem: atqui potentia peccandi naturæ rationali non aliter convenit, nisi quatenùs creatæ ex nihilo, adeòque ut principio defectibili.

6. Objicies tertiò. Illud non est contra naturam hominis, quod non est contra perfectionem naturalem ipsius: sed vitia ut opposita virtutibus infusis non sunt contra perfectiones naturales ipsius naturæ; cùm neque natura habeat innatum appetitum ad virtutes infusas, nec ipsæ recipiantur in natura, prout est natura, sed prout est potentia obedientialis.

Respond. neg. vel dist. maj. quod non est contra perfectionem naturalem, hoc est perfectionem quæ sit conveniens naturæ eamque perficiens, quo modo ordo gratiæ non destruit sed perficit naturam, concedo maj. contra perfectionem naturalem, h. e. ortam ex principiis naturæ, vel terminum innati appetitûs, nego maj. sicque distinctâ minore, nego consequentiam.

7. Objicies quartò. Si vitia opposita virtutibus infusis essent contra naturam rationalem, tunc daretur in naturâ aversio innata ab ejusmodi vitiis, abhorret enim natura rationalis omnem suam imperfectionem: sed hoc admitti non potest: Nam ab iis solùm datur aversio naturalis, quæ per vires naturæ vitari possunt: sed ejusmodi vitia per naturæ vires vitari non possunt: actus quippe per quos generantur, opponuntur præceptis supernaturalibus, quorum adimpletio requirit gratiam specialem & supernaturalem, veluti si urgeat præceptum credendi, sperandi, diligendi, &c. ut aliunde supponitur.

Respond negando sequelam maj. nam sicuti ad hoc, ut virtutes infusæ sint secundùm naturam, sufficit quòd ipsæ perficiant bonum rationis, ad quod nativo appetitu fertur natura rationalis, quantumvis ipsas virtutes infusas non appetat, ita pariter, ut vitia, directè vel indirectè opposita virtutibus infusis, sint contra naturam, sufficit, quòd per ipsa imminuatur bonum rationis, quantumvis natura nativâ aversione illa non abhorreat.

§. III.

Contrarietas vitii adversus hominis naturam quà sensitivam.

8. Appetitus sensitivus in homine considerari potest primò secundùm prædicata generica, in quibus convenit cum appetitu sensitivo bruti, & præcisè respicit bonum delectabile absque connexione cum honestate & bono rationis; in qua acceptione certum est, vitium non esse contra naturam hominis quà sensitivam; quia vitium inclinat in bonum delectabile: sed in hoc etiam inclinat natura hominis quà præcisè sensitiva: ergo inter se conveniunt, non contrariantur vitium & natura quà sensitiva hominis.

Rursus considerari potest idem appetitus, 9. prout actu subjicitur imperio & ordini rationis, quo sensu non minùs certum est, vitium esse contra naturam sensitivam hominis,; nam appetitus actu subjectus ordini rationis tendit in bonum delectabile ut subordinatum & conjunctum cum bono honesto; econtra vitium tendit in bonum delectabile ut deordinatum à bono honesto & ordine rationis, quæ sunt tendentiæ & inclinationes contrariæ. Quæstio igitur est, utrum vitium sit contra naturam sensitivam hominis, in quantum appetitus sensitivus propter conjunctionem cum appetitu rationali in eodem supposito est habitualiter seu potentialiter conjunctus cum bono honesto, & natus aptus obsequi imperio rationis? Et

CONCLUSIO EST AFFIRMATIVA. Ratio 10. est: quia natura sensitiva hominis sub hac consideratione habet intrinsecam inclinationem in virtutes morales tanquam connaturales perfectiones appetitûs sensitivi, quæ in ipso subjectantur: sed vitium adversatur ejusmodi inclinationi, & per suos actus virtutes morales expellit ab appetitu sensitivo: ergo naturæ sensitivæ taliter acceptæ vitium contrariatur. Quæ contrarietas etiam extendenda est respectu virtutum moralium per se infusarum, per quas subjectio appetitûs sensitivi ad bonum & ordinem rationis perficitur, juxta suprà dicta.

Dices: Vitium non est contra naturam sensi- 11. tivam hominis secundùm se, & secundùm rationem genericam communem cum brutis: ergo neque contra naturam sensitivam prout conjunctam cum altiori & rationali appetitu. Consequentia probatur: Nulla elevatio vel conjunctio cum altiori natura facit, ut aliqua potentia feratur extra suum objectum: sed objectum appetitûs & naturæ sensitivæ secundùm se est purè bonum delectabile, non verò bonum honestum: ergo ex conjunctione cum appetitu rationali non habet ut feratur & inclinet in bonum honestum. Atqui propter istam rationem vitium non contrariatur appetitui & naturæ sensitivæ secundùm se, unde nec peccatum datur in appetitu sensitivo sic considerato: ergo neque contrariatur appetivi sensitivo conjuncto cum ratione & nato obedire rationi.

Confirmatur. Sequeretur, quòd bonum honestum contineretur intra latitudinem objecti naturæ sensitivæ secundùm se: sed hoc est absurdum: ergo. Sequela probatur; eò quòd per conjunctionem cum lumine gloriæ intellectus elevatur ad videndam divinam essentiam, benè colligitur, quod essentia divina contineatur intra latitudinem objecti intelligibilis · ergo si per conjunctionem cum ratione appetitus sensitivus elevatur

vatur ad prosequendam honestatem rationis, rectè infertur quòd bonum honestum contineatur intra sphæram objecti sensibilis.

Respondeo negando consequentiam. Ad probationem dist. min. objectum naturæ sensitivæ secundùm se, h. e. abstractivè à differentiali contractione ad speciem humanam est purè bonum delectabile, concedo; ipsius ut contractæ ad speciem humanam, nego min. & sic dist. consequente, nego consequentiam, vel subdistinguo ex conjunctione cum ratione non habet natura sensitiva ut actu feratur in bonum rationis, concedo; potentiâ, & dependenter ab imperio rationis, nego. Ideoque, sicuti conjunctio cum ratione dat appetitui sensitivo, non actu obedire, sed posse obedire rationi, ita dat etiam posse tendere in bonum rationis.

12. Ad Confirmationem nego paritatem: quia lumen gloriæ tantùm dat proximam potentiam ad videndam divinam essentiam, prout est in se; adeòque supponit in intellectu potentiam radicalem & remotam videndi divinam essentiam, quæ proinde contineri debet intra latitudinem ipsius objecti: atqui conjunctio cum ratione dat naturæ sensitivæ potentiam remotam attingendi bonum rationis, quod ipsi secundùm generica prædicata non convenit.

§. IV.

Corollaria ex dictis.

13. Colliges ex dictis primò. Peccatum in genere moris simpliciter pejus esse, quàm vitium, ut habet S. D. a. 3. Cujus ratio est primò: quia habitus est moraliter malus propter actum malum, in quem inclinat, & à quo proximè specificatur, sed propter quod unumquodque tale illud magis tale in genere causæ formalis & finalis, secundùm Philosophos; ergo actus peccati moraliter magis est malus, quàm vitium.

Secundò. Illud est moraliter pejus, quod magìs repugnat cum statu gratiæ & charitatis: sed peccatum magìs repugnat cum statu gratiæ & charitatis, siquidem iste per peccatum destruitur, non autem per habitum vitiosum.

Tertiò. Quia vitiis non demeremur, actibus autem vitiosis demeremur: ergo peccatum est simpliciter pejus, quàm vitium. Dixi, simpliciter: nam secundùm quid vitium potest esse pejus, quàm peccatum: primò, quatenus est causa efficiens saltem inadæquata peccati: secundò ratione majoris diuturnitatis & extensionis; nam actus peccati transit, vitium permanet, atque ad plures actus malos extenditur.

Colliges secundò cum S. D. a. 4. Actum vitiosum, seu peccatum bene posse consistere cum virtute in statu imperfecto, non autem in statu perfecto. Virtus in statu perfecto dicitur, quæ hominem optimè disponit in ordine ad ultimum finem, ita ut actus ipsius acceptentur à DEO, tanquam digni vitâ æternâ, & sic virtus in statu perfecto semper est conjuncta cum gratiâ & charitate. Virtus autem in statu imperfecto est habitus ex objecto bonus & honestus, qui tamen actus meritorios vitæ æternæ producere non potest. Cujus generis sunt habitus acquisiti virtutum moralium, & ex virtutibus supernaturalibus infusis fides, & spes, quæ cùm ex sua natura sint præviæ dispositiones ad gratiam & justificationem, non necessariò præsupponunt ipsius infusionem, & sine gratia possunt consistere. Ex quo facilè patet ratio Corollarii: quod habet necessariam connexionem cum gratiâ & charitate, illud cum peccato non potest consistere, econtrà, quod non habet necessariam cum gratia & charitate, potest cum peccato consistere: sed virtus in statu perfecto habet, in statu verò imperfecto non habet necessariam connexionem cum gratia & charitate: ergo illa non potest, ista potest cum peccato consistere; & per consequens illa destruitur, ista non destruitur per peccatum. Unde habes, quæ de vitii contrarietate sunt dicta, proportionaliter esse applicanda peccato. 14

DISPUTATIO XVI.

DE

Quidditate & natura peccati.

Quamvis nihil sit exploratius, quàm existentia, tamen nihil obscurius & difficilioris indaginis, quàm natura peccati: Hanc tamen etsi lucis vacuam, præsenti disputatione ex Angelicæ doctrinæ Lumine in lucem eruere conabimur, & de peccati commissionis definitione primùm, deinde ejus constitutivo tractabimus.

ARTICULUS I.

Quid sit peccatum.

SUMMARIA.

1. *Varia acceptiones peccati.*
2. *Divisio peccati in actuale & habituale.*
3. *Definitio Augustiniana peccati.*
4. *Convenit etiam peccato veniali, & omissionis.*
5. *Objectiones.*
6. *Solvuntur.*
7. *Diversa nomina & applicationes peccati.*

§. I. De-

§. I.

Definitio peccati.

1. NOtandum primò. Nomen peccati accipi posse figuratè, & propriè. Figuratè, seu metonymicè accipitur primò pro pœna vel effectu peccati, ut Levit. 20. *Portabunt ambo peccatum suum.* Secundò pro causa vel occasione peccati. Sic de vitulo aureo, qui Hebræis fuit causa idololatriæ, dicit Moyses Deut. 9. *Peccatum vestrum, quod feceratis, accipiens igne combussi* Tertiò accipitur tam pro causa, quàm pro effectu, quo sensu Apostolus Rom. 7. *concupiscentiam* appellat peccatum, partim quia trahit ortum à peccato originali, partim quia inclinat in peccatum. Quartò pro hostia, & sacrificio expiativo peccati, ut Os. 4. *Peccata populi mei comedent*: h. e. sacrificia, quæ offeruntur pro peccato. & 2. Cor. 5. de Christo dicitur, *quòd DEUS eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecerit*, h. e. hostiam pro peccato.

Propriè accipitur peccatum pro actu deviante & aberrante à sua regula. Unde juxta diversitatem regularum aliud est peccatum naturæ, nempe actus vel effectus devians ab ordinaria via & regula naturæ, uti partus monstrosus; aliud peccatum artis, nempe actus devians à regula artis, veluti mendosa pictura: vel scriptio; aliud tandem peccatum morale, quod est actus voluntatis devians à regulis morum; sive deinde sit actus formaliter, sive reductivè, æquivalenter & interpretativè; quo modo etiam omissiones peccaminosæ inter vitiosos actus in moralibus computantur, & de hoc, quod absolutè peccatum, vel culpa dicitur, nobis deinceps sermo.

2. Notandum secundò. Peccatum dividi in habituale, & actuale. Habituale est macula ex actu peccati transeunte relicta; actuale verò est ipse actus, vel omissio actualiter aut virtualiter à voluntate dependens. De illo inferiùs; de isto agimus in præsenti.

3. CONCLUSIO: *Peccatum à D. Augustino rectè definitur* Lib. 22. contra Faustum c. 27. *Dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.* S. D. a. 6.

Ratio est: quia hæc definitio explicat totam peccati essentiam: & quidem per istas voces, *dictum, factum, concupitum* substantia actûs peccaminosi exprimitur, quæ se habet tanquam materiale [neque enim Tò *dictum, factum, concupitum* significant objectum & rem, quæ dicitur, fit, vel concupiscitur, sed ipsam dictionem, factionem, &c.] Per Tò *contra* verò exprimitur id, quod est in peccato formale, nimirum repugnantia cum lege DEI æternâ, quæ à S. Augustino describitur *esse ratio æterna, seu voluntas DEI ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.*

4. Neque dubites, an prædicta definitio etiam peccato veniali, quod S. D. dicit esse *non contra*, sed *præter legem*; item peccato omissionis, quo nihil fit, vel dicitur, sed solùm omittitur, conveniat? Convenit utrique, & inprimis veniali, de quo non in hoc sensu negatur, quòd sit contra legem DEI, quasi non sit actus æternâ DEI lege prohibitus; sed quia non est perfectè contra ordinem, aut finem legis, qui est charitas: neque enim ordo legis evertitur, aut charitas destruitur per veniale peccatum. Ita seipsum explicans S. D. q. 7. de malo a. 1. ad 1. *Etsi*, inquit, *in aliquo recedat ab ordine legis, non tamen ipsum corrumpit, quia non corrumpit dilectionem, quæ est plenitudo legis.*

Convenit etiam peccato omissionis, quia licèt omissio non sit dictum, factum &c. formaliter, est tamen reductivè, vel virtualiter, & æquivalenter. Reductivè, quia negatio reducitur ad genus affirmationis, & sic per dictum, factum &c. subintelliguntur negationes oppositæ. Virtualiter & æquivalenter, quia in moralibus negationes aliquando pro facto reputantur, sicuti retinere alienum, quamvis physicè in omissione consistat, moraliter tamen pro facto reputatur.

§. II.

Solvuntur objectiones.

DIces tamen *primò*. Regula humanorum actuum non est sola lex æterna, sed etiam recta ratio. *Secundò*: Multa sunt peccata, non quòd æternâ DEI lege, sed humanâ & temporali sint prohibita. *Tertiò*: Ratio voluntarii, & aversionis ab ultimo fine est de essentia peccati: & tamen in hac definitione, neque de regula rectæ rationis, neque de lege humanâ, neque de voluntario, & aversione fit ulla mentio: ergo hæc definitio non videtur esse adæquata. *Quartò.* Concupiscere & dicere est quoddam facere, unde sunt peccata commissionis: ergo in definitione peccati redundant illæ voces: *concupitum, dictum.* 5.

Resp. ad. 1. non fieri specialem mentionem de regula rectæ rationis, tum quia lex æterna est regula prima, & universalissima, quæ alteram eminenter continet, & per illam ceu radium à se derivatum intimatur; tum quia repugnantia peccati cum recta ratione magis pertinet ad considerationem Philosophi moralis; oppositio verò cum lege æterna [ex qua peccatum sortitur rationem injuriæ & offensæ contra DEUM] magìs pertinet ad considerationem Theologi. 7.

Ad 2. Resp. Hoc ipso, quòd aliqua ex justâ causa & fine lege humanâ sint vetita, etiam adversari æternæ legi existenti in mente DEI, à quâ vim obligandi sortiuntur: licèt enim antecedenter ad legem humanam, & in sensu diviso ipsius, lex æterna non contineat materiam præceptam, vel vetitam, continet tamen illam, suppositâ accessione legis humanæ, seu in sensu composito ipsius, ut proinde non possis legem humanam justè latam transgredi, quin hoc ipso transgrediaris æternam.

Ad 3. Resp. Utramque rationem, & voluntarii, & aversiones in data definitione contineri implicitè: voluntarii quidem, quia nihil fit formaliter contra legem, nisi fiat voluntariè, cùm materia legis tantùm sit actus liber & voluntarius: rationem aversionis, quia hoc ipso, quòd aliquis declinet à lege æterna DEI, etiam deviat & avertitur à fine ultimo, sive efficaciter per peccatum mortale, sive inefficaciter per peccatum veniale.

Ad 4. Resp. Majoris claritatis gratiâ actus internos

internos ab externis distinguendos fuisse præcipuè ad duplicis erroris exclusionem, quorum unus fuit veterum Rabbinorum, existimantium, actus internos non esse peccata: Secundus aliorum ex opposito dicentium, actionibus externis nec bonitatem, nec malitiam convenire.

7. Colliges ex dictis. Juxta diversas habitudines & comparationes peccato quoque tribui diversa nomina, quæ tamen ad prædictam definitionem facilè revocantur. Itaque per comparationem ad regulam & legem æternam, cui contrariatur, dicitur prævaricatio, & inobedientia; per comparationem ad finem à quo deviat, sic propriè appellatur peccatum: quia peccatum consistit in actu deviante à debito ordine ad finem propter quem agitur, inquit S. D. suprà q. 21. a. 1. per ordinem ad principium liberum defectuosè operans dicitur culpa, quia culpa vocatur ratione imputabilitatis, nulla verò actio est imputabilis in vituperium nisi libero agenti. Per ordinem ad subjectum vocatur malum, quia privat ipsum debito ordine in suum finem, simulque omnibus bonis gratiæ & supernaturalium infusarum virtutum, præterquam fidei & spei. Per comparationem ad effectum, nempe pœnam, cui peccantem reddit obnoxium, dicitur reatus, quo nomine intelligitur passiva obligatio ad sustinendam pœnam à judice taxatam. Per ordinem ad præmium, quo operantem privat, dicitur demeritum. Per comparationem ad DEUM, quem ostendit, dicitur offensa, injuria. Per ordinem tandem ad instrumenra, per quæ patratur, dicitur dictum ore, factum opere, concupitum corde &c.

ARTICULUS II.

An omne peccatum sit ideo malum, quia lege prohibitum.

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Variæ leges.*
3. *Sententia D. Thomæ.*
4. *Probatur authoritate S. Script. & SS. PP.*
5. *Probatur ex ratione mali, & 6. actûs moralis.*
7. *Exponitur, quomodo actus intrinsecè mali sint prohibiti, quia mali.*
8. *Actus dissentanei Divinis perfectionibus præsuppositivè ad legem concipiuntur mali fundamentaliter, non formaliter.*
9. *Non tamen potest DEUS in iis dispensare.*

§. I.

Statuitur affirmativa.

1. HUic quæstioni occasionem præbent actus intrinsecè mali, ut mendacium, odium DEI, &c. quos propter intrinsecam & essentialem suam repugnantiam cum divinis perfectionibus, & rectâ ratione existimant Amicus, Vasquez cum Durando, Richardo Lycheto, independenter à lege prohibente esse formaliter malos. D. Th. verò hîc q. 71. à 6. in c. Albert. M. S. Bonavent. imò & Scotus citatus à Mastrio in 2. disp. 6. q. 3. a. 1. docent esse de quidditativâ ratione cujuscunque peccati, quòd sit contra legem æternam. Pro cujus quæstionis solutione

2. Notandum. Legem dividi in æternam, naturalem, & positivam. Lex æterna est *ratio divinæ sapientiæ, secundùm quod est directiva nostrorum actuum in suos fines*: Lex naturalis est *rectum judicium humanæ rationis de vitandis, vel faciendis.* Lex positiva est, quæ sub expressis verbis est posita, eaque rursus vel divina vel humana. Lex divina est prima & remota, lex verò humana est proxima actuum humanorum regula. Hoc posito, sit

3. CONCLUSIO. *Omne peccatum ideo formaliter est peccatum, quia lege prohibitum, adeò ut si per impossibile nulla foret lex prohibens, nullum quoque foret peccatum.* Ita Thomistæ ad mentem S. D. hîc a. 6.

Probatur primò authoritate S. Script. ubi peccatum appellatur *prævaricatio* ps. 118. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*: atqui *ubi non est lex, ibi nec prævaricatio* secundùm Apostolum Rom. 4. ergo si non esset lex, nullum quoque foret peccatum.

Probatur secundò authoritate SS. PP. Nam primò juxta definitionem S. Augustini acceptatam à Doct. Angelico, & priori articulo defensam, omne peccatum est formaliter tale propter oppositionem ad legem, eò quòd sit contra legem DEI æternam; sed lege cessante cessat etiam oppositio ad legem: ergo cessante lege cessaret etiam formalis ratio peccati. Secundò. Idem S. P. Lib. 2. de consil. Evang. peccatum nominat *transgressionem legis.* Lib. 2. de peccat. merit. c. 2. *peccatum non erit, si quid tamen erit, si non divinitùs jubeatur ut non fit.* Tertiò. D. Ambr. l. de parad. c. 8. definit peccatum, quòd sit *divinæ legis prævaricatio, & cælestium inobedientia mandatorum.*

Probatur tertiò ratione. Malum morale consistit formaliter in deviatione à regulis morum; 5. sicuti malum artificiale consistit in deviatione à regulis artis: sed si nulla foret lex, nulla quoque foret deviatio à regulis morum, siquidem regula & lex sunt synonyma: ergo etiam, si nulla foret lex, nullum foret peccatum.

Probatur quartò. Non potest actus concipi 6. moraliter malus, priusquam concipiatur constitutus in genere moralitatis: nam species præsupponit genus: bonum verò & malum sunt species moralitatis: atqui sublatâ lege nullus actus foret formaliter moralis; ergo cessante lege nullus actus esset malus moraliter. Min. probatur: ubi nulla est lex, nulla est habitudo ad regulas morum: sed prout in pr. Tract. ostendimus, moralitas actûs humani consistit in habitudine ad regulas morum; ergo.

§. II.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

7. OBjicies primò. Si omne peccatum esset ideo tale, quia lege prohibitum, tunc falsa foret antiqua Theologorum distinctio, quâ dicunt, aliquos actus ideo esse malos, quia prohibitos [quales sunt actus ex se indifferentes, v. g. comedere carnes die Veneris, qui primùm propter legem positivè prohibentem inducunt rationem mali] alios verò probitos, quia malos, quales sunt actus intrinsecè mali, ut odium DEI, mendacium &c. sed consequens est absurdum: ergo. Seq. probatur: quia in actibus ideo prohibitis, quia malis, malitia præsupponitur legi prohibenti: sed si omne peccatum est formaliter tale quia lege prohibitum, lex præsupponitur malitiæ: ergo.

Respond. Illam causalem Theologorum tantùm habere locum & sensum de prohibitione legis positivæ, non autum legis æternæ, vel naturalis. Ita ipse S. D. hic a. 6. ad 4. *Illud*, inquit, *intelligitur de prohibitione facta per jus positivum; si autem referatur ad jus naturale, quod continetur primò quidem in lege æternâ, secundariò verò in naturali judicatorio rationis humanæ, tunc omne peccatum est malum, quia prohibitum.*

8. Objicies secundò. Quod est dissentaneum rectæ rationi & divinis perfectionibus, est moraliter malum: sed actus intrinsecè mali præsuppositivè ad omnem prohibitionem sunt dissentanei rectæ rationi ac perfectionibus divinis: ergo præsuppositivè ad omnem legem prohibentem sunt moraliter mali. Minor constat, quia mendacium v. g. præscindendo ab omni lege pugnat cum veracitate tam divinæ naturæ, quàm humanæ: Major probatur: quia præscindendo ab omni lege isti actus sunt & cognoscuntur à DEO per necessariam scientiam suæ simplicis intelligentiæ vel boni, vel mali moraliter: sed non cognoscuntur ut boni, quod ipsis repugnat: ergo cognoscuntur ut mali moraliter. Resp. dist. maj: est malum moraliter vel formaliter vel fundamentaliter, concedo; semper formaliter, nego maj: ergo isti actus intrinsecè mali præsuppositivè ad omnem legem sunt moraliter mali, fundamentaliter concedo; formaliter, nego consequentiam. Sensus & ratio distinctionis est, quòd illi actus, quos vocamus intrinsecè malos, eò quòd repugnent divinis perfectionibus, atque hoc ipso sint incapaces bonitatis moralis, præbeant fundamentum, ut DEUS per suam æternam legem, & exinde derivata ratio naturalis præscribat, ejusmodi actus esse fugiendos. Unde in priori signo rationis, in quo concipimus istos actus tanquam divinis perfectionibus oppositos, dicuntur fundamentaliter mali, in posteriori verò signo, in quo concipimus oppositos legi prohibenti, sunt formaliter moraliter mali. Unde ad probationem maj. Resp. Per necessariam scientiam simplicis intelligentiæ istos actus cognosci ut malos & fundamentaliter & formaliter, fundamentaliter quatenus illos attingit ut oppositos suis Divinis attributis; formaliter quatenus illos attingit ut oppositos legi suæ æternæ.

Instabis: si per impossibile DEUS mentiretur, tunc peccaret, & tamen non peccaret contra legem, siquidem nullum habet se superiorem: ergo essentia peccati non dependet à lege prohibente. Resp. nego min. quia in illa hypothesi impossibili DEUS etiam impossibiliter non esset sua regula, & sic rursus per novam impossibilitatem haberet regulam se superiorem.

Objicies tertiò. Si actus intrinsecè mali ideo forent mali, quia æternâ DEI lege prohibiti, tunc DEUS posset illos aliquando permittere, aut in illis dispensare: sed consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur à paritate legis humanæ, in quâ legislator dispensare potest; siquidem actus tantùm dependenter à legis prohibitione est malus. 9.

Resp. negando sequel. tum quia permissionis vel dispensationis objectum debet esse saltem aptitudinaliter bonum; sed actus intrinsecè mali propter intrinsecam repugnantiam cum divinis perfectionibus ex se sunt incapaces bonitatis moralis, & fundamentaliter mali: tum quia permissio & dispensatio tantùm fit in objecto legis liberæ, non necessariæ; atqui lex æterna DEI prohibens actus intrinsecè malos non est libera, sed necessaria. Unde patet disparitas ad instantiam, nam lex humana, v. g. prohibens comedere carnes, est libera.

DISPUTATIO XVII.

DE

Constitutivo peccati formalis.

PEccatum tanquam aliquod compositum morale & accidentale duo includit; aliquid materiale, quod in peccato commissionis est actus humanus & voluntarius, in peccato omissionis voluntaria omissio; aliud formale, quod est ipsa formalis malitia, ex quâ actus malus & peccaminosus denominatur. De hâc diversæ & intra ipsam Doctoris Angelici Scholam oppositæ sunt DD. sententiæ. Diversitatis causa est partim ipsa peccati obscuritas, partim doctrinæ Angelicæ incertitudo, dum variis in partibus S. Doctor modò in unius, modò in alterius oppositæ sententiæ favorem quasi problematicè loqui videtur, ut ex adducendis textibus constabit. Pro clariori expeditione negotii certiora præmittimus.

ARTICULUS I.

Sitne in formali malitia peccati admittendum aliquod privativum?

SUMMARIA.

1. *Refellitur Sententia Perezii & Esparzæ.*
2. *Astruitur in malitiâ formali peccati privatio debitæ rectitudinis.*
3. *Probatur inductione.*
4. *Prima solutio ad argumentum ordinarium Adversariorum*
5. *Non exhaurit difficultatem.*
6. *Refellitur instantia de talpa.*
7. *Rectitudo est debita inesse actui, debito morali, non naturali.*
8. *Tametsi sit intrinsecè malus.*
9. *Aliæ plures privationes comitantur peccatum.*

§. I.

Affirmatur privatio debitæ rectitudinis ex parte formalis malitiæ.

1. NOndum loquimur de formali constitutivo ipsius malitiæ, sed de his quæ ex parte formalis malitiæ sive primariò, sive secundariò, sive constitutivè, sive consecutivè reperiuntur. Et quidem Anton. Perez citatus ab Esparza q. 19. agnoscit in peccato aliquid privativum, quod sit privativa determinatio voluntatis in priori naturæ antecedens actum positivum, essentialiter tamen connexa cum existentia actûs ut futuri pro posteriori naturæ; ipse verò Esparza admittit ulteriùs privationem rectitudinis debitæ inesse non actui, sed voluntati. Neutra tamen explicatio satisfacit, quia privationem quærit, aut statuit extra ipsummet peccatum ex parte principii ut Perez, vel subjecti, ut Esparza: cùm tamen ratio mali intrinsecè reperiatur in ipso peccato, nec voluntas aliter sit & denominetur mala, quàm propter ipsum peccatum. Igitur, cùm sit de natura mali, quòd careat aliquâ perfectione & bonitate, carentia & privatio ejusmodi perfectionis intra ipsum peccatum ostendi debet. Quâ de causâ D. Th. in 2. 2. q. 118. a. 5. in c. inquit: *Omne peccatum ex hoc ipso quod est malum, consistit in quadam corruptione, seu privatione boni.* Et hic a. 6. *Habet actus humanus, quòd sit malus ex eo, quòd caret debitâ commensuratione.* Unde fit

2. CONCLUSIO. *In peccato commissionis datur aliqua malitia privativa, quæ sit carentia rectitudinis debitæ inesse actui.* Est recepta inter Discipulos S. Thomæ, etiam illos, qui constitutivum peccati collocant in positivo, contra Almayn. tract. 5. moral. c. 13. & Vasq. in præf. disp. 95. c. 6. qui licèt in peccatis ideo malis, quia prohibitis admittant privationem alicujus formæ debitæ, eandem tamen negant in peccatis intrinsecè malis, ut odio DEI, mendacio &c. Nostram tamen assertionem probant omnes authoritates S. Script. PP. & Doctoris Angelici a. 3. pro nostra sententia referendæ.

3. Ratio est: Omne malum ideo est malum & defectuosum formaliter, quia habet defectum boni, & deest ipsi aliqua bonitas & perfectio debita: sive [ut habet S. D.] quia deficit ei aliquid de plenitudine essendi: ergo omnis malitia formaliter importat aliquem defectum privativum bonitatis debitæ, prout constat inductione naturæ & artis: naturale quippe malum, v. g. monstrositas, cæcitas, formaliter includit carentiam alicujus perfectionis naturaliter debitæ; malum artificiale dicitur formaliter carentia debitæ rectitudinis artificialis: adeòque etiam malum morale formaliter includit privationem alicujus perfectionis moraliter debitæ. Atqui bonitas actui humano debita est rectitudo honestatis moralis, quâ destituitur peccatum secundùm formalem rationem malitiæ: ergo in formali malitiâ peccati reperitur privatio rectitudinis debitæ. Subsumptum quoad 2. membrum est certum, quoad 1. probatur: Cuilibet actui humano ex deliberatâ ratione, ex primis principiis practicis synteresis, & amore ultimi finis in communi procedenti, debetur bonitas & rectitudo rationis, à qua procedit, ideoque in via D. Th. non datur actus indifferens in individuo, eò quòd omnis actus humanus debeat elici conformiter ad finem proprium hominis ut homo est, nempe ad bonum honestum; sed peccatum commissionis est actus humanus ex deliberata ratione procedens: ergo ipsi debetur bonitas, rectitudo, & ordo rationis.

§. II.

Diluitur solennis objectio Adversariorum.

ORdinarius Achilles, & solennis objectio nostram assertionem sic oppugnat: Privatio 4.
est absentia formæ debitæ & in subjecto apto illam habere: sed absentia rectitudinis moralis in actibus intrinsecè malis, v. g. mendacio, odio DEI non est absentia formæ debitæ, & in subjecto apto, siquidem isti actus habent intrinsecam incapacitatem & repugnantiam cum honestate, suntque prohibiti, quia mali; ergo saltem in istis actibus non reperitur privatio debitæ rectitudinis.

Communi objectioni occurrit communis responsio & distinctio: privatio est carentia formæ debitæ vel ratione gradûs communis, vel specifici, concedo; tantùm ratione gradûs specifici, nego: sed actus intrinsecè mali nullam habent capacitatem honestatis ex ratione specifica, concedo; sicut probat argumentum; ex ratione communi & generica, nego min. & consequentiam.

Verùm, ut observant Salmanticenses, hæc solutio nondum omnem exhaurit difficultatem. 5.
Nam inprimis ad privationem non sufficit mera capacitas non repugnantiæ secundùm gradum communem; aliàs equus haberet privationem rationalitatis, siquidem ex parte gradûs communis & generici, ut est animal, non repugnat esse rationale. Neque secundò dici potest, formam oppositam deberi secundùm gradum communem: quia prædicatum, quod generi debetur secundùm

eundùm gradum communem, non potest destrui per differentiam specificam superadditam: hæc quippe est sui generis perfectiva, non destructiva, & quæ de genere dicuntur, pariter dicuntur de qualibet specie contenta sub illo: siquidem genus est radix suarum proprietatum, & in suis speciebus actu includitur: quocirca esse sensitivum, quod convenit animali ut sic, prædicatur de ipso in omnibus speciebus contentis sub illo. Igitur, si rectitudo esset debita actui peccaminoso secundùm gradum communem actûs humani, etiam foret debita in specie peccati intrinsecè mali: consequens est absurdum: ergo & antecedens.

6. Exemplum de talpa allatum non videtur esse ad rem, primò quia visus ipsi non tam secundùm specificam, quàm individualem differentiam, ac materialem indispositionem repugnat: imò talpa [inquit S. D. l. 3. de anima lect. 1.] *videtur habere oculos sub pelle: sed propter hoc, quòd conversatur sub terrâ, non fuit ei necessarius visus: & si haberet oculos discoopertos, ejus oculos offenderet.* Secundò, quia nec animali secundùm gradum communem debetur visus, cùm animalium alia sint perfecta, alia imperfecta: quorum ista non requirunt virtutem sentiendi per omnes sensus externos.

7. Igitur ad replicæ secundam partem Resp. formam oppositam, nempe rectitudinem deberi secundùm gradum communem debito non physico & naturali, sed legali morali, quo modo pariter distinguo probationem: Prædicatum debitum debito naturali secundùm gradum communem, non potest destrui per differentiam specificam, concedo; debito legali, vel morali, nego. Ratio differentiæ inter debitum physicum seu naturale, & inter debitum legale, seu morale hæc est: Physicum est, quod fundat qualibet natura secundùm sua principia physica respectu eorum, quæ ab ipsa dimanant, uti sunt proprietates ipsius: debitum legale vel morale est, quod ab extrinseco, nimirum à lege extrinsecùs mensurante provenit. Illi opponitur privatio physica, huic moralis. Quod debetur gradui communi debito physico per modum naturalis proprietatis, non destruitur per differentiam specificam ob rationes adductas; potest verò destrui, quod debetur debito morali: quia potest lex præcipere, ut ex suppositione quòd voluntas procedat ad actum deliberatum circa determinatam materiam, procedat secundùm ordinem rationis & in finem honestum, seu consonum rationi, ex quo actui secundùm illud prædicatum commune actûs humani debetur rectitudo & ordo rationis debito non physico & naturali, sed morali: quo non obstante potest voluntas ab isto ordine deficere, & actum inordinatum elicere, cui potentiâ consequenti repugnet rectitudo & ordo rationis, qui potentiâ antecedente, & juxta gradum communem actûs humani fuerat debitus.

Instabis. Lex non est nisi de possibilibus: sed 8.
est impossibile, ut mendacium v. g. sit honestum, ergo per nullam legem huic actui deberi potest rectitudo honestatis.

Respond. Est impossibile potentiâ consequente, ut mendacium quà tale ut peccaminosum sit honestum, concedo; est impossibile potentiâ antecedente ut mendacium, quatenùs actus humanus habeat honestatem, nego antec. & consequentiam.

Colliges: Plures alias privationes cum pecca- 9.
to conjungi, vel actu, vel potentiâ. Nam primò in intellectu practico reperitur privatio debitæ directionis, quæ causa est, quòd voluntas defectuosè operetur. Secundò, si actus oppositus sit sub præcepto, tunc in voluntate per peccatum causatur privatio actûs oppositi. Tertiò, per peccatum mortale causatur privatio gratiæ sanctificantis, quæ etiam dicitur macula peccati seu peccatum habituale, de quo infrà ex instituto.

ARTICULUS II.

An ex authoritate sit probabilius, formalem & essentialem malitiam peccati constitui per prædictam privationem?

SUMMARIA.

1. *Exponitur Sententia negans.*
2. *Ejus fundamentum ex S. Script. & Patribus.*
3. *Fundamentum ex D. Thoma.*
4. *Contraria sententia statuens formalem malitiam in privatione asseritur.*
5. *Probatur Authoritate S. Script. & SS. PP.*
6. *Probatur multiplici testimonio Angelici D.*
7. *Prima evasio de sensu metaphorico*
8. *Refellitur.*
9. *Secunda evasio de sensu natura substantialis*
10. *Impugnatur.*
11. *Tertia evasio de aversione & defectu contrario*
12. *Evertitur.*
13. *Quarta evasio de sensu causali*
14. *Depellitur.*
15. *Quinta evasio de malo respectivo*
16. *Enervatur.*
17. *Sexta evasio de privatione infieri*
18. *Præcluditur.*
19. *Exponuntur objecta S. Script. & SS. PP. testimonia.*
20. *Malitia moralis dividens moralitatem in genere, sumenda concretè.*
21. *S. D. admittens formam positivam in peccato, loquitur de illo concretè & specificativè sumpto.*
22. *Ordo positivus quomodo pertineat ad formale peccati.*
23. *Respondetur ad ultimum testimonium ex S. D.*

§. I.

Authoritates Sententiæ negantis.

IN hac quæstione ipsi etiam Thomistæ inter se dividuntur. Tametsi enim nullus inficias eat, aliquam privationem debitæ rectitudinis & commensura-

mensurationis ad rectam rationem reperiri in peccato, multi tamen insignes DD. tam ex authoritate quàm ratione probant, illam privationem ad constitutionem formalis malitiæ insufficientem esse, quippe quæ per positivam tendentiam in objectum lege prohibitum jam constituta præintelligitur & præsupponitur privationi debitæ rectitudinis, eamque causat. Ita Jo. à S. Th. Gonet, Godoyus, aliique, quos citant & sequuntur Salmanticenses Tract. 13. de pecc. disp. 6. dub. 4.

2. Probant primò authoritate S. Script. & SS. PP. Nam S. Scriptura peccatum tam in communi quàm in particulari sæpe explicat nominibus positivis *transgressionis*, *prævaricationis*, *abominationis*, *fornicationis & conversionis* &c Jer. 8. *Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti, omnes conversi sunt ad cursum suum* &c. Ezech. 8. *Conversi sunt ad irritandum me.* Job. 15. n. 15. *Tendit adversùs DEUM manum suam.* & n. 16. *Cucurrit adversùs eum erecto collo.* Item Jer. 2. satis clarè significatur præter malitiam privativam in peccato dari etiam positivam: *Me*, inquit, *dereliquerunt fontem aquæ vivæ* [quod est averti à DEO] *& foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*, ubi significatur conversio positiva in bonum commutabile.

Similis est modus loquendi SS. PP. S. Basil. 2. Hexam. quid igitur est dicendum? *Nempe malum non essentiam viventem, animâq; præditam esse, sed affectionem animæ virtuti contrariam.* Ambros. L. de parad. peccatum vocat *divinæ legis prævaricationem, & inobedientiam cœlestium mandatorum.* & maximè D. August. in definitione peccati jam præmissa: *Dictum, factum, vel concupitum contra legem DEI. D. Naz. Orat 40. malum morale vocat affectionem animæ virtuti contrariam.*

3. Doctor verò Angelicus multis in partibus suæ doctrinæ videtur affirmare positivam peccati malitiam. Ipsius testimonia sunt triplicis generis. Primi generis sunt, quibus docet, malum morale esse quid bonum & positivum. Ita q. 1. de malo a. 1. ad 12. *Malum*, inquit, *positivè aliquid dicit, secundùm quod actus voluntatis denominatur malus a volito* q. 2. a. 11. ad 13. *peccatum*, inquit, *non est privatio pura, sicut tenebræ, sed est aliquid positivum.* & . p. q. 48. a. 1. ad 2. *Malum, quod est differentia constitutiva in moralibus, est quoddam bonum adjunctum privationi alterius boni.* Hæc S. D.

Secundi generis testimonia sunt, in quibus docet inter peccatum seu malum, & inter bonum morale dari oppositionem contrariam, quæ utique est positiva. Nam 2. 2. q. 6. a. 2. docet: *Deformitas* [peccati] *non solùm importat privationem debitæ formæ, sed contrariam dispositionem.* Et q. 1. de malo. a. 1. ad 4. *actus voluntatis, in quantum fertur in malum, recipit rationem mali, & hoc malum contrariatur propriè bono; & hæc contrarietas ex actibus in habitum transit in quantum actus & habitus similantur.*

Tertii generis sunt, quibus docet peccatum specificari per aliquid positivum: ita hic q. 72. a. 9. dicit, peccatum non sortiri speciem ex parte privationis, vel aversionis, sed ex conversione, h. e. ordine transcendentali actûs ad objectum: sed idem est constitutivum, quod specificativum: ergo constitutivum peccati est positivum. Addit quartò Godoyus tr. 3. disp. 25. §. 6. locum D. Th. ex 2. ad Annib. d. 34. q. un. a. 1. ad 1. ubi docet: *Ad 1. dicendum, quòd cùm aliquis punitur pro malo quod facit, non punitur pro nihilo, sed pro hoc quod facit in sua actione nihilum, id est inordinationis defectum.* Ex quibus infertur: ergo aliquis punitur pro actu in quantum causante inordinationem: ergo actus seu tendentia in objectum quatenùs causans privationem pro aliquo priori est mala moraliter.

§. II.

Statuitur Sententia opposita.

CONCLUSIO PRIMA. *Ex authoritate probabilius est, formalem malitiam peccati constitui per aliquod privativum, quod sit privatio debitæ rectitudinis.* Ita Capreolus, Ferrar. Sylv. Philipp. à SS. Trin, Illustriss. Reding, Reverendissimus Maurus Oberascher disp. de act. hum. c. 3. §. 2. Contensonus to. 3. dissert. 5. c. 2. spec. 2. affirmans esse perpetuam & constantem D. Thomæ doctrinam, & plures extra scholam D. Th. Hanc ipsam sententiam tenet Scotus subtilis in 2. dist. 37. dicens: quòd *peccatum sit formaliter privatio boni.* & D. Bonav. in eod. dist. 34. q. ult. ubi dicit. *Contingit loqui de malo, sive peccato abstractè* [hoc est, formaliter secundùm rationem mali] *& hoc modo malum sive peccatum in recto, sive prædicatione formali non est aliquid, sed nihil; quia non est ens, nec bonum, sed privatio boni.* 4.

Probatur primò authoritate S. Script. & SS. PP. Nam in S. Textu peccatum perpetuò significatur nominibus privationem exprimentibus. Ita Amos 6. vocatur *nihilum.* If. 42. *cæcitas.* Joan. 3. *tenebræ.* Psal. 77. Jer. 2. & 14. *aversio.* Psal. 4. *vanitas & mendacium*, &c. E SS. verò Patribus, D. Dionys. c. 4. de divin. nomin. *Ea, quæ sunt, omnia quatenus sunt, & bona sunt, & à bono: quatenus autem privata sunt bono, nec bona sunt, nec constant. Non igitur in Dæmonibus, aut in nobis malum inest, qua si sit aliquid malum, sed quòd perfectionis bonorum propriorum & accommodatorum sit privatio.* Concludit: *Relinquitur ergo, malum imbecillitatem atque privationem boni esse.* D. Gregor. Nazianz. Orat. 40. *Crede*, inquit, *nullam mali essentiam esse.* Fulgent. l. de fide ad Petrum. c. 21. *Malum nihil aliud est, nisi boni privatio.* Damasc. l. 2. c. 24. *Neque aliud quicquam est malum, quàm boni privatio, haud secus nimirum, ac tenebra nihil aliud sunt, quam luminis orbitas.* D. August. 11. de civit. c. 9. *Mali nulla natura est; sed amissio boni mali nomen accepit.* D. Anselmus noster, l. de concept. Virg. c. 5. *Sicut injustitia non est aliud, quàm absentia debitæ justitiæ, ita malum non est aliud, quàm absentia debiti boni. Nulla autem essentia, quamvis mala dicatur, est nihil, nec malam esse est illi esse aliquid. Nulli enim essentia est aliud, malam essentiam esse, quàm deesse illi bonum, quod debet habere, &c.* Plura ejusmodi testimonia vide apud Sylv. Petavium, aliosque. 5.

Nunc D. Thomæ quoque quam etiam receptissimam fuisse in Schola D. Thomæ, & Ecclesiâ 6.

DEI

DEI sententiam, luculento testimonio confirmat id, quod refert Pallavicinus in hist. Concil. Trid. l. 7. c. 8. n. 3. cùm disceptaretur de essentia peccati originalis, *plerique probarunt, id quod F. Balthasar Eredia ex Ordine Prædicatorum Episcopus ex S. Thoma etiam depromebat: nimirum, quòd licèt omne peccatum universaliter loquendo, principaliter consistat & velut formaliter in privatione NB debitæ rectitudinis oppositæ, secundùm quam partem non est effectus, sed defectus, nihilominus subjectum talis privationis [sicut omnium aliarum privationum] est res verè subsistens. Pari modo igitur essentia peccati originalis. &c.* Ubi vides, hunc præclarum Thomistam ex suo *S.* Doctore pro explananda privativa essentia peccati originalis, fundamentum posuisse, quòd quodlibet peccatum secundùm suum formale, quo defectum nominat, in privatione consistat; idque probantibus plerisque Concilii PP.

§. III.

Refelluntur effugia Adversariorum.

7. RESpondent igitur primò ad authoriatem S. Script. peccatum appellari nihilum in sensu metaphorico & morali, eò quòd sit nullius valoris & existimationis apud DEUM, quo sensu in *S.* Script. etiam peccatores quandoque dicuntur ad nihilum redigi.

8. Sed contrà est primò, quòd S. Script. & PP. etiam peccatum comparant *cæcitati & tenebris*, quæ voces non tantùm moralem, aut metaphoricam, sed veram privationem significant, atque secundùm communem Theologorum regulam verba S. Script. sunt in sensu litterali accipienda, quandocunque nullum sequitur inconveniens.

Contra est secundò, quòd *SS.* PP. dicant, peccati nullam esse essentiam, vel naturam: sed nullitas essentiæ & naturæ non est mera nullitas moralis & metaphorica, sed est vera formalis carentia & privatio: ergo.

9. Respondent alii secundò. Cùm SS. PP. dicant, mali seu peccati nullam esse *naturam* vel essentiam, ipsos loqui contra Manichæos & velle significare, quòd malum non sit aliqua natura per se subsistens; non autem negare, quòd sit aliqua entitas & habitudo positiva.

10. Sed contrà est primò. Qui vellet negare, quòd accidens sit natura per se subsistens, ineptè diceret, accidentis nullam esse naturam, vel essentiam: ergo etiam SS. PP. si tantùm vellent negare, quòd malum sit natura substantialis, ineptè dicerent, mali seu peccati nullam esse naturam, vel essentiam.

Contrà est secundò. SS. PP. insuper dicunt, malum & peccatum esse meram boni absentiam, amissionem, privationem, ideoque comparant cum tenebris & cæcitate. *Sed* ex eo quòd aliquod ens non sit substantia, nequaquam sequitur esse meram boni absentiam & amissionem, nihil esse aliud quàm boni privationem: particulæ enim universaliter negantes sunt malignantis naturæ, ut vocant Dialectici, & negant omnem essentiam ac bonitatem.

Contrà est tertiò, quòd plures è SS. PP. allegatis, uti Greg. Damasc. Ans. nullum habent negotium cum Manichæis.

Contrà est quartò. Natura tam accidentalis, quàm substantialis est à DEO formale peccati non est à DEO: ergo tam parum est natura accidentalis, quàm substantialis.

Respondent alii tertiò. Defectum & aversionem aliquando accipi contrariè, aliquando privativè. Contraria aversio consistit in positiva tendentia contra DEUM, quæ in peccatis oppositis virtutibus Theologicis reperitur formaliter, in aliis verò virtualiter & interpretativè. Cùm igitur S. Script. & PP. docent, peccatum esse defectum & aversionem à DEO, intelligendum hoc esse de defectu & aversione contrariè, non privativè. 11.

Sed contrà est primò: quòd hæc explicatio sit contra institutionem & usum utriusque termini, nempe defectûs, & aversionis. Defectus quippe ex ipsa notione vocis significat absentiam alicujus debitæ perfectionis, aversio quoque formaliter non significat tendentiam in aliquid sed potiùs recessum & fugam ab aliquo; unde & frequenter in S. Script. dicitur *recessus, derelictio, abalienatio, aberratio* Jer. 2. Deut. 32. & ps. 77. exponitur per *non servationem pacti, averterunt se, & non servaverunt pactum.* Quòd verò Salmanticenses dicunt, aversionem non tam ab avertendo, quàm aversando accipiendam, quod nominat quid positivum, gratis dicitur, neque ad Grammaticam crisin subsistit. Imò hinc sequitur, quòd omne peccatum formaliter consisteret in positivo actu fugæ, & non in conversione, quod est contra ipsos Salmanticenses. 12.

Contrà est secundò, quòd illa positiva & contraria aversio non sit ad mentem *S.* D. nam *S.* D. peccati aversionem ab incommutabili bono contraponit conversioni ad bonum commutabile, tanquam formale contra materiale: atqui aversio contraria Adversariorum nihil est aliud quàm conversio ad commutabile bonum, nam secundùm ipsorum explicationem consistit in positiva tendentia in objectum divinæ legi contrarium; ergo illa aversio contraria juxta mentem *S.* D. non est formale sed materiale peccati. Maj. liquet tum è testimoniis præallegatis, tum ex 3. p. q. 86. a. 4. ad 1. ubi dicitur: *Culpa mortalis utrumque habet, aversionem à DEO, & conversionem ad bonum creatum: sed aversio à DEO est sicut formale, conversio autem ad bonum creatum, est sicut materiale.*

Contrà est tertiò. Illa contrarietas constituit formalem rationem peccati, quæ significatur in Augustiniana definitione, *dictum, factum, vel concupitum contra legem DEI*: sed hæc non est quid positivum; nam *S.* D. hic a. 6. in c. docet: quòd per ly *contra legem* significetur carentia debitæ commensurationis, quæ se habet ut formale.

§. IV.

Confutantur aliæ tres evasiones Adversariorum.

RESpondent quartò maximè ad clarissimas authoritates è S. D. cæcitatem, tenebras, privationem rectitudinis, bonitatis, commensurationis dici de peccato in sensu causali, non autem formali: quòd nempe peccatum sit radicaliter privatio, in quantum ipsa tendentia in objectum dissonum 13.

dissonum rationi sit radix, ad quam in posteriori natura consequatur & resultet privatio debitæ commensurationis cum regulis rationis. Nihilominùs ipsum formale peccati jam haberi in priori instanti antecedente resultantiam hujus privationis, in quo nimirum actus concipitur tendere in objectum difforme rectæ rationi.

14. Sed contrà est primò, quòd ad explicandam alicujus rei essentiam & naturam fallaciter & æquivocè adhibetur sensus causalis: nisi fortè per solos effectus deveniri possit in naturæ cognitionem. At SS. PP. & Angelici Doctoris propositum fuit explicare formalissimam naturam & essentiam peccati: non ergo in sensu causali, sed formali prædicatum privativum attribuêre peccato.

Contrà est secundò. Qui affirmat aliquod prædicatum in sensu causali, non ideo cum veritate potest de subjecto negare omne aliud prædicatum formale; e. g qui in sensu causali diceret humanæ naturæ differentiam esse risibilitatem [subintelligendo radicaliter] non ideo posset cum veritate dicere, humanæ naturæ differentiam prorsus nihil aliud esse, quàm risibilitatem, hoc ipso enim risibilitas prædicaretur de differentia humanæ naturæ etiam formaliter: atqui *SS.* PP. removent à peccato omne aliud prædicatum positivum, cùm dicunt, nullam esse mali essentiam, malum nihil aliud esse, quàm boni privationem &c: ergo non in sensu causali, sed formali loquuntur: aliàs quippe nullum relinquerent prædicatum formale constitutivum peccati.

Contrà est tertiò. Quòd termini reduplicantes, ac præcipuè Tò *formaliter* faciunt sensum formalem, non causalem: atqui S. D. cùm de peccato affirmat privationem, utitur terminis reduplicativis, atque ipso Tò *formaliter*: ergo. Minor constat ex præallegatis textibus: dicitur enim, *in quantum actioni aliquid deficit de plenitudine essendi, in tantum dici malum*: ex hoc actum humanum esse malum, quòd caret debitâ commensuratione: omne peccatum *formaliter* consistere in aversione: privationem boni se habere *formaliter*, & conversionem ad bonum commutabile se habere *materialiter* in peccato: peccatum in *quantum* habet rationem peccati ex privatione rectitudinis, dici per privationem debitæ formæ.

Contrà est quartò, quòd hanc explicationem expressè rejicit *S.* D. q. 2 de malo. a. 9. ad 2. *peccatum*, inquit, *est mors animæ effectivè, essentialiter verò est actus deformis & inordinatus.* Ergo juxta doctrinam *S.* D. inordinatio, h. e. privatio debiti ordinis essentialiter & formaliter in quid prædicatur de peccato: id autem, quod effectivè, seu causaliter de ipso dicitur, est mors animæ, h. est, privatio gratiæ & charitatis, seu macula, quæ remanet post peccatum.

Contrà est quintò, quòd in 2. Sent. dist. 34. a. 2. ad 4. dicit: *Sicut albedo formaliter facit album, ita etiam formaliter privatio & corruptio corrumpit: malum verò per se sumptum est ipsa privatio: unde non sequitur quòd sit ens positivè dictum.* Quæ sanè verba & comparatio cum albedine omnem præcludunt exitum effugio Adversariorum.

Celebris est evasio Adversariorum, quâ distinguunt malum in absolutum & respectivum. Illud, ajunt, nihil prorsus bonitatis includere; istud verò includere aliquam bonitatem, & ita esse malum respectu alicujus naturæ, ut tamen possit esse bonum respectu alterius, veluti calor quamvis sit malus respectu aquæ, in quantum est frigoris destructivus, aliâ tamen ratione est bonus. Hoc posito dicunt, in peccato reperiri rationem utriusque mali, & quidem per se primò rationem mali absoluti. Malum respectivum est, in quantum est habitudo & tendentia in objectum dissonum rationi, & hoc est ipsi primatium ac essentiale: Malum absolutum est, in quantum in se habet carentiam & privationem debitæ commensurationis, quæ tamen cùm præsupponat actum jam constitutum in genere & specie mali moralis, non est ipsum formale constitutivum peccati, sed accidentale complementum illius. Cùm ergo *S.* D. dicit, peccatum esse malum, in quantum est privatum debitâ rectitudine, ipsum [sicut & *SS.* PP.] intelligendum esse de peccato sub ratione mali absoluti, & simpliciter, non autem sub ratione mali respectivi, & hanc malitiam bene posse dici formalem, non quidem eo sensu, quasi peccatum in ratione peccati formaliter & primariò constituat; sed quia peccato in sua essentia jam constituto superveniens, idque formaliter denominans, illud formaliter secundariò & consecutivè constituit in ratione mali simpliciter. 15.

Contra hanc evasionem est primò. Quòd juxta usitatam acceptionem illa propriè sunt mala respectiva, quæ in se quidem sunt formaliter bona, & à DEO causata, sunt tamen & dicuntur mala solùm respectu alterius subjecti, cui causant aliquem defectum & privationem suæ perfectionis, quemadmodum calor in se bonus, respectu aquæ dicitur malus, in quantum in ipsa destruit connaturalem perfectionem frigoris. Et malum pœnæ dicitur respectivè malum, in quantum in eo qui punitur tollit aliquod bonum ideoque propriè causetur à DEO, juxta illud Amos 3. *Si erit malum in civitate, quod non fecit Dominus.* Sicque idem est esse respectivè, ac causaliter malum. Atqui peccatum non tantummodo est malum causaliter, quia tollit à subjecto perfectionem debitam, nempe gratiam & charitatem, sed intrinsecè in seipso formaliter, si quidem formaliter in seipso est à DEO odibile, & ineffectibile: ergo non est malum respectivum, sed absolutum. 16.

Contrà est secundò. Ratio mali ut sic in genere est formaliter privativa: ergo etiam formalis ratio peccati. Antecedens est receptissimum apud Philosophos, SS. PP. & D. Th. Consequentia probatur: Ratio generis analogi nusquam magis reperitur quàm in principali analogato: sed peccatum sub genere mali est principale analogatum, sive appelletur absolutum, sive respectivum: ipsum quippe est pessimorum pessimum, quod à DEO nullo modo causari, nec in se cognosci, nec in ipsum referri potest: ergo etiam ratio peccati debet esse privativa.

Contrà est tertiò. Peccatum vel ideo vocat malum respectivum, quia est aliquis ordo & habitudo

bitudo ad objectum, vel quia illi ordini superadditur aliquis defectus. Non primum; quia totus ordo ad objectum est ens positivum, de genere prædicamenti, à DEO effectibile: non secundum; quia defectuositas, quodcunque subjectum informet, & intrinsecè denominet, sive illud sit absolutum, sive respectivum [quod est ipsi planè per accidens] illud absolutè malum, & defectuosum denominat: e. g. defectus claudicationis, qui est in motu tanquam ente respectivo, æquè motum tibiæ in seipso absolutè defectuosum denominat, quàm gibbositatis defectus tergum, quod est ens absolutum, absolutè defectuosum denominat. Cùm ergo peccatum sit malum ratione defectuositatis sibi intrinsecæ, etiam dicendum est absolutè malum.

17. Contrà est quartò. Dato non concesso, quòd peccatum rectè dicatur malum respectivum propter inclusam habitudinem ad objectum; tamen malum absolutum etiam per Adversarios formaliter consistit in privatione boni, quia non tantùm causat, sed est in seipso formaliter malum, & exclusivum boni: sed non minùs peccatum est in seipso formaliter malum, priusquam causet aliquod malum: neque enim, ut dictum, proprietates & characteres mali alibi magis, quàm in peccato reperiuntur: ergo.

Sexta denique responsio, parum differens à priori est, quâ distinguunt privationem, & dicunt aliam esse privationem in fieri, aliam in facto esse. Privatio in fieri in recto est aliquid positivum, causat tamen privationem in facto esse, quæ in recto non est aliquid positivum, quo modo dicunt morbum lethalem esse privationem in fieri, mortem subsecutam esse privationem in facto esse. Cùm ergo S. D. dicit, peccatum formaliter constitui per privationem, ajunt ipsum loqui de privatione in fieri, quæ nimirum est positiva tendentia in objectum prohibitum, ex qua causatur privatio tum rectitudinis debitæ, tum ipsa mors animæ, quæ sunt privationes in facto esse.

Sed contrà est primò, quòd hæc responsio non nisi in modo loquendi differt à præcedentibus: nam juxta hanc explicationem tantùm esset privatio causalis, quatenus nempe causaret privationem, & esset malum respectivum, quod in recto diceret positivam essentiam, quæ omnia primùm sunt refutata.

18. Contrà est secundò, quòd juxta mentem S. D. q. 2. de malo a. 9. in c. etiam privatio in fieri non dicit in recto aliquid positivum, sed negativum, & hoc solo distinguitur à privatione in facto esse, quòd ista [quam vocat ibidem puram privationem] tollit totum bonum oppositum, ut mors; illa verò [quam vocat privationem non puram, quæ concipitur per modum tendentiæ ad puram privationem] relinquit aliquid de bono opposito, & conjungitur cum aliquo positivo. Ideoque respondens ad objectionem Stoicorum, dicentium omnia peccata esse æqualia, eò quòd privationes non recipiant magis, & minùs, dicit hoc axioma Philosophorum esse intelligendum de puris privationibus quæ privant toto bono opposito, non de privationibus non puris, quæ conjunguntur cum aliquo actu, & relinquunt aliquid de bono opposito; peccatum autem pertinere ad genus privationis non puræ. *Sicut ergo*, inquit, *non omnis deformitas corporis est æqualis, sed quædam est aliâ major, secundùm quod privantur plura ad decorem pertinentia, vel aliquid principalius; ita non omnis deformitas, vel inordinatio actûs est æqualis, sed quædam est aliâ major.* Ita S. D.

Ex his, sicut etiam ex solutione testimoniorum quæ pro opposita sententia adducuntur, liquet, sententiam stantem pro privativo peccati majori authoritatis pondere esse subnixam.

§. V.

Exponuntur opposita testimonia.

AD testimonia partim è *S. S*cript. partim è *SS.* PP. in contrarium adducta prompta est responsio, illa omnia loqui de materiali peccati, quod formali malitiæ substernitur: certum quippe est, in omni peccato commissionis reperiri aliquem voluntatis actum, qui sit conversio in bonum commutabile, qui tamen ipse carentiæ debitæ rectitudinis & ordinis ad incommutabile bonum substernitur. At verò testimonia à nobis adducta cùm non possint exponi de materiali peccati [quis enim somniat, extra peccatum omissionis materiale peccati esse quid privativum?] accipienda sunt de formali. 19.

Pro expositione testimoniorum, quæ adducuntur è *S* D. recolendum est, quod initio hujus disputationis dixi, peccatum commissionis, & malum morale non dicere solam malitiam abstractè, sed esse quoddam concretum accidentale ex actu tanquam materiali, & malitiâ tanquam formali. Unde sicut album significat subjectum habens albedinem, ita peccatum significat actum seu tendentiam in objectum habentem deformitatem malitiæ. Et quando moralitas dividitur in bonitatem & malitiam tanquam species subalternas, malitia non abstractè & solitariè, sed quatenus recepta in actu & tendentia voluntatis accipitur. Unde. 20.

Respondeo, tria prima testimonia è *S*. D. opposita loqui de malo concretè, non abstractè; specificativè, non reduplicativè, seu sub ratione mali accepto: quo sensu verum est, malum & peccatum esse quid positivum ex parte substrati, & materialis: item esse quid bonum, & habere contrariam oppositionem cum actu bono & honesto, & ut sic accipere speciem ex parte positivæ conversionis. Ita loquitur ipse *S*. D. hic q. 75. a. 1. ad 1. *Peccatum non solùm significat ipsam privationem boni, quæ est inordinatio, sed significat actum sub tali privatione, quæ habet rationem mali.* Et q. un. de Virt. in com. a. 2. ad 5. *Malum non constituit speciem ratione privationis, sed ratione ejus, quod privationi substernitur.* 21.

Ad subsumptum Resp. Idem est formale constitutivum peccati quod est specificativum ipsius in esse mali moralis & peccati ut sic, nego; in esse talis mali, & in tali determinata specie constituti, concedo. Cujus responsionis fundamentum est in *S*. D. in 2. dist. 34. a. 2. ad 3. ubi docet: *Malum per se, vel abstractè sumptum non est differentia specifica, sed malum per accidens, vel concretè sumptum.* Et rursus: *Mala actio specificatur ex ordine ad finem indebitum, cui admiscetur privatio finis debiti, ex quo ratio mali incidit &c.* Si-

&c. Similiter D. Bonaventura in 2. d. 42. a. 3. q. 1. *Etsi aversio det conversioni, quòd sit peccatum, conversio tamen dat aversioni, quòd sit tale peccatum.*

22. Dices: Ex quo peccata formaliter distinguuntur, ex eo etiam formaliter constituuntur, idem quippe est formaliter constitutivum, quod formaliter distinctivum: atqui peccata per positivum transcendentalem ordinem ad objectum à se invicem formaliter distinguuntur: ergo etiam per eundem ordinem formaliter constituuntur.

Respond. ut priùs dist. maj eo formaliter constituuntur in esse talis determinati peccati concedo; in esse peccati ut sic, nego.

Instabis. Id, quo peccatum formaliter constituitur in esse talis peccati, non pertinet ad materiale, sed ad formale peccati: sed hoc ex concessis est ordo positivus ad objectum: ergo adhuc formale peccati est ordo positivus ad objectum. Respond. dist. maj. pertinet ad formali peccati concretè & specificativè sumpti, concedo; ad formale peccati abstractè & reduplicativè sumpti quantùm ad rationem peccati, nego: nam ille ordo & tendentia comparativè ad ipsam malitiam, adhuc se habet tanquam aliquod substratum ipsius.

Ad 4. testimonium nego utramque consequentiam. Non enim *S.* D. dicit, aliquem propterea puniri, quia per suam actionem, aut illâ mediante, sed quia in suâ actione causat nihilum, quod nihil aliud est dicere, quàm peccatorem ideo puniri, quia per suam voluntatem defectuoso rationis judicio regulatam ponit actionem defectuosam, ita ut ille defectus [quem *S.* D. appellat nihilum, quia est privativus] unà cum ipsa actione procedat à voluntate defectuosâ, adeò ut sicuti voluntati tanquam effectivo principio respondet illud omne quod est in actu physicum, sic ipsi tanquam principio defectivo & privativo respondeat illud omne, quod est in actu deforme & defectuosum. 23.

ARTICULUS III.

An formalem malitiam peccati consistere in privatione debitæ rectitudinis sit probabilius ex ratione?

SUMMARIA.

1. *Prima ratio pro privativo peccati petita ex intrinseca natura defectûs.*
2. *Depellitur responsio Adversariorum.*
3. *Confirmatur paritate peccati habitualis,*
4. *Ratione principii privativè defectivi,*
5. *Ab absurdo.*
6. *Fundamentum Theologicum ex incausabilitate a Domino DEO.*
7. *Impugnatur principalis distinctio Adversar. de sensu implicito & explicito,*
8. *Tanquam difformis doctrinæ Concil. & PP.*
9. *Non potest esse tantùm distinctio quoad conceptum explicitum.*
10. *Hæc distinctio non subtrahit divinæ causalitati formalem deformitatem peccati.*
11. *Altera responsio adversariorum*
12. *Impugnatur.*
13. *Positiva tendentia in objectum prohibitum non fundat privationem peccati.*
14. *Quomodo illa privatio ponatur per accidens?*
15. *Perfectiones vitalitatis, libertatis &c. etiam quæ tales sunt a DEO.*
16. *Impugnatur fictitia præcisio Divinæ causalitatis ad extra.*
17. *Paradoxa paritas a Mysterio SS. Trinitatis,*
18. *Retorquetur.*
19. *Directè solvitur.*

§. I.

Ponitur primum fundamentum pro privativo peccati.

1. Fundamentum primum in prædictis insinuatum, est: Omnis defectus formaliter constituitur per absentiam & privationem perfectionis debitæ, sed peccatum & malum morale est quidam defectus moralis: ergo formaliter constituitur per privationem moralis perfectionis sibi debitæ. Major, quæ probari potest inductione omnium defectuum tam naturalium, quàm artificialium, etiam hâc ratione probatur: Vel entitas positiva habet omnia sibi in suo genere debita, vel non habet; si habet, eoipso concipitur ut perfectum; quia perfectum est, cui nihil sibi in suo genere debitum deest; si non habet, per hoc ipsum per se primò concipitur defectuosum, quod aliquid perfectionis sibi debitæ deest, & hoc utique est privatio: atqui perfectio actui humano in genere moris debita est rectitudo moralis: ergo actus peccati per hoc formaliter constituitur defectuosus, quod ipsi desit perfectio, adeòque quòd sit privatus morali rectitudine.

Dices iterum: In signo antecedente privationem actum peccati concipi defectuosum contrariè, non privativè: sed præter impugnationes hujus distinctionis superiùs adductas contrà est, quod intrinsecè in seipso est malum & intrinsecè in seipso caret perfectione sibi debitâ, non tantùm contrariè aut causaliter, sed formaliter & privativè est defectuosum: sic enim malum tam naturale, quàm artificiale & intrinsecè tale constituitur per defectum privativum perfectionis sibi debitæ: aut enim habet omnia sibi debita, & est perfectum, aut non habet, & quâ ratione non habet, habet privationem alicujus debitæ perfectionis; atqui peccatum pro omni signo quo concipitur formaliter in ratione peccati, est in seipso intrinsecè formaliter malum, & intrinsecè in seipso irrectum carens perfectione morali sibi debita, Deo odibile, inideabile, improducibile à DEO, irreferibile in DEUM: ergo etiam est privativè defectuosum. 2.

Confirmatur primò. Peccatum habituale, quia est macula & deformitas habitualis, formaliter consistit in privatione honestatis & rectitudinis 3.

dinis habitualis: ergo quia peccatum actuale est quædam deformitas actualis, consistit formaliter in privatione debitæ rectitudinis actualis.

4. Confirmatur secundò. A principio privativè defectivo quà tali habetur etiam effectus seu terminus privativè defectivus: atqui peccatum procedit à principio formaliter & privativè defectivo, nempe à voluntate destitutâ debitâ regulâ practicâ rationis: ergo est defectus formaliter privativus. Major constat inductione: nam à principio respectivo quà tali procedit effectus respectivus, ab absoluto absolutus, à positivo positivus.

5. Confirmatur tertiò. Malitia peccati non potest sequi ex vi alicujus entitatis positivæ: ergo multò minùs potest formaliter consistere in positivo, & identificari cum illo. Antecedens probatur: si malitia sequeretur ex vi positivæ entitatis, tunc DEUS esset causa peccati formaliter: sed hoc dicere est impium & damnatum à Trid. sess. 6. can. 6. Sequela probatur: quia qui est causa causæ formaliter, etiam est causa causati: sed si malitia peccati sequitur ex vi entitatis positivæ, tunc DEUS est causa causæ peccati formaliter, nempe entitatis, ex vi cujus peccatum sequitur: ergo etiam esset causa peccati formaliter; sicuti, si ex vi denegationis aut subtractionis gratiæ sequeretur peccatum, DEUS, qui subtrahit gratiam, esset & diceretur causa peccati.

§. II.

Alterum fundamentum Theologicum.

6. Ratio secunda principalis & Theologica est: Omnis entitas positiva præter DEUM est à DEO: peccatum formaliter non est à DEO: ergo peccatum formaliter non est entitas positiva. Maj. nemo Catholicorum DD. negat, minor constat ex Trid. sess. 6. can. 6. ergo.

Confirmatur primò, quicquid positivæ entitatis in tempore ponitur, illud est ideatum in æternâ DEI scientiâ causatrice rerum: sed est impossibile, ut formale peccati sit ideatum in scientiâ æternâ DEI, rerum omnium causatrice: ergo. Majorem suppono ex communi præsertim Thomistarum in Tract. de DEO uno. Min. verò probatur: quicquid est ideatum in DEI scientiâ rerum causatrice [ut argumentatur Illustrissimus Reding] ad illud scientia DEI habet se affirmativè & positivè, non negativè, vel aversativè; ideóque pertinet ad scientiam approbationis sitque objectum voluntatis beneplaciti: sed ista de formali peccati verificari non possunt: siquidem hæc scientia & voluntas beneplaciti est tantummodo de bonis; formale verò peccati est essentialiter malum & objectum divinæ abominationis, nec cadit nisi sub scientiam & voluntatem permissionis, veluti loco citato dictum est: ergo.

Confirmatur secundò. Quamvis materia prima in Thomistarum sententia careat omni proprio actu, nec sit ratione sui appetibilis, tamen quia est vera positiva entitas, verè causatur à DEO, estque participatio entitatis divinæ: ergo æquè formale peccati causatur à DEO, estque participatio entitatis divinæ, si consistat in positiva & quidem actuali entitate, eamque essentialiter includat.

Respondent Adversarii primò. Omne ens positivum est à DEO, & ideatur in scientia affirmativa seu approbativa DEI, secundùm rationem entitatis & bonitatis in ipso transcendentaliter ac implicitè inclusam, concedo; secundùm omnem rationem etiam explicitam ipsius, nego: sed peccatum formaliter non est à DEO, secundùm rationem implicitam & transcendentalem entis, nego; secundùm rationem explicitam deformitatis & malitiæ, concedo, & nego consequentiam. 7.

Sensus distinctionis est, quòd quidem deformitas malitiæ sit aliquid positivum identificatum cum entitate actûs; formalitas tamen deformitatis sit virtualiter secundùm conceptum explicitum & implicitum distincta ab ipsa entitate, quemadmodum ens, unum, verum, bonum inter se distinguuntur, & ita entitas quidem implicitè inclusa in deformitate peccati sit à DEO; formalitas tamen deformitatis & malitiæ explicita non sit à DEO.

Sed contrà est primò: quòd hic modus respondendi non est conformis doctrinæ Concill. PP. & DD. antiquorum universim negantium, DEUM esse authorem peccati quoad formale ipsius: secundùm hanc autem doctrinam esset author etiam quoad formale, & tantùm non quoad conceptum explicitum. 8.

Contrà est secundò: Vel ponis intrinsecam distinctionem virtualem inter entitatem & deformitatem formalem peccati, vel tantùm connotativam & extrinsecam. Non intrinsecam; siquidem illius fundamentum est intrinseca perfectio, & eminentia entitatis, ut fatentur Salmanticenses, quæ in peccato ceu malo morali nullum habet locum. Si verò extrinsecam, tunc alia esse non potest, nisi propter connotationem diversi principii, in quantum peccatum, ut est entitas, sic connotat principium effectivum; ut est malitia, sic connotat principium defectivum. Atqui hæc connotatio probat distinctionem realem, non virtualem: ergo nulla est hæc distinctio virtualis. Subsumptum probo: A principio quà defectivo non sequitur nisi effectus privativus, cùm defectuositas ex parte principii sit etiam privativa, ut jam primò ostensum est: ergo si malitia distinguitur ab entitate peccati propter connotationem principii defectivi, distinguitur ab illo tanquam effectus privativus ab effectu positivo, adeòque tanquam non ens ab ente: sed hæc est realis non virtualis distinctio: ergo. Anteced. confirmo ab exemplis: tibia quà curva, h. e. privata naturali rectitudine & conformitate, causat claudicationem non quatenus motus est, sed quatenus carens debitâ rectitudine & conformitate ad exigentiam potentiæ progressivæ, manus ut destituta regulis scribendi causat scriptionem, non ut scriptio est, sed ut est privata debitâ rectitudine characterum, & conformitate ad regulas scribendi: ergo pariter voluntas ut destituta rectâ regulâ rationis causat peccatum non ut effectus est & positiva tendentia, sed ut est privativus defectus & carentia moralis rectitudinis. 9.

Contrà est tertiò, quòd datâ non concessâ hâc

virtuali distinctione adhuc etiam explicita ratio peccati esset à DEO, nec proinde salvaretur, quòd DEUS non esset author peccati formalis. Antecedens probatur: Causa quæ dat esse, dat simul omnia prædicata identificata cum illo esse: sed DEUS daret esse malitiæ formali: ergo etiam daret omnia prædicata identificata cum illo esse, quorum præcipuum est reduplicativa ratio malitiæ & deformitatis. Maj. patet ex recepto Philosophorum axiomate: Qui dat esse, dat etiam consequentia ad esse: quantò ergo magis dat identificata cum ipso esse? &c.

Confirmatur. Quantò efficacior virtus est in aliquo agente, tantò efficaciùs penetrat omnes differentias & modos entis: si ergo causa creata, quæ est finitæ virtutis & efficaciæ, suâ operatione productivâ attingit non tantùm prædicata identificata cum effectu producto, sed etiam proprietates ipsius; multò magis hoc convenit agenti divino, quod est infinitæ efficaciæ.

11. Respondent secundò præcipuè ad hanc impugnationem: Causa seu agens attingit omnia prædicata identificata cum esse effectûs, si illa contineantur intra sphæram activitatis illius agentis, concedo; si non contineantur, nego. Sed deformitas peccati est prædicatum, quod nequaquam continetur intra sphæram divinæ activitatis, quippe agentis effectivi, sed tantùm intra sphæram liberi arbitrii, quatenus agentis defectivi: sed sic non sequitur, illud attingi à DEO. Si petas: quare illa moralis deformitas sit extra sphæram activitatis divinæ? dicent: eò quòd non sit referibilis in DEUM ut finem ultimum.

12. Sed præter nullitatem distinctionis virtualis, quam hæc responsio supponit, impugnatur primò, quòd hoc modo respondetur idem per idem; idem quippe est dicere, esse extra sphæram activitatis, ac non esse producibile ab aliquo, de quo ipso disputatur. Illud certè continetur intra sphæram activitatis divinæ, quod continetur intra adæquatum objectum omnipotentiæ & practicæ scientiæ DEI: sed si peccatum secundùm suum formale est ens positivum, tunc continetur intra adæquatum objectum omnipotentiæ divinæ; hoc enim est ens ab alio in tota sua latitudine, sed formale peccati est ens ab alio, quia utique non est ens à se: ergo pertinet ad objectum omnipotentiæ divinæ.

Neque irreferibilitas in DEUM solvit difficultatem, nam eadem est difficultas, cur peccati malitia sit irreferibilis in DEUM, [cùm tamen sit entitas positiva] ac cur non sit producibilis à DEO; siquidem entitates rerum tantùm suppositâ emanatione ex divina omnipotentia & participatione entitatis divinæ fiunt referibiles in DEUM, atque in DEO rationes primæ causæ & ultimi finis sunt inter se convertibiles.

Impugnatur secundò. Illud omne ens pertinet ad sphæram activitatis divinæ, & consequenter est referibile in DEUM, ad quod extenditur causalitas causæ primæ: sed ista extenditur ad explicitam formalitatem malitiæ, si peccatum formaliter consistat in positivo: ergo. Min. probatur: Ad omnem illam formalitatem causalitas divina extenditur, in qua formalis terminus ipsius, nempe ratio entis, essentialiter reperitur: sed iste reperitur in explicita ratione malitiæ: ergo. Major à pari, & inductione constat: nam ad explicitas rationes relationis, libertatis, Visionis, &c. causalitas divina extenditur, quia in ipsis implicita ratio entis essentialiter & formaliter inclusa reperitur.

Impugnatur tertiò. Si divina causalitas non attingeret explicitam rationem malitiæ & deformitatis, vel attingeret communem rationem entis ut sic, vel illam ut contractam ad ultimam differentiam specificam. Primum est absurdum; quia communis & abstracta ratio entis est minùs producibilis, quàm idea platonica. Si secundum; ergo attingitur explicita ratio malitiæ, quippe quâ mediante analoga ratio entis intimè inclusa ad determinatam speciem malitiæ defertur.

Conf. Implicat per Divinum concursum attingi genus, quin attingatur specifica differentia: ergo implicat quoque produci analogam rationem entis, quin eodem concursu producatur ultima differentia malitiæ, cùm genus analogum in ultimis differentiis formaliter includatur.

Adhuc instabis: Etiamsi DEUS sit causa omnis entitatis positivæ, non ideo est causa & author omnis explicitæ formalitatis in illâ contentæ: ita e. g. ipse actus peccati, & formalis tendentia in objectum legi Divinæ contrarium causans & fundans privationem debitæ rectitudinis, est à DEO, & tamen non est à DEO quatenus exprimit fundamentum & causalitatem hujus privationis, non enim minùs est absurdum, admittere, quòd DEUS sit causa formalis malitiæ quà talis, quàm quòd sit causa malitiæ fundamentalis quà talis. Secundò. Actus vitalis ratione suæ entitatis est à DEO, & tamen non est à DEO secundùm prædicatum explicitæ vitalitatis, quia actus quatenus vitalis est à principio immanenter conjuncto. Idem dixeris de actu libero aut visionis quà tali: ergo etiam in peccato formali, tametsi illud consistat in positivo, non sequitur, quòd si DEUS sit causa positivæ entitatis, sit pariter causa omnis formalitatis explicitæ, & in illa contentæ. 13.

Respond. neg. min. & probationis majorem; neque enim est ulla positiva formalitas in rerum natura, quæ non sit reducibilis in DEUM ut causam primam. Ad primam instantiam nego suppositum, quòd actus & tendentia fundent vel causent privationem; hoc quippe oritur ex mala imaginatione, quasi privatio ita debeat resultare ex positione alicujus fundamenti, sicut relatio.

Dices: Privatio rectitudinis non ponitur nisi ad positionem actûs & tendentiæ in objectum: ergo illa tendentia est fundamentum ipsius. Antecedens probatur: quod tantùm per accidens producitur, id producitur ad positionem alterius, tanquam in aliquo priori naturæ præsuppositi, uti patet in relatione: sed privatio tantùm produci potest per accidens: ergo producitur ad productionem vel positionem alterius in priori naturæ. 14.

Respond. dist. antecedens: non ponitur nisi ad positionem actûs, tanquam ex ipso in posteriori naturæ resultans, nego; tanquam in eodem signo

signo naturæ concomitans eumque veluti suum substratum materiale informans, concedo antecedens, & nego consequent. Ad probationem antecedentis nego absolutè majorem: nam ad rationem causæ per accidens sufficit, quòd præter ipsius intentionem sequatur effectus, sive deinde ille effectus sequatur ad productionem alterius effectûs, sive producatur per modum removentis prohibens. Sic v. g. ut in aëre resultent tenebræ, sufficit solem recedere, aut lumen extingui, nullo posito effectu ex parte aëris, ipsoque aëre non se habente per modum fundamenti sed tantùm subjecti recipientis. Ita pariter privatio debitæ rectitudinis actum non respicit tanquam fundamentum, sed tanquam subjectum & substratum. Et unde hoc? quia principium est defectuosum, nempe voluntas est destituta recto judicio & regulâ operandi. Unde ipsa ratio deficiens in regulando se habet tanquam removens prohibens, removens nimirum debitum dictamen & regulam, quam si voluntas habuisset, etiam rectam operationem elicuisset. Hâc verò destituta non nisi defectuosè operatur, quemadmodum defectus claudicationis in tibia reducitur in defectum virtutis motricis, quæ si haberet omnem sufficientiam, etiam motus tibiæ esset rectus, & consequenter illius deformitatis fundamentum & radix non est motus, sed carentia debitæ virtutis.

15. Ad cæteras instantias nego, actum vitalem, liberum, visionis, &c. quà talem non esse à DEO: sunt quippe à DEO secundùm omnem realé perfectionem, absurdum quippe est dicere, aliquas creatas perfectiones esse à se & incausatas: sed explicitæ rationes vitalitatis, visionis, &c. sunt perfectiones & quidem simpliciter simplices: ergo sunt à DEO.

Dices. Actus vitalis quà talis procedit à principio conjuncto, quod immanenter perficit: sed DEUS non est tale principium: ergo quà talis non procedit à DEO. Respond dist. maj. procedit sic à principio conjuncto & dependenter à primo principio, concedo; independenter nego: ergo quà talis non procedit à DEO, nego consequentiam.

Instabis. Actus non est vitalis nisi per ordinem ad principium quod intrinsecè perficit: sed hoc non est DEUS: ergo non est vitalis per ordinem ad DEUM. Ergo quatenus vitalis non est à DEO. Respond. primò, neg. maj. nam hoc totum, quòd procedat à principio conjuncto, idque immanenter perficiat, habet dependenter ab influxu causæ primæ. Respond. secundò, gratis dist. maj. actus non est vitalis nisi per ordinem ad principium quod immanenter perficit; non est denominativè, h. e. non denominatur vitalis, concedo; non est entitativè & productivè, hoc est non terminat productionem, nego: & similiter distincto consequente, nego consequentiam. Nam aliud est esse, aliud denominari; perfectio reduplicata vitalitatis uti & libertatis, visionis, &c. est dependenter tam à causa prima, quàm secunda, non tamen causam primam denominat vitaliter operantem, videntem, &c. quia ipsam non intrinsecè perficit. Et sic ad summum probaret Advers. quòd DEUS non diceretur peccare concurrendo ad formale peccati, non tamen probaret, quòd non esset causa peccati; siquidem divina causalitas non minùs in peccato formali reperiret suum formalem terminum nempe rationem entis quàm in vitalitate, libertate, &c.

§. III.

Corollaria.

Colliges primò. Nullatenus esse admittendam virtutem præcisivam divinæ causalitatis, & productionis ad extra, quam Adversarii confingunt ad salvandas difficultates, & per quam dicunt in eadem indivisibili entitate attingi unam formalitatem, quin simul attingatur altera formalitas identificata cum ipsa. Nam primò ex dictis, productio rei attingit terminum ut est, & quantò est efficacior, tantò plura attingit, non solum identificata, sed etiam consequentia ad esse ipsius: ergo, cùm causalitas divina sit infinitæ efficaciæ in effectu, attingit omnia realiter identificata cum ipso. Secundò. In sententia Thomistarum ipsa DEI scientia est causa rerum: sed scientia DEI non est præcisiva: ergo neque causalitas. Min. probatur: tum quia virtus præcisiva cognitionis, qualis reperitur in nostro intellectu, non ex sola perfectione, sed etiam imperfectione cognitionis oritur: atqui in DEI scientia nulla est imperfectio: tum quia scientia comprehensiva attingit absque præcisione omnia prædicata etiam virtualiter distincta: sed DEI Scientia respectu rerum creatarum est talis: ergo. Tertiò. Quia si causalitas divina attingeret solam rationem entitatis, produceret ens ut abstractum à suis differentiis, quod implicat. 16.

Dices. Etiamsi Divinæ personæ cum natura intimè identificentur, tamen virtus productiva personæ non est productiva naturæ, ut suprà ex Tract. de Trin. quia nempe natura est extra sphæram virtutis productivæ: ergo pariter, quia reduplicata deformitas peccati est extra sphæram productivam divinæ omnipotentiæ, potest illa producere entitatem non productâ deformitate peccati. 17.

Respond. primò retorquendo argumentum. Si per impossibile virtus productiva in Patre pro formali & adæquato termino respiceret ens Divinum in tota suâ latitudine, non minùs natura, quàm personalitates cum ipsa identificatæ producerentur: ergo cum Divina Omnipotentia pro formali & adæquato termino respiciat totum ens creabile in tota sua latitudine sub communissima ratione entis, etiam producit quicquid est identificatum cum ente. Rursus: Natura in divinis vi productionis saltem communicatur; atqui formale peccati ne quidem à DEO communicari potest. Item argumentor ad hominem contra Gonettum: si deformitas peccati essentialiter identificat sibi positivam entitatem, ab eaque solùm virtualiter distinguitur, tunc factâ quâcunque reduplicatione, & sub explicito conceptu, essentialiter est ens creatum; ergo etiam sub explicito conceptu est à DEO. Antec. prob. ex prædicto Authore in Tr. de Trin. Disp. 3. a. 2. §. 1. in fin. *De quocunque affirmatur ens & negatur ens Divinum, affirmatur ens creatum, non solùm in re, sed factâ quâcunque reduplicatione: alio-* 18.

quia Divinæ relationes sub tali reduplicatione essent purum nihil, aut merum ens rationis. [Sunt verba ipsiusmet Gonet] sed de formali peccati, juxta Adversf. affirmatur ens, & negatur ens Divinum: ergo de formali peccati non solùm in re, sed factâ quâcunque reduplicatione affirmatur ens creatum: aliàs sub tali reduplicatione esset purum nihil, aut merum ens rationis: ergo formale peccati factâ quâcunque reduplicatione est à DEO. Rursus, ut habet idem Author loc. cit. *Reduplicatio, & virtualis distinctio relationis Divinæ ab essentia non impedit, quin de illa essentialiter prædicetur ratio entis ut sic*, & consequenter unum ex *membris dividentibus*, nempe *ens Divinum*: ergo etiam reduplicatio & distinctio virtualis deformitatis peccati à positiva tendentia actûs in objectum, non tollit quin de ipsa essentialiter prædicetur ratio entis ut sic, & consequenter unum ex membris dividentibus, nempe ens creatum & productum.

19. Respondeo secundò directè ad objectam paritatem, negando causalem adductam [imò quid est in Divinis esse extra sphæram virtutis productivæ, quàm non esse terminum illius virtutis? ab illa non posse produci? cujus ipsius danda est ratio?] ratio enim, cur natura Divina non producatur, est, quòd principium producens principaliter respicit formam pro termino assimilationis seu communicationis, esse verò personale pro termino productionis. Cùm ergo in Divinis ob infinitatem absolutæ perfectionis forma seu natura aliter quàm per identitatem communicari non possit, ideo natura non producitur, sed identicè communicatur, hypostasis verò, in quâ oppositio relativa reperitur, illa producitur. Quæ cùm in nullo creato, minùs in peccato reperiantur, ruit totum fundamentum illius gigantex paritatis.

Colliges secundò. Formalem malitiam peccati omissionis non posse consistere in positivo. 20 Sequitur ex dictis: nam malitia omissionis vel nullum, vel non nisi remotè & indirectè requirit aliquem actum indeterminatum, qui saltem per accidens sit causa vel occasio omissionis; si ergo formalis malitia peccati commissionis, quod tamen per se & directè pro suo substrato requirit aliquem actum positivum determinatum, consistit in privativo, multò magis malitia peccati omissionis consistet in illo, & quidem non solùm in privatione rectitudinis, sed in privatione ipsius actûs præcepti.

Dices primò. Etiam malitia peccati omissionis est aliqua species moralitatis; sed species moralitatis est quid positivum: ergo. Secundò. Liberum & voluntarium sunt denominationes & formalitates positivæ: atqui peccatum omissionis est liberum & voluntarium: ergo.

Respond. ad primum. est aliqua species moralitatis indirectè, & reductivè, concedo; per se directè, nego: sed species moralitatis directa per se est quid positivum saltem ratione sui substrati, concedo; indirecta, nego minorem & consequentiam.

Ad secundum quoque dist. maj. Liberum & voluntarium directum sunt denominationes positivæ concedo; liberum indirectum, nego: atqui malitia tam in peccato omissionis, quàm commissionis est solummodò libera indirecta; siquidem nemo intendens malum operatur, cum hâc tamen distinctione, quòd in peccato commissionis habeat de substrato actum directè liberum voluntarium, quem non requirit in peccato omissionis.

ARTICULUS IV.

Fundamenta & Rationes pro positivo peccati diluuntur.

SUMMARIA.

1. *Primum fundamentum Adversar. à prioritate positiva tendentiæ.*
2. *Responsio de malitia fundamentali*
3. *Impugnatur.*
4. *Negatur fundamentalis malitia & prioritas positiva tendentiæ.*
5. *Altera Objectio Philosophica*
6. *Retorquetur.*
7. *Solvitur.*
8. *Bonitas & malitia formalis sumpta concretè dividunt genus moralitatis.*
9. *Tertia objectio ex contrarietate cum lege*
10. *Retorquetur.*
11. *Solvitur.*
12. *Quarta objectio ex contrarietate boni & mali*
13. *Solvitur.*

§. I.

Prima fundamentalis ratio expenditur.

1. Potissimum contrariæ sententiæ fundamentum est primò. Priùs concipitur actus formaliter malus, quàm privatus debitâ rectitudine; ergo formalis malitia non consistit in hac privatione. Anteced. probatur: Pro illo signo & instanti rationis actus concipitur formaliter malus, pro quo concipitur difformis rectæ rationi: sed pro signo antecedente privationem debitæ rectitudinis actus jam concipitur difformis rectæ rationi: ergo. Minor iterum probatur; In quo signo actus concipitur tendere in objectum dissonum rectæ rationi, in illo signo concipitur difformis rectæ rationi: sed in signo antecedente privationem concipitur actus tendere in objectum dissonum rectæ rationi; quamprimùm enim actus concipitur exire à voluntate cum advertentiâ inhonestatis objectivæ, jam hoc ipso concipitur tendere in objectum dissonum rectæ rationi: ergo.

2. Respondeo neg. antecedens. Ad cujus probationem plerique respondent, posse quidem in signo antecedente privationem concipi tendentiam actûs in objectum dissonum rectæ rationi, sed tunc concipi malum & difformem rectæ rationi, non formaliter, sed fundamentaliter.

Verùm

3. Verùm hæc responsio varias patitur difficultates. Contrà enim est primò. Pro quo signo rationis concipitur actus tendere in objectum consentaneum rectæ rationi, pro eodem signo secundùm Adversarios est formaliter bonus: ergo etiam pro quo signo actus concipitur tendere in objectum dissentaneum rectæ rationi, est formaliter malus & difformis rectæ rationi.

Contrà est secundò. Pro illo signo tendentiæ in objectum dissonum rectæ rationi actus est in certa specie morali constitutus, v. g. voluntas furandi, pro quo signo tendit in acceptionem rei alienæ lege & ratione prohibitam, jam est in specie injustitiæ constituta: ergo etiam est constituta in specie subalterna mali moralis, cùm sit impossibile, aliquid esse in specie infima constitutum, priusquam sit in specie subalterna, e. g implicat aliquam substantiam esse hominem, priusquam sit in gradu animalis constituta.

Contrà est tertiò. Vel DEUS est causa istius fundamentalis malitiæ, consistentis in positiva tendentia, vel non est. Non primum: tum quia sic DEUS esset saltem mediata causa formalis peccati; qui enim est causa causæ, etiam est causa causati, unde etiam DEUS non potest esse causa habitûs vitiosi: tum quia illa tendentia non aliâ ratione esset fundamentum malitiæ, nisi quatenus à voluntate deficiente procedens: sed comparativè ad DEUM non est ut à principio deficiente: ergo fundamentalis malitiæ DEUS author esse non potest. Non etiam secundum dici potest: quia si datur fundamentalis malitia in positivo consistens, quæ tamen formaliter explicitè non sit à DEO, tunc falsum est illud principium, in quo fundamur, quòd nempe omnis entitas positiva etiam secundùm explicitas formalitates sibi identificatas sit à DEO, & eodem jure licebit dicere, formalem malitiam, tametsi consistat in positiva tendentia, secundùm explicatam tamen rationem malitiæ quatenus connotantis principium deficiens, sic non esse à DEO.

4. Relictâ igitur hâc responsione, nego min. tam argumenti quàm probationis. Et dico cum Philippo à SS. Trin. disp. 6. dub. 3. ad 2. quòd in eodem signo, in quo concipitur actus exire à voluntate cum sufficienti advertentia ad inhonestatem objecti, eo ipso quoque inordinatè & defectuosè exire concipiatur; siquidem exit à voluntate non tantùm ut à principio efficiente, sed etiam deficiente. Unde nego, dari aliud fundamentum aut radicem proximam malitiæ, quàm voluntatem destitutam debitâ directione rationis practicæ. Ita S. D. verbis perspicuis hîc q. 75. a. 1. *Provenit*, inquit, *defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate. Voluntas sine adhibitione regulæ rationis, vel legis divinæ est causa peccati.* Unde non debet concipi privatio rectitudinis resultare ex actu contrariante legi & rectæ rationi, sicuti concipimus relationem resultare ex fundamento, quasi actus exerceret aliquam causalitatem emanativam respectu hujus privationis, sed ipsa concomitatur actum, quem informat, in ipso suo elici.

Instabis. Ideo actus est privatus debitâ rectitudine, quia tendit in objectum dissonum rectæ rationi: ergo actus per prius tendit in objectum dissonum rationi, quàm sit privatus rectitudine.

Respond. dist. anteced. ideo est privatus rectitudine, quia tendit in objectum tendentiâ defectuosâ includente privationem rectitudinis, concedo; tendentiâ præscindente ab illa, sic nego anteced. & consequent. nam ly *ideo* non semper significat consequentiam causalitatis, sed aliquando tantùm illationis. Ut si dicas: *Leo ideo est animal, quia est brutum*; *sum rationalis, quia sum homo.* Nam & ratio bruti animalitatem, & humanitas rationalitatem includit. Pari sensu dicitur, actus est privatus debitâ rectitudine, quia tendit &c. tendentiâ nimirum includente, non causante irrectitudinem privativam.

Si dicas. Actus bonus per suam positivam tendentia est rectus & bene ordinatus: ergo actus malus moraliter per suam positivam tendentiam est irrectus, & inordinatus. Respond. negando consequentiam: quia esse rectum & commensuratum, ceu prædicatum positivum & respectivum, bene potest convenire positivæ tendentiæ; at irrectitudo & inordinatio cùm sit prædicatum privativum [utpote formaliter exclusiva debiti ordinis, & inflectibilis à DEO] non potest idem esse cum tendentia positiva secundùm dicta.

§. II.

Aliæ objectiones solvuntur.

Ratio secunda Philosophica est: Quicquid dicitur de genere, id dicitur de qualibet specie contentam sub illo; sic quia de animali prædicatur esse sensitivum, prædicatur etiam de qualibet specie animalis: sed de moralitate ipsi diximus illam consistere in positivâ habitudine ad objectum: ergo idem dicendum de speciebus moralitatis. Atqui immediatæ species moralitatis sunt bonitas & malitia moralis, & quidem non materialiter sed formaliter sumptæ: ergo non solùm bonitas, sed etiam malitia moralis formalis consistit in positivo. 5.

Respond. primò retorquendo argumentum ad hominem: quicquid dicitur de genere, dicitur de quolibet contento sub illo: sed de malo absolutè in genere affirmatur quòd sit privativum: ergo etiam affirmandum est de quolibet contento sub genere mali. Atqui peccatum ceu malum morale est aliqua species contenta sub malo ut sic: ergo est quid privativum. Negant quidem Salmanticenses disp. 6. dub. 4 §. 7. dari communem rationem mali, in qua omnia mala conveniant. Ratio, addunt, perspicua est; quia positivo & privationi nihil potest esse commune. 6.

Sed quid si & nos diceremus, non dari communem rationem moralitatis respectu bonitatis & malitiæ formalis, sed [ut plures loquuntur] tantùm respectu bonitatis & malitiæ fundamentalis, hâc ipsâ de causâ, quia positivo & privativo nihil potest esse commune. Nunquid dicerent, responderi per id quod est in quæstione, nempe an constitutivum formalis malitiæ sit aliquid privativum? Quod igitur ipsi nobis, hoc & nos ipsis in eodem loquendi modo solvendum reponimus.

Respondeo secundò concedendo totum. Subsumptum distinguo, sed malitia moralis concretè sumpta

sumpta est species moralitatis, concedo ; abstractè, nego subsumptum : & pariter distincto consequente, nego consequentiam. Itaque sic res est intelligenda : moralitas generica est habitudo ad objectum substans regulis morum, quæ adhuc præscindit an illa habitudo habeat conformitatem vel difformitatem cum regulis morum. Species hujus generis divisivæ sunt bonitas moralis concretè sumpta, h. e. habitudo habens conformitatem cum regulis morum ; & similiter malitia moralis concretè sumpta, h. e. habitudo actûs habens difformitatem cum regulis morum, quam dicimus esse deordinationem privativam & carentiam debitæ rectitudinis. Atque ita etiam malitia moralis est quid positivum non adæquatè & ex parte malitiæ formalis abstractè & divisim sumptæ ab ipsa habitudine, sed inadæquatè ex parte habitudinis, quæ formali malitiæ per modum partis genericæ & materialis substernitur. Sic etiam quælibet species animalis est & dicitur sensitiva, non ratione gradûs specifici superadditi v. g. rationalitatis, sed ratione gradûs generici & materialis, nempe animalitatis.

8. Porrò id, quod additur in objectione : species divisivæ moralitatis in genere sunt bonitas & malitia *formalis*, rursus distinguo : in hoc sensu, quòd sint bonitas & malitia *formalis* abstractè, & præcisè ab habitudine actûs, sic nego; concretè sumptæ, hoc est ut receptæ in ipsa habitudine actûs, sic concedo. Nam species moralitatis non sunt nisi quatenus voluntariæ, voluntariæ autem sunt propter actum & liberam tendentiam voluntatis: quo stante habitudo & tendentia adhuc se habent tanquam materiale respectu malitiæ formalis ut sic, quia est receptivum, & substratum ipsius.

9. Ratio tertia opponitur : In illo formaliter consistit malitia peccati, in quo peccatum legi & præcepto contrariatur : siquidem peccatum definitur per oppositionem ad legem : sed aliquando peccata contrariantur legi in aliquo prohibito : ergo etiam eorundum malitia formaliter consistit in positivo. Minor probatur : Peccata intrinsecè mala, ut v. g mendacium opponuntur præcepto negativo non mentiendi : sed huic opponuntur per aliquid positivum : ergo. Min. probatur : Objectum hujus præcepti non mentiendi est negatio mentiendi : sed negationi mentiendi opponitur actus positivus mendacii, non enim negatio per negationem tollitur : ergo oppositio cum præcepto non mentiendi fit in aliquo positivo.

10. Respond. primò. Hoc argumentum facilè retorqueri posse in Adversarios : hinc enim sequitur honestatem moralem consistere in privativo, vel negativo ; siquidem illud, cui peccatum opponitur & quod lege præcipitur, est honestum: atqui negatio mendacii opponitur mendacio, & præcipitur lege non mentiendi : ergo. Atqui consequens pugnat contra Adversarios, qui & ipsi admittunt, ad honestatem exercitii voluntarii requiri directam motionem honestatis objectivæ, prout in priori Tract. ostendimus.

11. Respondeo secundò. dist. maj. In illo formaliter consistit malitia peccati, in quo peccatum legi contrariatur, quoad honestatem præceptam, concedo ; quoad materiam præceptam, nego. Sed peccata intrinsecè mala contrariantur legi negativæ in positivo, quoad rem, hoc est negationem præceptam, concedo; quoad honestatem præceptam, nego minorem & consequentiam. Similiter distinguo probationem : Præceptum non mentiendi habet pro objecto negationem mendacii, quoad meteriam & rem præceptam concedo; quoad honestatem, nego: ergo oppositio cum præcepto non mentiendi fit in aliquo positivo, quantum ad oppositionem cum materia & re præcepta, concedo ; cum honestate præcepta, nego consequentiam. Ad alteram probationem, quod negationi non opponatur negatio, distinguo maj. negationi ut negatio est, concedo; ut substat honestati virtutis & est voluntaria, nego.

Sensus & ratio distinctionis est ; quòd equidem præcepta negativa pro materia præcepta connotent negationem, pro fine tamen intrinseco & formali respiciant honestatem determinatæ virtutis, ad quam pertinent. Unde voluntas materialiter quidem conformatur ejusmodi præceptis, per negationem seu omissionem actûs prohibiti, quo modo etiam dormientes & amentes dici possunt servare talia præcepta ; ut autem voluntas dicatur formaliter moraliter conformari & habere rectitudinem præcepti, oportet ut etiam conformetur quoad honestatem præcepto intentam, quod nunquam contingit absque intentione & actu voluntatis. Cùm igitur aliquis per actum intrinsecè malum transgreditur præceptum negativum, actus ipse ex parte suæ positivæ tendentiæ opponitur materiæ præceptæ, e. g. mendacium negationi ipsius : ex parte verò honestatis & rectitudinis moralis opponitur per privativam negligentiam & defectum tum rationis tum voluntatis, non conformantis se honestati & rectitudini præcepti per rationem practicam repræsentatæ.

Quarta ratio Philosophica solvenda superest: 12. Extrema contrariè opposita consistunt in positivo : sed bonum & malum morale contrariè opponuntur secundùm Philosophum 2. Eth. c. 7. & 8. idque propriè dictâ contrarietate, quia dicit *bonum & malum, studiosum & vitiosum, justitiam & injustitiam* opponi sicut *album & nigrum, dulce & amarum*, &c. unde & Doctor Angelicus inter virtutem & vitium, quod ex actibus peccaminosis generatur, agnoscit strictè & propriè dictam contrarietatem.

Respondeo eâdem distinctione, ut primò : opponuntur contrariè & quidem contrarietate propriè & strictè sumptâ bonum & malum morale, virtus & vitium, sumpta concretè, concedo ; abstractè & quoad ipsam formalem rationem malitiæ aut vitiositatis, sic nego: ita enim opponuntur contrarietate solùm latè acceptâ, hoc est privativâ sicuti prima contraria. Quam esse genuinam mentem D. Thomæ ostendunt testimonia ipsius in præcedentibus accumulata. 13.

Ex dictis constare potest, sententiam, quæ formalem malitiam peccati in privatione debitæ rectitudinis constituit, esse oppositâ sententiâ tam intrinsecè quàm extrinsecè probabiliorem. Extrinsecè, quia conformior dictis Concill, SS. Script. & PP.

& PP. & D.Th. quorum teſtimonia perquam difficili extricatione ſolvunt Defenſores poſitivæ malitiæ. Intrinſecè; quia procedit potiſſimùm ex fundamento Theologico ſanctitatis Divinæ; cùm ſententia oppoſita fermè nitatur philoſophicis rationibus, quæ non admodum difficilem habent ſolutionem.

DISPUTATIO XVIII.

DE Peccato omiſſionis.

QUamvìs ſecundùm dicta in Tract. IV. probabiliter dari poſſit pura omiſſio peccaminoſa, ſine omni actu, ferè ſemper tamen aliquis actus non tantùm internus, ſed etiam externus cum omiſſione connectitur. Quæ connexio poteſt eſſe vel cauſalis, ſi nempe actus per modum cauſæ, motivi, vel occaſionis influat in omiſſionem, ut ſi ludendi gratiâ omittas Sacrum præceptum audire . vel concomitans, ſi nimirum omiſſio ex alio capite ſequeretur, quamvìs ille actus nullo modo conjungeretur omiſſioni, ut ſi tædio pluviæ tempeſtatis decreviſti manere domi, quo tempore urget præceptum adeundi Eccleſiam: & tamen, ne ſis otioſus, eodem tempore ſtudes. Igitur poſt examinatam malitiam in peccato commiſſionis, nunc de malitia tam omiſſionis, quàm actûs cum illa conjuncti diſputamus, quam pariter in privativo conſiſtere, & eſſe inordinatam omiſſionem actûs præcepti, jam in priori Diſputatione deductum ſupponimus.

ARTICULUS I.

An, & quale peccatum ſit actus Omiſſioni culpabili conjunctus?

SUMMARIA.

1. *Omiſſio vitiat actum, qui eſt cauſa, vel Occaſio illius.*
2. *Actus tantùm concomitanter conjunctus omiſſioni, per illam non vitatur.*
3. *Exponitur Authoritas S. Doctoris.*
4. *Quomodo actus omiſſioni concomitanter junctus, fiat tempore indebito?*
5. *Actus tantùm concomitans omiſſionem, eſt impedimentum naturale, non morale actûs præcepti.*
6. *Actus cauſans omiſſionem culpabilem, per ſe contrahit ſolius omiſſionis malitiam.*
7. 8. *Solvuntur objectiones.*
9. *Quando nam in confeſſione debeat exprimi actus omiſſioni conjunctus?*
10. *Aliquando ſomnus conjunctus omiſſioni culpabili non eſt peccaminoſus.*
11. *Diſtractio bonorum, quæ ſunt obnoxia reſtitutioni, eſt ſpeciale peccatum.*
12. *Poteſt eſſe obligatio ſtudendi, tempore quo urget præceptum audiendi Sacrum.*

§. I.

Negatur malitia actûs concomitantis, tametſi incompoſſibilis.

1. CErtum eſt, ſi actus, omiſſioni culpabili conjunctus, ſit cauſa vel occaſio illius, vitiari per malitiam omiſſionis, tametſi foret ex objecto bonus, vel indifferens, uti ſtudium, converſatio &c. Cujus ratio eſt, quia quod aſſumitur à voluntate tanquam formalis vel virtualis cauſa peccati, eſt moraliter malum: ſed, quando actus eſt cauſa vel occaſio omiſſionis culpabilis, hoc fit: ergo. Unde eodem præcepto, quo obligamur ponere actum, etiam jubemur removere cauſas, è quibus prævidemus ſecuturam omiſſionem actûs, niſi moralis difficultas & impoſſibilitas excuſet.

Quæritur ergo de actu ſolùm concomitanter conjuncto, quamvis aliàs incompoſſibili cum actu præcepto, ut eſt v. g. luſus tempore audiendi Sacrum, utrùm per conjunctionem cum omiſſione actûs præcepti malitiam contrahat, præſertim ſi ſit actus ex ſua ſpecie vel objecto honeſtus, ut eſt ſtudium; nam ſi ſit actus malus, e. g. furtum, habere propriam ſpeciem malitiæ in comperto eſt.

Affirmativam tuentur Valentia, Lorca, Granado; negativam Alvarez, Cornejo, de la Serra, Suarez, quos citat & ſequitur Godoyus hic diſp. 22. §. 1.

CONCLUSIO PRIMA. *Actus omiſſioni culpabili tantùm concomitanter conjunctus, & ſupponens firmam omittendi voluntatem, nullam exinde malitiam per ſe contrahit.* Ita Auth. cit. 2.

Ratio eſt: quia non aliâ de cauſâ actus conjunctus omiſſioni culpabili malitiam contrahit, niſi quia per modum cauſæ formalis aut virtualis in illam influit: ſed actus qui merè concomitanter ſe habet, neque eſt cauſa formalis neque virtualis reſpectu omiſſionis, ſiquidem illa ſequitur vi alterius cauſæ & voluntatis præſuppoſitæ,& ſequeretur, quantumvis ille actus, ſtudii v. g., non poneretur: ergo nullam contrahit malitiam.

Confirmatur. Si actus omiſſioni culpabili tantùm

tantùm concomitanter conjunctus contraheret malitiam, tunc, qui omittit sacrum, meliùs ageret tum abstinendo ab omni opere bono, quàm aliquid boni faciendo: imò peccaret tunc aliquid orando, vel legendo: sed consequens est absurdum: ergo.

3. Objicies primò. S. D. q. 2. de malo a. 1. ad 7. inquit: *Hoc ipsum, quod est laudare DEUM ore, potest malè fieri, si hoc fiat quando non debet, quando scilicet homo alia facere tenetur.*

Respondeo, S. Doctorem ibidem loqui de oratione vocali, quatenus est causa, vel occasio omittendi rem præceptam, ut si Parochus velit vacare orationi potiùs, quàm administrare Sacramentum, tempore, quo tenetur.

4. Objicies secundò. Opus, quod fit tempore indebito, est malum: sed studium, quod fit tempore audiendi Sacrum, quamvis concomitanter tantùm, fit tamen tempore indebito: ergo est malum. Major patet: quia inter circumstantias actûs humani est etiam circumstantia temporis; unde hâc vitiatâ, etiam actus vitiatur.

Respondeo distinguendo majorem. Quod fit tempore privativè indebito, h. e. prohibito, est malum, concedo majorem; quod fit tempore solùm negativè indebito, h. e. non quidem præcepto, sed neque prohibito, est malum, nego majorem. Sed studium tempore audiendi Sacrum fit tempore negativè indebito concedo; privativè indebito, nego min. & consequentiam. Nam illi, qui studet, tempore quo ex alia causa omittit Sacrum, studium pro tunc non est prohibitum: vel enim esset prohibitum ratione sui, vel ratione omissionis tanquam causa ipsius: non ratione sui, cùm ex objecto sit opus honestum; non ut causa omissionis, cùm supponatur omissioni tantùm concomitanter & per accidens conjungi.

5. Objicies tertiò. Præcepto audiendi Sacrum v. g. prohibetur illud omne, quod impedit auditionem Sacri, estque incompossibile cum illo: sed studere impedit auditionem Sacri, estque cum illo incompossibile: ergo studium prohibetur præcepto audiendi Sacrum, & consequenter qui studet tempore Sacri, agit contra præceptum audiendi Sacrum.

Respondeo distinguendo majorem. Prohibetur illud omne quod impedit auditionem Sacri formaliter & moraliter, concedo maj. quod impedit materialiter & physicè, nego maj. sed studere impedit auditionem Sacri materialiter & physicè seu incompossibilitate materiali & physicâ concedo; incompossibilitate formali & morali, nego min & consequentiam. Sensus est, quòd ille actus studii non ex vi voluntatis connectentis inferat omissionem Sacri, adeòque non moraliter & formaliter, sed tantùm propter naturalem impossibilitatem simul studendi & audiendi Sacrum.

Unde si dicas: Posito actu studii, necessariò sequitur omissio Sacri: ergo studium est causa hujus omissionis. Respond. vel negando consequentiam, vel dist. anteced. Sequitur ex vi alterius causæ, concedo; sequitur & ex vi ipsius studii, nego, vel subdistinguo anteced. physicè & materialiter loquendo, concedo; formaliter & moraliter nego anteced. & consequentiam.

§. II.

Qualis sit malitia in actu causante omissionem?

CONCLUSIO secunda. *Actus conjunctus* 6. *cum omissione culpabili per modum causæ, vel occasionis, si ex se sit bonus, vel indifferens, non habet malitiam moralem specie distinctam à malitia omissionis, quam causat.* Ita commun.

Ratio est: Ubi non est nova & distincta oppositio cum aliqua virtute & præcepto, ibi non est nova, & distincta malitia: sed in actu bono vel indifferente ex objecto, v. g. studio causante omissionem Sacri præcepti, non reperitur alia nova & distincta oppositio cum aliquo præcepto, vel virtute, quàm quæ reperitur in ipsa omissione: ergo neque ibidem reperitur distincta malitia. Min. probatur: quia, qui propter studium omittit Sacrum, non peccat contra aliam virtutem & præceptum, quàm religionis, cum quo ipsa omissio habet oppositionem, nec magìs peccat, quàm si merè otiosus illud omitteret. Unde secundùm fidelium praxin nemo se in confessione solet accusare, an ex affectu studii, lusûs, vel otii Sacrum omiserit, quod tamen utique faciendum foret, si illi actus distinctam malitiam haberent à malitia omissionis.

Objicies primò. Actus, qui provenit ex inordinato affectu, est malus: sed actus studii impediens auditionem Sacri provenit ex inordinato affectu erga studia: ergo est malus. Respond. disting. min. actus studii provenit ex inordinato affectu erga studia, inordinatione oppositâ virtuti religionis, concedo; oppositâ virtuti studiositatis, nego: neque enim actus studii propterea est malus, quòd sit defectuosus circa propriam materiam & objectum studiositatis prohibentis excessum aut defectum in studio, sed quia est defectuosus circa objectum & præceptum Religionis, quæ sicuti præcipit auditionem Sacri, ita prohibet actum impeditivum auditionis Sacri. 7.

Dices: Actus carens rectitudine ipsius studiositatis, habet malitiam & deordinationem tenentem se intra objectum & materiam studiositatis: sed studium causans omissionem Sacri, caret rectitudine ipsius studiositatis: ergo in se habet deordinationem tenentem se intra materiam studiositatis, eique oppositam. Major sequitur è nostris principiis; siquidem peccatum formaliter constituimus in privatione debitæ rectitudinis: ergo actus carens debitâ rectitudine studiositatis habet formalem malitiam oppositam virtuti studiositatis. Minor verò constat ex dictis in Tract. de act. hum. Ubi negavimus, eundem actum simul posse esse bonum, & malum: Atqui si studium simul haberet rectitudinem studiositatis, & simul malitiam omissionis, idem actus esset bonus & malus: ergo.

Respondeo. Actus carens rectitudine studiositatis ex directâ oppositione cum virtute studiositatis habet malitiam se tenentem intra materiam studiositatis, concedo; carens hâc rectitudine ex indirectâ oppositione cum virtute & præcepto religionis, nego maj. & sic distinctâ min. nego consequentiam.

Instabis. Ille actus studii caret debitâ circumstantiâ

stantiâ temporis: ergo adhuc est contra virtutem studiositatis. Respondeo. Caret debitâ circumstantiâ, carentiâ ortâ ab extrinseco, & ex motivo religionis, concedo ; carentiâ ortâ ab intrinseco & ex motivo studiositatis, nego anteced. & consequent.

8. Objicies secundò. Peccatum commissionis habet distinctam malitiam à peccato omissionis: sed studium, quo causatur omissio Sacri, est peccatum commissionis : ergo. Minor probatur: peccatum, quod opponitur præcepto negativo, est peccatum commissionis : sed studium prædictum opponitur præcepto negativo non impediendi auditionem Sacri : ergo.

Resp. vel negando, vel gratìs dist. maj. peccatum commissionis, in quo Tò *commissio* formaliter & moraliter accipitur, habet distinctam malitiam, transeat ; in quo Tò commissio solùm materialiter & physicè sumitur, nego : sed studium est peccatum commissionis Tò commissio solùm accipiendo materialiter & physicè concedo; moraliter & formaliter, nego min. & consequentiam. Et ad probationem dist. maj. Peccatum, quod opponitur præcepto negativo formaliter & explicitè tali, concedo ; præcepto negativo, quod implicitè includitur in affirmativo, & respicit motivum ejusdem virtutis, nego. Sed studium opponitur præcepto negativo non impediendi auditionem Sacri, ita ut hoc ipsum sit inclusum in affirmativo præcepto audiendi Sacrum, sitque proinde virtualiter affirmativum [nam hoc ipso quòd aliquis actus præcipitur, implicitè prohibentur impedimenta ipsius] concedo ; ita ut sit explicitè & formaliter tale, nempe ex speciali motivo distinctæ virtutis, nego minorem & consequentiam.

§. III.

Corollaria.

9. Colliges ex dictis primò. Per se loquendo, nullam esse obligationem, in confessione exprimendi actum, qui est causa omissionis culpabilis, quia nullum constituit peccatum specie, vel numero distinctum à peccato omissionis : sicuti propterea neque actus externus nec internus sunt specialiter & distinctè exprimendi. Dixi tamen *per se loquendo.* Nam per accidens esse potest obligatio *primò*: quando actus est ex objecto malus, ut si causâ furandi Sacrum omittitur. *Secundò* : si affectus ad actum, v.g. ad venandum est tantus, ut ejus causa sis paratus quamlibet DEI legem transgredi ; talis quippe affectus habet specialem repugnantiam cum virtute charitatis. *Tertiò* : Cùm voluntati omittendi aliquod præceptum, ipsa externa omissio non adæquatur : nam tunc voluntas sæpius omittendi est specialiter exprimenda, eò quod diversitas objecti aliam numero malitiam refundat in voluntatem omittendi, quàm reperiatur in ipsa externa omissione. Ita si habuisti voluntatem totâ septimanâ omittendi Breviarium, & unâ tantùm die omisisti, debes utramque specialiter exprimere : sicuti qui habuisset propositum totâ Quadragesimâ comedendi carnes, & tantùm primâ Septimanâ comedisset, propter numericam diversitatem malitiæ actûs interni & externi deberet utrumque distinctè exprimere. *Quartò* : Si actus omissioni conjunctus auferat potentiam etiam in posterum implendi præceptum, propter quam impotentiam actûs novam inducit malitiam : ut si nolens restituere rem alienam, illam hoc animo dilapidas ; si, ne debeas in longa navigatione orare Breviarium, illud in aquam projicis. Dixi, *in posterum* ; nam actus, qui observantiam præcepti tantùm facit impossibilem de præsenti, exinde nullam specialem malitiam contrahit, cùm non sit verisimile, quòd pro tali tempore homo sit mutaturus suam voluntatem.

Colliges secundò. Illum, qui cum firma vo- 10. luntate non audiendi Sacrum somno se daret paulò ante horam duodecimam, quâ instat præceptum illud audiendi, non peccaturum capiendo somnum : quia non est verisimile, intra tam modicum tempus mutare velle suum propositum. Ita Godoyus cum Suarez sect. 3.

Colliges tertiò. Si quis, obligatus ad resti- 11. tuenda aliqua bona, datâ operâ illa distrahat, ne possit restituere, peccare per illam distractionem, quia reddit se impotentem ad præceptum actum restituendi.

Colliges quartò. Si quis haberet votum stu- 12. dendi eo tempore, quo domi non est occupatus, obligari ad studium, quando ex alio fine omittit audire Sacrum & domi remanet : quia supponitur possibilis & honesta actio studii, quæ ex omissione Sacri hîc & nunc per accidens conjuncta non vitiatur.

ARTICULUS II.

Quodnam fiat externum peccatum omissionis.

SUMMARIA.

1. *Externa omissio præcepti est culpabilis, manente potentiâ desistendi ab actu impeditivo.*
2. *Non est peccatum post retractatam voluntatem, quâ ponitur impotentia implendi præceptum.*
3. *Est peccatum, si voluntas non sit retractata non obstante impotentiâ servandi præceptum.*
4. *Authoritas S. D.*
5. *Ratio triplex.*
6. *Exponitur Clement. si furiosus.*
7. *Quomodo omissio in se sit libera & peccaminosa?*
8. *Solvuntur instantiæ quædam & paritates morales.*
9. *Cur ad meritum non sufficiat indirecta libertas?*
10. *Per omissionem completur voluntarium.*
11. *Idem sentiendum de effectibus voluntariis in causa.*

§. I.

1. Quæritur non de internâ voluntate omittendi, sed de ipsa omissione externa, quæ est ef-

fectus & complementum voluntatis internæ. De qua

Suppono primò. Peccari externo peccato omissionis, quo tempore urget obligatio præcepti, & non impletur, si post causam omissionis liberè positam adhuc est in parte omittentis, ut posset ab actu impeditivo operis præcepti desistere, & implere præceptum. Veluti cùm quis tempore audiendi Sacrum dat operam ludo, venationi, &c.

2. Suppono Secundò. Non peccari externo peccato omissionis, sed solâ internâ voluntate omittendi, quando prima voluntas omittendi fuit seriò retractata, & non est amplius in parte omittentis omissionem impedire. Ita si quis Clericus ex voluntate non recitandi Breviarium in itinere nautico Breviarium in aquas projecerit, & postea seriò doleat de tali projectione, sequens omissio Breviarii non ampliùs ipsi imputatur in culpam; siquidem per retractationem primæ voluntatis abrumpitur moralis influxus voluntatis in illam omissionem, sicque desinit esse voluntaria in causa. Unde status quæstionis est pro illo casu, quando quis liberè posuit causam omissionis, neque voluntatem omittendi retractavit, interea tamen ad implendum præceptum factus est impotens, v. g. per somnum aut ebrietatem, quâ ligatur usus rationis, utrùm peccet peccato omissionis non illo solùm tempore, quo liberè posuit causam omissionis, [de quo nullum est dubium] sed etiam quo omittit præceptum, quamvis illo tempore præceptum implere non possit?

3. CONCLUSIO. *Quando omissio externa manet voluntaria in causa, peccatur eo quoque tempore, quo fit omissio præcepti, non obstante impotentia implendi præceptum, v. g. per somnum vel ebrietatem.*

4. Authoritas D. Thomæ q. 76. a. 2. ad 3. dicentis: *Sicut in peccato transgressionis* [h. e. commissionis] *peccatum non consistit in solo actu voluntatis, sed etiam in actu volito, qui est imperatus a voluntate; ita in peccato omissionis non solùm actus voluntatis est peccatum, sed etiam ipsa omissio, in quantum est æqualiter voluntaria.* Et in 2. 2. q. 7 ;. a. 3. habet: Dicendum, *quòd omissio ei imputatur ad culpam, quando fuit tempus operandi, tamen propter causam præcedentem, ex qua omissio sequens redditur voluntaria.* Unde

5. Ratio conclusionis est primò. Ad peccatum sufficit voluntarium in causa: sed externa omissio prævisa in causa liberè posita est voluntarium in causa: ergo est peccatum. Utraque præmissa constat à paritate aliorum peccatorum: nam & homicidium in ebrietate prævisum, & pollutio in somnis causata per præcedentes impuras cogitationes sunt vera peccata.

Secundò. Qui Sacrum præceptum omittit in somno, cui se liberè tradidit, prævidens probabiliter in illo futuram omissionem Sacri, is peccat peccato externo omissionis: sed non peccat peccato formali & completo omissionis, quo tempore causam ponit, & se somno tradit; ergo illo tempore, quo Sacrum actu omittit. Major videtur certa, quia peccat contra præceptum affirmativum audiendi Sacrum, & tenetur in foro pœnitentiali se non de sola voluntate, vel posita causa omittendi, sed ipsa etiam omissione accusare, & siqua censura actuali omissioni foret annexa, haud dubie illam incurreret; sicut & Beneficiarius tali modo omittens Breviarium tenetur ad restitutionem. Minor quoque probatur: quia pro illo tempore, quo causa omissionis ponitur, potiùs peccatur contra præceptum negativum non ponendi causam omissionis, quod virtualiter includitur in præcepto positivo audiendi Sacrum. Neque propter illius causæ positionem posset in confessionali se accusare, quòd Sacrum omisisset: ergo eo tempore non peccat formali & completo peccato omissionis. Unde S. D. loc. proximè cit. *Si quis*, inquit, *per vim excitatus, & abstractus a somno compelleretur audire Sacrum, talis non peccaret peccato omissionis, ideoq; non incurreret pœnas, siqua forent imposita omittentibus.*

Ratio est tertiò. Si ipsa omissio Sacri, tempore somni liberè & cum prævisione secuturæ omissionis præsentis, non esset mala, neque voluntas omittendi esset mala: consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur primò: quia voluntas, quæ non fertur in objectum malum, non est mala: sed per Adversarios ista omissio non esset mala: ergo neque voluntas omissionis. Secundò: quia desiderare tantùm effectum alicujus peccati, non est malum; sed qui vellet omissionem Sacri præcepti causatam in somno, juxta Adversarios tantùm vellet effectum peccati: ergo illa voluntas non esset mala. Major probatur exemplis: quia licet mulieri desiderare partum prolis per adulterium conceptæ, licet etiam desiderare effectum sanitatis & nutritionis è carnibus comestis contra interdictum Ecclesiæ, quorum uterque effectus provenit ex causa peccaminosa.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. In Clement. *si furiosus.* de 6. de homicidio, dicitur, quòd homicidium factum à puero, furioso, insano, aut dormiente non inducat irregularitatem. Et de incestu à Loth Patriarcha in ebrietate commisso dicit D. Aug. l. 22. contra Faust. c. 24 *Inebriaverunt Loth filiæ ejus, & ... e nescienti miscuerunt, quapropter culpandus est Loth, non tamen quantum ille incestus, sed quantum illa meretur ebrietas* Ex quibus videtur inferri; id quod fit in somno aut ebrietate non esse peccatum, sed effectum peccati.

Respondeo, Clementinam loqui in casu homicidii non prævisi, adeòque nec in se, nec in sua causa voluntarii. Similiter Loth excusatur à peccato incestûs, siquidem iste nullo modo fuit ab ipso prævisus.

Objic. secundò. Eo modo habetur ratio peccati, quo modo habetur ratio liberi & voluntarii: sed omissio non libera est & voluntaria in se, sed in causa: ergo pariter non est peccaminosa in se, sed in sua causa. 7.

Respond. datâ, non concessâ maj. dist. min. Omissio non est libera in se, h. e. libertate immediatè accepta à voluntate, concedo; non est libera in se, h. e. libertate nec mediatè in se derivatâ, nego. ergo non est peccaminosa in se, quasi ratione peccati immediatè acceptâ concedo; nec mediatè in se receptâ, nego consequent.

Dices.

Dices. Peccatum actuale requirit voluntarium actuale: ſed illa omiſſio non eſt actu voluntaria: ergo nec eſt actuale peccatum. Reſpond. requirit voluntarium actuale, actualitate voluntarii vel formalis, vel virtualis, concedo; ſolùm formalis, nego. Illud conſiſtit in præſenti actu voluntatis; iſtud verò in permanentia actûs præteriti in aliquo ſuo effectu.

Inſtabis. Qui non habet potentiam implendi præceptum, non peccat contra præceptum; nam ad impoſſibile nemo tenetur: ſed in ſomno vel ebrietate nemo habet potentiam implendi præceptum: ergo tunc nemo peccat.

Reſpond. diſt. maj. qui non habet potentiam tam antecedentem, quàm conſequentem, non peccat, concedo; qui non habet potentiam conſequentem, nego. hæc enim cùm ſit ab ipſa voluntate cauſata, non impedit liberum voluntarium, nam *etiam te lex obligat cùm non potes, ſi per te ſtetit, quòd non potes.*

8. Objicies tertiò. Votum in ebrietate emiſſum non valet; neque formæ Sacramentorum in ſomno, vel ebrietate pronuntiatæ; tametſi quis prævideat, ſe in ſomno talia verba locuturum, vel habeat intentionem ejuſmodi verba proferendi ſupra debitam materiam, & faciendi quod facit Eccleſia: ergo neque omiſſio facta tempore ſomni vel ebrietatis imputari poteſt in peccatum.

Reſpondeo negando conſequentiam. Et ad primum diſparitas eſt, quòd votum ad ſui ſubſtantiam requirit formalem & directam voluntatem ſe obligandi, quæ non reperitur in verbis tantùm materialibus à dormiente vel ebrio prolatis: econtrà ad peccatum ſufficit voluntarium indirectum, virtuale, & in cauſa. Ad ſecundum ratio diſparitatis eſt, quòd Chriſtus ad eſſe Sacramentale elevârit verba formaliter ſignificantia, qualia non ſunt verba ab ebrio & dormiente more pſittaci prolata: item voluit, ut Miniſter in Sacramento conficiendo haberet moralem certitudinem debitæ materiæ, qualem habere non poteſt conſtitutus in tali ſtatu.

9. Dices. Ad merendum non ſufficit libertas indirecta: ergo neque ad peccandum. Reſpondeo negando conſequentiam. Diſparitatem dat S. D. hic q. 71. a. 5. ad primum dicens: *Plura requiruntur ad bonum, quam ad malum, eò quòd bonum contingit ex integra cauſa, malum verò ex ſingularibus defectibus. & ideo peccatum poteſt contingere, ſive aliquis faciat, quod non debet, ſive non faciendo, quod debet: ſed meritum non poteſt eſſe, niſi aliquis faciat voluntariè, quod debet.* Hæc S. D. Quorum ſenſus & ratio ulterior eſt: quòd honeſtas nunquam eſt voluntaria, niſi voluntas directè moveatur ab honeſtate objecti, prout in Tract. priori oſtenſum eſt, & conſequenter meritum & honeſtas non reperitur niſi in voluntario directo; at verò malitia, cùm nec ſit nec propriè poſſit eſſe directè & motivè voluntaria, cùm nemo intendens malum operetur, tantùm poſſit eſſe & ſit voluntaria terminativè: atqui voluntarium terminativum duplici modo fieri poteſt, ſive faciendo quod non debet, h. e. directè faciendo actum prohibitum, ſive non faciendo quod debet, h. e. omittendo actum præceptum, quod eſt voluntarium indirectum, & indirectè terminans voluntatem.

Colliges ex dictis primò. Omiſſionem vel effectum aliquem non ideo dici voluntarium in cauſa, quaſi tota ratio voluntarii abſolvatur in cauſa, ſed quia ipſi ratio liberi & voluntarii convenit per denominationem extrinſecam à cauſa in effectum derivata, ita ut in ipſo terminetur, ac conſummetur voluntarium. Unde etiam peccatum omiſſionis inchoativè quidem eſt in cauſa, conſummativè verò in ipſa omiſſione externa. 10.

Colliges ſecundò. Quod de omiſſione diximus, ob paritatem rationis etiam eſſe dicendum de poſitivis effectibus voluntariis in cauſa. Ideóque non ſufficit in confeſſione exponere cauſam malam, è qua ſequitur effectus malus, ſed oportet inſuper exprimere effectum, qui in illa prævíſus fuit, aut prævideri debet, e. g. non ſufficit ſe accuſare de impuris cogitationibus, quæ fuerunt cauſa turpium motuum in ſomno ſecutorum, ſed etiam oportet ipſos motus exprimere, in quibus impuritas in voluntate inchoata conſummatur. 11.

DISPUTATIO XIX.

DE

Diſtinctione peccatorum.

ad q. 72.

INſpeximus naturam peccati ſecundùm communem ipſius rationem, ut eſt in ſe ipſa, nunc ad magìs particularem & ſpecificam ipſius rationem cum S D. progredimur, & principia, unde ſpecifica peccatorum diſtinctio peti debeat, ſtatuimus. Addimus etiam ob materiæ connexionem regulas, ex quibus numerica peccatorum diſtinctio cognoſci queat, quas aliqui differunt ad Tractatum de pœnitentia.

ARTICULUS I.

Unde sumatur specifica distinctio peccatorum?

SUMMARIA.

1. *Divisio peccati in originale, personale, actuale, habituale, mortale, veniale, commissionis, omissionis.*
2. *Divisio peccati in carnalia, spiritualia, cordis, oris, & operis.*
3. *Divisio peccati in ea, quæ contra DEUM, proximum, & seipsum.*
4. *Divisio peccati in ea, quæ fiunt ex infirmitate, ignorantiâ, & malitiâ; in propria & aliena.*
5. *Distinctio specifica peccatorum sumitur ab objectis specie distinctis.*
6. *Item ex formali diversitate præceptorum.*
7. *Quid sit diversitas præceptorum ex parte rei præcepta?*
8. *Quomodo malitia privativa peccati possit specificari ab objecto.*
9. *Quo sensu lex divina & humana sint specie diversæ?*
10. *Peccata omissionis indirectè accipiunt speciem ab objectis.*
11. *Diversæ species peccatorum reperiri possunt in eodem physicè actu.*
12. *Divisio peccati in mortale & veniale non semper est essentialis.*
13. *Peccata commissionis & omissionis in genere moris non semper essentialiter distinguuntur.*
14. *Cur Sacrum contemnere, & omittere sint peccata specie distincta.*
15. *Peccata per excessum & defectum opposita specie distinguuntur.*
16. *Divisio in peccata spiritualia & carnalia est adæquata & essentialis.*
17. *Circumstantiæ mutantes speciem transeunt in conditionem objecti.*

§. I.

Variæ divisiones peccatorum.

1\. JUxta varias comparationes peccatorum ad objectum, principium, subjectum, circumstantias &c. diversæ quoque sunt peccatorum divisiones.

Dividitur ergo primò in peccatum *originale*, & *personale*. Illud est, quod per originem, seu generationem ab Adamo in posteros transfunditur: istud, quod propriâ peccantis voluntate committitur. Secundò in *actuale*, & *habituale*. Illud est actus malus difformis regulis morum; istud est macula, quæ à peccato præterito in anima relinquitur. Tertiò in *mortale*, & *veniale*. Illud est & dicitur, quod animæ mortem infert privando ipsam gratiâ & charitate, & inducendo reatum pœnæ æternæ: istud est, quod tantùm diminuit fervorem charitatis, & solùm inducit reatum pœnæ temporalis. Quartò in peccatum omissionis, & commissionis, de quibus suprà.

2\. Quintò in peccata carnalia, & spiritualia. Carnalia sunt, quæ in delectatione carnali perficiuntur, ut gula, & luxuria. Spiritualia, quæ perficiuntur in delectatione spirituali, h. e mentali; quamvis etiam versentur circa aliquod objectum corporeum, & materiale, ut superbia, invidia, avaritia &c. Sextò in peccata cordis, oris, & operis, juxta varios gradus, quibus ad sui consummationem peccata ascendunt: nam primò peccatum concipitur cogitatione, deinde manifestatur locutione, tandem completur opere.

Septimò dividitur in peccata contra DEUM, proximum, & seipsum: nam licèt generaliter loquendo omnia peccata partim sint contra DEUM, in quantum sunt transgressiones legis æternæ, partim contra nosipsos, in quantum nobis nocent, speciali tamen ratione, petitâ ex formalibus objectis & motivis illarum virtutum, quibus peccata opponuntur, illa dicunrur peccata contra DEUM, quæ contrariantur illis virtutibus, quibus rectè disponimur in ordine ad DEUM per nostras actiones attingendum: qualia peccata sunt blasphemiæ, impœnitentiæ, desperationis, &c. quæ adversantur virtutibus Theologicis, item pœnitentiæ & religionis. Illa dicuntur peccata contra proximum, quæ opponuntur iis virtutibus, quibus rectè disponimur in ordine ad proximum, qualia peccata sunt homicidium, furtum, &c. quæ pugnant contra justitiam & partes ipsius. Tandem illa peccata dicuntur contra nosipsos, quæ adversantur illis virtutibus, per quas in moderandis nostris passionibus nos rectè habemus erga nosipsos, & ejusmodi peccata sunt Luxuriæ, gulæ, timiditatis, &c. quæ sunt contra temperantiam, fortitudinem, &c. 3.

Octavò dividitur in peccatum ex *infirmitate*, *ignorantia*, & *malitia*. Primi generis sunt, quæ oriuntur ex gravi tentatione, & motione appetitûs sensitivi tum irascibilis, tum concupiscibilis. Secundi generis, quæ ex ignorantia culpabili, vel vincibili ortum trahunt. Tertii generis; quæ vel ex sola malitiosa determinatione voluntatis, nullâ passione, vel ignorantiâ præventæ committuntur. Tandem dividuntur peccata in propria, & aliena. Illa sunt actus ipsius peccantis; ista, quæ licèt sint actus alterius suppositi, nobis tamen imputantur ratione consilii, suasionis, convenientiæ, &c. Ex his præmissis divisionibus cùm certum sit, aliquas tantùm esse accidentales, Quæritur, unde nam desumenda & agnoscenda sit specifica distinctio peccatorum? 4.

§. II.

Regulæ distinctionis specificæ.

CONCLUSIO PRIMA. *Peccata sumunt specificam distinctionem ab objectis specie distinctis, quæ respiciunt.* S. D. q. 72. a. 1. 5.

Ratio est primò. Inde peccata sumunt specificam distinctionem, unde accipiunt speciem: sed hanc accipiunt ab objecto: ergo. Minor probatur. Actus humanus sumit speciem ab objecto, veluti ex priori Tract. suppono: sed peccatum est actus humanus: ergo.

Ratio est secundò. Species actûs humani & voluntarii magis accipitur ex eo, quod per se, quàm

quàm quod per accidens à voluntate intenditur: sed quod à voluntate per se intenditur, non est inordinatio, & aversio, quæ non nisi indirectè, & per accidens intendi potest; ipsa verò conversio & tendentia in objectum per se intenditur: ergo specificatio peccati magis debet accipi ex objecto, & habitudine ad illud, quàm ex inordinatione, quæ vel in objecto, vel in actu reperitur.

6. CONCLUSIO SECUNDA. *Diversitas formalis peccatorum etiam cognoscitur ex diversitate præceptorum, si sint diversa ex parte rei præcepta, non verò, si tantùm sint diversa ex parte præcipientis.* S. D. a. 2.

7. Notandum. Tunc præcepta esse diversa ex parte rei præceptæ, quando præcipiuntur actus ad diversa virtutum motiva pertinentes; ita præceptum jejunandi, & Sacrum audiendi die festivo sunt diversa ex parte rei præcepta, quia prius pertinet ad motivum temperantiæ, posterius ad motivum religionis. Præcepta diversa ex parte præcipientis & principii sunt, quæ ab alio & alio Superiore, aut legislatore imponuntur. Quo modo distinguuntur præcepta in Juris divini, naturalis, Ecclesiastici, Civilis, &c. Hoc posito

Ratio primæ partis est. Quoties præcepta sunt diversa ex parte rei præceptæ, toties peccata opposita habent diversas deordinationes & repugnantias cum distinctis motivis virtutum; sed tunc peccata habent specificam distinctionem, ut patet ex præcedenti conclusione: ergo specifica distinctio peccatorum rectè desumitur & agnoscitur ex diversitate præceptorum; si sint diversa ex parte rei præceptæ.

Ratio secundæ partis est: Quia distinctio ex parte præcipientis, est tantùm materialis, neque formalis distinctio motûs solet peti ex parte principii, sed ex parte termini: sed actus humanus, & consequenter peccatum, est quidam motus & tendentia ad objectum: ergo ipsius formalis distinctio non debet peti ex parte principii, quod est præcipiens; sed ex parte termini, qui est objectum. Et ideo desiderium furandi & ipsum furtum, quamvis distinctis præceptis in Decalogo prohibeantur, imò licèt ipsum furtum sit jure divino, naturali, civili prohibitum, nihilominus formaliter non distinguuntur.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

8. OBjicies contra primam conclusionem. Privationes distinguuntur penes formas oppositas: sed peccatum in nostra sententia formaliter est privatio: ergo ipsius formalis distinctio potiùs debet peti à forma, h. e. rectitudine opposita, quàm ab objecto.

Confirmatur. Distinctio formalis & specifica non debet accipi à principio materiali, sed formali: atqui conversio ad objectum tantùm pertinet ad materiale, econtra rectitudinis privatio ad formale peccati: ergo distinctio specifica peccatorum magis est accipienda ex privatione, quàm ex conversione ad objectum.

Respond. juxta sup. dicta distinguendo minorem: peccatum secundùm reduplicatam & abstractam rationem peccati & malitiæ est formaliter privatio, concedo; peccatum secundùm adæquatam rationem mali in concreto, nego; ergo formalis distinctio peccati secundùm reduplicatam rationem malitiæ accipi debet à rectitudine opposita, concedo; secundùm rationem malitiæ in concreto & adæquatè sumptam, nego.

Ad confirmationem quoque disting. min. Conversio ad objectum seorsim accepta & comparata ad malitiam formalem, pertinet ad ipsius materiale, concedo; accepta concretè & in sensu composito ipsius, nego.

Objicies contra secundam conclusionem primò. Difformitas ad legem constituit malitiam peccati: ergo difformitas ad leges specie distinctas constituit distinctam speciem malitiæ: atqui lex divina, humana &c. sunt leges specie distinctæ: ergo. 9.

Secundò. Inobedientia contra legem divinam est alterius speciei, quàm inobedientia contra legem humanam; ergo etiam peccata contra legem divinam specie differunt, à peccatis contra legem humanam.

Respondeo ad 1. distinguendo antecedens: Difformitas ad legem ut est regula actûs humani, constituit malitiam peccati, concedo; ut est actus legislatoris, nego. Sed lex divina & humana sunt leges specie distinctæ, consideratæ tanquam actus legislatoris, concedo; tanquam regulæ actûs humani afferentes determinatæ virtutis honestatem, nego min. & consequent. Ad 2. nego consequentiam. Disparitas est, quòd respectu inobedientiæ præceptum & lex pertineat ad objectum, sitque terminus ad quem, respectu verò aliorum peccatorum tantùm sit terminus à quo receditur, unde ipsis non inducit distinctionem specificam.

§. IV.

Corollaria.

COlliges ex dictis primò. Etiam peccata omissionis specificam distinctionem indirectè accipere ex objecto, nimirum ratione actuum oppositorum. Nam peccatum omissionis est privatio actûs præcepti; ille quippe peccat peccato omissionis, qui non facit, quod præcipitur. Cùm igitur forma peccato omissionis opposita sit aliquis actus virtutis, qui suam speciem sumit ab objecto; ideo mediatè & indirectè etiam peccatum omissionis suam speciem accipit ex illo objecto: siquidem negatio & affirmatio reducuntur ad idem genus, & privationes distinctionem accipiunt à formis oppositis. 10.

Colliges secundò. In eodem physicè actu reperiri diversas species peccatorum, quoties repetitur repugnantia cum distinctis motivis diversarum virtutum, vel saltem diversarum rectitudinum & honestatum ejusdem virtutis; sic v. g. adulterium à persona sacra commissum triplicem inducit malitiæ speciem: quia tribus præceptis formaliter distinctis, ac tribus motivis distinctis diversarum virtutum adversatur: primò motivo & præcepto castitatis de non accedendo ad non suam; secundò motivo & præcepto Religionis, de non violando votum; ac tertiò motivo & præcepto justitiæ de non injuriosè usurpandi rem alienam. 11.

Colliges tertiò, Divisionem peccati in mortale 12.

tale & veniale non esse essentialem, nisi cùm peccatum est ex genere suo veniale. S. D. a. 5. Ratio 1. est: quia diversitas essentialis & specifica sumitur ex formali diversitate objecti: sed peccatum veniale, quod est tale ex defectu sufficientis deliberationis, vel ex parvitate materiæ, ut leve furtum, habet idem objectum formale cum peccato mortali: ergo specie essentiali non distinguuntur.

Ratio 2. partis est: quia peccatum veniale ex genere suo semper habet objectum formaliter distinctum à peccato ex genere suo mortali, ut v. g. verbum otiosum à contumelia, &c.

13. Colliges quartò. Peccatum commissionis & omissionis per se loquendo in genere moris non semper essentialiter distingui; quia possunt habere eandem oppositionem cum proximo motivo ejusdem virtutis. Exemplum dat S. D. a. 6. Avarus sive non det suum, cui debet, quod est peccatum omissionis; sive auferat alienum, quod est peccatum commissionis, semper exercet eandem oppositionem cum virtute justitiæ, quæ ex eodem motivo proximo servandi æqualitatem inter jus unius & debitum alterius, non minùs vetat auferre alienum, quàm præcipit reddere alienum. Dixi, *in genere moris*: Nam physicè quidem differunt propter diversum modum tendendi non formalem & moralem, qui attenditur ex repugnantia cum motivo virtutis, sed materialem & entitativum, siquidem commissio est actus, omissio autem carentia actûs.

14. Dices: Sacrum contemnere est peccatum specie distinctum ab omissione *Sacri*, & tamen utrumque peccatum opponitur eidem virtuti Religionis: ergo peccatum commissionis & omissionis specie distinguuntur.

Resp. Distinguendo alterum membrum anteced. utrumque peccatum opponitur eidem virtuti secundùm diversa motiva proxima, concedo; secundùm idem, nego antecedens, & consequentiam. Nam motivum proximum prohibendi contemptum Sacri est intrinseca & naturalis exigentia reverentiæ, quam merentur res DEO sacræ: at motivum proximum præcipiendi auditionem Sacri est congruitas quædam, ut reverentiam DEO debitam tali tempore, & per talem determinatum actum exhibeamus.

Colliges quintò. Peccata per excessum & defectum commissa, e. g. prodigalitatis, & avaritiæ semper esse specie distincta, quia semper habent diversam repugnantiam cum diversa rectitudine & honestate virtutis v. g. liberalitatis S. D. a. 8. 15.

Colliges sextò. Divisionem peccatorum in spiritualia & carnalia esse adæquatam & essentialem: nam omne peccatum in delectatione perficitur: Vel ergo delectatio est carnalis, vel spiritualis. Carnalis delectatio est vel in cibo & potu, & hinc oritur peccatum gulæ; vel in venereis, & est peccatum luxuriæ. Si est delectatio spiritualis, h. e. quæ consummatur in apprehensione alicujus rei ad votum habitæ, ut inquit S. D. a. 3. & sic peccata spiritualia rectè enumerantur, superbia, invidia, avaritia, ira, acedia: nam licèt hæc quoque peccata versentur circa res corporeas, tamen in illis non corporea, sed spiritualis delectatio quæritur. 16.

Colliges septimò. Speciem essentialem peccatorum non diversificari ex circumstantiis, nisi cùm transeunt in rationem objecti, ut habet S. D. a. 9. quia quamdiu non transeunt in rationem objecti ex speciali repugnantia cum honestate virtutis, [ubi appellantur circumstantiæ speciem mutantes] tamdiu sunt mera accidentia actûs humani: sed accidentia non diversificant speciem essentialem: ergo. 17.

ARTICULUS II.

Unde desumatur numerica distinctio peccatorum.

SUMMARIA.

1. *Quandonam plura objecta causent distinctas malitias?*
2. *Respondetur ad objectas instantias.*
3. *Interruptio moralis causat individualem distinctionem in peccatis.*
4. *Regula cognoscendi moralem interruptionem.*
5. *Sola non retractatio non sufficit ad constituendam unitatem internam, & opus externum.*
6. *Quid agendum in nimia frequentatione peccatorum.*
7. *Quandonam explicanda sit in confessione mora temporis?*
8. *Explicanda in confessione probabilis pluralitas objectorum.*
9. *Plures actus externi subordinati intra unam speciem non necessariò exponuntur in confessione.*
10. *Sacerdos in statu peccati plures absolvens committit plura peccata.*
11. *Instantia de consecratione & dispensatione plurium hostiarum depellitur.*
12. *Quandonam diuturna detentio rei alienæ sit unum numero peccatum?*

§. I.

Distinctio numerica ex objecto.

Notandum, quòd malitia moralis aliquando in pluribus, aliquando in uno solo physico actu sæpius multiplicetur, aliquando verò in pluribus actibus servet moralem unitatem. Quæritur ergo, unde agnosci debeat individualis & numerica distinctio peccatorum exprimenda in confessione? pro cujus practicæ & perutilis quæstionis solutione sit, 1.

CONCLUSIO 1. *Tot sunt numero distincta malitiæ etiam in eodem physicè indivisibili actu, quot sunt objecta actûs ejusdem rationis, inter se tamen nullam unitatem moralem, connexionem, sive subordinationem habentia; e. g. si quis uno actu occidat tres homines, committit tria distincta homicidia exponenda in confessione, siquidem tria jura distincta,*

distincta, quod singuli habebant in suam vitam & membra, violavit.

Ratio est. Malitia actûs attenditur secundùm ordinem ad objectum rectæ rationi dissonum: unde, ubi est specifica diversitas objectorum, ibi reperitur specifica diversitas peccatorum: ergo pari modo, ubi reperitur individualis distinctio objectorum, similiter reperitur individualis distinctio peccatorum.

2. Dices primò. Voluntas dandi eleemosynam 10. pauperibus, non habet tot distinctas numero bonitates: ergo etiam voluntas occidendi, vel spoliandi 10. homines non habet distinctas 10. malitias. *Secundò.* Non posset determinari, quot malitias haberet actus, quo quis vellet extinguere integram familiam, vel evertere integram turrim, in qua sunt multi homines, quorum tamen numerus determinatus ignoratur. *Tertiò.* Sequeretur, quòd voluntas occidendi infinitos homines contraheret infinitas malitias. *Quartò.* Sequitur, auferentem 100. aureos committere 100. peccata mortalia.

Respondeo ad 1. Si in voluntate dandi 10. eleemosynas intendatur una solùm honestas, ita ut numerus accipientium se tantùm per accidens habeat, tunc fore unam simpliciter & formaliter bonitatem, æquivalenter tamen multiplicem, siquidem reipsa æquivalet 10. largitionibus eleemosynarum. Si tamen per se & directè intendantur singulæ honestates largitionum, tunc & bonitatem fore formaliter multiplicem, quia honestas directè, non autem indirectè volita suam bonitatem refundit in actum, prout dixi in sup. Tract.

Ad 2. Respond. tot fore individualiter distincta peccata, quot sunt personæ illius familiæ non invincibiliter ignoratæ: tot quippe sunt objecta malæ voluntatis per se completa & integra, quot sunt personæ, quibus vult mortem inferre. Nec refert, quòd illa in una domo, aut familia contineantur; nam si in illa domo vel familia esset mater delinquentis, & diversæ personæ etiam Clericales non invincibiliter ignoratæ, illa voluntas contraheret etiam specie distinctas malitias contra pietatem parentibus debitam, & contra virtutem religionis.

Dices: Qui gregem ovium abigeret, non ideo committeret tot peccata, quot sunt oves, qui comburit totam domum, non committit tot peccata, quot sunt partes domûs: ergo neque is, qui vult occidere totam familiam, habet tot malitias distinctas, quot sunt personæ, cùm & ipsæ sint partes unius familiæ.

Respond. negando consequentiam: Nam familia tantùm est una fictione juris, quæ unitas non tollit, quo minùs quælibet persona habeat jus completè distinctum à jure alterius in suam vitam. Atqui in domo, grege, acervo nummorum, &c. partes omnes ita sunt aggregatione unum, ut in singulis non reperiatur aliquod jus speciale, & completum, quale est in singulis hominibus.

Ad 3. Respond. Cùm infinitas personarum non nisi syncategorematicè apprehendatur in intellectu; idcirco ejusmodi actum, quo aliquis vult infinitis hominibus nocere, tantùm contrahere malitiam interpretativè & æquivalenter infinitam. Ad 4. negatur sequela ex dictis: quia centum aurei bene possunt coalescere in unam pecuniæ summam, non autem distincta hominum jura, quæ per homicidium v. g. violantur.

§. II.

Distinctio numerica ex interruptione actûs.

CONCLUSIO 2. *Voluntas peccandi moraliter interrupta causat distinctionem individualem in peccatis tam internis, quam externis.* Ita communis DD. 3.

Ratio est: Tunc peccata numericè multiplicantur, cùm destruitur moralis unitas ipsorum: sed quoties voluntas peccandi moraliter interrumpitur, toties destruitur illorum moralis unitas: ergo. Minor probatur. Mutato principio, à quo actus tam interni quàm externi in suo esse morali & voluntario dependent, mutantur moraliter ipsi actus: sed tale principium est voluntas: ergo mutatâ voluntate mutantur actus voluntarii sive interni, sive externi. Subsumo. Atqui per moralem interruptionem mutatur & distinguitur individualiter actus voluntatis: ergo similiter mutantur & distinguuntur cæteri actus sive interni, sive externi, qui suum esse morale ab actu voluntatis derivant.

Si petas, quandonam censeri debeat voluntas moraliter interrupta? Respond. Quando actus voluntatis nec in se formaliter, nec in aliquo effectu virtualiter, nec in prudenti hominum existimatione moraliter perseverat. Id porrò contingit multipliciter. Primò cùm successivè ponuntur plures actus circa plura objecta completè & totaliter distincta, ut si, postquam percussisti Petrum, percutias Paulum. Secundò, cùm prior voluntas revocatur, aut per pœnitentiam retractatur. Tertiò, cùm quis deliberatâ voluntate cessavit ab aliquo actu, veluti si quis morosam delectationem ex aspectu fœminæ conceptam, voluntariè deserat, & postea sive ex longo sive ex parvo intervallo repetat. Dixi, si quis voluntariè deserat; nam, si indelibertatè ex aliqua distractione animum aliò divertat, & mox ad eandem delectationem redeat, censebitur unum numero peccatum. Quartò, cùm inter plures actus nullo voluntatis præcedentis effectu inter se connexos tantum temporis intercedit, ut prudentum judicio discontinuari censeantur: non enim quælibet interruptio physica actum in genere moris discontinuat: ita prandium moraliter non interrumpitur per lectionem novorum, brevem scriptionem litterarum, aut alterius negotii expeditionem: neque Missa per horariam concionem: neque recitatio Breviarii per brevem interlocutionem &c. Quintò, si actiones externæ ad se invicem subordinationem aut dependentiam habent: ita impudici tactus fornicariam copulam præcedentes, & ex ipsius intentione assumpti non constituunt distinctum peccatum ab ipsa fornicatione, quia ad ipsam tanquam partes & dispositiones ordinantur, & explicato peccato fornicationis, etiam ipsi sufficienter intelliguntur. At si exerceantur absque intentione fornicandi, etiamsi postea sequatur fornicatio, constituunt 4.

distinctam malitiam imperfectæ mollitiei in confessione specialiter exprimendam. Similiter tactus copulam consequentes constituunt distinctum peccatum specialiter in confessione exprimendum, quia non ex natura rei, sed malitiâ operantis copulam consequuntur; suntque dispositiones ad novam fornicationem.

§. III.

Corollaria practica ex dictis.

5. Colliges ex dictis primò. Solam temporis unitatem, vel primam voluntatis non retractatæ habitualem perseverantiam non sufficere ad constituendam unitatem numericam inter actum voluntatis internum, & opus externum: aliàs quippe qui primo anni die habuisset voluntatem furandi, eamque non retractatam ultimò anni die expleret, committeret unum numero peccatum; quod est prudentum existimationi contrarium.

6. Colliges secundò. Quamvis per se loquendò ad confessionis integritatem requiratur, ut pœnitens exponat probabilem numerum peccatorum internorum, quæ solâ interruptione & repetitione voluntariâ multiplicantur, ut v. g. odii interni, morosæ delectationis, cùm tamē propter nimiam frequentationem ejusmodi actuum sæpe sit impossibile illorum peccatorum numerum inire: ideo juxta communem doctrinam pœnitentem satisfacere, si moram temporis in confessione explicet, quâ fuit versatus in statu habituato ad similia peccata, v. g. si quis dicat, se per annum, tot & tot menses, vel hebdomades odium & inimicitiam contra aliquem gessisse, & quoties aspectus vel memoria ipsius occurrit, actus odii elictus. Si meretrix dicat, se tot & tot annis quæstum meretricium cum cujusvis generis hominibus promiscuè exercuisse, &c.

7. Colliges tertiò. Quamvis mora temporis per se loquendo pertineat ad circumstantias mere aggravantes, quæ secundùm probabilem sententiam non necessariò sunt explicandæ in confessione; tamen si quis longiori temporis spatio in aliquo peccato interno se hæsisse existimat, consultissimum esse [ut monet Cardin. de Lugo de Sacr. pœn. disp. 16. sect. 4.] ut probabilem moram temporis in confessione exprimat; quia perdifficile est, ut homo longiori tempore ita sit defixus in unum aliquod objectum, quin aliquando plenâ libertate ab ejus cogitatione, affectuque discedat.

8. Colliges quartò. Cùm malitia moralis in actu voluntatis toties multiplicetur, quoties opus volitum est multiplex: ideo in confessione exponendam esse probabilem objectorum pluralitatem. e. g. si habuisti voluntatem totâ Quadragesimâ non jejunandi, non satisfacis, te simpliciter accusando de voluntate non jejunandi, una enim omissio jejunii cum altera nullam habet moralem connexionem. Nec fœmina satisfacit, si dicat, se habuisse animum carnaliter peccandi, si se pluribus voluit prostituere. Si conjugatus peccat cum conjugata, exprimere debet circumstantiam conjugatæ, quia non tantùm violat jus suæ conjugis, sed etiam mariti illius, cum cujus uxore peccat, quæ sunt jura & objecta distincta. Ita si pluribus scandalum dedisti, vel injuriam, detrahendo, furando, &c. intulisti, exprimendus est probabilis numerus, cùm singularum personarum jura, vel detrimenta nullam inter se habeant moralem connexionem.

9. Colliges quintò. Non necessariò exponendum esse numerum illorum actuum externorum, qui ex una voluntate peccaminosa circa idem objectum, & intra eandem speciem repetuntur: ut si ex uno impetu iræ ejusdem speciei blasphemiæ, contumeliæ, &c. circa eandem personam, vel eodem tractu plura falsa juramenta super eâdem re repetantur.

10. Colliges sextò. Sacerdotem in statu peccati mortalis scienter plurium confessionis successivè excipientem, tot committere sacrilegia, quot pœnitentes absolvit, cùm enim singulorum pœnitentium confessio & absolutio constituat unum integrum & completum Sacramentum pœnitentiæ, tot pariter sunt distinctæ sacrilegæ administrationes Sacramenti. Nec obstat, quòd Sacerdos eâdem intentione, fine, loco, situ, & tempore continuato istas confessiones audiat: hæc quippe omnia nequaquam sufficiunt ad tribuendam iis administrationibus pœnitentiæ unitatem moralem, cùm ex parte objecti nulla sit connexio & coordinatio, aliàs qui in pugna injusta plures successivè occideret, qui eâdem nocte & lecto cum pluribus fœminis carnaliter peccaret, qui in Nativitate D. tres Missas in statu peccati mortalis consequenter legeret, unum tantùm mortale peccatum committeret.

11. Dices: Hinc sequitur, quòd Sacerdos in statu peccati mortalis simul unâ consecratione consecrans mille hostias, committat mille peccata mortalia, cùm quælibet hostia consecrata sit integrum & completum Sacramentum Corporis Christi. Item, quòd pluribus dispensans sacram Eucharistiam in statu peccati, toties peccaret, quot sunt communicantes; sed hoc videtur absurdum: ergo.

Respond negando utramque sequelam. Et ad 1. dico, objectum consecrationis esse materiam consecrabilem, supra quam hîc & nunc verificantur demonstrativæ voces, *hoc est*, *hic est*, &c. Hæc autem materia est una, etiamsi ex pluribus particulis aggregetur. Nec refert; quòd illæ particulæ post consecrationem propter divisionem specierum dici possint multa Sacramenta; esto enim sint multa ut in facto esse, non tamen sunt multa, prout considerantur in fieri, seu quatenus substant uni eidemque actioni consecrativæ, cujus unitas à temporis & significationis unitate desumitur: neque consecratio ex multitudine hostiarum contrahit novam deformitatem & repugnantiam cum virtute religionis.

Ad secundam sequelam Respond. Dispensationem S. Eucharistiæ se habere sicut distributionem ciborum in convivio, quæ sive multis, sive paucis convivis exhibeatur, tamdiu servat suam unitatem, quamdiu tempus convivandi, & cæremoniæ convivales moraliter non interrumpuntur: atqui actio judicialis, qualis est sacramentalis absolutio pœnitentis, completur & absolvitur, quoties super reum sententia pronuntiatur; cùm ergo, quot pœnitentes absolvuntur, tot pronun-

pronuntientur distinctæ sententiæ, constat diversorum pœnitentium absolutiones nullam habere subordinationem, aut unitatem moralem.

11. Colliges septimò. Illum qui longo tempore omittit restitutionem rei alienæ injustè detentæ, non nisi unum peccatum committere, quamdiu voluntas detinendi rem alienam per contrariam voluntatem non revocatur, cùm prima voluntas in ipsa rei detentione, ceu effectu voluntario virtualiter remanere, & omissionem restitutionis causare censeatur, donec illa voluntas per revocationem interrumpatur, vel moralis influxus ipsius per subsecutam impotentiam restituendi discontinuetur.

DISPUTATIO XX.

DE

Comparatione & gravitate peccatorum.

ad q. 73.

IN peccatis ad se mutuò comparatis consideratur inprimis connexio, deinde æqualitas vel inæqualitas peccatorum in gravitate tum essentiali, tum accidentali, quæ omnia Angelicæ doctrinæ ordine paucis discutiemus.

ARTICULUS I.

An omnia peccata sint connexa?

SUMMARIA.

1. *Assertio negativa probatur author. S. Script.*
2. *Et ratione.*
3. *Quomodo secundùm D. Jacobum offendens in uno fit omnium reus.*
4. *Discrimen inter virtutes & vitia.*
5. *Irremissibilitas unius peccati sine altero non probat nisi similitudinariam connexionem.*

§. I.

Resolutio negativa.

1. CONCLUSIO. *Non est ea peccatorum connexio, qui unum commisit, etiam contrahat malitiam cæterorum.*

Probatur primò authoritate S. Script. 3. Regum c. 15. ubi dicitur, quòd David *non declinaverit ab omnibus, quæ præceperat ei DEUS, excepto sermone Uriæ*, h. e. peccato adulterii, quod commisit cum Bersabea uxore Uriæ, & homicidio commisso in cæde ipsius Uriæ: ergo licèt David fuerit reus homicidii & adulterii, non tamen fuit reus aliorum peccatorum.

2. Probatur secundò ratione. Si omnia peccata inter se haberent connexionem, tunc etiam objecta peccatorum haberent connexionem, siquidem unitas & distinctio peccatorum ex objecto desumitur, quod per se terminat intentionem peccantis: sed objecta peccatorum non habent inter se connexionem, siquidem sunt bona sensibilia inter se disparata, imò quandoque contraria. Unde.

Probatur tertiò. Peccata, sicut & vitia quandoque sunt inter se contraria, veluti constat in avaritia & prodigalitate: sed inter contraria nulla est connexio; ergo.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

3. OBjicies primò. Tunc peccata sunt inter se connexa, quando quis unius peccati reus, fit reus omnium peccatorum, sed ita fit, affirmante D. Jacobo ep. c. 2. *Quicunque totam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus.*

Respond. distinguendo maj. quando fit reus omnium peccatorum formaliter & ex parte conversionis, concedo; si similitudinariè, aut ex parte aversionis, nego majorem. Unde textûs D. Jacobi hæc est explicatio, quòd, qui in uno offendit contra legem, fiat omnium reus, non quasi omnia peccata contrahat, sed quia æquè avertitur à DEO ultimo fine, amittit gratiam, & charitatem, fitque reus pœnæ æternæ, ac si alia quoque peccata mortalia commisisset. Item dicitur omnium reus, quia offendit contra charitatem, unde pendent omnia, & quæ est finis totius legis, ut exponit D. Aug ep. 29. vel etiam, quia est reus violatæ legis divinæ, quæ est collectio omnium præceptorum.

Objicies secundò. Quantumvis virtutes habeant objecta inter se diversa, tamen inter se sunt connexæ: ergo etiam non obstante diversitate objectorum, vitia & peccata inter se sunt connexa. Consequentia probatur: Virtutes inter se habent connexionem, quia reducuntur ad unum principium amoris DEI: ergo etiam vitia & peccata habent connexionem, quia reducuntur ad unum principium amoris proprii & propriæ commoditatis. 4.

Respondeo, disparitatem esse, quòd virtutes earumque actus, quomodocunque objecta sint diversa, per prudentiam coordinantur ad unum finem, & bonum rationis; econtrà vitia & peccata ordinantur ad fines disparatos, & quandoque oppositos. Ad probationem respondet S. Doctor. ad 3. quòd peccata reducantur ad sui perversum amorem, tanquam ad principium disgregativum, quia amor sui disgregat affectum hominis in diversa, prout scilicet se homo amat appeten-

appetendo sibi bona temporalia, quæ sunt varia & diversa. Virtutes econtra reducuntur ad amorem DEI tanquam ad principium congregativum à multis in unum, ac propterea virtutes connexionem habent, non autem vitia.

5. Objicies tertiò. Unum peccatum mortale non potest remitti sine altero: ergo habet connexionem, cum illo. Consequentia probatur: Quia una virtus non infunditur sine altera, rectè infertur, quòd virtutes infusæ ad invicem habeant connexionem; ergo etiam ex eo, quòd unum peccatum non remittitur sine altero, rectè infertur, quòd habeant connexionem ad invicem.

Respondeo distinguendo consequens: ergo peccata sunt inter se connexa similitudinariè & ex parte aversionis, in quantum scilicet unum avertit à DEO & inducit reatum pœnæ æternæ, sicut alterum, concedo; propriè & formaliter, quasi committendo unum committeretur & alterum, nego consequentiam.

ARTICULUS II.

An omnia peccata sint æqualia?

SUMMARIA.

1. *Peccata sunt inæqualia.*
2. *Propter inæqualem repugnantiam cum bono rationis.*
3. *Quandonam una privatio possit esse major alterâ?*
4. *Genus quomodo æqualiter participetur ab inferioribus?*
5. *Peccatum non est infinitum in ratione malitiæ.*
6. *Peccatum actuale causaliter est mors animæ.*
7. *Peccata omissionis sunt inter se inæqualia.*
8. *Item peccata habitualia.*

§. I.

Resolutio negativa.

1. ERror Stoicorum fuit, quòd omnia peccata sint paria; contra quem est communis sententia, & nostra

CONCLUSIO. *Peccata sunt inæqualia tam ratione culpæ, quam pœnæ. S. D. a. 3.*

Utraque pars est de fide. Prima habetur Thren. 4. *Major effecta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum, &c.* Et Joan. 19. *Qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Altera pars habetur Matth. 11. *Tyro & Sidoni remissius erit in die judicii, quam vobis.*

2. Ratio primæ partis est: Quantitas malitiæ moralis desumitur ex quantitate repugnantiæ cum honestate virtutis & bono rationis: sed hæc est inæqualis, sicut & ipsa honestas: ergo pariter quantitas malitiæ est inæqualis. Minor constat, quia ut mox dicetur, juxta præstantiam & honestatem virtutis crescit gravitas inhonestatis oppositi vitii & peccati.

Ratio secundæ partis ex prædicta est: quia juxta regulam justitiæ vindicativæ quantitas pœnæ commensuratur quantitati culpæ: ergo, cùm quantitas culpæ sit inæqualis, etiam erit inæqualis mensura pœnæ.

§ II.

Solvuntur Objectiones.

3. OBjicies primò. Una privatio non est major alterâ: sed malitia formaliter consistit in privatione: ergo unius peccati malitia non est major malitiâ alterius peccati.

Respondeo negando, vel distinguendo maj. privatio quæ tollit totam formam oppositam, non est major alterâ, transeat major; quæ non tollit totam, nego majorem. Sed peccati malitia formaliter consistit in privatione non tollente totam formam oppositam, concedo; tollente, nego min. & consequentiam.

Inquis: Forma opposita est rectitudo: sed malitia peccati tollit totam rectitudinem, aliàs quippe actus simul esset bonus & malus habendo unam rectitudinem, & non habendo alteram: ergo malitia peccati tollit totam formam oppositam.

Respondeo negando minorem: nam licèt malitia peccati nullam secum rectitudinem formalem compatiatur, illam tamen solùm rectitudinem formaliter tollit, cui ex malitiosa tendentia voluntatis opponitur: aliarum verò bonitatum & rectitudinum absentia tantùm negativè, materialiter, & concomitanter conjungitur.

Objicies secundò. Genus æqualiter participatur à suis speciebus: sed ratio peccati est generica respectu omnium peccatorum: ergo æqualiter in omnibus participatur. 4.

Respondeo distinguendo majorem. Genus æqualiter participatur, quantum ad præcisam rationem generis, concedo [si tamen sit genus univocum;] quantum ad differentiam superadditam, nego. nam, ut S. D. q. 2. de malo a. 9. ad 16. *Omnia animalia sunt æqualiter animalia ut homo, non tamen sunt æqualia animalia; sed unum animal est altero majus & perfectius.*

Objicies tertiò. Unum infinitum non est majus altero: quodlibet peccatum est infinitum: ergo nullum peccatum est majus altero. 5.

Respondeo vel neg. vel dist. min. Peccatum est infinitum in ratione offensæ, transeat; in ratione malitiæ, nego. ergo peccata sunt æqualia in ratione offensæ, transeat; in ratione malitiæ, nego consequentiam. Rationem disparitatis dant, qui tuentur infinitatem offensæ simpliciter dictam, quòd quantitas offensæ in peccato desumatur à quantitate personæ offensæ, ut in se est, hæc autem est simpliciter infinita; econtra quantitas malitiæ desumitur à quantitate objecti quatenus apprehensi per intellectum; hæc autem apprehensio semper est finita & inæqualis.

Objicies quartò. Peccatum est, & dicitur mors animæ per analogiam ad mortem corporalem; ergo sicuti mors corporalis est æqualis in omnibus morientibus, ita peccatum in peccantibus. 6.

Respondeo, peccatum actuale, de quo hîc sermo,

mo, esse mortem animæ causaliter, sive ut loquitur S. D. effectivè, in quantum causat privationem gratiæ & charitatis; unde non est paritas cum morte corporis formali, consistente in pura privatione vitæ corporalis.

§. III.

Corollaria.

7. Colliges primò. Etiam peccata omissionis inter se esse inæqualia; siquidem rectitudo & honestas actuum, quibus opponuntur, est inæqualis; alia quippe est honestas in restitutione rei alienæ, cui opponitur ipsius omissio, & alia honestas religionis in auditione Sacri, cui opponitur omissio Sacri.

8. Colliges secundò. Etiam peccatum habituale personale, seu maculam peccati non esse æqualem in omnibus. Nam *primò* voluntarium terminativum, quod est effectus voluntarii formalis, mensuratur juxta quantitatem voluntarii formalis, à quo causatur: sed, ut suppono, macula peccati est voluntaria terminativè, causata nimirum, & relicta ex actu peccati formaliter vel virtualiter voluntario: ergo mensuratur, & consequenter etiam diversificatur juxta quantitatem & diversitatem actualium peccatorum. *Secundò*. Quia privationes distinguuntur ad distinctionem formarum oppositarum; sed forma opposita peccato habituali, nempe gratia sanctificans, est inæqualis, in uno intensior, in altero remissior: ergo etiam peccatum habituale, consistens in privatione gratiæ, est inæqualis. Nec refert, quòd peccatum habituale dicatur mors animæ; mors autem est privatio totalis, & æqualis in omnibus. Nam mors corporis ideo est æqualis, quia vita, cujus est privatio, non suscipit magìs & minùs; at vita animæ, quæ est gratia, suscipit magìs & minùs: ideoque etiam privatio opposita, nempe peccatum habituale est inæqualis. Si dicas: privatio in facto esse non suscipit magìs & minùs: sed peccatum habituale est privatio in facto esse, uti mors corporis: ergo.

Respondeo. Privatio in facto esse formæ non recipientis magìs & minùs, est talis, concedo; formæ recipientis magìs & minùs, nego. Dicitur nihilominus privatio in facto esse, seu privatio pura, quia tollit totum bonum oppositum gratiæ sanctificantis.

Dixi: peccatum habituale *personale*, ad excipiendum originale, quod æqualiter reperitur in omnibus hominibus; tum propter unitatem causæ, quæ est inobedientia Adami, tum propter unitatem formæ oppositæ, quæ est justitia originalis infundenda animæ, si Adam non peccâsset. Unde etiam pœna damni, quam parvuli sine baptismo mortui patiuntur, est æqualis in omnibus.

ARTICULUS III.

Unde desumenda sit gravitas peccatorum?

SUMMARIA.

1. *Gravitas essentialis peccatorum sumitur ex objecto.*
2. *Circumstantiæ speciem mutantes tribuunt gravitatem essentialem.*
3. *Peccatum præstantiori virtuti oppositum est absolutè gravius.*
4. *Accidentales circumstantiæ possunt in morali existimatione augere gravitatem peccati.*
5. *Gravitas peccati crescit ex nocumento.*
6. *Maxima gravitas in peccatis contra DEUM.*
7. *Peccata spiritualia graviora carnalibus.*
8. *Cur peccata contra castitatem sint graviora peccatis contra fortutudinem?*
9. *Cur odium amici sit pejus, quàm odium inimici?*
10. *Gravitas accidentalis sumitur a circumstantiis speciem non mutantibus.*
11. *Quid gravitas extensiva?*
12. *Intensiva crescit ex quantitate objecti.*
13. *Item ex intentione pejoris finis extrinseci.*
14. *Et ex dignitate personæ offensæ.*
15. *Quandonam peccatum aggravetur ex circumstantia personæ peccantis.*

§. I.

Regula agnoscendi gravitatem essentialem.

1. Alia est peccati gravitas essentialis quoad speciem, alia accidentalis quoad intensionem, vel extensionem malitiæ moralis. Nunc de gravitate essentiali institutâ quæstione, sit

CONCLUSIO. *Peccata gravitatem essentialem accipiunt ab objecto.* S. D. q. 73. a. 1. Ratio ex præcedentibus est: Inde peccata accipiunt essentialem gravitatem malitiæ, unde capiunt specificam & essentialem differentiam suæ malitiæ: sed hanc accipiunt ex objecto, prout dictum: ergo ab objecto quoque accipiunt gravitatem essentialem, ita ut quanto objectum in se habetur gravius, tanto gravius quoque sit ipsum peccatum secundùm specificam & essentialem rationem malitiæ. Hinc

Colliges primò. Per circumstantias speciem mutantes peccata essentialiter aggravari: quia istæ circumstantiæ transeunt in rationem objecti, prout dictum in Tr. de Act. hum. Sed ab objecto sumitur species essentialis: ergo. Ideo gravior est species adulterii, quàm fornicationis, quia superadditur ad malitiam fornicationis circumstantia injuriæ erga conjugem, quæ speciem mutat, & addit novam oppositionem cum virtute injustitiæ. 2.

Colliges secundò. Illud peccatum esse simpliciter cæteris paribus & quoad speciem gravius, quod præstantiori virtuti opponitur, quia nimirum habet objectum magìs repugnans rectæ rationi. Unde etiam Philosophus 8. Eth. c. 10. dicit, id esse pessimum, quod optimo est contrarium, &, *corruptio optimi pessima.* Quæ támen regula ne fallat, tres conditiones ad oppositionem cum aliqua virtute debent concurrere. Primò, ut oppositio utriusque peccati, inter quæ instituitur comparatio, in modo opponendi conveniat. 3.

veniat. Ideo omissio Sacri præcepti v. g., est multò levius peccatum, quàm furtum, & homicidium, quia licèt habeat oppositionem cum præstantiori virtute, nimirum Religionis, eidem tamen solùm indirectè & mediatè opponitur; immediatè quippe opponitur determinationi temporis ad DEI cultum ab Ecclesia præscripti: dum econtra furtum & homicidium habent directam oppositionem cum virtute justitiæ.

Altera conditio est, ut oppositio fiat respectu objecti primarii, & non in uno respectu objecti primarii, in altero respectu secundarii. Ita majus est peccatum infidelitas, quàm odium proximi, quia licèt odium proximi habeat oppositionem cum virtute charitatis, quæ est simpliciter præstantior quàm fides, cui infidelitas opponitur: hæc tamen oppositio tantùm est respectu proximi, qui est objectum secundarium charitatis, cùm tamen oppositio infidelitatis sit respectu veritatis divinæ, quæ est objectum primarium.

Tertia conditio est, ut in oppositione cum virtute inferiori non includatur oppositio cum virtute superiori: sic enim adulterium est peccatum gravius furto, quia præter oppositionem cum castitate, habet simul oppositionem cum superiori virtute justitiæ.

4 Dixi tamen, *simpliciter cæteris paribus & quoad speciem* &c. ex quo non impeditur, quin aliquod peccatum ex objecto & specie levius, ex accidentalibus tamen circumstantiis in morali existimatione longè majorem malitiam contrahat, & majori pœnâ dignum judicetur: nam sicut magnus cumulus argenti excedit in morali existimatione modicam quantitatem auri, quamvis istud simpliciter sit nobilius argento, ita propter circumstantias moralem existimationem augentes, & damna in bonum commune redundantia, longè gravius censetur peccatum latrocinari, integram villam deprædari, &c. quàm blasphemare, licèt hoc simpliciter ex objecto & specie sit gravius. Unde etiam

5. Colliges tertiò cum S. D. a. 8. Essentialem gravitatem peccati augeri ex majori nocumento, quia per nocumenrum quod proximo per peccatum infertur, actus peccati trahitur ad novam speciem scandali, injustitiæ, &c. Porrò nocumentum tripliciter se habere potest. Primò, ut sit prævisum, non tamen directè intentum: Secundò, ut sit prævisum, & simul intentum: Tertiò, ut nec sit prævisum, nec intentum. Primo modo gravitas nocumenti tanquam indirectè, saltem voluntaria indirectè aggravat peccatum. Secundo modo directè, utpote directè voluntaria. In tertio modo distinguendum est: Vel enim nocumentum nec prævisum nec in se intentum per se sequitur aut comitatur actum peccati, veluti scandalum sequitur ex publica fornicatione: & tunc etiam aggravat peccatum: quia, quæ per se sequuntur ad aliquem actum aut continentur in illo, saltem implicitè & virtualiter sunt voluntaria, neque respectu ipsorum datur invincibilis ignorantia, siquidem possent & deberent prævideri. Vel nocumentum tantummodo per accidens est conjunctum, ut si puer ex petulantia hominem pilâ petens præter intentionem oculum ipsi excutiat: & tunc ex nocumento peccatum non aggravatur, quippe quod nec in se, nec in causa est voluntarium, nisi cùm neglectus debitæ considerationis accessit, tunc enim nocumentum fit interpretativè voluntarium, ut si quis explodens bombardam erga fenestram alienæ domûs, occidat hominem assidentem.

Colliges quartò. Maximam gravitatem per se loquendo reperiri in peccatis contra DEUM, & primariò in iis, quæ sunt contra DEUM immediatè, nempe repugnantia virtutibus Theologicis, ut odium DEI, desperatio, & infidelitas. Secundariò in iis, quæ mediatè sunt contra DEUM, nempe opposita virtutibus Religionis & pœnitentiæ, ut idololatria, blasphemia, impœnitentia, sacrilegium, &c. Proxima his in gravitate sunt illa, quæ pugnant contra proximi bonum, & quidem magis illa, quæ substantiam, quàm quæ externa hominis bona oppugnant. Nam ut S. D. a. 3. illud peccatum est majus, quod opponitur majori bono virtutis: sed peccata contra DEUM opponuntur majori bono virtutis: similiter inter peccata contra proximum, quæ lædunt substantiam hominis ut homicidium, oppugnant ipsum hominem qui est majus bonum, quàm detractio, quæ famam; furtum, quod temporalia & externa hominis bona oppugnat. 6.

Colliges quintò. Peccata spiritualia cæteris paribus esse graviora carnalibus, eò quòd pugnent contra motivum virtutis præstantioris, quàm peccata carnalia: siquidem illa infestant bonum DEI vel proximi, ista verò solummodo peccant in corpus proprium. Ubi tamen advertit S. D. è S. Gregorio, quòd peccata carnalia sint majoris infamiæ, quàm spiritualia, cùm sint circa delectationes homini brutoque communes; adeòque hominem infra naturæ suæ dignitatem deprimentes. 7.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primò. Fortitudo est virtus præstantior, quàm castitas, & tamen timiditas opposita fortitudini est ex genere suo tantùm veniale, econtra peccata contra castitatem sunt ex genere suo mortalia: ergo non bene inferimus in Coroll. 2. quòd peccata præstantiori virtuti opposita etiam ipsa sint graviora. 8.

Respondeo, in comparatione timiditatis & peccatorum carnalium deficere tertiam conditionem insinuatam: nimirum, quòd in peccatis contra castitatem etiam involuatur repugnantia contra virtutem præstantiorem fortitudine, nempe justitiam aut pietatem; nam in adulterio fit simul injuria conjugi; in stupro, aut raptu fit injuria virgini, vel parentibus, in fornicatione simplici læditur bonum prolis; in incestu infertur irreverentia sanguini; in peccatis contra naturam fit injuria ipsi DEO ordinatori naturæ. Ut habet S. D. 2. 2. q. 154. a. 12. ad 1.

Objicies secundò. Quamvis dilectio inimicorum sit actus perfectior, quàm dilectio amicorum, tamen non sequitur quòd odium inimici sit gravius peccatum, quàm odium amici: ergo etiam non sequitur, quòd actus oppositus perfectiori virtuti sit gravius peccatum, quàm actus oppositus virtuti minùs perfectæ. 9.

Respond.

Respond. negando consequentiam: quia in actibus, qui diversis virtutibus opponuntur, desumitur gravitas ex diversis motivis & rationibus formalibus virtutum; sed in peccatis quæ intra eandem virtutem, v. g. charitatis, diversis actibus virtutis opponuntur, non semper habetur diversitas ex diversa ratione motivi, sed quandoque solùm ex diversitate objecti materialis. Ita fit in proposita instantia: nam odium amici diversificatur ab odio inimici ex diversitate boni creati nobis conjuncti, quod prohibemur odio habere: hoc autem est objectum materiale; cùmque bonum amici sit nobis conjunctius, quàm bonum inimici, propterea actus iste per se est pejor accidentaliter, quàm odium inimici. Sic pariter amor amici ex parte objecti materialis est perfectior, quàm amor inimici, quia amicus est bonum magis conjunctum: Nihilominus cùm ratio diligendi, quæ est bonitas divina, magis influat in dilectionem inimici, quàm amici, sitque illa longè magis ardua, & à proprio amore remotior, propterea est formaliter multò perfectior dilectio inimici, quàm amici. Ita S.D. 2.2. q. 27 a.7.

§. III.

Regula agnoscendi gravitatem accidentalem peccati.

10. GRavitas accidentalis peccatorum consistit in eorum majori intensione, vel extensione, de quâ sit

CONCLUSIO. *Accidentalis gravitas peccatorum desumitur à circumstantiis speciem non mutantibus.* S. D. a. 7.

Ratio est: Gravitas accidentalis malitiæ moralis accipitur à principio, quod est accidentale respectu actûs humani; sed accidentalia actûs humani in genere moris sunt circumstantiæ speciem non mutantes: [quæ enim speciem mutant, transeunt in conditionem objecti] ideoque vocari solent circumstantiæ merè aggravantes: ergo major minorve gravitas accidentalis malitiæ moralis accipitur à circumstantiis speciem non mutantibus. Unde

11. Inferes primò. Illud peccatum esse gravius extensivè, quòd intra eandem speciem malitiæ afficitur pluribus circumstantiis propriam afferentibus gravitatem, vel quod repugnat pluribus præceptis solùm individualiter distinctis. Sic v.g. graviùs peccat prodigus, quando sua bona non tantùm expendit in fines indebitos, sed etiam cui non debet, ubi non debet, quando non debet, &c. Graviùs peccat contra præceptum jejunii, qui comedit carnes in pervigilio S. Matthiæ incidente in feriam 4. temporum Quadragesimæ, quàm qui in alio simplici die jejunii carnes comedit.

12. Inferes secundò. Peccati gravitatem non tantùm extensivè, sed etiam intensivè augeri ex majori quantitate objecti: unde gravius longè est furtum centum, quàm decem aureorum, deprædatio integri gregis, quàm unius bovis.

13. Inferes tertiò. Peccati gravitatem intensivè augeri non tantùm ex majori conatu & intensione voluntatis; sed etiam ex intentione pejoris finis extrinseci. Prima pars per se patet: quia peccatum est tantò intensivè gravius, quantò magis est voluntarium; sed quantò intensior est voluntas peccandi, tantò magis est voluntarium: ergo. Secundæ partis ratio est: quia finis operantis, seu extrinsecus est causa actûs humani, & sic quantò est pejor, tantò majorem quoque malitiam influit in actum.

Inferes quartò. Quantitatem seu gravitatem peccati crescere secundùm conditionem & dignitatem personæ, contra quam peccatur. S.D. a.9. 14.

Ratio est: quòd peccati gravitas augetur juxta majorem quantitatem & gravitatem objecti: sed quando per peccatum aliquod læditur & offenditur persona dignior, tunc objectum peccati seu malitia, objectiva est major, quàm cùm offenditur & læditur persona minùs digna: ergo. Minor constat: quia læsio personæ seu offensa activa habet pro objecto personam læsam, unde quò illa persona est major & dignior, tantò objectum quoque læsionis est majus. Unde habetur *primò*, peccatum mortale contrahere quodammodo infinitam gravitatem in ratione offensæ, siquidem persona, quæ per illud offenditur, nimirum Dominus DEUS, est infinitæ dignitatis. Habetur *secundò*, peccata, quibus offenduntur personæ sacræ, & DEO vel ratione statûs, & officii, ut Clerici, Religiosi, Sacerdotes; vel ratione virtutis magis conjunctæ, ut homines sancti; vel quibus personæ publicæ, & Superiores, quæ DEI vice funguntur, læduntur, esse graviora: injuria quippe aut læsio ejusmodi personis illata, propter specialem illarum conjunctionem cum DEO, redundat in ipsum DEUM: ideoque Zach. 2. dicitur: *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.* Habetur *tertiò*. Etiam illa peccata esse graviora, quibus offendimus personas nobis magis conjunctas, vel ratione sanguinis, vel beneficiorum &c. his enim magis læditur ordo charitatis; sicut enim ordo charitatis præcipit, ut nos ipsos præ aliis rectè diligamus, ita magis vetat, ne nosipsos, quàm alios offendamus: ergo pariter præcipit, ut eos qui nobis sunt magis conjuncti, & quasi aliqua pars nostri, minùs offendamus. Habetur *quartò*. Peccatum tantò esse gravius, quantò potiores tangit: Ita gravius est peccare in personam publicam, quàm privatam; in illam, quæ est celebris famæ in aliqua Religione, S. Ordine, quàm quæ est exiguæ, aut nullius, &c. Habetur *quintò*. Si conditio personæ sit impertinens respectu alicujus peccati, peccatum non augeri ex gravitate illius, tunc enim conditio est extra objectum ipsius: sic furtum v. g. ex eo non aggravatur quòd fiat personæ diviti, Principi, &c. nam conditio personæ non ita propinquè attingitur, sicuti per inhonorationem, vulnerationem, homicidinm &c.

Inferes quintò. Peccata etiam posse aggravari ex circumstantia personæ peccantis, ita quidem, ut peccata ex subreptione, sive infirmitate naturæ provenientia tantò sint minora, quantò persona peccans est major in virtute; peccata verò ex malitia & perfecta deliberatione sint tantò graviora, quantò persona peccans est major in virtute, vel munere accepto à DEO, ut inquit S. D. hic a. 10. Ratio primi est, quod illud peccatum est levius, quod fit cum minori negligentia, sed peccatum ex subreptione ab homine virtuoso committitur cum minori negligentia: hoc ipso 15.

quippe,

quippe, quòd est virtuosus, adhibet majorem diligentiam ad illa evitanda quàm alius. Ratio secundi est, *primò* ab opposito, quòd homo virtuosus propter majora auxilia & media faciliùs possit evitare peccata, ideoque illa committendo sit negligentior. *Secundò*: quia quantò quis majora accepit beneficia, tantò magis est ingratus deliberatè offendendo suum benefactorem. *Tertiò*: quia ex peccato hominis virtuosi, vel in aliquo majori gradu constituti plures scandali occasionem accipiunt. *Quartò*, quia multa sunt peccata, quæ altiori vel sanctiori statui specialiùs repugnant, sicut injustitia statui Principis, fornicatio statui Religiosi, vel Sacerdotis, &c.

DISPUTATIO XXI.

DE

Subiecto peccatorum.

NOn est sermo de remoto subjecto, quod haud dubiè est creatura rationalis; sed de proximo, sive potentiis animæ. Neque loquimur de peccato in esse actûs physici spectato, quo sensu rursus certum est, peccatum in potentiis, imò & membris externis subjectari posse? quis enim dubitet, impudicum aspectum fœminæ hoc modo consideratum in oculo, illicitam deambulationem in locomotivâ & membris exterioribus residere? Quæritur ergo cum S. D. hîc q. 24. utrùm peccatum moraliter spectatum, partim secundùm rationem voluntarii, partim secundùm formalem rationem malitiæ, & deformitatis, subjectetur in potentiis à voluntate distinctis, nempe ratione, [eaque superiori vel inferiori] appetitu sensitivo, &c. & quia non minùs utilior, quàm potior quæstio hoc loco movetur de morosa delectatione & consensu in actum, eidem paulò operosiùs immorabimur.

ARTICULUS I.

An præter voluntatem detur aliud subjectum formalis peccati?

SUMMARIA.

1. *Quoad rationem voluntarii omne peccatum est in voluntate.*
2. *Membra & sensus externi non sunt subjectum peccati formalis.*
3. *Voluntas est subjectum peccatorum etiam quoad rationem malitiæ.*
4. *Peccatum formaliter subjectatur etiam in ratione, & appetitu sensitivo.*
5. *Probatur ex habitibus.*
6. *Objectiones*
7. *Solvuntur.*

§. I.

Subjectum peccati etiam est intellectus & appetitus sensitivus.

1\. CErtum est primò, quòd omne peccatum quoad rationem voluntarii intrinsecè subjectetur in voluntate. Cujus ratio est: Omne peccatum in tantum est voluntarium, in quantum elicitivè vel imperativè, directè, vel indirectè est à voluntate: si elicitivè, tunc est ipsemet actus voluntatis; si imperativè, tunc saltem dependet ab actu practico imperii, in quo actus voluntatis includitur. Item si directè est à voluntate, tunc est propter actum voluntatis formaliter, aut virtualiter influentem; si indirectè, tunc etiam vel propter aliquem actum voluntatis, qui est causa vel occasio omittendi, vel certè propter liberam cessationem, & dormitationem voluntatis, hìc & nunc omittentis actum, quem posset & deberet ponere; sed omnibus istis modis voluntarium intrinsecè est in voluntate.

Nec refert, quòd S. D. q. 15. de ver. a. 3. ad 3. dicat: *Peccatum dicitur esse in voluntate non sicut in subjecto, sed sicut in causa.* Nam Resp. mentem S. Doctoris esse, quòd non omne peccatum sit in voluntate secundùm rationem deformitatis & malitiæ, bene autem secundùm rationem voluntarii; nam hoc ipso, quòd omne peccatum sit in voluntate tanquam causa, etiam est in ipso subjectivè, quatenus id, ratione cujus causatur & pendet à voluntate, est intrinsecè in voluntate.

Certum est secundò. Membra, vel potentias sensitivas externas non esse subjectum peccati formaliter sumpti: nam ubi nulla reperitur, ne quidem imperfecta & participata indifferentia aut libertas, ibi peccatum formaliter non subjectatur: sed in membris & sensibus nulla ejusmodi libertas vel indifferentia reperitur; membra quippe tantùm sunt organa & instrumenta operandi, serviliter subjecta despotico rationis imperio; unde nec sunt alicujus habitûs virtuosi, vel vitiosi capacia. Idem dixeris de potentiis & loco-motiva, quæ sunt determinatæ ad unum, suosque actus ex necessitate producunt. 2.

Certum est tertiò. Peccata etiam quoad rationem malitiæ formalis & moralis in voluntate subjectari: quia cùm voluntati per se primò competat formalis ratio liberi & voluntarii, ipsiusque sit proprium versari circa finem, & quidem ultimum, propterea ratio liberæ deordinationis à debito 3.

à debito fine, quæ est formalis malitia peccati, maximè in actibus voluntatis, adeòque peccata quoad malitiam moralem subjectivè in voluntate reperiuntur.

4. CONCLUSIO. *Peccatum quoad rationem malitiæ etiam quandoque in ratione & appetitu sensitivo subjectatur* S. D. a. 2.

Probatur primò. In iis potentiis peccatum formaliter reperitur, quarum actus ex propria ratione potentiæ possunt esse inordinati: sed actus intellectûs & appetitûs sensitivi seu sensualitatis possunt esse inordinati ex propria ratione potentiæ intellectivæ & appetitivæ: ergo. Major inde patet, quia cùm peccata intellectûs & sensualitatis sint actus immanentes, si ratio deordinationis potest adscribi principio à quo vitaliter procedunt, non erit major ratio, cur non sint æquè in suis potentiis, quantum ad rationem deordinationis, quàm quantum ad rationem physicæ entitatis. Minor verò probatur. Erroneum dictamen intellectûs, vi cujus voluntas deficit à fine ultimo, & lege æternâ, est actus inordinatus ex propria ratione intellectûs, quia voluntatem dirigere & esse radicaliter indifferentem, est proprium intellectûs ex propria linea & ratione: sed iste actus est inordinatus secundùm rationem proximæ directionis radicaliter indifferentis: ergo est inordinatus ex propria ratione intellectûs.

Rursus: Turbare judicium rationis, ejusque imperio obluctari, habetur ex propria ratione appetitûs sensitivi, qui freno justitiæ originalis destitutus inclinat in objectum delectabile, etiam non obstante contradictione rationis: sed hæc est quædam inordinatio, quæ reperitur in actu & motu sensualitatis: ergo etiam in actu appetitûs sensitivi reperitur inordinatio proveniens ex ratione principii.

5. Probatur secundò. In quo subjecto sunt habitus vitiosi, in eodem sunt actus vitiosi secundùm formalem suam malitiam & deformitatem: sed in intellectu & appetitu sensitivo reperiuntur habitus vitiosi; in illo quidem habitus infidelitatis, hæresis, erroris, imprudentiæ, &c. in isto intemperantiæ, iræ &c. Unde etiam in iisdem potentiis reperiuntur virtutes oppositæ, nempe in intellectu fides, scientia, prudentia; in appetitu sensitivo temperantia, mansuetudo, &c. ergo in istis potentiis subjectantur peccata etiam secundùm formalem rationem malitiæ. Major probatur: tum quia non minùs habitus sunt moraliter vitiosi, quàm actus; unde si habitus secundùm moralem vitiositatem sunt in istis subjectis, etiam actus erunt: tum quia habitus vitiosus contrahitur per actus quatenus vitiosos, & expellitur per actus contrarios, ut virtuosos: tum quia habitus vitiosus similes actus vitiosos producit, & per ipsos intenditur.

§ II.

Solvuntur Objectiones.

6. OBjicies primò. Si malitia moralis intrinsecè reperitur in potentiis à voluntate distinctis, sequitur, eandem numero malitiam reperiri in pluribus subjectis: sed hoc est contra doctrinam S. D. in qua idem numero accidens non potest simul esse in pluribus subjectis. Sequela probatur: In peccato v. g. morosæ delectationis peccati malitia simul esset in appetitu sensitivo, in quo oritur delectatio; secundò in voluntate, quæ consentit; tertiò in ratione, quæ illis motibus non contradicit.

Secundò. Quæ per analogiam ad aliud denominantur, extrinsecè denominantur: sed actus potentiarum à voluntate distinctarum denominantur peccaminosi per analogiam & ordinem ad actum voluntatis, ideoque secundùm doctrinam S D. actus externi non superaddunt distinctam malitiam ad malitiam actûs interioris in voluntate: ergo.

Tertiò. Membra externa non sunt subjectum malitiæ formalis, quia carent libertate: ergo neque potentiæ internæ à voluntate distinctæ possunt esse subjectum malitiæ formalis, cùm similiter careant indifferentiâ & libertate.

Respond. ad 1. negando minorem, quia S. Doctoris doctrina tantùm negat physicam subjectationem ejusdem accidentis physici in pluribus subjectis, non verò moralem, & accidentis moralis præsertim privativi, ut est malitia moralis. Nam accidens morale non necessariò accipit suam individualem unitatem à subjecto; sed eandem potest habere à subordinatione variarum potentiarum vel objectorum. 7.

Ad 2. Respond. Majorem tantùm esse veram de analogis attributionis, non autem proportionalitatis, in quibus omnia analogata intrinsecè genus analogum participant, quemadmodum substantia & accidens participant rationem entis; atqui actus intellectûs & voluntatis ita dependenter à voluntate denominantur peccata, ut ratio peccati ipsis conveniat secundùm analogiam proportionalitatis, non tantùm attributionis.

Adprobationem è S. D. & ad 3. Respond. Inter sensus & membra externa [de quorum actibus loquitur S. D.] & ex altera parte intellectum ac appetitum sensitivum hanc esse disparitatem, quòd in intellectu detur indifferentia radicalis, & tam in ratione quàm appetitu sensitivo quædam saltem participata & imperfecta indifferentia, propter conjunctionem ad rationem: unde etiam appetitus inferior [inquit S. D.] est natus obedire rationi, & non semper ita immobiliter adhæret suo objecto, ut non ab illo ex imperio rationis quandoque dimoveri se patiatur: quæ causa est, quòd tam in intellectu, quàm appetitu sensitivo dentur habitus, quibus facilitatur ad suas operationes producendas. Atqui sensus & membra externa ne quidem habent aliquam imperfectam & participatam indifferentiam, suntque subjecta despotico rationis imperio, membra quoque corporis sunt instrumenta & organa ad liberum voluntatis usum ordinata: ideoque nec habituum sunt capacia.



ARTICULUS II.

An motus concupiscentiæ sint culpabiles independenter à voluntatis influxu?

SUMMARIA.

1. *Aperitur status quæstionis.*
2. *Quid veniat nomine sensualitatis?*
3. *Triplex diversitas in motibus concupiscentiæ.*
4. *Motus prævenientes rationem non esse mortale peccatum definitum in Trident.*
5. *Probatur authoritate S. Script. & SS. PP.*
6. *Ratio à priori.*
7. *Ratio ab absurdis.*
8. *Authoritates objecta*
9. *Exponuntur.*
10. *Opposita rationes*
11. *Solvuntur.*
12. *Motus concupiscentiæ independenter à voluntatis influxu non sunt venialia.*
13. *Probatur ratione & authoritate D. Th.*
14. *Ratio ulterior à libertate contrarietatis.*
15. *Responsio Adversar. impugnatur.*
16. *Replica depellitur.*
17. *Authoritas D. Th. objecta exponitur.*
18. *Argumenta a ratione*
19. *Retorquentur:*
20. *Et solvuntur.*
21. *In quo consistat imperfecta libertas appetitûs sensitivi.*
22. *Sensualitas tantùm potest esse subjectum peccati venialis.*
23. *Cur non etiam mortalis peccati?*

§. I.
Præsupposita.

1 Cùm ex præcedenti articulo constet, etiam appetitum sensitivum esse subjectum peccati secundùm malitiam, quæritur, utrùm in hoc appetitu possit esse peccatum, & an per motum appetitûs sensitivi homo peccare possit vel mortaliter, vel venialiter absque actuali vel virtuali voluntatis influxu? Ubi primò hæreticorum nostri temporis error est, quòd motus concupiscentiæ, quos etiam inviti patimur; imò ipse fomes, seu concupiscentia habitualis etiam in baptizatis sint peccata mortalia. Secundò Cajetani, & Gonetti opinio est, motus concupiscentiæ ut prævenientes omnem actualem voluntatis motionem saltem esse peccata venialia, dummodo accedat aliqua advertentia rationis. Pro responsione

2. Notandum est primò. Appetitum sensitivum, quem hîc a 3. etiam sensualitatem S. D. appellat, esse vim appetitivam naturæ sensitiva. Unde nomine sensualitatis & concupiscentiæ non tantùm intelliguntur motus libidinosi carnis, sed alii quoque motus iræ, timoris, qui ab appetitu sive concupiscibili, sive irascibili trahunt originem.

3. Notandum secundò. Istos concupiscentiæ motus esse in triplici differentia: nam aliqui dicuntur primò primi, qui omnem præveniunt advertentiam rationis, ideoque vitari non possunt. Alii dicuntur secundò primi, quorum quidem inordinationem ratio aliqualiter advertit, ideoque simpliciter potest contradicere, nondum tamen iisdem cum plena deliberatione consentit, vel propter vehementiam passionis, vel distractionem aliquam, &c. Tertiò sunt motus plenè deliberati, quorum malitiam ratio plenè advertit iisque consentit. His positis sit

§. II.
Assertio Catholica.

CONCLUSIO prima. *Neque fomes concupiscentiæ, h. e. habitualis inclinatio appetitûs sensitivi in motus inordinatos, neque ipsi motus concupiscentiæ, qui vel rationem præveniunt, vel quos inviti patimur, sunt peccata mortalia.* 4.

Est de fide, definitum in Trid. sess. 5. can. 5. his verbis: Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc S. Synodus fatetur, & sentit, quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi gratiam repugnantibus, non valet. Ubi licèt Trident. loquatur *de baptizatis, quia de his negotium erat cum hæreticis, tamen ob rationum subjungendarum identitatem eadem doctrina extendenda est etiam ad infideles, & quoscunque homines.*

Probatur primò authoritate S. Script. & PP. 5. Nam Matth. 15. & Marci 7. dicitur, quòd illa *sola coinquinant hominem, quæ exeunt ex corde,* h. e. voluntate, ac proinde quod voluntarium non est, ut sunt prædicti motus, in peccatum imputari non potest. Apost. Rom. 8. *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo JESU, qui non secundùm carnem ambulant*, h. e. non consentiunt tentationibus carnis. Item: *Si spiritu facta carnis mortificaveritis*, [h. e. *resistereritis non consentientes*] *vivetis*. 1. Cor. 10. dicit Apost. nos *non tentari supra id quod possumus*: sed si tentationes & motus carnales, quos dæmon nobis insciis, aut invitis excitare potest, absque voluntatis consensu nobisque invitis essent peccata, homo tentaretur supra id quod potest; siquidem non est in hominis potestate, semper impedire, ne ejusmodi motus exurgant: ergo. Celebre quoque est illud D. August. l. 1. retract. c. 13. in solatium tentatorum, maximè scrupulosorum dicentis: *Peccatum adeò voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Et l. de duab. anim. dicit, *non nisi voluntate peccatur.* Ex quibus etiam

Probatur secundò ratione. Nihil potest esse 6. peccatum, quod non est voluntarium; quia, si non sit voluntarium, non est liberum, non morale; nec proinde cadit sub præcepto, neque capax meriti vel demeriti: sed prædicti motus & fomes concupiscentiæ nobis non sunt voluntarii, imò sæpenumerò involuntarii: ergo peccata esse non possunt.

Probatur tertiò ab absurdis, Nam sequitur 7. primò,

primò, quòd homo contra suam voluntatem cogi posset ad peccandum, siquidem motus concupiscentiæ etiam à dæmone, & per vim extrinsecùs illatam excitari possunt. Sequitur secundò. Simul in eodem supposito meritum, & demeritum, sive peccatum posse consistere: demeritum sive peccatum in motu concupiscentiæ, meritum in voluntate resistente; siquidem resistere ejusmodi tentationibus actus virtutis est, ab auxilio divino supernaturali proveniens.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

8. Objicies primò ab authoritate. Quod lege prohibetur est malum: sed concupiscentiæ omnes motus prohibentur per legem & præceptum, *Non concupisces*: ergo isti omnes motus sunt mali. Et confirmatur è D. Augustino, in lib. de sp. & litt. dicente, illum solùm satisfacere præcepto, *Non concupisces*, qui nullos patitur motus carnis. Secundò. Apostolus Rom. 7. dicit, illos motus esse *contra legem mentis suæ*: sed quod est contra legem & regulam rationis, peccatum est: ergo. Tertiò. Ibidem concupiscentiam appellat *malum & peccatum*. Quartò. Joan. ep. 1. c. 2. dicit, concupiscentiam non esse à DEO: sed solum peccatum non est à DEO: ergo concupiscentia est peccatum.

9. Respond. ad 1. Per præceptum, *Non concupisces*, prohiberi concupiscentiam voluntariam & deliberatam, ut sensus præcepti sit, non consenties malæ concupiscentiæ. Ideo Eccli. 18. dicitur: *Post concupiscentias tuas non eas.* Et Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Unde etiam Pius V. & Gregorius XIII. damnârunt istum articulum. *Prava desideria, quibus homo non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, Non concupisces.*

Ad confirmationem è D. Aug. Respond. Mentem esse S. Patris, quòd ille qui nullos patitur motus carnis, solus satisfaciat huic præcepto quoad perfectionem & finem legis, non autem quoad obligationem legis, quæ non est nisi de mediis pro consequenda carnis ad spiritum subjectione & obedientia adhibendis.

Ad 2. Respond. motus involuntarios concupiscentiæ esse contra legem mentis, materialiter non formaliter; illud autem tantummodo est peccatum, quod est contra legem & regulam rationis formaliter. Sic pariter concupiscentia vocatur malum & peccatum materialiter & objectivè, quia est id, quod accedente consensu voluntatis est formaliter malum & prohibitum, vel metonymicè & figuratè, partim in quantum est effectus peccati originalis; partim in quantum est causa & occasio inducens in consensum peccaminosum, ex quo patet solutio ad 3.

Ad 4. nego min. nam non solùm peccatum formaliter, sed neque ulla alia inordinatio moralis, etiamsi non sit conjuncta cum peccato, est à DEO. Et sic secundùm Apostolum etiam fomes seu concupiscentia, quatenus est vitiosa & inordinata, & rebellis rationi, ut sic non est à DEO, sed est effectus peccati originalis: est tamen à DEO, quatenus est inclinatio, aut motus in bonum sensibile proportionatum naturæ sensitivæ.

10. Objicies secundò à ratione. Peccatum originale imputatur parvulis, & si non propriâ voluntate sit contractum: ergo etiam fomes imputatur adultis, & si non sit propriâ voluntate contractus; siquidem est sequela peccati originalis. Secundò. Ad peccandum sufficit voluntarium in causa: sed motus concupiscentiæ sunt voluntarii in causa, nimirum in peccato originali: ergo. Tertiò. Si motus concupiscentiæ primò primi non essent peccata, liceret in illis habere complacentiam, aut illos desiderare: sed neutrum est licitum: ergo sunt peccata.

11. Respond. ad 1. neg. consequentiam: hoc quippe soli peccato originali proprium est, ut ratione pacti cum Adamo initi imputetur posteris peccatum ipsius Adami tanquam moraliter contentis in voluntate primi parentis, & capitis totius humanæ posteritatis: omne autem aliud peccatum propriâ voluntate committitur, ideoque personale dicitur. Ad 2. dist. maj. sufficit voluntarium in causa proxima per propriam voluntatem datâ, concedo; remotâ, per alienam voluntatem datâ, ut est fomes concupiscentiæ, & motus ipsius, nego. Ad 3. nego sequelam; ut enim non liceat illos desiderare, sufficit quòd sint mali malitiâ objectivâ; nec requiritur, ut sint mali malitiâ formali.

§. IV.

Altera pars quæsiti resolvitur.

12. CONCLUSIO secunda. *Motus concupiscentiæ independenter ab omni actuali vel interpretativo consensu voluntatis ne quidem potest esse veniale peccatum.* Ita Alvarez & Medina contra Gonet, & Salmant.

Probatur primò authoritate suprà adductâ præsertim Evangelicâ, ubi negatur *hominem coinquinari, nisi per illa quæ ex corde*, h. e. voluntate *exeunt.* Et D. Aug. affirmantis, solâ voluntate peccari. Tridentini sess. 5. in decr. de peccato originali definientis, *concupiscentiam, quæ in baptizatis manet, non nocere non consentientibus.*

13. Probatur secundò ratione & authoritate S. D. in 2. d. 24. q. 3. a. 2. Omne peccatum commissionis est aliquis actus inordinatus voluntarius & moralis: sed motus appetitûs sensitivi absque aliquo voluntatis influxu non est voluntarius & moralis: ergo. Min. prob. partim ex loco citato. ubi dicit S. D. *Ibi incipit genus moris, ubi primò dominium voluntatis invenitur:* partim ex eo quòd idem S. D. definit, actum humanum & moralem esse illum, qui ex voluntate deliberata procedit, & quem homo operatur tanquam homo & dominus suorum actuum: sed non nisi per voluntatem homo operatur ut homo & dominus suorum actuum: ergo absque exercitio voluntatis nullus actus est voluntarius & moralis.

14. Probatur tertiò. Ad omne peccatum etiam veniale requiritur libertas contrarietatis circa bonum & malum morale, h. e. circa honestum, & inhonestum: sed in appetitu sensitivo independenter à voluntate non est libertas circa hone-

stum & inhonestum: ergo etiam in appetitu sensitivo independenter à voluntate non potest esse peccatum veniale. Minor probatur: Ut in appetitu sensitivo esset libertas & indifferentia circa rationem honesti & inhonesti, deberet appetitus regulari per judicium indifferens, in quo videlicet rationes honesti & inhonesti, liciti & illiciti, indifferenter proponeretur [hâc quippe de causâ appetitus rationalis habet libertatem contrarietatis circa bonum & malum morale] sed per tale judicium regulari non potest; nam sicut voluntas per rationem, sic appetitus sensitivus excitatur & regulatur per potentiam cogitativam: sed ratio honesti & inhonesti est extra sphæram & objectum potentiæ cogitativæ, nec ab ipsa apprehendi potest; cùm enim sit potentia sensitiva, non est nisi de objecto sensibili, quale non est ratio honesti & inhonesti: ergo.

15. Respondent Adversarii, sufficere, quòd motus sensualitatis sit à voluntate tanquam movere potente, non tamen tanquam actu movente, quod fit, quando ratio illos quidem motus advertit, & exinde voluntatem constituit in potentia illos motus reprimendi, voluntas tamen actu neque consentit, nec etiam resistit.

Sed contra est primò. Voluntas ut præcisè potens movere, tantùm dicit dominium habituale & potentiale, non autem actuale: sed peccatum seu actus moralis & humanus dicit dominium actuale; ergo ad peccatum non sufficit, præcisè quòd voluntas sit potens reprimere motum appetitûs sensitivi.

Contrà est secundò. Si requiritur advertentia rationis, ad hoc ut motus sensualitatis sit peccatum, tunc etiam voluntatis consensus requiritur. Antecedens per adversarios est verum; ergo & consequens. Sequela probatur: Sicuti potentia cogitativa rationi, sic vis appetitiva in homine subordinatur voluntati: ergo sicuti ad peccandum non sufficit cogitativa sine concursu rationis, ita nec sufficit appetitiva sine concursu voluntatis.

Contrà est tertiò. Quando voluntas non resistit motibus inordinatis, quibus potest & debet resistere, tunc interpretativè consentit, uti mox dicetur ex instituto: sed juxta Gonettum quando in appetitu sensitivo est peccatum, tunc voluntas potest inordinato ipsius motui resistere, & debet: ergo interpretativè consentit, adeóque nunquam est peccatum in appetitu sensitivo sine interpretativo saltem consensu voluntatis.

16. Replicat Gonet. Istum interpretativum consensum voluntatis non adesse per se formaliter & ex exigentia venialis malitiæ, sed tantùm per accidens & concomitanter, nimirum ex natura voluntatis, quæ existente cognitione nequit esse suspensa. Sed contrà est: quod malitia peccati etiam venialis per se exigit, ut sit voluntaria, moralis, & contrariè libera: atqui ad hoc etiam per se requiri aliquem consensum voluntatis, vel formalem, vel interpretativum, sufficienter ostensum est: ergo. Præterea. Etiam juxta Gonetum per se requiritur ad malitiam venialem inordinati motûs concupiscentiæ advertentia rationis: ergo etiam per se requiritur consensus aliquis voluntatis. Consequentia probatur: quia ratio non est immediata regula appetitûs sensitivi, sed rationalis: ergo nonnisi mediante consensu voluntatis potest concurrere ad malitiam illius motûs.

§. V.

Solvuntur Objectiones.

Objicies primò authoritatem S. D. hic a. 3. ad 1. dicentis, *Appetitus sensitivus in nobis præ aliis animalibus habet quandam excellentiam, scilicet quòd natus est obedire rationi: & quantum ad hoc potest esse principium actûs voluntarii, & per consequens peccati.* Ubi, inquit Gonet, S. D. non recurrit ad actualem influxum, quem voluntas vel ratio in appetitum exerceat, sed ad illam excellentiam habitualem, quâ natus est ita in suum objectum tendere, ut tamen valeat cohiberi à voluntate. In q. 7. de malo a. 6. *Sensualitas* [inquit] *quandoque movetur absque imperio rationis & voluntatis, & tunc peccatum dicitur esse in sensualitate: sed tunc peccatum non potest esse mortale, sed veniale tantùm.* 17.

Respond ad 1. illam authoritatem magis obesse, quàm favere Adversariis; nam ex illa sequitur, quòd propter obedientiam ad rationem, cujus appetitus sensitivus hominis solius est capax, etiam sit principium actûs voluntarii: sed hanc obedientiam non habet actu, nisi voluntas imperet; nam certè appetitus sensitivus non est principium actûs moraliter boni, nisi propter obedientiam actualem & influxum voluntatis: ergo neque est principium actûs moraliter mali nisi dependenter ab imperio vel influxu voluntatis.

Ad 2. Respond. *Tò imperium* accipi à S. D. in propria & rigorosa significatione, in qua, cùm sit actus perfectè deliberatus, præceptiva intimatio & impulsus non tantùm veniale sed etiam mortale peccatum causat. Nos autem loquimur solùm de imperfectè deliberato, aut interpretativo etiam imperio & consensu voluntatis, quem S. D. supponit.

Instat Gonet è S. D. q. 25. de Ver. a. 5. ad 5. dicente: *Non dicitur peccatum esse in sensualitate propter interpretativum consensum rationis.*

Respond. S. Doctorem hoc velle, quòd ratio, cur peccatum sensualitati tanquam principio vel subjecto tribuatur, non sit consensus rationis, sic enim potiùs tribueretur rationi, sed ipsius imperfecta libertas, seu subjicibilitas ad rationem. Ex quo tamen non sequitur, quòd ad imputabilitatem malitiæ venialis per se nullus requiratur influxus voluntatis, prout ipse insinuat, ad 9. dicens: quòd *omne peccatum imputatur homini, in quantum habet voluntatem, & tamen peccatum dicitur esse aliquo modo in illa potentia, cujus actum contingit esse defectum.*

Objicies secundò ex ratione: In illa potentia potest esse peccatum veniale, in qua est libertas: sed appetitus sensitivus propter habitualem conjunctionem cum voluntate habet propriam, quamvis minimam & imperfectam libertatem: ergo propter eandem habitualem conjunctionem potest esse subjectum peccati venialis. Minor est certa S. Doctoris inprimis hic a. 2. ad 3. dicentis: *Potentiæ appetitivæ interiores comparantur ad rationem quasi libera.* Deinde potentia 18.

tia cogitativa & memorativa in homine propter conjunctionem cum ratione participat vim discurrendi circa singularia, ut habet idem S. D. 1. p. q. 78. a. 4. in c. ergo similiter appetitiva participat libertatem propter conjunctionem cum voluntate. Tandem subjectum virtutis & vitii debet esse intrinsecè liberum: sed appetitus sensitivus est subjectum virtutis & vitii; ergo. Ex quo

Confirmatur primò. Subjectum virtutis & vitii etiam potest esse subjectum peccati: sed appetitus sensitivus independenter ab actuali influxu voluntatis est subjectum virtutis & vitii; ergo.

Confirmatur secundò. Ad peccatum mortale, quod est perfectum & maximum in genere peccati, requiritur perfecta libertas, quæ est in voluntate: ergo ad veniale quod est minimum in genere peccati, sufficit libertas minima, quæ reperitur in appetitu sensitivo.

19. Respondeo primò. Si quid hæc argumenta, prout etiam authoritates objectæ, probarent, probarent etiam contra Adversarios, quòd motus inordinati concupiscentiæ primò primi prævenientes rationem & advertentiam, vel etiam contradicente ratione eliciti essent peccata venialia, siquidem procedunt à potentia habente imperfectam libertatem, suntque inordinati: hoc autem repugnat Tridentino, & doctrinæ Adversariorum: ergo.

20. Respondeo secundò. In illa potentia potest esse peccatum, in qua est libertas & indifferentia circa bonum & malum morale, concedo; alia quæcunque, & circa bonum sensibile præcisè, nego. Atqui independenter à voluntatis influxu & regula rationis non dari in appetitu sensitivo libertatem circa bonum & malum morale, utpote constitutum extra sphæram & objectum ipsius, constat ex dictis: Unde, concessis probationibus Minoris, quæ solùm probant libertatem imperfectam, non autem quod sufficiat ad peccatum sine motu & consensu voluntatis:

Ad primam Confirmationem nego min. nam virtutes & vitia in appetitu sensitivo non nisi per actus ab intellectu & voluntate regulatos regulantur.

Ad 2. Confirmat. patet ex dictis; nam negatur consequentia: siquidem illa imperfecta libertas sine consensu voluntatis non est circa bonum & malum morale.

§. VI.

Corollaria.

21. Colliges ex dictis primò. Imperfectam libertatem appetitûs sensitivi maximè in hoc consistere, uti explicat S. D. cit. q. 25. de Verit. quòd ratio advertens motus in appetitu excitatos ab objecto repræsentato sub ratione delectabilis, illud objectum repræsentet, & applicet pariter potentiam cogitativam & phantasiam ad illud apprehendendum sub ratione objecti tristabilis, quo facto reprimitur motus concupiscentiæ: quamvis è vehementia primæ apprehensionis, quæ ut propiùs & connaturaliùs, sic fortiùs influit in appetitum, sæpe contingat, illos motus, etiam ratione in contrarium nitente, continuari: quâ de causâ licèt absolutè appetitus sit subjectus voluntati, ut aversetur illud objectum, quod ipsi ex impulsu voluntatis ab intellectu tanquam tristabile proponitur; non tamen despoticè, ut vocant, & serviliter subest, sed politicè: quia aliquando fortiùs trahitur per repræsentationem phantasiæ, quâ objectum ut delectabile proponitur, quàm per repræsentationem intellectûs, quâ objectum ut tristabile repræsentatur: ideoque indiget habitibus facilitantibus ad obediendum rationi.

Colliges secundò. Sensualitatem tantùm esse subjectum peccati venialis, non autem mortalis, ut habet S. D. a. 4. Ratio est: quòd illa solùm potentia dici potest subjectum peccati mortalis, cui potest attribui deordinatio ab ultimo fine: sed hæc non potest attribui appetitui sensitivo: ergo. Minor probatur: Illi potentiæ non potest attribui deordinatio à fine ultimo, cui non potest attribui ordinatio in finem ultimum; oppositorum enim est commune subjectum: sed ordinare in finem ultimum non pertinet ad appetitum, sed ad rationem: ergo. 22.

Colliges tertiò. Causam, cur peccatum veniale motûs concupiscentiæ tribuatur appetitui sensitivo, non autem mortale, esse, quia perfecta deliberatione deviare & averti à fine ultimo, est maximè vitium rationis & deliberati consensûs, quantumvis motus ab appetitu sensitivo proveniat: atqui complacentia imperfecta, cum semiplena tantùm deliberatione potiùs est ex vitio sensualitatis, suæ passionis vehementia turbantis rationem, & perfectam advertentiam impedientis. 23.

Colliges quartò. In ratione seu intellectu subjectari posse peccatum mortale, ob rationem oppositam. Nam in ea potentia potest esse peccatum mortale, in qua potest esse deordinatio circa finem ultimum, sed hæc potest esse in intellectu, & est de facto, quotiescunque intellectus practicus in voluntate regulanda à debito ultimo fine aberrat: Nihilominus non tantùm in regulando potentias inferiores, sed etiam in cognoscendo proprio objecto & veritate nunc leviter, nunc graviter ratio errare potest. 24.

ARTICULUS III.

An peccatum morosæ delectationis sit in ratione?

SUMMARIA.

1. *Quid sit morosa delectatio?*
2. *Quid sit ratio superior, & inferior?*
3. *Morosa delectatio est in ratione dirigente,*
4. *& inferiori.*
5. *Objecta solvuntur.*

§. I.

Prænotanda.

Notandum primò. Morosam delectationem rectè definiri, quòd sit *voluntaria delectatio de ali-* 25

de aliqua re inhonesta, per cogitationem ut præsenti apprehensa. Dicitur primò, *voluntaria delectatio*, quo indicatur, illam non appellari morosam à mora temporis, quo delectationi inhæret, sed à mora rationis & voluntatis, vetitam delectationem post plenam advertentiam reprimere negligentis, cùm tamen posset & deberet reprimere: unde peccatum morosæ delectationis etiam in instanti potest contingere. Dicitur secundò. *De re inhonesta*, h. e. de objecto illicito in quacunque materia, quamvis communiori usu intelligatur delectatio de objecto illicito in materia venerea. Hinc excluduntur delectationes de cogitatione, vel aliquo modo & circumstantia rei illicitæ, quæ absolutè possunt esse objectum bonum & honestum. Dicitur tertiò. *De re ut præsenti apprehensa*; si enim esset de re quatenus futura, vel exequenda, non adesset tantùm consensus in delectatione, sed etiam in ipsum opus, quod est longè majus & distinctum peccatum à morosa delectatione, & solet appellari delectatio operosa. Ita qui habet voluntariam & simplicem complacentiam in fornicatione cum aliqua fœmina sibi in mente delectabiliter repræsentata, tamen sine voluntate cum illa peccandi, peccat peccato morosæ delectationis; sin ulteriùs progrediatur ad desiderium peccandi, & ad consensum in opus oblatâ occasione exequendum, graviùs peccat peccato operosæ delectationis.

2. Notandum secundò. Rationem dividi à S. D. in superiorem & inferiorem, cui respondet ex parte voluntatis portio superior & inferior, quæ distinctio non est in duas potentias, sed tantùm in duo munia ejusdem intellectûs inadæquatè distincta. Nam eadem ratio quatenus per rationes superiores & æternas procedit ad ferendam sententiam de honestate vel turpitudine actûs, sic dicitur ratio superior; eadem verò quatenus per rationes temporales & humanas judicat de temporali bonitate, utilitate, delectabilitate alicujus actûs, sic dicitur ratio inferior: e. g. si conspecto inimico dictat cogitatio, illum esse occidendum, quia est honorificum vindictam sumere de inimico, dicitur hoc esse judicium rationis inferioris; si dictat, illum non esse occidendum, quia lex charitatis imperat etiam inimicis ignoscere, dicitur hoc esse judicium rationis superioris. Quæritur ergo: an peccatum morosæ delectationis sit in ratione, eâque vel superiori, vel inferiori?

§. II.

Assignatur subjectum morosæ delectationis.

CONCLUSIO. *Peccatum morosæ delectationis est in ratione dirigente, & magis appropriatur rationi inferiori; uti econtra consensus in opus magis attribuitur rationi superiori.* S. D. a. 6. & 7. 3.

Ratio 1. partis est: Tunc peccatum est in ratione dirigente, quando motus aliarum potentiarum non corrigit prout potest & debet corrigere: sed tunc contingit peccatum morosæ delectationis, quando ratio est negligens in corrigenda inordinata complacentia & delectatione appetitûs sive rationalis sive sensitivi: ergo peccatum morosæ delectationis est in ratione dirigente.

Ratio 2. & 3. partis est ex S. D. citato, quòd judicium præambulum ad finalem sententiam potiùs tribuitur judici inferiori, quàm superiori: uti vice versâ finalis sententia de agendis magis adscribitur judici superiori, quàm inferiori: atqui consensus in delectationem [quod est peccatum morosæ delectationis] dicit judicium præambulum ad finalem sententiam, siquidem delectatio præcedit actum, & ad ipsum ordinatur: consensus verò in actum includit finalem sententiam de agendis: ergo peccatum morosæ delectationis magis rationi inferiori; econtra consensus in actum magis est tribuendus rationi superiori. 4.

Dices: Nunquam committitur peccatum morosæ delectationis, nisi ratio advertat ad inhonestatem ipsius, quòdque delectatio sit repugnans legi æternæ & rectæ rationi: sed hoc pertinet ad rationem superiorem: ergo etiam ipsum peccatum morosæ delectationis pertinet ad rationem superiorem. Præterea; Æquè voluntas ex objecti delectabilitate movetur ad consensum in opus, quàm in delectationem: sed hoc pertinet ad rationem inferiorem: ergo æquè consensus in opus pertinet ad rationem inferiorem, ac consensus in delectationem. 5.

Respondeo: tam consensum in delectationem esse in ratione superiori, quàm consensum in opus in ratione inferiori subjectivè, sed non ita appropriativè: nam ob prædictam rationem congruentiæ per quandam accommodationem magis appropriatur consensus delectationis rationi inferiori ceu præambulæ, & quæ proximè trahitur à delectabilitate objecti, quàm consensus in opus, ubi major supponitur advertentia & apparentia legis prohibentis.

ARTICULUS IV.

An morosa delectatio, seu consensus in delectationem sit peccatum mortale?

SUMMARIA.

1. *Distinctio inter delectationem de cogitatione, & de re cogitata.*
2. *Aliquando delectatio est de substantia, aliquando de circumstantia rei malæ.*
3. *Regula discernendi delectationem de cogitatione, & de re cogitata in materia venerea.*
4. *Quæstio instituitur etiam de delectatione sistente in voluntate.*
5. *Licitum est delectari de cogitatione rei malæ.*
6. *Item de modo artificioso illius.*
7. *Consensus in delectationem de re mala semper malus, juxta Script. & PP.*
8. *Ratio D. Thomæ.*
9. *Consensus in delectationem veneream extra statum matrimonii est mortale peccatum.*
10. *Objectiones.*

11. *Sol-*

11. *Solvuntur.*
12. *Oblectatio rei malæ extrinsecè non semper est mala.*
13. *Oblectatio de opere malo, ut malo, est mala.*
14. *Non est malum desiderium operis mali sub conditione vere auferente malitiam.*
15. *Est malum sub conditione non vere auferente malitiam.*
16. *Quomodo per morosam delectationem peccet vidua, vel sponsus?*
17. *Quandonam excusentur à peccato.*
18. *Quando conjuges peccent?*

§. I.
Prænotanda.

1. CErtum est, quòd consensus in ipsum opus, sit peccatum ejusdem gravitatis & speciei, sicut opus ipsum: solùm igitur procedit quæstio de consensu in delectationem. Circa quam

Notandum primò: Delectationem aliquando esse de cogitatione rei malæ, aliquando verò de re mala cogitata. De cogitatione delectamur, quando motivum delectandi non est res cogitata, quam animus abhorret, & detestatur, sed ipsa cognitio veritatis, quam habemus de tali objecto; ita homines justi & sapientes, Angeli, DEUS ipse complacentiam habent de exacta cognitione etiam gravissimorum peccatorum. De re cogitata delectamur, cùm motivum delectandi est delectabilitas ipsius rei & objecti cogitati, ipsaque cogitatio solùm est conditio sine qua non.

2. Notandum secundò. Delectationem aliquando esse de substantia operis mali, aliquando verò tantùm de aliqua circumstantia, aut modo delectabili ipsius. Sic ridet aliquis casum hominis ebrii, non quòd reverà gaudeat vel de casu vel de ebrietate, sed de modo amentiæ, quam ebrius exhibet. Ita placent in Comicis actionibus ingeniosa furta, non quòd ipsum opus injustitiæ, sed modus furandi ingeniosus, aut mimicum imitandi artificium oblectet. Et ratio est: quòd appetitus sequatur apprehensionem: sed in apprehensione quandoque aliquis modus ac circumstantia ut delectabilis repræsentatur, absque hoc, quòd opus ipsum delectabile appareat: ergo similiter appetitus poterit delectari in aliquo modo & circumstantia sine operis ipsius complacentia.

3. Notandum tamen tertiò. Quamvis extra materiam veneream facile sit delectationem de cogitatione rei malæ, aut delectatione ipsius rei distinguere, id tamen esse perquam difficile in cogitatione de objectis venereis, eò quòd propter objecti delectabilis vehementiam, naturæque vitiatæ lubricam propensionem periculosum sit in solius cogitationis delectatione sistere, quin simul rapiatur appetitus in rei cogitatæ delectationem. Nihilominus signa quædam, è quibus cognosci possit, num de sola cogitatione rei inhonestæ sit delectatio, tradit Castropal. Tr. 2. disp. 2. p. 10. §. 1. primò, si habeas expressam displicentiam operis mali, & interrogatus, an illud opus placeat, mox negativè responderes. Secundò: si cogitatio rei inhonestæ oriatur ex causa vel occasione licita & honesta: v. g. ex auditis confessionibus, lectione, & studio Casuum, rei medicæ &c. Tertiò: si non sit major affectus erga elegantiam, & artificium aliquod, quod reperitur in turpi objecto, quàm si illud in re indifferenti, vel honesta audires, inspiceres, &c. tunc magis de modo artificioso vel pulchro, quàm de re ipsa delectari præsumeris; econtra si artificium aliquod picturæ, carminis, musicæ, narrationis historiæ, exhibitionis comicæ in objectis turpibus avidè venaris, in aliis verò piis honestisve objectis erga illud parum aut nihil afficeris, non tam de modo pulchro & artificioso, quàm ipsa objecti turpitudine convinceris delectari.

Notandum quartò. Quæstionem procedere non tantùm de consensu in delectationem sensibilem, quæ nimirum oritur in appetitu sensitivo, sed etiam rationali, quæ est complacentia ipsius voluntatis & appetitûs rationalis: nam utraque sufficit ad morosam delectationem. His positis 4.
sit

§. II.
Statuitur discrimen inter delectationem de cogitatione, & re mala cogitata.

CONCLUSIO PRIMA. *Per se loquendo nullum est peccatum delectari de cogitatione, vel aliquo modo artificioso & delectabili rei illicitæ.* Ita communis. 5.

Ratio est: quia delectatio rei non malæ non est mala; atqui cogitatio rei malæ, vel aliquis modus mirabilis, aut delectabilis ipsius, non est malus: ergo neque de his voluntariè delectari est malum. Unde DEUS & angeli gaudent de facto de perfecta cognitione, quam habent, non tantùm bonorum, sed etiam malorum. Dixi per se loquendo; nam per accidens fieri potest, ut ejusmodi delectatio fiat mala saltem venialiter, vel ex intermissione debitæ ordinationis in bonum finem, vel ex adjunctione finis indebiti.

Dices: Non licet desiderare & efficaciter velle aliquem modum artificiosum, qui est inseparabilis ab actu malo; ergo etiam tali artificioso modo delectari non licet. Respond negando consequentiam: quia simplex complacentia sequitur conditionem objecti, ut est in apprehensione, sed apprehensio aliquando præscindit modum artificiosum ab ipsa malitia operis; estque per accidens, quòd illud artificium in tali materia inhonesta reperiatur. Econtra voluntas efficax sequitur conditionem objecti ut est à parte rei, ubi modus artificiosus non est separabilis ab opere malo. 6.

CONCLUSIO SECUNDA. *Consensus in delectationem de re mala cogitata, semper est malus: & pro qualitate objecti vel mortale vel veniale peccatum.* Ita communis Catholicorum DD. cum S. D. hâc q. 74. a. 8. 7.

Probatur primò authoritate S. Script. & PP. Nam ps. 10. *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Et Matth. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est illam in corde suo.* Qui locus non solùm de efficaci appetitu peccandi, sed etiam de simplici & deliberata delectatione fornicandi à SS. PP. exponitur: nam Hilarius in hunc ipsum locum, *In Evangelio,* inquit, *adulterio motus tantùm oculi incidentis æquatur, & cum fornicationis opere punitur illecebrosa* *trans-*

transcurrentis visûs affectio. Ita & Chrysost. hom. 17 in Matth. *Qui studet*, inquit, *elegantes facies inspicere, ipse sibi fornacem istius passionis accendit, & captivam faciens animam ad opus quoque celeriter adducit, propterea non dixit, qui concupivit ad adulterandum, sed qui viderit ad concupiscendum.* Ubi S. Pater expressè distinguit inter concupiscere, & videre ad concupiscendum. Item S. Greg. l. 21. Moral. c. 2. *Per Moysen luxuria perpetrata, per auctorem verò munditiæ luxuria cogitata damnatur.* D. August. l. 12. de Trin. c. 12. *Nec sanè*, inquit, *cùm sola delectatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen & volvens libenter, quæ statim ut attingunt animum, respui debuerunt, negandum est esse peccatum; sed longè minùs, quam si opere statuatur implendum.* Et mox, ut ostendat in hac morosa delectatione gravitatem peccati mortalis reperiri, subjicit: *Totus homo damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate peccandi, sed tamen non sine voluntate talibus animum oblectandi solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.*

8. Probatur tertiò ratione S. Doctoris. Omnis deliberata voluntas rei malæ, est mala: sed consensus in delectationem rei malæ est deliberata voluntas rei malæ: tum quia delectatio cum consensu juncta est deliberata adhæsio & inclinatio in rem malam; tum quia delectatio & operatio reducuntur ad idem genus: e. g. ad justitiam æquè pertinet delectari de operibus justis, ac operari justa; ipsæque delectationes sunt propter operationes: ergo, si opus ipsum est malum, etiam deliberatè delectari de tali opere malum est; & consequenter, si opus sit mortaliter malum, etiam delectatio erit mortale peccatum, vel si sit malum venialiter, erit veniale; e. g. si delectationem capias, quòd levi mendacio alium deceperis, erit peccatum veniale; si gaudeas de commisso gravi furto, vindicta, &c. erit mortale peccatum.

§. III.

Consensus in delectationem veneream damnatur peccati mortalis.

9. CONCLUSIO TERTIA. *Consentire in delectationem veneream extra statum matrimonii semper est mortale peccatum, tametsi delectatio sistat in sola voluntate, & non sit in appetitu sensitivo.* Ita Comm.

Et probatur primò suprà adductis authoritatibus, quæ maximè loquuntur de delectatione venerea; ideoque delectantes condemnant peccati mortalis.

Probatur secundò ratione: Consentire in delectationem, quæ in se gravem deformitatem & repugnantiam habet cum recta ratione, est grave peccatum: sed delectatio venerea sive sit in appetitu sensitivo, sive sistat in voluntate, habet gravem deformitatem & repugnantiam cum recta ratione; unde ibi nulla datur parvitas materiæ: ergo consensus in illam semper est grave peccatum. Minor quoad 1. partem probatur: Venerea delectatio orta in appetitu sensitivo est libidinosa commotio spirituum generationi servientium naturâ suâ tendens ad expulsionem seminis, seu actum generationis: sed hunc finem quærere, & actum generationis inchoare extra statum matrimonii habet gravem deformitatem repugnantem instituto naturæ & regulis rectæ rationis, estque pro varietate objectorum, circa quæ versatur mens venereè se oblectantis, aut inchoata mollities & peccatum contra naturam, aut fornicatio, &c. ergo hæc delectatio semper habet gravem deformitatem contra rectam rationem. Quoad 2. quoque partem probatur primò: Quia absque gravi necessitate & utilitate dare causam proximam intra genus luxuriæ per se incitativam ad motus libidinosos, est grave peccatum: sed complacentia voluntatis de actu vel objecto venereo est talis causa: ergo. Secundò: quia voluntas & amor operis mortaliter mali est mortaliter malus; sed etiamsi delectatio sistat in voluntate, est tamen amor operis mortaliter mali: ergo etiam est mortaliter mala.

Dices primò. Si morosa delectatio esset peccaminosa, etiam esset prohibita, & quidem præcepto, *Non concupisces*: sed hôc non est prohibita: quia per illud tantùm damnatur concupiscentia, quæ est efficax voluntas peccandi carnaliter: at delectatio tantùm est simplex complacentia & voluntas inefficax. Secundò. Delectari de actu virtutis non sufficit ad meritum: ergo etiam delectari de opere malo non sufficit ad peccatum. Tertiò. Malitia operis cogitati non semper redundat in delectationem: ergo non sequitur, si opus est malum, etiam delectationem de tali opere esse malam. Antecedens probatur: malitia intrinseca fornicationis consistit in damno prolis: sed hæc non redundat in simplicem delectationem voluntatis, neque enim fornicatio solùm cogitata damnum proli inferre potest. 10.

Respond. ad 1. primò. ex S. D. q. 15. de Ver. a. 4. morosam delectationem etiam prohiberi præcepto, *Non concupisces.* Quia qui voluntariè delectatur de opere illicito, concupiscit illud, non quidem ad efficiendum, quæ esset voluntas efficax, sed tamen ad sese oblectandum per amorem simplicis complacentiæ, adeòque est concupiscentia operis habendi affectivè, & in esse voliti, non executivè, & in esse rei. Respond. 2. Delectationes morosas prohiberi iisdem præceptis, quibus ipsa opera prohibentur; siquidem, ut dictum, delectatio & opera pertinent ad idem genus: Unde delectatio morosa de fornicatione, tactibus, osculis, &c. prohibetur sexto præcepto, quo omnia ad genus fornicationis pertinentia prohibentur. Ad 2. Respond. primò cum S. D. l. c. ad 13. negando consequentiam, quia plus requiritur ad meritum, quàm demeritum, cùm bonum sit ex toto, malum autem ex quolibet defectu, uti primò in simili casu diximus: Nihilominus 11.

Respond. secundò. Si delectatio de actu virtutis proveniat ex motivo intrinseco honestatis ipsius virtutis cum relatione ad DEUM ut ultimum finem, nihil ipsi deesse, unde à ratione meriti excludi debeat, ideoque nego antecedens. Ad 3. neg. ant. & probationem maj. dist. Malitia fornicationis consistit in damno prolis tantùm ut effectivè posito, vel ponendo, nego; etiam ut affectivè volito, concedo. Sed fornicatio tantùm

tùm

tùm cogitata non infert damnum proli effectivè & in esse rei, concedo; affectivè & in esse voliti, nego min. & consequentiam: nam & ipsum damnum prolis in illa interna oblectatione est interpretativè volitum, non quidem ad committendum, sed tamen ad oblectandum, ideoque tota inordinatio fornicationis [inquit S. D.] redundat in delectationem, quæ ex ipsa causatur.

§. IV.
Corollaria.

12. Colliges ex dictis primò. Oblectari absolutè & secundùm se iis rebus, quæ ideo tantùm sunt mala, quia lege positiva, vel voluntario voto prohibita, non esse peccatum mortale morosæ delectationis. Ita communis. Ratio est: quia in ejusmodi objectis tantùm extrinsecè malis delectatio fertur in substantiam operis, quæ per intellectum ab extrinseca prohibitione præscinditur: sed substantia operis sic præcisa nullam habet gravem malitiam; ergo etiam delectatio non est de objecto graviter illicito. Unde non peccabis graviter, die Veneris cum delectatione cogitando de esu carnium sine tamen proposito illas comedendi, siquidem ille de se non est illicitus. Dixi absolutè: si enim oblecteris de esu carnium, quatenus repugnat præcepto Ecclesiastico, ut fieri solet apud hæreticos, tunc utique delectatio fertur in formalem inobedientiam juri naturali repugnantem.

13. Colliges secundò. Jactare se, & gloriari de opere malo, quatenus in se grave malum est, semper esse peccatum mortale; non autem esse grave peccatum, gloriari de aliquo peccato sub aliquâ ratione, vel modo non graviter malo: e. g. si glorieris de robore & corporis viribus, quibus alium superâsti in epotandis calicibus, unde ille fuit inebriatus, tunc enim fieri potest, ut non adsit approbatio ipsius operis mali, v. g. ebrietatis, in quantum mala est, sed tantùm alicujus circumstantiæ non graviter malæ.

14. Colliges tertiò. Non esse mortale peccatum, desiderare aliquod opus hic & nunc prohibitum, vel delectari de illo sub conditione verè auferente malitiam operis. Ita communis DD.

Ratio est, quia non nisi voluntas operis mali est mala: sed cùm conditio aufert malitiam, non est voluntas operis mali: ergo delectari de objecto sub conditione verè auferente malitiam, non est malum. Itaque non est grave peccatum, si conjugatus dicat, Ducerem aliam uxorem, si ista esset mortua: si quis die Veneris cogitet, Quàm libenter comederem carnes, nisi esset dies Veneris, &c. Dixi *sub conditione verè auferente malitiam.* Nam

15. Colliges quartò. Si conditio adjecta malitiam tantùm ex parte auferat, vel omnino nullam, uti contingit in actibus intrinsecè malis, quæ nullâ circumstantiâ vel conditione cohonestari possunt, tunc esse nihilominus peccatum desiderare tale opus, vel delectari de illo. Ratio primi est, quòd tunc saltem pars operis supponitur esse graviter prohibita, e. g si quis dicat: Vellem furari hunc calicem, nisi esset res sacra; conditio adjecta aufert quidem malitiam sacrilegii, non autem malitiam furti. Ratio secundi est, quòd conditio impossibilis habetur pro non adjecta: sed in objectis & actibus intrinsecè malis conditio auferens malitiam est impossibilis: ergo habetur pro non adjecta. Præterea: Optare, ut mutetur lex naturæ, est malum: sed objectis intrinsecè malis adjicere conditionem auferentem malitiam, est velle, ut immutetur lex & ordo naturæ: ergo. Itaque non excusabitur à peccato, qui seriò dicit, Vellem blasphemare, mentiri, fornicari, me vindicare, si esset licitum, hic enim est affectus simpliciter peccaminosus. Dixi tamen, si *seriò* dicat: nam aliquando contingit, ut hoc modo loquendi homo tantùm significet internam & ordinatam naturæ propensionem, quam tamen recordatione divinæ legis cupit reprimere, neque habet complacentiam de opere malo: quo casu non erit grave peccatum: quamvis non sit consultum ejusmodi velleitatibus assuescere, cùm facilè transeant in veram & sinceram complacentiam operis mali, etiam tunc quando adjici videtur conditio malitiam auferens.

Colliges quintò. Mortaliter peccare viduam, 16. quæ in præsenti capit veneream delectationem de præterito actu conjugii, quem sibi præsentem imaginatur: & similiter sponsum, qui admittit carnalem voluptatem, excitatam per imaginationem copulæ conjugalis cum legitima sponsa: quamvis enim objecta illius delectationis sub ratione præteriti vel futuri non sint illicita, quatenus tamen apprehenduntur ut præsentia, sicque libidinosam delectationem excitant, sic habent gravem turpitudinem rectæ rationi repugnantem ob rationem superiùs adductam. Quod etiam de sola rationali delectatione non redundante in sensualitatem affirmant probabilius Vasq. Lessius. Castropal. Tr. 2. d. 2. p. 10. §. 2. eò quòd talis delectatio sit per se excitativa motuum impurorum. Sanchez tamen, Tannerus & alii existimant, non esse grave peccatum. Quod equidem speculativè loquendo & spectando delectationem præcisè ex parte objecti sine periculo motûs libidinosi, probabile est; sed quia tale periculum in causa proxima per se directè inductiva in ejusmodi motus in praxi abesse vix potest, ideo prior sententia Castrop. est practicè longè probabilior. Unde

Si dicas: Operatio & delectatio habent eandem bonitatem; sed actus conjugalis præteritus, de quo vidua; & futurus, de quo sponsus delectatur, est licitus: ergo & delectatio. Respondeo primò. Actus conjugalis est licitus pro statu præterito, vel futuro, concedo; pro statu præsenti, quem habet in repræsentatione phantasiæ, vel intellectûs, sic nego: ergo delectatio de ipso erit licita, quando non repræsentatur sub statu præsenti, concedo; secus, nego min. & consequentiam. Respond. secundò. Delectatio habet eandem bonitatem cum operatione, quando non per se causat aliam operationem illicitam, concedo; secùs, nego: sed delectatio de copula licita causat in præsenti motum illicitum, qui est inchoatio pollutionis, vel copulæ præsentis.

Colliges sextò. Non tamen peccare sponsum 17. vel viduam, si delectatione rationali gaudeant de actu matrimoniali sub formali ratione præteriti vel futuri, non imaginando illum ut præsentem; vel propter aliquem bonum effectum, v. g.

liberos procreatos, adeptam hæreditatem, &c. quia sub tali circumstantia & conditione objectum non habet specialem deformitatem, nec est per se excitativum motûs libidinosi. Quo modo etiam delectari de pollutione habita, præcisè ad bonum aliquem effectum, v. g. ob sanitatem, sedationem tentationis, &c. non esse peccatum, docent communiter DD.

18. Colliges septimò. . Conjuges mortaliter peccare, cùm in actu conjugali sibi imaginantur aliam personam, quia tunc delectationi morali applicant objectum mortaliter malum. Sed peccabuntne etiam, si in absentia compartis se oblectent de copula maritali? si subsit periculum pollutionis, mortaliter peccare, certum est: si non subsit, probabile est, non peccare mortaliter, quia status matrimonii sicuti excusat à gravi peccato tactus inhonestos inter conjuges, ad copulam expressà intentione non relatos, ita etiam motus concupiscentiæ, quamvis ad copulam non proximè ordinatos, excusare videtur, eò quòd utrique suâ naturâ ordinentur ad copulam conjugibus licitam. Ita Sylvius hic quæsit. 3 concl. 3. cum pluribus à se citatis. Quamvis etiam opposita sententia Sylvestri & Navarri sit probabilis; quia non satis liquet, quòd matrimonium delectationes carnales, quæ actum matrimonialem nec comitantur, nec ad illum disponunt, excuset à mortali.

ARTICULUS V.

Quanta advertentia requiratur ad peccatum morosæ delectationis?

SUMMARIA.

1. *Divisio advertentiæ in plenam & semiplenam:*
2. *In habitualem, actualem, virtualem, interpretativam.*
3. *Habitualis advertentia non sufficit ad peccandum.*
4. *Sufficit autem virtualis,*
5. *Et interpretativa.*
6. *Objectiones*
7. *Solvuntur.*

§. I.

Prænotanda ad statum quæstionis.

1. NOtandum primò. Advertentiam rationis dividi in plenam, & semiplenam. Semiplena & imperfecta est, per quam malitia actûs & objecti tantùm imperfectè apprehenditur, & apprehendi potest, prout contingit in semisopitis, vel aliqua vehementi passione, aut occupatione distractis. Plena advertentia est, cùm quis malitiam, vel periculum peccati perfectè videt, aut proximè videre potest. Cæterùm ad discernendum quandonam sit plena, vel semiplena advertentia, ex sequentibus signis cognosci poterit. Primò, si quis malam suggestionem peccati facilè posset in opus deducere, & tamen pro viribus resistit, ne Dominum DEUM graviter offendat, signum est, ipsum suggestioni plenè non consensisse. Secundò. Si quis cogitans insurgentes motus adversari legi divinæ, mox illos aversatur, atque ad DEUM confugit, pariter signum est, quòd tempore antecedenti, quo pravam tentationem sentit, defectu plenæ advertentiæ eidem non dederit plenum consensum. Tertiò. In dubio, num quis fuerit plenè sibi compos, cùm habuit inordinatam delectationem, si sit timoratæ conscientiæ, & à gravioribus peccatis ex DEI timore ut plurimùm abstinere soleat, potest pro se præsumere: nemo enim præsumitur malus, donec probetur. Contrarium erit dicendum, si passim pravas delectationes amplectatur: præsumptio enim formari solet ex communiter contingentibus.

2. Notandum secundò. Rationis advertentiam rursus dividi in habitualem, actualem, virtualem, & interpretativam. Habitualis est ipsa potentia & facultas, quam habemus ad cognoscendam malitiam. Actualis est expressa applicatio cognitionis ad malitiam actûs. Virtualis propriè est, quæ actu præcessit, nunc autem remanet in aliquo suo effectu. Interpretativa est, cùm quis proximè potuit, ac debuit advertere ad malitiam actûs, per negligentiam tamen propriâ voluntate causatam, actu ad illam non advertit. In qua advertentia interpretativa semper præcedit aliqua saltem suspicio & dubietas de malitiâ actûs. Quæritur ergo, quænam advertentia ex prædictis requiratur, aut sufficiat ad peccatum morosæ delectationis?

§. II.

Resolutio quæstionis.

CONCLUSIO. *Quamvis ad morosæ delectationis peccatum sola advertentia habitualis non sufficiat*, (4.) *tamen sufficit etiam virtualis* (5.) *vel interpretativa.* Ita communis. 3.

Primæ partis, quæ est contra Wendrochium & alios Jansenistas, negantes quòd ad peccandum semper requiratur aliqua advertentia peccati, Ratio est primò: Ubi non est cognitio, non est voluntarium: ergo si nulla sit advertentia & cognitio malitiæ, illa non potest esse voluntaria: sed ubi non est voluntarium, non est peccatum: ergo.

Secundò. Nemo peccat contra legem, nisi legitimè promulgatam: sed absque aliqua notitia & intimatione intellectûs practici lex sive divina, sive naturalis, sive humana non est legitimè promulgata, neque advertentia habitualis est ejusmodi promulgatio & notitia: ergo nisi præcedat aliqua notitia & judicium rationis practicæ, peccari non potest, & consequenter neque dabitur peccatum morosæ delectationis.

Tertiò. Si non requireretur aliqua notitia peccati, invincibilis ignorantia non causaret involuntarium simpliciter, neque excusaret à peccato: sed hoc est contra communem Catholicorum expositam in priori Tract: ergo. Cùm igitur nihil sit volitum, quin præcognitum, ut malitia delectationis sit voluntaria, & imputabilis, debet supponi aliquo modo præcognita.

Ratio

4. Ratio secundæ partis est: quia voluntarium, quod sufficit ad actum humanum, etiam sufficit ad peccatum: sed ad actum humanum sufficit voluntarium causatum per virtualem advertentiam, nec requiritur semper actualis advertentia; nam qui longiori temporis morâ continuat aliquod peccatum, etiam continuò peccat, quamvis initio tantùm ad illius peccati malitiam advertit: cùm sæpe in ipso flagranti crimine advertentia malitiæ per passionis vehementiam absorbeatur.

5. Ratio tertiæ quoque partis est: Voluntarium interpretativum sufficit ad peccandum; quia in moralibus interpretativum æquivalet formali: sed advertentia interpretativa sufficit ad voluntarium interpretativum: ergo. Min. probatur. Qui voluntariè negligit ponere media ad consequendum aliquem finem necessaria, prudenter censetur nolle ponere ipsum finem, ac proinde neglectus finis fit ipsi interpretativè voluntarius: sed is dicitur habere interpretativam advertentiam ad malitiam morosæ delectationis, qui habet voluntariam negligentiam in investiganda malitia ipsius, quæ tamen investigatio & cognitio debuisset & potuisset ipsum retrahere à consensu: ergo etiam delectatio ex tali neglectu consecuta imputatur ipsi, & censetur interpretativè voluntaria.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

6. Dices primò. Multi peccant absque ullo remorsu conscientiæ, de quibus dicitur Job 15. quòd *bibant sicut aquam iniquitatem*: ergo ad peccandum non semper concurrit advertentia rationis, ista quippe pertineret ad judicium conscientiæ. Imò quantò peccatores sunt magis habituati, & demersi in profundo peccatorum, tantò minùs cogitant de malitia peccati, ut experientia docet. Unde Sorbona, teste Wendtochio, hanc propositionem Baunii falsitatis damnavit Anno 1641. *Nunquam peccatur, nisi prævià peccati cognitione animus illustretur.* Secundò persecutores Apostolorum existimabant se obsequium præstare DEO: ergo non habebant notitiam & advertentiam malitiæ: ac tertiò multa committuntur peccata ex ignorantia, h. e. defectu debitæ advertentiæ: ergo in iis non adest advertentia peccati.

Respondeo. Quamvis multi peccent sine remorsu conscientiæ, in quantum remorsus peccati significat anxietatem & pavorem quendam ex reprehensione gloriæ relictum; non tamen sine remorsu, in quantum iste significat dictamen internum, quo ostenditur aliquid contrarium legi divinæ, quod saltem inchoativè repetitur in quovis peccatore, quantumvis habituato. Quæ admonitio conscientiæ præcessit etiam in persecutoribus Apostolorum, & præcedit in peccantibus ex ignorantia: hi enim licèt non semper proximè, saltem tamen remotè interno stimulo urgentur ad veritatem meliùs inquirendam; in quo sensu intelligenda est censura Sorbonæ, aliàs non magnopere curanda. Ex quo patet solutio ad 2. & 3. 7.

ARTICULUS VI.

An peccet mortaliter, qui negativè se habet ad insurgentes carnis tentationes?

SUMMARIA.

1. *Exponitur status quæstionis.*
2. *Alia resistentia efficax, alia inefficax.*
3. *Variæ causæ ex quibus potest omitti resistentia.*
4. *In periculo consensûs requiritur efficax resistentia.*
5. *Omissio resistentiæ ex complacentia semper culpabilis.*
6. *Absque periculo consensûs non est obligatio ponendi impedimenta difficilia, & extraordinaria.*
7. *Ex causa rationabili possunt permitti motus impuri sine periculo consensûs.*
8. *Est peccatum mortale omittere omnem etiam simplicem displicentiam pravorum motuum.*
9. *Ratio 1. ex proximo periculo consensûs.*
10. *Ratio 2. ex voluntario interpretativo.*
11. *Probabiliùs etiam simplex displicentia non excusat à gravi peccato.*
12. *Ratio ex interpretativo consensu.*
13. *Ostenditur probabilitas sententiæ contrariæ.*
14. *Ejus responsio ad fundamenta prioris sententiæ.*
15. *Quid prior sententia respondeat ad fundamenta posterioris.*
16. *Motus inordinati durantes contra resistentiam efficacem nec permissivè sunt voluntarii.*

§. I.

Certiora præmittuntur.

Status quæstionis est, an si homo advertat carnales motus, vel sponte, vel ex objecti obscœni cogitatione aut imaginatione excitatos, teneatur positivè resistere; an verò sufficiat ad excusationem à consensu & mortali peccato morosæ delectationis, ut non quidem positivè approbet illos motus, sed neque positivè improbet, aut efficaciter impedire conetur? Ubi 1.

Notandum primò. Resistentiam aliam esse efficacem, aliam inefficacem. Efficax est, per quam applicantur media ad ejusmodi tentationes reprimendas idonea. Inefficax est sola interna displicentia, & aversatio voluntatis. Cæterùm media alia sunt ordinaria, ut est oratio & animi ac phantasiæ applicatio ad alia cogitanda; alia extraordinaria & difficilia, ut flagra, cilicia, jejunia. 2.

Notandum secundò. Voluntariam resistentiæ omissionem intelligi posse vel omnis tam efficacis, quàm inefficacis, vel solùm efficacis resistentiæ. Eamque rursus ex diversis motivis oriri posse, vel propter simplicem complacentiam in illis motibus; vel quia per experientiam prudenter aliquis timet, ne ex conatu resistendi incidat 3.

in majores tentationes; vel tertiò, quia quis confisus de animi sui constantia contemnit motus sensualitatis. Ut in hâc quæstione certa ab incertis separentur.

4. Certum est primò: Quotiescunque subest proximum periculum consensûs in delectationem, toties esse obligationem adhibendi positivam resistentiam applicando media, quæ hîc & nunc idonea & moraliter possibilia occurrunt: unde peccat mortaliter, qui stante tali periculo se habet negativè, siquidem committere se proximo periculo peccati semper est peccatum.

5. Certum est secundò: Illum peccare mortaliter, qui ex complacentia istorum motuum negligit illos reprimere: siquidem illa ipsa voluntatis complacentia est positivus consensus in ipsos.

6. Certum est tertiò: Si absit periculum consensûs, nullam esse obligationem ponendi media extraordinaria & difficilia, ut corporis castigationem per jejunia, cilicia, &c. neque esse obligationem omittendi actiones & studia vel ad spirituale, vel temporale commodum utilia, ut illi motus evitentur, prout in sequenti articulo ampliùs declarabitur.

7. Certum pariter est quartò: Cessante proximo & probabili periculo consensûs, non esse peccatum, si non adhibeas efficacia media ad repressionem illorum motuum, quando habes honestam & rationabilem causam illos permittendi, ut si ex resistentiæ conatu prudenter metuas graviores motus & tentationes, nam licèt præceptum, *Non concupisces*, sit negativum, quo videntur omnes venereæ delectationes extra matrimonium semper & pro semper prohiberi; nihilominus tamen, in quantum præcipitur positiva resistentia istorum motuum, sic est affirmativum, quod non pro semper, sed pro tunc obligat, quando vel est periculum consensûs, vel absque incommodo, & causa excusante servari potest.

Restat dubium inter Authores, an ex sola animi & constantiæ confidentia possit aliquis quasi contemnendo istos motus habere se negativè ad ipsos sine peccato. Et quidem non esse peccatum saltem mortale absente periculo consensûs, tenent Alvarez Arauco, Lorca, Castropal. aliique plurimi citati apud Salmanticens. hîc disp. 20. dub. 5. cui sententiæ videtur etiam favere Doctor Ang. q. 15. de Ver. a. 4. ad 10. & in 2. dist. 24. q. 3. a. 4. nec non D. Bonaventura in 2. dist. 24. a. 2. q. 2. & Cajetan. in Sum. Damnant peccati mortalis negativam non resistentiam Martin. Montesin. Curiel. Zumel, Vasq. Valentia, Lessius l. 4. de Jure & Justit. c. 8. n. 117. Sayr. in clavi reg. l. 8. c. 7. Limitant Salmanticenses loc. cit. §. 2. n. 195. & distinguunt, fore peccatum mortale, si delectatio afferat periculum pollutionis, quam vocant gravem ex parte actûs; absente hoc periculo, tametsi delectatio foret gravis ex parte objecti, non audent penitùs damnare peccati mortalis: quamvis in hanc sententiam inclinent n. 198. Layman l. 1. tr. 3. c. 6. distinguit absolutè: esse mortale, si ne quidem simplicis displicentiæ resistentiam adhibeas: non autem si cum simplici displicentia solùm intermittas efficacem resistentiam, animum v. g. ad alia divertendo.

§. II.

Adstruitur necessitas simplicis displicentiæ.

CONCLUSIO PRIMA. *Peccat mortaliter, qui neque efficaciter, neq; inefficaciter per simplicem displicentiam resistit inordinatis motibus concupiscentiæ post plenam advertentiam eorundem.* Ita Doctores communiter. 8.

Ratio est primò. Exponere se probabili & proximo periculo consensûs in impuros motus, est peccatum mortale: sed qui post plenam advertentiam istiusmodi motuum absque rationabili causa illos permittendi, ne quidem simplicem illorum displicentiam elicit, exponit se probabili periculo consensûs: ergo peccat mortaliter. Minor probatur: Est difficillimum & rarissimum, ut voluntas circa objectum præsens diu maneat suspensa ab omni actu tam prosecutionis, quàm aversionis, cùm hoc sit contra naturalem modum & summam ipsius flexibilitatem: atqui motus carnales post plenam advertentiam sunt objectum præsens voluntati, & quidem propositum sub ratione objecti valde delectabilis: ergo vix est moraliter possibile, ut voluntas diu maneat suspensa ab omni actu. Vel ergo est proximè inclinata ad displicentiam vel complacentiam: atqui, ut supponitur, displicentiam voluntariè suspendit: ergo erit proximè inclinata ad complacentiam, præsertim cùm objectum suâ naturâ valde delectabile connaturaliter trahat ad sui complacentiam: ergo voluntas suspendens displicentiam circa motus inordinatos, eo ipso se committit proximo periculo voluntariæ complacentiæ circa illos. Unde malè supponunt Adversarii, quòd homo confisus animi sui constantiæ non debeat habere probabile periculum consentiendi, quia in tanta, tamque naturali voluntatis proclivitate sine causa dissensum & displicentiam retinere, hoc ipsum est probabili consentiendi periculo se committere. 9.

Ratio est secundò. Qui non habet displicentiam de objecto, quod tanquam objectum displicentiæ practicè repræsentatur in intellectu, habet æquivalenter, & interpretativè complacentiam ipsius: sed hæc in materia gravi est grave peccatum: ergo. Major probatur inprimis à paritate omittentis Sacrum, quod tenetur audire: nam ille hoc ipso quòd per plenam advertentiam omissio Sacri ipsi repræsentetur tanquam prohibita, adeòque ut objectum fugæ & aversionis, & tamen suspendat & retrahat voluntatem audiendi Sacrum, atque ita permittat currere omissionem Sacri, in prudentum judicio ita se habet, ac si positivè vellet omissionem Sacri: ideòque omissio Sacri dicitur ipsi interpretativè voluntaria; sic pariter cui plena advertentia repræsentat motus inhonestos tanquam graviter inordinatos, atque à voluntate practicè respuendos, si displicentiam suspendat, hoc ipso interpretativè censebitur consentire in illos actus. 10.

Confirmatur primò. Motivum retinendi displicentiam vel est eorundem inhonestas, vel delectabilitas. Non primum, quia hæc est motivum displicentiæ & aversionis; ergo secundum: sed delectabilitas est ex natura sua motivum complacentiæ: ergo qui post plenam advertenti-

vertentiam omittit elicere displicentiam illorum motuum, convincitur habere formalem, vel saltem interpretativam complacentiam, adeòque consensum eorundem.

Confirmatur secundò. Authores, qui à gravi peccato excusant simplicem solùm displicentiam istorum motuum, tamen admittunt, saltem venialem malitiam in negligentia efficaciter resistendi: ergo, qui ne quidem conatur elicere simplicem displicentiam, graviùs & mortaliter peccat.

§. III.

Astruitur probabilitas sententiæ requirentis efficacem resistentiam.

11. CONCLUSIO SECUNDA. *Probabilius est illum peccare mortaliter, qui post plenam advertentiam motuum pravorum sine rationabili causa illos permittit nullo adhibito conatu in contrarium, saltem animum ad alia divertendo. Ita* Illustrissimus *Reding hic* q. 13. a. 2. controv. cum *plurimis sup.* allegatis.

12. Ratio est: Interpretativus consensus in delectationem veneream est peccatum mortale: sed qui post plenam advertentiam non adhibet diligentiam ad reprimendam delectationem veneream, interpretativè consentit in illam: ergo peccat mortaliter. Major probatur. Interpretativus consensus in moralibus æquivalet formali & directo, ut per inductionem ostendi potest: ergo cùm formalis consensus in veneream delectationem sit mortale peccatum, etiam interpretativus consensus in illam est peccatum mortale. Minor quoque principalis probatur primò: quia si non adesset consensus saltem interpretativus, tunc ne quidem committeretur veniale peccatum: sed hoc est contra doctrinam Adversariorum: ergo. Secundò. Ille consentit interpretativè in delectationem, qui illam voluntariè non reprimit, cùm posset & teneretur reprimere: sed hoc fit in nostra hypothesi: ergo. Minor quoad posse supponitur; quoad alteram partem nimirum quòd negativè se habens etiam teneatur illos motus reprimere, probatur: Est naturalis obligatio in ratione, ut regat potentias inferiores, ac dirigat in bonum rationis, & consequenter ut inordinatos ipsarum motus corrigat, & quantum fieri potest, impediat, quæ obligatio, si sit in materia gravi, est gravis: atqui delectatio venerea extra statum & finem matrimonii habet gravem inordinationem contra bonum rationis, cùm enim ex natura sua tendat ad pollutionem, est illicita in genere peccati mortalis: ergo ratio graviter obligatur ad illam delectationem pro posse impediendam, & consequenter si sit negligens in illa passione reprimenda, ipsi illa inordinatio imputabitur, quemadmodum Superiori imputatur peccatum & excessus subditi, quem ille poterat & tenebatur impedire.

Confirmatur primò. Si illa delectatio esset venialiter tantùm peccaminosa, vel esset propter parvitatem materiæ, vel propter imperfectam advertentiam. Non illud, quia non datur in hoc genere parvitas materiæ: Non istud, quia supponimus plenam advertentiam rationis.

Confirmatur secundò. Simplex & inefficax displicentia non impedit voluntarium simpliciter, veluti patet exemplo mercatoris merces in mare cum displicentia projicientis: ergo simplex displicentia non impedit, quin delectatio carnalis adhuc sit simpliciter voluntaria, si voluntas, cùm facilè possit, illam reprimere negligat.

§. IV.

Exponitur probabilitas sententiæ non requirentis efficacem resistentiam.

CONCLUSIO TERTIA. *Est nihilominus practicè probabile, præsertim pro timoratis aut scrupulosis conscientiis, quòd simplex & inefficax displicentia excuset delectationem a gravi saltem peccato.* Probatur. Permissio voluntaria rei habentis aliquam, sed non gravem inordinationem, non est grave, sed veniale peccatum: atqui inordinata commotio appetitûs sensitivi naturaliter & præter voluntatem exorta sine probabili periculo consensûs non videtur esse grave malum: ergo etiam voluntaria permissio ejusmodi motuum non est grave peccatum, & consequenter non est gravis obligatio ejusmodi motibus efficaciter resistendi. Minor probatur: nam istæ commotiones, supposito lapsu originali, ex naturæ infirmitate facillimè oriuntur; nec aliâ ratione sunt graviter prohibitæ per præceptum, *Non concupisces*, nisi quatenus trahunt, aut trahere possunt voluntatem ad consensum: sed stante actuali displicentia voluntatis non trahunt, nec possunt voluntatem trahere ad consensum; siquidem est impossibile simul habere complacentiam & displicentiam ejusdem rei: ergo ut sic non sunt graviter prohibitæ & malæ. 13.

Confirmatur. Juxta communem sententiam non censetur grave peccatum, aliquâ vanâ causâ venialiter malâ, v. g curioso aspectu, colloquio, lectione dare causam istis motibus, in illa actione prævisis, sed non intentis; neque est gravis obligatio removendi illas causas, si quis advertat ex iisdem inordinatam delectationem insurgere: ergo etiam non est gravis obligatio ejusmodi motus tollendi, animum ad alia applicando. Consequentia probatur: tùm quia si non est gravis obligatio amovendi omnes causas istorum motuum, etiam non erit gravis obligatio ponendi causas impeditivas ipsorum; tum quia in priori casu ideo non est gravis obligatio, quia illi motus non habentur pro gravi malo: ergo eadem ratio valebit in posteriori casu.

Ad fundamenta prioris sententiæ. Respondeo primò, negando min. quia tunc solùm effectus ex omissione secutus est interpretativè voluntarius, quando actus oppositus est sub præcepto: sed non videtur esse grave præceptum ponendi causas & media impediendi ejusmodi motus præter intentionem & ex infirmitate naturæ ortos. 14.

Respondeo secundò. neg. maj. quòd sit grave peccatum, & æquivaleat directo & formali consensui, prout ex eo colligitur, quòd ejusmodi delectatio ex causa honesta quamvis non adeò gravi permitti possit, & qui actione venialiter malâ dat causam, tantùm censeatur communiter venialiter peccare. Et similiter ad probationem

Respondeo; Quòd illi motus dicant gravem inordinationem, prout connotant formalem consensum voluntatis, non verò prout præter intentionem & ex infirmitate naturæ oriuntur. Ad 1. quoque Confirm. Respond. Non dari parvitatem materiæ in istis delectationibus per ordinem ad voluntatem positivam, & consensum formalem; non autem per ordinem ad voluntatem solùm permissivam, respectu cujus aliquando nullum, aliquando leve peccatum reputatur. Ad 2. Confirmationem Resp. Simplex complacentia non impedit voluntarium simpliciter, vel permissivum, vel positivum & formale, concedo; semper positivum & formale, nego. In nostro igitur casu, etsi simplex displicentia non impediat voluntarium permissivum, sufficit tamen, quòd impediat formale positivum. Nec est paritas allatæ instantiæ de mercatore merces projiciente in mare, primò, quia ille tantùm habet voluntatem conditionatam non projiciendi merces: at in nostro casu negativè se habens ad commotionem appetitûs sensitivi habet displicentiam absolutam, & voluntatem non consentiendi; & tantùm non habet voluntatem motus reprimendi. Unde secundò, cum illa conditionata voluntate non projiciendi merces stat absoluta formalis & efficax voluntas illas projiciendi: econtra cum displicentia istorum motuum nequaquam stat absoluta & efficax voluntas illos habendi. Et hoc ideo, quia projectio mercium fit ex imperio efficaci voluntatis per potentiam eidem despoticè subjectam: at delectatio sensitiva oritur præter imperium voluntatis ex rebellione fomitis & sensualitatis non nisi civiliter subjectæ rationi.

Hæc sententia partim ex authoritate docentium, partim ex præmissis fundamentis est satis probabilis saltem pro timoratis conscientiis, quæ sæpe dubitant, an ejusmodi motibus debitè restiterint. Nihilominus etiam prior & probabilior sententia ad istius fundamentum negat min. ejusque probationem distinguit: positâ simplici displicentiâ non trahunt ad consensum formalem, concedo; interpretativum, nego min. & consequentiam. 15.

Ad confirmationem Respondet, negando consequentiam: quia ut delectationes sint voluntariæ in causa, & ut sic imputabiles in peccatum, vel debent per ipsas causas directè intendi, vel debet esse obligatio ipsas causas, in quibus prævidentur, evitandi, & sic pro qualitate obligationis erit gravitas peccati. Sed ut fiant voluntariæ interpretativè in seipsis, sufficit, quòd adsit illarum plena advertentia, & tamen voluntas cùm possit, non velit illas reprimere.

Colliges ex dictis: si motus inordinatos quispiam animi ad alia præsertim divina & æterna diversione [quod optimum remedium est & facillimum] reprimere conatus fuit, & illi nihilominus ratione contradicente perdurent, non jam voluntati, sed fomitis rebellioni esse adscribendos, & ne quidem esse permissivè voluntarios: neque habendam eorum ampliùs rationem. 16.

ARTICULUS VII.

Quasnam causas venereæ delectationis homo vitare teneatur?

SUMMARIA.

1. *Variæ causæ impurorum motuum.*
2. *Directè intendere, & procurare pollutionem nullo casu licitum.*
3. *Respondetur ad instantiam de procuratione abortûs.*
4. *In periculo consensûs vitandæ etiam causæ honestæ, ad quas sequitur pollutio.*
5. *Turpes motus ex causa mortaliter culpabili in genere luxuriæ contrahunt gravem malitiam.*
6. 7. 8. *Corollaria ex dictis.*
9. *Nulla est obligatio tollendi causas ex se honestas delectationis venereæ.*
10. *Delectatio ex causa culpabili extra genus luxuriæ non contrahit gravem malitiam.*
11. *Contrahit tamen venialem.*
12. *Solvitur objecta paritas de homicidio.*
13. *Solvitur paritas de præceptis juris positivi.*
14. *Quale sit debitum vitandi causas indirectas delectationis venereæ?*
15. *Ex obligatione resistendi delectationi venereæ, non rectè infertur obligatio removendi omnes causas ipsius.*

§. I.

Prænotanda.

1. NOtandum primò. Causas, in quibus prævideri possunt motus obscœni, vel pollutio secutura, esse diversas. Nam aliquæ sunt necessariæ, honestæ, utiles, ut est audire confessiones, mederi corporibus, legere ejusmodi materias pro paranda eruditione juvando proximo &c. Aliquæ sunt indifferentes, ut equitare, comedere calida, &c. aliquæ peccaminosæ, eæque vel mortaliter, vel tantùm venialiter tales, & vel extra vel intra genus luxuriæ. Aliquæ sunt causæ proximæ, per se influentes, ut impuri tactus, oscula; aliæ verò remotè & per accidens concurrunt, ut crapula.

Notandum secundò, tanquam indubitatum. Nullo casu etiam ad vitam servandam esse licitum, directè per quamcunque causam quærere, intendere, vel procurare pollutionem; eamque sic intentam & quæsitam semper esse peccatum mortale contra naturam, siquidem habet intrinsecam repugnantiam cum fine & bono naturæ, quæ in emissione seminis unicè bonum prolis per viam legitimæ generationis intendit. Idem dicendum de venereis motibus extra statum matrimonii, siquidem isti quoque semper sunt inchoata mollities, vel fornicatio. Intra statum matrimonii verò toties sunt peccata mortalia, quoties voluntariè habentur cum probabili periculo pollutionis. 2.

Dices: Licet matri pro conservatione vitæ fœtum nondum animatum directè depellere, quando ex illius retentione de vita periclitatur: ita enim sentit Th. Sanch. l. 9. de matr. disp. 20. n. 9. cum pluribus à se citatis, quem etiam sequuntur Salmant. 3.

Salmant. hîc disp. 10. dub. 6. n. 221. dicentes, esse sententiam communissimam & probabilissimam, eamque non comprehendi in damnatione propositionis 34. ab Innocentio XI. ostendit Cardenos in Crisi Theol. dissert. 22. ergo etiam pro conservatione vitæ aut sanitatis licita erit in aliquo casu directa expulsio seminis. Ratio paritatis videtur esse clara: quia fœtus, quamvis nondum animatus, propior est humanæ proli, quàm semen: unde si fœtus, ceu injustus invasor vitæ medicamentis depelli potest, cur non & istud?

Respond. primò negando antec. tum quia paritas inter fœtum & semen humanum à Lessio adducta efficaciter probat, neutrum licere: tum quia propter diversas medicorum opiniones, quonam tempore fœtus accipiat animam rationalem, vel animetur, ferè semper erit dubium, utrùm fœtus sit animatus, adeòque practicè vix erit probabile, quòd liceat directè fœtum expellere, & abortum procurare. Nihilominus etiam permissâ hujus sententiæ probabilitate

Respondetur secundò, & assignatur disparitas ex Salmant. l. cit. quòd administratio, & actio emissiva seminis à natura unicè ordinatur ad copulam conjugalem, & intenditur propter bonum speciei: unde extra istum finem semper est illicita: at fætus ex semine formatus est speciale individuum, quod si ante animationem vitam matris oppugnet, ita ut nulla sit spes, quòd mortuâ matre ad lucem & vitam perveniat, meritò vitæ matris postponi, & tanquam injustus aggressor depelli potest. Ubi nullus intervenit abusus alicujus actionis à natura ordinatæ ad alium finem, sicuti fit in pollutione.

4. Notandum tertiò. Esse obligationem sub peccato mortali vitandi quascunque causas etiam honestas istorum motuum, si subsit probabile & proximum periculum consensûs, *nisi necessitas excuset:* eodem quippe præcepto, quo peccatum prohibetur, prohibetur quoque proximum periculum ipsius. Unde si cui per experientiam constaret, quòd in audiendo confessiones soleat consentire in pravas delectationes, teneretur ab auditione confessionum abstinere. Dixi, *nisi gravis necessitas excuset*, ut contingit in parocho, qui ex officio obligatur audire confessiones, nec potest illud officium sine gravi suo incommodo deponere. In Chirurgo, qui ex officio aspicit & tangit nuda corpora, nec haberet relicto officio, unde viveret. Isti igitur si suum officium peragant animo ad non consentiendum obfirmato, & invocato divino auxilio, non peccant, neque enim censentur in morale periculum peccati se conjicere, qui non temerè, sed necessitate compulsi & ex bono fine ejusmodi occasionibus se committunt. His præsuppositis, sit

§. II.

Causæ inducentes gravem malitiam.

5. CONCLUSIO PRIMA. *Quoties absque urgenti necessitate exercetur actio ex natura sua turpis, & mortaliter culpabilis in genere luxuriæ, in qua prævidetur turpis motus aut pollutio: toties committitur peccatum mortale mollitiei indirectè voluntarium.*

Ratio est: quia lex naturalis obligans de non procuranda seminis effusione, etiam naturaliter obligat ad non ponendas causas per se & notabiliter influentes absque urgente necessitate: sed actio in genere luxuriæ graviter turpis, est talis causa: ergo. Unde

Inferes primò. Tactus, amplexus, oscula, item 6. aspectus libidinosos, h. e. causâ captandæ delectationis venereæ factos, etsi non admodum obscœnos, inter solutos esse peccata mortalia, quia sunt causa per se notabiliter excitativa libidinosorum motuum.

Inferes secundò. Non minùs ipsos motus, 7. aut pollutionem sive in vigilia sive in somno consequentem ad ejusmodi causas priùs positas esse peccatum mortale, quia sunt effectus voluntarii in causa.

Inferes tertiò. Si tactus, & aspectus non sint 8. obscœni, nec animo libidinoso, sed joco, vel levitate facti, nec sæpiùs repetiti, aut diutiùs continuati [nisi sit periculum probabile ne fiant libidinosi] per se loquendo tantùm esse peccata venialia, & sic etiam impuros motus inde consequentes, non majorem, quàm venialem malitiam contrahere. Si verò fiant civilitatis causâ, & ex patriæ consuetudine, aut alia ex rationabili causa, nullam habere malitiam, quia ex causa derivatur malitia in effectum, qui est voluntarius in causa; si ergo causa tantùm est venialiter mala, neque effectus majorem sortietur malitiam, & si omni caret malitia, etiam carebit effectus.

§. III.

Causæ nullam inducentes malitiam.

CONCLUSIO SECUNDA. *Nullum est peccatum ponere causam, vel ab illa non desistere, ex qua prævidetur præter intentionem & sine consensu impuritas secutura, si illa causa sit necessaria, vel conveniens corpori, aut animo* Ita *Sylvius, Isamb. Layman, Rosmer, aliiq.* Ratio est primò, quia tales motus nec sunt directè, nec indirectè voluntarii. Non directè, quia supponitur esse præter intentionem: non indirectè, quia tunc aliquis effectus censetur indirectè voluntarius in ordine ad imputationem moralem, cùm quis omittit impedire vel facere, quod impedire vel facere tenebatur: sed nemo tenetur abstinere ab actibus, è quibus prævidet secuturos motus impuros, quando habet rationabilem causam illos actus ponendi, iique habent suos proprios honestos fines: ergo illos ponendo non peccat; & consequenter neque ipsa impuritas carnalis consecuta imputatur in peccatum; siquidem, ut dictum, ex causa malitia derivatur in effectum; unde, si causa non est culpabilis, neque effectus erit. Ratio est secundò. Jus suum prosequenti non imputatur effectus præter intentionem & per accidens subsecutus: sed, cùm quis exercet prædictas actiones, prosequitur jus suum, & effectus sequitur præter intentionem; ergo. Ratio est tertiò. Si esset necessitas vitandi ejusmodi causas, homines in mutua societate plurimis commoditatibus tam spiritualibus, quàm corporalibus privarentur; siquidem multi ab audiendis confessionibus, medendo corporibus, legendis libris, &c. abstinere deberent. Unde Col-

Colliges. Nullam esse obligationem abstinendi à cauta & honesta collocutione cum mulieribus, ab equitatione, aliáve simili causa, nec esse obligationem deserendi locum orationis, studii, somni, alteriusve honestæ & permissæ occupationis, neque teneri mutare corporis situm, quantumvis quis absque data sua causa venereos stimulos sentiat; siquidem prosequitur jus suum, nec adesse supponitur aliqua causa proximè, & notabiliter influens in istum effectum, qui potiùs ex naturali, impulsu & infirmitate provenire censetur.

§. IV.

Causæ sufficientes ad malitiam venialem.

10. CONCLUSIO TERTIA. *Delectatio venerea præter intentionem secuta ex causa, quæ extra genus luxuriæ est culpabilis, non imputatur in grave peccatum. Ita Aut. citati.*

Ratio est: quia lex ordinariè non obligat ad vitandas causas quascunque remotas & indirectas objecti prohibiti: præsertim si effectus potiùs ex infirmitate naturæ, quàm à tali causa proveniat: sed causæ extra genus luxuriæ constitutæ censentur tantùm remotæ & indirectæ, & venerei motus potiùs ex naturæ infirmitate, quàm ex iis causis proveniunt: ergo propter ejusmodi causas carnalis impuritas in grave peccatum non imputatur: sive illæ causæ sint in suo genere venialia, ut cibus, potusque liberior; sive mortalia, ut ebrietas.

11. Nihilominus imputabitur in veniale peccatum; est enim notabilis inordinatio, naturæ proclivitati fomentum addere ad ejusmodi motus in talibus causis sequi solitos: cùmque hæc passio ex sua natura sit incitativa ad malum, habeatque magnam inordinationem, studiosus puritatis conabitur, evitare causas etiam remotas & per accidens istorum motuum, si commodè vitari possint.

§. V.

Solvuntur Objectiones.

12 OBjicies primò. Quilibet tenetur vitare causam & actionem, ex qua prævidet secuturam pollutionem. Consequentia probatur: Non minùs pollutio est intrinsecè mala propter damnum prolis, quod per illam sequitur, quàm homicidium propter damnum & destructionem hominis: ergo par est ratio in utroque.

Respondeo primò. Hoc argumento nimiùm probari; siquidem sequeretur, quòd sicut obligaris omittere actionem honestam, v. g. auditionem confessionis, si exinde metuas probabiliter eventurum homicidium, sic easdem actiones honestas tenearis omittere, si ex iis prævideas secuturam pollutionem.

Respondeo secundò. Disparitatem esse, quòd damnum ex homicidio proveniens sit certum, proximum, & irreparabile, ideoque extra casum justæ defensionis in extrema necessitate nulli hominum concessum; econtra effusio seminis non proveniens ex applicatione appetitûs, sed potiùs à virtute expulsiva sine voluntaria electione causæ proximæ per se influentis, non sit certum & proximum damnum prolis, ex quo suam intrinsecam malitiam deberet accipere. Unde licèt nunquam intendi & quæri, tamen ex rationabili causa permitti potest, ejusque occasiones & causas quascunque tollendi nulla est gravis obligatio.

Objicies secundò. In præceptis, quæ tantùm sunt juris positivi, ut jejunandi, audiendi Sacrum, recitandi horas Canonicas, &c. nonnisi causa necessaria à transgressione excusat: ergo à fortiori in præcepto naturali vitandi motus inordinatos concupiscentiæ non nisi causa necessaria excusabit. 13.

Respond. primò ut priùs, hoc argumento probari, quòd esset mortale peccatum, equitare, studere, cum prævisione istorum motuum.

Respondeo secundò. Cùm isti motus ex infirmitate naturæ, voluntate & ratione nihil cooperante, facillimè insurgant, in ipsis majus voluntarium requiri, ut imputentur in peccatum, quàm requiritur ad alias transgressiones juris positivi, quæ non fiunt nisi dependenter à voluntate.

Objicies tertiò. Ad voluntarium interpretativum in causa sufficit, quòd malus effectus prævideatur in causa, quam quis potest & tenetur vitare: sed ebrietatem aliasve causas peccaminosas remotas venereæ impuritatis quisque potest & tenetur vitare: ergo in ipsis & per ipsas venerea impuritas fit interpretativè voluntaria. 14.

Respond. dist. maj. Sufficit, quòd malus effectus prævideatur in causa, quam quis potest & tenetur vitare debito proveniente ex præcepto prohibente talem effectum, concedo; aliunde, nego. Sed ebrietatem v. g. quisque tenetur vitare debito proveniente ex præcepto sobrietatis, concedo; ex præcepto castitatis, nego min. & consequentiam. Neque enim videtur præceptum castitatis graviter prohibere causas penitùs indirectas, & remotas impurarum commotionum, quæ proinde non statim fiunt interpretativè voluntariæ, saltem voluntario positivo & imputabili in gravem culpam.

Objicies quartò. In probabili opinione, quam sup. artic. præced. retulimus, tenetur homo impedire exurgentes tentationes carnis, quod si negligat, fiunt interpretativè voluntariæ: ergo etiam tenetur abstinere à causis saltem non necessariis, in quibus prævidet ejusmodi tentationes.

Respondeo. Antecedens in illa probabili sententia procedere ex hypothesi, quòd illæ tentationes possint formaliter vel interpretativè fieri voluntariæ in seipsis, veluti cùm ex impura phantasia naturaliter ortum trahunt, non autem cùm per accidens consequuntur ad aliam causam per se proximè non influentem; tunc enim, etiamsi causa non auferatur, non fiunt propriè interpretativè voluntariæ.

ARTI.

ARTICULUS VIII.

An delectationes morosæ sint ejusdem speciei cum opere externo?

SUMMARIA.

1. *Aperitur status quæstionis.*
2. *Delectatio morosa est ejusdem speciei cum opere externo.*
3. *Cur possit præscindi in delectatione de circumstantia furti, non autem in delectatione actûs carnalis aut circumstantia personæ.*
4. *In confessione exprimenda circumstantia personæ, quæ fuit morosæ delectationis objectum.*

§. I.

Eligitur sententia affirmans.

1. Quæstio maximè procedit de delectatione morosa in materia venerea: cùm enim in peccatis carnalibus plures species inter se distinctæ reperiantur, quæ non tantùm habent oppositionem cum virtute castitatis, sed etiam justitiæ, pietatis, &c. ut stuprum, incestus, adulterium, &c. quæritur, an morosa delectatio de tali opere cogitato eandem sortiatur speciem, ac ipsum opus cogitatum, & sicut ipsa peccata carnalia, sic morosæ delectationes ipsorum inter se specie distinguantur? Ubi

Certum est primò. Si delectatio sit efficax & conjuncta cum consensu in opus, ut frequentiùs contingit diu in carnalis peccati delectatione hærentibus, tunc esse ejusdem malitiæ & speciei cum opere externo, quia opus externum ut est à parte rei, sic est objectum specificativum efficacis voluntatis: adeòque, si ipsum habeat diversam malitiam, eandem refundet in efficacem voluntatem peccandi. Sic specie distincta peccata sunt consentire in commercium carnale cum consanguinea, conjugata, sacra, &c.

Certum est secundò. Si quis voto castitatis adstrictus habeat morosam delectationem de quocunque peccato carnali, semper committere peccatum sacrilegii, siquidem votum castitatis emissum prohibet omnem actum repugnantem virtuti & honestati castitatis.

Certum est tertiò. Delectationes morosas de peccato sodomitico, bestiali, contra naturam, esse inter se specie distinctas; siquidem immediata objecta harum delectationum specie distinguuntur, & in delectationem refundunt diversas oppositiones cum diversis motivis ipsius castitatis.

Certum est quartò. Si morosa delectatio formaliter feratur in ipsam conditionem & circumstantiam personæ speciem mutantem, ut quia v. g. fœmina est conjugata, consanguinea, &c. hoc ipso sortiri etiam speciem illius circumstantiæ & operis, utpote pertinentis ad objectum specificativum.

Igitur quæstio est: an in casu quo delectatio morosa est v. g. de peccato carnali cum fœmina conjugata, non quà conjugata, sed quà pulchra & delectabili, sine complacentia de extrinseca conditione & qualitate personæ, quæ ipsum opus trahit ad novam oppositionem cum virtute justitiæ extra genus castitatis, constituatur in specie adulterii, ac proinde specie distinguatur à morosa delectatione de peccato carnali cum fœmina soluta?

CONCLUSIO. *Probabilius est, delectationem morosam esse ejusdem speciei cum opere externo. Ita Sylvius hîc a. 8. q. 7. concl. 3. Antonin. Cajetan. Navarrus, Azor, aliiq.* 2.

Probatur primò authoritate S. D. a. 8. ad 4. dicentis: *Delectatio, quæ habet actum exteriorem pro objecto, non potest esse absque complacentia actûs exterioris secundùm se, etiamsi non statuatur implendum* &c. ergo actus exterior secundùm se specificat delectationem: sed actus exterior secundùm se non præscindit à circumstantiis, sed secundùm illarum specificam differentiam etiam ipse specificam induit diversitatem: ergo similiter delectatio specificam accipit differentiam.

Probatur secundò ratione ejusdem S. D. in q. 15. de Ver. a. 5. Non sola voluntas operis, sed etiam delectatio de opere sequitur naturam ipsius operis, quod est finis intrinsecus ipsius: siquidem delectationes sunt propter operationes: ergo si in opere reperiuntur distinctæ malitiæ, etiam in delectatione reperiuntur, & si opus à circumstantiis non præscindit, neque delectatio præscindit.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Objicies: Morosæ delectationes sortiuntur speciem ab objecto, prout est in apprehensione: sed objectum apprehensum delectationis morosæ potest esse persona delectabilis sub ratione fœminæ, præcisis aliis omnibus circumstantiis conjugii, voti, consanguinitatis, &c: ergo potest etiam morosa delectatio ab hac sola ratione objecti suam malitiam, virtuti castitatis solummodo repugnantem, accipere. 3.

Confirmatur. Potest quis delectari in furto, quà ingeniosum, non quà injustum est, de jocis quatenus faceti, non quatenus sunt impuri: ergo similiter poterit delectari de commercio cum fœmina, quatenus fœmina, non quatenus conjugata.

Respond. negando min. Si illæ conditiones & circumstantiæ aliunde sint cognitæ, nec invincibiliter ignoratæ; nam licèt tunc persona explicitè tantùm apprehendatur sub ratione fœminæ, nihilominus tamen quia delectans morosè personæ circumstantias invincibiliter non ignorat, & tamen magis vult delectari de nefario opere cum persona iis circumstantiis affecta, quàm non obstante illarum notitia à tali delectatione desistere, eædem quoque circumstantiæ implicitè ac interpretativè censentur voluntariæ, atque in objecto contentæ.

Ad confirmat. disparitas est, quòd tunc delectatio non sit de opere, sed de modo operis, cui planè per accidens est, utrùm in hoc, vel illo opere reperiatur: adeòque ab illo facilè præscindi potest, opus verò ipsum, quod specificat delectationem non præscindit à circumstantiis personæ.

4. Inferes ex dictis: In confessione exprimendas esse qualitates personarum, circa quas aliquis fuit morosè delectatus, fuerintne solutæ, vel ligatæ, &c. quod non tantùm ex nostra sententia manifestè sequitur, sed etiam suadetur ab oppositæ sententiæ authoribus: licèt enim probabile sit, circumstantias operis cogitati non inducere diversitatem specificam in simplicem complacentiam ipsius nihilominus tamen facilè contingit à consensu in delectationem voluntatem procedere in consensum ipsius operis, quo casu jam est distinctio specifica, & per expressionem qualitatum Confessario major meliorque notitia peccati, statûsque peccantis acquiritur.

DISPUTATIO XXII.

DE Causis peccatorum.

Cùm duo sint in peccato, materiale & formale, actus & inordinatio, peccatum habet & causam per se, quatenus actus est, & causam per accidens, quatenus est inordinatum. Et cur per accidens? quia inordinatio privatio est. Ita expressè S. D. hîc q. 75. a. 1. in c. *Ex parte autem inordinationis*, inquit, *habet causam eo modo, quo negatio, vel privatio potest habere causam. Sed cùm inordinatio peccati, & quodlibet malum non sit simplex negatio, sed privatio ejus, quod aliquid natum est, & debet haberi, necesse est quod talis inordinatio habeat causam agentem per accidens.* Hæc porrò causa per accidens præcipua est creaturæ rationalis liberum arbitrium deficiens, sive ut S. D. loc. cit. creata *voluntas carens directione regula rationis, & legis Divinæ, intendens aliquod bonum commutabile.* Plures tamen aliæ causæ vel internæ vel externæ possunt ad peccatum proximè, vel remotè concurrere. Externa è mente Catholicorum, & S. D. hîc q. 80. a. 1. & 2. Dæmon est; non directa, sed indirecta per internam instigationem & tentationem, quæ tamen peccandi nullam inducit necessitatem; unde 1. Petri ult. Jubemur ei *resistere fortes in fide.* Item homo homini potest esse causa peccandi, ut S. D. q. 81. vel per suggestionem, modo diabolico; vel per originem, de quo infrà. Ex blasphemo hæreticorum ore etiam DEUS peccati Author & causa est, quam tamen blasphemiam art. 3. removebimus. Interna causa peccati, quæ in ipso homine reperitur, & vel ex parte intellectûs, estque ignorantia, de qua art. 1. sequenti; vel ex parte voluntatis, & sic non tantùm voluntas per modum principii deficientis est causa peccati, sed etiam unum peccatum potest esse causa alterius, S. D. q. 75. a. 4. ut mala intentio malæ electionis, rapina vel furtum homicidii, &c. Vel ex parte appetitûs sensitivi, & sic docet D. Th. hîc q. 77. à passione voluntatem indirectè moveri ad peccandum. Unde Dan. 13. dicitur: *Concupiscentia subvertit cor tuum*, & hæc quidem carent difficultate. *Duæ* sunt *quæstiones* celebriores. *Primò.* An omne peccatum præcedat ignorantia? *Secundò.* An, vel quomodo DEUS concurrat ad actum peccati? Ideo sit

ARTICULUS I.

An ignorantia causet, vel sit peccatum?

SUMMARIA.

1. *Divisio ignorantiæ.*
2. *Ignorantia est vera causa peccati.*
3. *Ignorantia concomitans non causat peccatum.*
4. *Ignorantia antecedens tantùm causat peccatum materialiter.*
5. *Ignorantia consequens etiam causat peccatum formaliter.*
6. *Est & ipsa formaliter peccaminosa.*
7. *Et quandoque speciale peccatum.*

§. I.

Ignorantia vincibilis causa peccati formalis.

1. Suppono primò. Ignorantiam propriè & privativè acceptam pro carentia vel absentia scientiæ, quam quis natus & aptus est habere, dividi primò, ex parte subjecti in invincibilem & vincibilem: secundò ex parte actûs in antecedentem, consequentem, & concomitantem, de quibus divisionibus in superiori tract. de act. hum. dictum fuit. Tertiò ex parte formæ oppositæ in ignorantiam habitualem, & actualem. Habitualis est carentia scientiæ habitualis, actualis ex opposito est absentia scientiæ actualis. Actualis rursum dividitur in absentiam scientiæ, h. e. cognitionis speculativæ, velut est ignorantia articulorum fidei; vel practicæ de agendis, aut omittendis.

Suppono secundò, è S. D. q. 76. a. 1. Ignorantiam verè esse causam peccati. Ita enim dicitur 2.

citur Levit. 4. *Si peccaverint Principes per ignorantiam.* Et rursus: *Si peccaverit anima per ignorantiam.* Non tamen esse causam directam, sed indirectam peccati, inde constat, quia ignorantia non aliter causat peccatum, quàm removendo prohibens, h. e. scientiam ad evitandum peccatum requisitam, quam si quis habuisset, peccatum non commisisset. His positis quæritur, quænam ignorantia causet peccatum?

3. CONCLUSIO PRIMA. *Ignorantia concomitans nullo modo,* (2.) *antecedens ignorantia peccatum materialiter;* (3.) *consequens verò etiam formaliter causat.* Ita communis cum S. D. q. 76.

Ratio primæ partis est: Quod actum peccati neque facit voluntarium neque involuntarium, sed merè se habet per accidens ad ipsum, nullo modo potest esse causa peccati: sed ignorantia concomitans est talis, prout loco cit. dictum: ergo. Præterea: In tantum ignorantia causat peccatum, in quantum culpabiliter removet scientiam, quæ si adesset, impediretur peccatum: sed hoc non facit ignorantia concomitans; nam v. g. Venator suum hostem sclopeti explosione occidens, quem per ignorantiam concomitantem feram esse existimat, illum nihilominus occideret, tametsi sciret ipsum adesse: ergo ignorantia concomitans nullum causat peccatum.

4. Ratio secundæ partis est; Ignorantia, quæ causat involuntarium simpliciter, excusat à peccato formali: sed ignorantia invincibilis sive juris, sive facti, causat involuntarium simpliciter, prout ibid. contra Jansenium dixi: ergo excusat à peccato formali, & non causat illud. Nihilominus quia hæc quoque ignorantia tollit [quamvis inculpabiliter] scientiam, quæ si adesset, omitteretur actus prohibitus, v. g. comestio carnium die prohibito, propterea licèt non sit causa peccati formaliter, est tamen illius causa materialiter sumpti.

5. Ratio tertiæ partis est: quia cùm ignorantia consequens sit indirectè, & saltem interpretativè voluntaria, non impedit, quo minùs actus peccati, qui ex ipsa sequitur, sit saltem interpretativè voluntarius: unde illa ignorantia est causa peccati etiam formaliter, quæ est causa, quòd actus peccati sit saltem interpretativè voluntarius: sed ignorantia consequens est causa, quòd actus peccati sit voluntarius saltem interpretativè & imputativè, ut loco cit. ostensum est: ergo.

§ II.

Ignorantia vincibilis ipsamet est peccatum.

6. CONCLUSIO SECUNDA. *Ipsa quoque ignorantia vincibilis & actualis alicujus rei, quam scire tenemur, est in se ipsa formaliter peccaminosa, idq; ratione negligentiæ in inquirenda veritate.*

Prima pars est indicata in S. Script. ad Cor. 14. *Si quis ignorat, ignorabitur,* h. e. à regno DEI excludetur. Juxta illud Matth. 25. *Nescio vos.* & Os. 4. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, &c.*

Ratio est: Quod in se habet repugnantiam cum præcepto, & recta ratione, est in se formaliter peccatum: sed ignorantia actualis in se habet repugnantiam cum præcepto, & virtute studiositatis, quo jubemur adhibere debitam diligentiam in negotiis nostræ salutis: ergo.

Ratio secundæ partis est: quam habet S. D. a. 2. In tantum ignorantia est peccatum, in quantum est voluntaria omissio scientiæ debitæ, seu quam tenemur inquirere: sed est omissio talis, propter voluntariam & culpabilem negligentiam in inquirenda veritate, hâc quippe ratione opponitur virtuti studiositatis, estque voluntaria: ergo.

Dixi primò, *vincibilis,* contra Jansenium, qui invincibilem ignorantiam juris naturalis peccati arguit; hanc quippe, sicuti causat simpliciter involuntarium, sic tollere & non causare rationem peccati, constat ex dictis loco cit. Dixi secundò, *actualis ignorantia:* nam ab habitualis ignorantia non tam est peccatum, quàm effectus & vestigium peccati ab actuali ignorantia relictum: siquidem habitibus neque meremur, neque demeremur, nec habitus sed actus prohibentur.

CONCLUSIO TERTIA. *Quando scientia præcipitur per se, & propter ipsum scire, sine propinquo ordine ad aliquod opus, tunc est speciale peccatum: non autem quando per accidens præcipitur ratione alterius operis præcepti.* Ratio est: quia 7. oppositio cum aliqua virtute generali non constituit speciale peccatum, nisi cùm motivum formale virtutis illius specialiter attingitur, veluti patet in irreverentia & inobedientia erga DEUM: sed oppositio, quam habet ignorantia, est cum generali virtute studiositatis, utpote quæ scientiam practicam, tanquam regulam ordinariam & necessariam omnium humanarum operationum pro sua materia respicit: ergo nisi ipsum formale motivum studiositatis per se formaliter attingatur, ignorantia non est speciale peccatum. Atqui cùm scientia præcipitur tanquam necessaria conditio ad implendum aliud opus præceptum, v. g. ad jejunandum, audiendum Sacrum, &c. non per se attingitur formale motivum studiositatis; tunc verò per se formaliter attingitur, cùm ipsa cognitio veritatis per se præcipitur: ergo in primo casu ignorantia non est; in secundo verò est speciale peccatum. Et sic scientia alicui statui vel officio specialiter annexa, est specialiter sub præcepto; e.g. notitia non tantùm mysteriorum fidei, sed & præceptorum & officiorum hominis Christiani est specialiter annexa statui hominis Christiani, notitia morborum & medicinarum officio medici, peccatorum officio confessarii &c.

ARTICULUS II.

An omne peccatum præcedat aliquis error in intellectu?

SUMMARIA.

1. *Quid error speculativus & practicus?*
2. *Quid error formalis, & virtualis?*
3. *Omni peccato præcurrere aliquem errorem intellectûs suadet authoritas.*

4. *Et ratio à priori.*
5. *Quomodo peccans ex scientia nihilominus habeat errorem?*
6. *Quomodo peccantes contra conscientiam habeant errorem?*
7. *In sensu composito judicii recti voluntas non potest errare impotentiâ consequenti.*
8. *Absurda objecta amoventur.*

§. I.

Adstruitur sententia affirmativa D. Thomæ.

1. NOtandum primò. Errorem dividi in *speculativum* & *practicum*. Speculativus est, quo quis absolutè & præscindendo ab operis executione judicat esse licitum, quod est illicitum; vel econtra. Practicus est, quo quis judicat, hîc & nunc aliquid esse faciendum, quod est omittendum, vel econtra.

2. Notandum secundò. Errorem alium esse formalem, alium virtualem. Formalis est judicium falsum, objectum aliter enuntians quàm est: Error vel ignorantia virtualis est defectus & omissio actualis considerationis, quam quis hic & nunc deberet habere circa objectum à se habitualiter cognitum. His positis sit

CONCLUSIO. *Voluntas non potest peccare, nisi aliquis error practicus saltem virtualis præcesserit in intellectu. S. D. q. 77. a. 2. in c. & 2. 2. q. 53. a. 2. in c.*

3. Probatur primò authoritate S. Script. & PP. Nam Apostolus Hebr. 3. & 9. peccata generatim vocat *ignorantias*. Matth. 15. & 23. peccatores appellantur cæci. Prov. 14. dicitur: *Errant, qui operantur malum.* D. August. de pecc. merit. & remiss. *Ignorantia & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum*: ubi vides defectum bonæ operationis refundi in ignorantiam. D. Gregor. 15. moral. c. 23. *Omnis peccator stultus fuit in culpa.* ergo S. P. in quolibet peccante agnoscit errorem rationis: & quem alium, quàm rationis practicè dirigentis?

4. Probatur secundò ratione: Omne peccatum in voluntate contingit, vel quia voluntas fertur in bonum, quod non est bonum; vel quia fertur in bonum non servato debito modo & ordine in prosecutione boni: sed quocunque modo ex prædictis voluntas peccet, semper præsupponitur aliquis error in intellectu: ergo. Major probatur. Cùm bonum sit adæquatum motivum voluntatis, vel illud bonum, quod prosequendo voluntas peccat, est verum bonum, vel non? Si est verum bonum, tunc voluntas aliter circa illud non peccat, nisi debitum ordinem non servando, quomodo Angelos peccâsse dixi in Tr. de Ang. Vel non est verum bonum, & tunc voluntas peccat amplectendo bonum falsum & apparens pro vero bono. Minor etiam probatur: Voluntas tanquam cæca potentia non fertur in bonum, nisi quatenus sibi ab intellectu propositum: ergo si voluntas peccet amplectendo bonum falsum pro vero, debet in intellectu præcedere judicium practicum, quo judicetur objectum esse prosequendum, quod tamen non est prosequendum; & hic est error formalis. Si verò prosequatur bonum sine debito ordine & modo, pariter debet in intellectu præcedere omissio privativa debitæ considerationis, & attentionis ad illum ordinem, qui est error virtualis: ac consequenter in voluntate nullum est peccatum, quin præcedat in intellectu practico aliquis error sive formalis, sive virtualis. &c.

Confirmatur. Si quis cæcus ex sua natura dependeret ab aliquo ductore, non posset errare in ambulando, nisi errante ipso ductore: ergo cùm voluntas ex sua natura in operando dependeat à rationis directione, non potest voluntas errare, nisi ratio in dirigendo aberret.

§. II.

Solvuntur objectiones.

OBjicies primò. Qui sciens peccat, non peccat ex ignorantia; neque enim scientia & ignorantia stant simul, sed multi ex malitia peccant, scientes, se malè agere: nam Jac. 4. *Scienti bonum facere, & non facienti peccatum est illi.* Et D. August. enarr. 2. in ps. 68. *Sunt tales, qui iniquitatem suam noverunt, & in eâ pertinacissimè perseverant.* 5.

Respondeo, distinguendo majorem. Qui sciens peccat, non peccat per ignorantiam, vel errorem oppositum illi scientiæ, quam habet, concedo; quam non habet, nego. Ad cujus distinctionis explicationem & sensum sciri debet, quòd in peccantibus ex scientia & malitia, scientia diverso modo se habere & considerari possit. Primò potest quis habere scientiam in habitu, h. e. prævie aliquando comparatam, v. g. quòd talis contractus sit usurarius, quam tamen scientiam hîc & nunc non applicat, cùm tamen adhibitâ sufficienti diligentiâ de illa cogitare, eamque applicare posset. Secundò, potest habere scientiam etiam auctualem, sed in universali, v. g. quòd die jejunii non liceat comedere carnes, ex qua tamen non descendit ad subsumendam propositionem particularem, quòd hodie sit dies jejunii. Tertiò potest habere scientiam tam universalem, quàm particularem, ita tamen ut in particulari non applicet intellectum ad considerandum debitum modum ac ordinem tendendi ad illud objectum. Cùm igitur dicitur aliquis peccare ex scientia, supponitur scientia vel speculativa in universali; vel etiam practica, sed in habitu; vel denique actualis quoad substantiam, non autem quoad modum vel ordinem, & sic nihilominus erit defectus in ultimato judicio, quo proximè dictatur aliquid agendum, vel omittendum.

Objicies secundò. Qui peccat contra conscientiam, non habet judicium erroneum: sed multi peccant contra conscientiam; ergo multi peccantes non habent judicium erroneum. Major probatur. Qui peccat contra conscientiam, peccat contra judicium rectum rationis practicæ: sed hoc non est erroneum: ergo. 6.

Respondeo negando majorem; & probat. distinguo: peccat contra judicium rectum & non ultimatum, concedo; ultimatum, & ut vocant practicè practicum, nego. & sic distinctâ minore nego consequentiam. ut enim Tract. de consci. dictum, ipsum conscientiæ dictamen, succedente alio

alio judicio & dictamine quandoque intervertitur, juxta illud: *Video meliora, proboq́, Deteriora sequor.*

7. Objicies tertiò. Posito dictamine rationis practicæ, quòd hic & nunc mentiri sit peccatum, vel potest hoc stante dictamine voluntas facere oppositum, vel non? si non potest, non est formaliter libera; si potest, etiam poterit peccare nullo existente errore in intellectu, siquidem hoc dictamen est rectum.

Respondeo: Stante hoc judicio practico, & interrupto per alium actum consequentem, non posse voluntatem niti in contrarium, absque tamen præjudicio libertatis, eò quòd hæc impotentia tantùm sit consequens, non antecedens, utpote ex ipsa voluntatis applicatione descendens.

8. Objicies quartò varia absurda: *primò*, quòd nullus Angelus potuisset peccare, quia cùm haberent plenam notitiam omnium agibilium, nullus error aut ignorantia locum in ipsorum intellectu habere potuit. *Secundò*, quòd nulla ampliùs foret distinctio inter peccata ex ignorantia, malitia, & infirmitate, cùm omnia peccata forent ex ignorantia. *Tertiò*, quòd quilibet peccans esset hæreticus; quia judicare hoc esse eligendum, quòd est contrarium rectæ rationi, est judicium hæreticum: sed quilibet peccans ratione prævii erroris haberet tale judicium: ergo.

Respondeo negando sequelam triplicem. Et ad 1. dico, non potuit in Angelis esse error formalis, concedo; virtualis nego. de quo ex instituto in Tract. de Angelis dixi.

Ad 2. nego sequelam: nam licèt ista peccata conveniant in ultimi judicii errore, differunt tamen in modo inferendi & causis ad illud disponentibus: nam qui peccat ex malitia, differt à peccante per infirmitatem, quòd iste cadit impulsus vehementi passione, non ille; à peccante verò per ignorantiam, quòd iste caret requisitâ scientiâ speculativâ & in subsumendo; at verò peccans ex malitia deficit in actuali solùm scientia ultimata judicii: e. g. qui ex ignorantia vincibili frangit jejunium, peccat in hoc, quòd ex negligentia culpabili non subsumit: Hodie est dies jejunii: ergo est jejunandum. Qui verò ex malitia frangit jejunium, habet judicium conscientiæ, quòd sit jejunandum: nihilominus tamen à concupiscentia abstractus & illectus divertit intellectum, & dicit: Non obstante prohibitione legis esse delectabile hic & nunc comedere. Quæ ignorantia vocatur malæ electionis, eò quòd ratio dictet esse eligendum, quod tamen per scientiam præviam scit non esse præ suo opposito eligendum.

Ad tertium quoque negatur sequela & maj. dist. hoc judicare explicitè, speculativè, & in actu signato, est hæreticum, concedo; implicitè, practicè, & in actu exercito, seu ex modo operandi, nego maj. & pariter distinctâ min. nego consequentiam. Ordinariè nimirum contingit error in ratione, non quòd ex parte objecti intellectus formaliter conjungat prædicatum dissonantiæ & difformitatis legalis cum eligibilitate; sed quòd dictet objectum delectabile esse amplectendum, neglectâ advertentiâ rationis & admonitione conscientiæ de illicititate objecti, quod dictamen non est fidei, sed prudentiæ contrarium.

ARTICULUS III.

An DEUS possit esse causa peccati?

SUMMARIA.

1. *Doctrina fidei.*
2. *Ratio impeccabilitatis Divinæ.*
3. *Rationes, cur à DEO peccatum causari nequeat.*
4. *Testimonia S. Script. ab hæreticis objecta exponuntur.*
5. *Quomodo DEUS dicatur, creare malum?*
6. *Et vasa facere in contumeliam?*
7. *Præceptum aliquando accipitur pro permissione.*
8. *Quomodo DEUS sit causa obdurationis?*
9. *Objectiones hæreticorum.*
10. *Peccata tantùm cadunt sub providentiam permittentem.*
11. *Ex amore pœnitentiæ non rectè infertur voluntas peccati.*
12. *Peccata nec fiunt DEO volente, neque nolente.*
13. *Potentia peccandi quatenus defectiva non est à DEO.*

§. I.

Statuitur negativa.

1. Quæstio potest institui, an DEUS sit causa physica, vel moralis peccati: Secundò vel quoad materiale, vel quoad formale peccati; directè, vel indirectè; per se, aut in se, vel per alium, & in alio? Nunc de peccato formaliter, & unà cum ratione malitiæ accepto, sit

CONCLUSIO. *DEUS nec ipse peccare, neque in alio peccatum directè, vel indirectè aut per accidens ullâ ratione causare potest.* S. D. q. 79. a. 1. & est de fide ex Deut. 23. *DEUS absque ulla iniquitate justus & rectus.* 1. Jo. 3. *Peccatum in eo non est.* Et Ps. 5. *Non DEUS volens iniquitatem tu es.* Jacobi 1. *Odio sunt DEO impius, & impietas ejus.* Et alibi passim. Definitio hujus articuli habetur in Trid. Sess. 6. Can. 16.

Ratio primæ partis est primò. Omne peccatum est defectus à prima regula, & ultimo fine: 2.
sed est impossibile, ut DEUS in operando deficiat à prima regula, & ultimo fine; deficeret enim à se ipso, cùm ipse sit prima morum regula, & finis ultimus. Secundò. Infinitæ bonitati & sanctitati repugnat quodcunque malum morale, & cum infinita perfectione repugnat qualibet imperfectio: sed peccatum quodlibet est defectus moralis; ergo.

Ratio alterius partis est primò. Omne peccatum est aversio à DEO; sed est impossibile ut 3.
DEUS ullo modo faciat alicujus voluntatem à se averti: ergo est impossibile, ut DEUS ullo modo causet

causet peccatum. Secundò. Quicquid est à DEO, est ordinabile in DEUM, siquidem rationes primi principii & ultimi finis convertuntur: sed implicat, peccatum ordinari in DEUM: ergo implicat, ut aliquâ ratione sit à DEO. Tertio. Infinitæ Sanctitati, quâ major & melior excogitari non potest, non minùs repugnat omnis directa, vel indirecta malitia, quàm infinitæ veracitati repugnet omnis directa vel indirecta falsitas: ergo sicuti DEUS nec directè nec indirectà potest esse causa mendacii, sic neque directè neque indirectè potest esse causa peccati.

§. II.

Solvuntur objectiones.

4. Objicies ex authoritate S. Script. primò illa testimonia, in quibus dicitur, quòd DEUS *decreverit, vel creaverit mala.* ut Is. 45. *Faciens pacem, & creans malum.* Gen. 47. ubi Joseph suæ venditionis crimen in Divinam voluntatem refert: *Non vestro consilio, sed DEI voluntate huc missus sum.* Sicut & Crucifixio Christi Act. 2. & 4. illuc refertur: *Convenerunt facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri.*

Secundò illa loca, in quibus dicitur DEUS *creare impios in ostensionem suæ justitiæ* ut Prov. 6. & Sap. 14. Et *aliqua vasa facere in contumeliam* ut Rom. 9.

Tertiò illa, in quibus videtur DEUS præcipere, vel instigare ad peccata: ut cùm 2. Reg. c. 16. dicitur. *Dominus præcepit Semei ut malediceret David.* & Jo. 13. Christus ad Judam; *Quod facis, fac citiùs.*

Quartò. Illa, in quibus dicitur, DEUS homines indurare, vel excæcare, ut Exod. 7. Is. 6. & 63. Rom. 9. excæcatio, aut induratio, est ipsum peccatum finalis impœnitentiæ, quo peccatores obstinatè recusant pœnitentiam agere.

5. Respondeo ad primi generis authoritates, cùm DEUS dicitur facere vel creare malum, id intelligi non de malo culpæ, sed pœnæ, quod in se aliquod bonum, & tantùm respectivè malum dicitur, nempe respectu illius, quem privat aliquo bono & commodo. Quod attinet ad Josephi venditionem, & Christi crucifixionem, tunc, si illæ actiones sumantur formaliter, moraliter, & activè, sive ex parte vendentium, & crucifigentium, referuntur in DEI voluntatem permissivam talis peccati in specialem finem prædestinatricis providentiæ DEI, prout in prima parte dictum: si verò materialiter sumantur, prout sunt actiones quædam physicæ, sic pertinent ad decretum positivum, ut ex sequenti articulo patebit.

6. Ad textus secundi generis Respondeo, sensum esse, quòd DEUS aliquos homines creaverit, quos ob finem ostendendæ suæ justitiæ in extremo die judicii [qui dicitur dies malus] decreto permissivo finit in impietatem labi, & in illâ mori. Similiter Apostoli sensus est, quòd ex totâ massâ generis humani per Adami peccatum vitiatâ, & in contumeliam redactâ, DEUS aliquos voluerit gratuitâ misericordiâ in vasa honoris per prædestinationem assumere, & eligere; alios verò per indebiti beneficii denegationem in eadem massa perditionis relinquere; non verò quòd ob finem damnationis & contumeliæ voluerit aliquos homines condere.

7. Ad authoritates tertii generis Respondeo, ibidem Tò *præceptum* accipi pro permissione, quemadmodum & Marci 10. lex Judæis permittens libellum repudii *præceptum* vocatur. Unde illa quoque verba, *quod facis, fac citiùs,* non sunt voces imperantis, sed permittentis, animique promptitudinem ad patiendum ostendentis: prout exponit S. Leo. s. 7. de pass. dicens: *Vox hæc non jubentis est, sed scientis, nec trepidi, sed parati, qui habens omnem temporum potestatem, ostendit se moram non facere traditori, & sic ad redemptionem mundi paternam exequi voluntatem, ut facinus, quod à persequentibus parabatur, nec impelleret, nec timeret.*

8. Ad quarti generis testimonia Respondeo, excæcationem ac indurationem accipi posse in sensu duplici, primò ut excæcatio significet pravum affectum animi, veritatis evidenter manifestatæ lumen recipere nolentis; & ut obduratio significet pravum animi affectum media ad pœnitentiam & salutem consequendam oblata pertinaciter respuentis. Secundò minùs propriè accipiuntur pro subtractione gratiæ illuminantis, & emollientis cor hominis, ad quam consequitur obstinatio hominis in malo. In primo sensu DEUS non est causa obdurationis & excæcationis, sic enim sunt ipsum peccatum impœnitentiæ, quod sæpius in S. Script. reprehenditur, uti Rom. 2. *Secundùm duritiem tuam, & impœnitens cor tuum, thesaurizas tibi iram.* In altera acceptione DEUS dicitur indurare & excæcare indirectè & negativè, non positivè, ut habet S. D. q. 79. a. 3. Et D. Aug. ep. 105. dicens: *Nec obdurat DEUS impertiendo malitiam; sed non impertiendo misericordiam.* Quo modo intelligenda sunt loca S. Script. in quibus DEUS obdurare & excæcare dicitur.

9. Objicies etiam ex ratione primò. Quicquid DEUS vult, hoc causat; nam omnia quæcunque voluit, fecit: sed peccata vult: ergo causat. Minor probatur. Quicquid cadit sub DEI providentiam, est aliquo modo volitum à DEO: sed peccata cadunt sub DEI providentiam: ergo sunt aliquo modo directè, vel indirectè volita à DEO.

Confirmatur. Peccata aut fiunt DEO volente, aut nolente: sed non fiunt DEO nolente: nam ejus voluntati quis resistit? ergo fiunt DEO volente. Secundò. A quo est potentia operandi, eidem rectè tribuitur operatio; quòd enim est causa causæ, est causa causati: sed potentia peccandi est à DEO: ergo etiam ipsum peccatum. Minor probatur: Potentia peccandi est liberum arbitrium habens indifferentiam contrarietatis ad bonum & malum: sed hoc est à DEO: ergo.

10. Respondeo ad 1. negando min. nam velle in DEO significat voluntatem positivam, quam DEUS de peccatis non habet. Probationem distinguo: Quicquid cadit sub providentiam approbantem, est directè vel indirectè à DEO volitum, concedo; quod cadit sub providentiam tantummodò permittentem, nego maj. sed peccata cadunt sub providentiam permittentem, conce-

concedo; sub approbantem nego min. & consequentiam.

Instabis: Pœnitentia cadit sub providentiam approbantem: ergo etiam peccata. Antecedens patet: quia pœnitentia est effectus prædestinationis. Consequentia probatur: Efficax intentio & amor finis est etiam virtualis amor illorum omnium, quæ sunt necessaria ad positionem & existentiam finis: sed pœnitentia sine peccatis non potest existere, cùm sit essentialiter virtus destructiva peccati: ergo cùm DEUS efficaciter intendat pœnitentiam, etiam positivè vult ipsa peccata.

11. Respondeo negando consequentiam, ejusque probationem distinguo: Efficax intentio finis est simul amor virtualis eorum, quæ sunt necessaria ad positionem finis, si sunt necessaria tanquam amata propter intrinsecam suam bonitatem, concedo; si sunt necessaria tanquam permissa solùm, nego. Sed peccata sunt necessaria ad positionem & existentiam pœnitentiæ, tanquam permissa, concedo; tanquam amata, nego minorem & consequentiam.

Ratio est: quòd tunc solùm intentio finis est amor virtualis eorum, quæ sunt necessaria ad positionem finis, quando ista sunt in se amabilia, & causabilia ab intendente finem, & ex intentione finis non tantùm logicè & illativè, sed etiam causaliter consequuntur: sed peccata non sunt causabilia à DEO intendente finem, nec amabilia; neque sequuntur causaliter, sed solùm illativè ex intentione finis: adeòque efficax intentio pœnitentiæ non est simul amor, aut voluntas virtualis peccatorum.

Ad confirmationem nego maj. peccata enim fiunt, DEO propriè neque volente, neque nolente, sed permittente: voluntas autem permissionis DEUM non simpliciter volentem denominat. Dixi, *propriè*, nam latiùs loquendo & cum addito dici potest, peccata fieri DEO volente permittere, seu volente per voluntatem permissionis, & illa fieri DEO nolente, secundum voluntatem signi, in quantum peccata prohibet, odit & punit. 12.

Ad secundum datâ, non concessâ maj. distinguo min. potentia peccandi, quatenus defectiva & ut formaliter est potentia peccandi, nempe liberum arbitrium, est à DEO, nego: quatenus effectiva, & sic causa illius quod est materiale in peccato, concedo: ergo & peccatum est à DEO, quoad materiale, & quatenus est effectus, concedo; quoad formale, & quatenus est defectus, nego consequentiam. 13.

ARTICULUS IV.

An materiale peccati physicè, vel moraliter sit à DEO?

SUMMARIA.

1. *DEUS non est moralis causa peccati materialis.*
2. *Disparitas, cur physica causalitas DEI possit attingere actum peccati sine malitia, non item causalitas moralis.*
3. *DEUS physicè influit in materiale peccati.*
4. *Objectiones*
5. *Solvuntur.*
6. *DEUS non propterea est author peccati, quia concurrit ad materiale & actum ipsius.*
7. *Ille concursus est pravius.*
8. *Ratio hujus præmotionis non est virtus præcisiva Divini concursûs.*

§. I.

Removetur causalitas moralis.

1. CONCLUSIO PRIMA. *Actus, seu materiale peccati non est à DEO, tanquam à causa morali*

Ratio est primò. Quia moraliter causare actum peccati, est illum causare per modum suadentis, consulentis, jubentis: sed implicat, hoc modo actum peccati à DEO causari: ergo. Minor probatur: tum quia suadendo inducere ad actum peccati est aliquem *tentare & implanare*, quâ de causâ dæmon dicitur homines tentare & causare peccatum: sed DEUS *neminem tentat, ac implanat*: ut habetur Jac. 1. & Eccles. 15. ergo. Tum quia sequeretur, quòd DEUS in eodem genere causæ, & circa idem objectum haberet duas contrarias voluntates: nam ut causa moralis ex hypothesi suaderet actum peccati, & simul dissuaderet, ac prohiberet, uti constat: ergo.

Ratio est secundò. Si DEUS voluntatem moveret ad actum peccati per modum causæ moralis, moveret ad actum, quatenus modo morali ab ipsa eliciendum: sed hoc modo movere non potest: ergo. Major probatur: quia moralis causa non aliter movet, quàm proponendo agenti objectum, ut circa illud liberè se determinare possit. Minor quoque probatur: Actus peccati quatenus procedit à voluntate moraliter operante, sic defectuosè procedit: sed implicat, ut voluntas à DEO moveatur ad actum, quatenus defectuosè eliciendum: ergo etiam implicat, voluntatem à DEO moveri ad actum sub ratione principii moralis eliciendum.

2. Dices: DEUS causalitate physica attingit actum peccati, quin tamen eâdem attingat formalem peccati malitiam: ergo pariter moralis causalitas ipsius hoc modo poterit attingere actum, & materiale peccati.

Respondeo negando consequentiam: quia malitia peccati non sequitur ex vi voluntatis, tanquam principii physici, bene autem ex vi voluntatis, tanquam principii moralis defectivi, e. g. blasphemia in amente, qui non agit ut principiũ morale, non habet malitiam moralem, habet tamen in alio compote rationis, qui operatur ut agens morale cum defectu regulæ rectæ rationis: sed, ut statim dicemus, DEUS suâ physicâ causalitate voluntatem tantùm movet intra lineam physicam, seu quatenus est principium physicum talis actionis, & sic nullo modo attingit malitiam moralem, quæ non sequitur ex vi principii u physicè operantis: econtra si moveret moral cau-

causalitate, tunc moveret voluntatem, quatenus est principium morale ejusmodi actûs, & consequenter indirectè moveret ad ipsam malitiam, quæ ex voluntate quà tali nata est sequi.

§. II.

Adstruitur causalitas physica.

3. CONCLUSIO SECUNDA. *Actus & materiale peccati in genere naturæ est a DEO physicè influente. S. D. hic a. 2. cum communi.* Ratio est: Omnis effectus creatus, in quo ratio entis participati, tanquam formalis terminus Divinæ omnipotentiæ intrinsecè reperitur, physicè dependet ab influxu causæ primæ, primi entis & moventis: sed actus peccati est quidam effectus creatus, & ens participatum: ergo ut sic dependet à physico influxu DEI tanquam causæ & entis primi.

4. Objicies: Si DEUS est causa actûs physici in peccato, etiam est causa peccati formaliter: consequens non admittimus: ergo nec antecedens. Sequela probatur: Qui vult & causat antecedens, vult etiam & causat consequens, quod cum antecedente infallibiliter connectitur: sed malitia infallibiliter consequitur ad actum peccati, præsertim intrinsecè mali, ut est v. g. odium DEI: ergo si DEUS vult & causat actum peccati, causat pariter malitiam actûs.

Confirmatur primò. Qui est causa formæ, est etiam causa privationis, quæ huic formæ inseparabiliter connectitur, sicut ignis producendo calorem, hoc ipso causat privationem frigoris: ergo si DEUS physicè causat actum, etiam causat malitiam, quæ est privatio rectitudinis inseparabiliter conjuncta cum actu.

Confirmatur secundò. Homo ideo peccat, & causat malitiam formalem peccati, quia liberè ponit actum peccati: ergo etiam DEUS causabit malitiam peccati, si liberè concurrat ad physicè ponendum actum peccati.

Confirmatur tertiò. Si DEUS physicè concurreret ad actum peccati, tunc operaretur contra suam propriam voluntatem: consequens est absurdum: ergo. Sequela patet; quia DEUS non tantùm prohibet malitiam, sed etiam actum peccati: imò frustrà prohiberet malitiam, nisi ipsum quoque actum prohiberet, ex quo malitia necessariò sequitur.

5. Respondeo negando sequelam: & maj. prob. vel nego, vel distinguo: qui causat antecedens, causat etiam consequens, quando hoc sequitur ex vi antecedentis, quatenus à tali causa positi, concedo; secus, nego. Sed malitia infallibiliter sequitur ad actum peccati, ex vi ipsius quatenus moraliter defectuosè à voluntate creata positi, concedo; quatenus effectivè & physicè positi, nego min. & consequentiam. Nam *quia peccatum* [inquit S. D. citatus] *nominat ens cum quodam defectu, defectus ille non refertur in DEUM sicut in causam; sed in liberum arbitrium, in quantum deficit ab ordine primi agentis.*

Ad 1. confirmationem est eadem distinctio: qui est causa formæ, est etiam causa privationis, si illa sequatur ex vi formæ quatenus à tali causa positæ, concedo; secùs, nego. Sed, ut dictum, malitia non sequitur ex vi actûs, quatenus à DEO & voluntate creata physicè promanantis, sed ex vi liberi arbitrii defectuosè operantis. Ad instantiam de calefactione patet disparitas, quia privatio frigoris sequitur ex vi novi caloris introducti.

Ad 2. Confirmationem nego antec. non enim peccat ideo solùm quia liberè, sed quia defectuosè ponit. Et si dicas: Ideo defectuosè ponit, quia liberè ponit: Respondeo: quia liberè ponit, libertate includente privativum defectum regulæ rectæ rationis, concedo; non includente, nego: adeò ut proxima ratio peccandi non sit libera positio actûs prohibiti, sed privativus defectus proximæ regulæ rectè operandi, ut sæpiùs antè insinuavimus.

Ad 3. Confirmationem nego sequelam, & antecedens distinguo: DEUS prohibet etiam actum ut est actus & ens nego; ut est malus, deformis, defectuosus, contrarius divinæ legi, pertinens ad genus moris, sic concedo. Quemadmodum [ut eleganti exemplo confirmat Sylvius] Christus DEUS vult actionem baptismalem factam ab hæretico, vel peccatore juxta ritum Ecclesiæ; siquidem illam actionem ipse principaliter efficit: *Quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit adulter, si baptismus Christi erat, Christus baptizavit*, inquit D. August. Tr. 5. in Joan. nec tamen vult illam actionem, quà ratione est mali & sacrilega; sic enim solùm reducitur in voluntatem defectuosam Ministri malè operantis.

§. III.

Corollaria.

COlliges primò. Quamvis DEUS concurrat 6.
ad actum & materiale peccati, non tamen propterea dici posse aut debere causam & authorem peccati: Quia Tò peccatum supponit pro suo formali significato, & non denotat solum actum in linea naturæ, sed actum cum deformitate morali. *Quodcumque autem nomen* [inquit S. D. in 2. dist. 37. q. 2. a. 2. *deformitatem simul cum actu significat, sive in generali sive in speciali, non potest dici, quòd à DEO sit simpliciter.*

Colliges secundò. Influxum, quo DEUS 7.
concurrit ad actum peccati, non esse concursum solummodò simultaneum, sed prævium & determinativum; siquidem est actualis causalitas & influxus causæ primæ, de cujus essentia est, ut sit prior prioritate naturæ, quàm suus effectus, & omne ens creatum ac participatum.

Neque dicas. Illa motio prævia est longè efficacior, & insuperabilior, quàm quævis motio moralis: ergo si ratione motionis moralis DEUS diceretur & esset Author peccati, erit etiam ratione præviæ istius physicæ motionis. Nam Respondeo, præterquàm quòd hoc argumentum etiam militet contra concursum simultaneum, dist. antec. hæc motio est efficacior intensivè, remanendo videlicet intra lineam naturæ, concedo; extensivè, seu attingendo lineam moris, nego antec. & consequentiam. Adde, quòd ratio, cur DEUS esset author peccati, si actum ipsius causaret moraliter, non sit efficacia motionis, prout in argumento supponitur, sed modus defectuosus: nam suadere aliquid amplectendum

neglecto

neglecto ordine rationis, est motio defectuosa: atqui hoc est moraliter movere: ergo.

8. Colliges Tertiò contra Gonett, rationem fundamentalem, cur DEUS physicè præmovendo ad actum peccati non tamen causet formalem malitiam peccati, non esse, quòd infinitâ suâ causalitate in nostris actionibus ex duabus formalitatibus inter se identificatis unam ab alia possit præscindere, hujus quippe principii falsitatem jam priùs ostendimus; sed istam, quòd in ratione actûs reperiatur formalis terminus divinæ causalitatis & omnipotentiæ, quæ est ratio entis ut sic; non autem reperiatur in formali malitia peccati, quæ extra totum genus entis, solummodò intra genus privativum moralis defectûs reperitur. Adeòque est extra totam sphæram divinæ causalitatis, à DEO nec emanabile, nec in ipsum ordinabile, sed tantùm reducibile in principium privativè deficiens, quod est voluntas destituta rectâ regulâ rationis.

DISPUTATIO XXIII.

DE Macula peccati, sive de peccato habituali personali. ad q. 86.

Post causas peccati personalis [nam de originali postea speciali tractatu] transimus ad expendendos ipsius effectus, & quidem peccati mortalis, qui à S. D. tres præcipui enumerantur: Diminutio inclinationis in bonum naturæ, macula peccati, & reatus pœnæ æternæ. Et de primo quidem effectu non est magna difficultas, nam inclinationem alicujus naturæ in bonum diminui, potest in duplici sensu accipi, primò, ut diminuatur intrinsecè & ex parte subjecti, h. e. ut natura vel potentia aliquid amittat de sua intrinseca entitate & intensiva perfectione: Secundò, ut diminuatur extrinsecè, & ex parte termini, h. e. acquirendo oppositionem alicujus impedimenti, ex quo fit ut natura vel potentia terminum, ad quem aliàs inclinatur, non tam facilè consequatur, quo posito concludit S. D. hic q. 85. a. 1. per peccatum hominis inclinationem in bonum honestum diminui, non quidem intrinsecè; siquidem inclinatio in bonum entitativè non differt ab ipsa animæ substantia ac potentiis ipsius, quæ per peccatum non destruuntur; bene autem extrinsecè, primò, quia per peccatum generatur prava dispositio, inclinans in bonum delectabile inhonestum, adeòque voluntatem impediens & retrahens à prosecutione honesti: Secundò in quantum per peccatum personale mortale aufertur gratia sanctificans, & habitus infusi, sæpe etiam diminuuntur, aut destruuntur habitus acquisiti, per quos homo inclinatur in bonum, & retrahitur à malo: sicque minuitur facilitas & promptitudo tendendi in bonum honestum. Major est difficultas de macula peccati, & reatu pœnæ, de quibus erunt duæ sequentes Disputationes.

ARTICULUS I.

An peccatum habituale consistat in peccato non retractato?

SUMMARIA.

1. *Macula peccati est vestigium & terminus peccati actualis.*
2. *In re significata peccatum habituale, & macula peccati non differunt.*
3. *Cur peccatum habituale dicatur macula?*
4. *Varietas Sententiarum.*
5. *Peccatum habituale non consistit in obligatione ad pœnam.*
6. *Exponitur locus S. Augustini.*
7. *Refellitur sententia non retractionis.*
8. *Occurritur evasioni Adversariorum.*
9. *Disparitas inter offensam humanam & divinam.*
10. *Quid dicendum de peccato habituali in statu puræ naturæ.*
11. *Actus præteritus non nisi connotativè distinguit peccata habitualia.*

§ I.

Prænotanda.

Notandum primò ex S. D. q. 86. a. 2. Post actum peccati in anima remanere maculam, quasi vestigium à præterito peccato relictum, ratione cujus homo coram DEO maculatus, immundus, invisus, deformis, &c. denominatur: veluti liquet è plurimis S. Script. locis, Ps. 50. *Lavabis me, & super nivem dealbabor.* Jer. 2. *Maculata es in iniquitate tua &c.* Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.* Quæ peccati macula etiam significatur per formas Sacramentales, quibus dicimur *ablui*, & *absolvi à peccatis*, eaque nobis *indulgeri*. 1.

Notandum secundò. Maculam peccati & pecca- 2.

peccatum habituale, quamvis differant in modo significandi, in quantum macula exprimit animæ immunditiam, eamque significat immundam coram DEO: peccatum verò habituale magis exprimit injuriosum & offensum DEO; tamen in re significatâ prorsus convenire, siquidem ex eodem capite, ex quo peccator est immundus & maculatus, est etiam habitualiter offensus & inimicus DEI.

3. Notandum tertiò. Peccatum habituale appellari maculam metaphoricè per analogiam ad res corporales; nam sicuti corpus aliquod dicitur maculatum, quando amittit nitorem sibi debitum per contactum alterius corporis sordidi, v. g. luti, vel olei, sic anima dicitur maculata, cùm per inordinatum affectum, & adhæsionem voluntatis ad sensibilia bona [qui est quasi virtualis contractus animæ,] deperdit spiritualem pulchritudinem, ac nitorem sibi debitum, qui, ut loquitur *S. D.* hîc a. 1. duplex est, unus ex refulgentia luminis rationis naturalis, per quam dirigitur in suis actibus; alius ex refulgentia luminis supernaturalis, scilicet sapientiæ & gratiæ, per quam nimirum perficitur in ordine ad finem supernaturalem.

4. Notandum quartò. Quamvis etiam peccatum originale sit habituale peccatum, tamen hoc loco agi de solo habituali personali, quod tamdiu animam maculat, quamdiu per gratiam justificationis non deletur, ut sup. ex tract. de grat. De hoc porrò quæstio celebris est, in quonam formaliter consistat. Nam primò *Scotus* in 4. dist. 14. q. 1. docet, consistere in passivâ ordinatione ad subeundam pœnam, sive in relatione rationis resultante in anima propter culpam commissam, quæ quatenus connotat animam, eique est disconveniens, vocatur macula; quatenus refertur ad pœnam, vocatur reatus seu obligatio pœnæ; & quatenus provenit ex actione divinæ voluntatis ordinantis peccatorem ad pœnam, sic vocatur offensa.

Secundò: Lorca docet, consistere in aliqua entitate positiva habituali inclinante in bonum creatum, tanquam finem ultimum: vel, ut Godoyus sentit, in termino positivo morali, quo peccator manet habitualiter difformis legi, conversus in ultimum finem creatum, & aversus à DEO. Tertiò: communior RR. cum Vasque docet, consistere in peccato præterito non retractato, seu connotante duplicem privationem, unam condonationis divinæ, & alteram satisfactionis condignæ. Quartò: communior Thomistarum, quam etiam amplectuntur *Salmanticenses* hic q. 86. a. 2. n. 6. docet, formaliter consistere in privatione gratiæ sanctificantis, quatenus causata per peccatum præteritum.

§ II.

Refutatur sententia Scotistica.

5. CONCLUSIO PRIMA. *Peccatum habituale, seu macula non consistit formaliter in obligatione seu passiva ordinatione & relatione ad pœnam. Ita communis extra Scholam Scoti.*

Probatur primò authoritate *SS. PP.* Pii V. & Gregorii XIII. qui præter alios etiam hunc articulum Michaëlis Bay damnârunt: quòd *transeunte actu peccati nihil remaneat, quàm reatus & obligatio ad pœnam æternam*: atqui juxta sententiam rejectam post actum peccati mortalis in anima nihil remaneret præterquam obligatio ad pœnam æternam.

Probatur secundò ratione: Reatus & deputatio ad pœnam est naturâ posterior, quàm macula peccati: ergo macula peccati formaliter non consistit in deputatione ad pœnam. Antec. est *S.* D. in 2. dist 42. in exposit. textûs dicentis: *Quòd macula est medium inter actum peccati & reatum: quasi effectus actûs, & fundamentum reatûs,* & constat hâc ratione: quia peccator non est ideo immundus, quia est obligatus ad subeundam pœnam: sed ideo est obligatus ad subeundam pœnam, quia maculâ peccati est iniquinatus.

Probatur tertiò. Reatus pœnæ est separabilis à macula peccati: ergo ista non potest formaliter consistere in reatu, sive ordinatione ad pœnam. Antec. probatur: tum quia ablatâ maculâ peccati mortalis etiamsi auferatur reatus ad pœnam æternam, manet tamen sæpe reatus ad pœnam temporalem: tum quia damnati in inferno identidem augent culpam & maculam peccati, non tamen augent reatum pœnæ, cùm sint extra statum merendi, vel demerendi; tum quia si DEUS nollet peccatorem ordinare ad pœnam æternam, vel temporalem, adhuc ratione peccati habitualis esset immundus, & abominabilis coram DEO.

Oppones authoritatem D. Augustini in ps. 31. dicentis: *hoc est, DEUM videre peccata, quod punire peccata.* Unde inferes; ergo sublatâ deputatione ad pœnam DEUS non videt peccata, & consequenter non sunt. Respondeo. Hæc esse idem concomitanter, quia nunquam fit unum sine altero; non autem esse idem formaliter. 6.

§ III.

Removetur non retractatio peccati.

CONCLUSIO SECUNDA. *Macula peccati, sive peccatum habituale pro hoc statu formaliter non consistit in peccato præterito non retractato.* 7.

Ratio est. Macula peccati consistit in aliquo, quod est intrinsecum animæ; sed peccatum actuale præteritum non retractatum nihil dicit intrinsecum animæ; ergo non est macula peccati. Major probatur è verbis *S. Script.* & formis Sacramentorum primò adductis, è quibus constat, sordes, & maculam peccati in nobis *permanere*, nos ab illa *lavari, purgari, mundari*: quæ omnia secundùm proportionem verborum, prout ex communi Theologorum regula verba *S. Script.* accipi debent, significant aliquid animæ intrinsecum. Minor quoque probatur: quia quicquid in sententia rejecta importat macula in recto, est quid præteritum, nempe actus peccati: sed iste est extrinsecus peccatori: ergo.

Respondent: Tametsi peccatum præteritum non sit animæ intrinsecum physicè, esse tamen moraliter intrinsecum, quod sufficit ad explicandos *S. Script.* textus. 8.

Contrà est primò. Illa moralitas nil potest super-

superaddere ad actum præteritum non condonatum, quàm prudens judicium peccatori imputantis præteritum peccatum, ac si de facto inesset: sed tam istud judicium quàm fundamentum ipsius est quid intrinsecum peccatori: ergo nondum salvatur, quomodo peccator potiùs per intrinsecam, quàm extrinsecam denominationem dicatur maculatus.

Contrà est secundò. Quòd verba *S. Script.*, quamdiu nullum obstat inconveniens, sunt accipienda in proprio sensu: sed verba prædicta in proportione verborum significant aliquid non tantùm moraliter & æstimativè, sed realiter & physicè intrinsecum: ergo.

Contrà est tertiò. Ex eo, quia Rom. 5. dicitur, quòd *charitas DEI diffundatur in cordibus nostris*, rectè infertur, quòd gratia sit donum physicè & non tantùm moraliter in anima receptum: ergo pariter, cùm *S. Script.* dicit, quòd in nobis sit macula peccati, nos à macula peccati lavari, mundari &c. non loquitur tantùm de morali, sed physica quoque ipsius inexistentia.

Contrà est quartò. Forma, per quam peccatum habituale formaliter expellitur, nempe gratia sanctificans, animæ est physicè intrinseca: ergo etiam peccatum habituale debet physicè inesse animæ. Consequentia probatur: forma, quæ per physicam inhærentiam expellit suum oppositum, etiam supponit illius physicam inexistentiam in eodem subjecto, veluti patet philosophicà inductione contrariorum sive positivorum, sive privativorum: sed gratia sanctificans per physicam suam inhærentiam, & informationem animæ expellit habituale peccatum: ergo & oppositum ipsius, nempe macula in anima non tantùm moraliter, sed etiam physicè inesse debet.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

9. Objicies primò. Quo posito, cæterisque omnibus ablatis, intelligitur peccatum habituale, in illo formaliter consistit peccatum habituale: sed posito actu præterito, cum negatione condonationis divinæ, & retractationis seu satisfactionis præstitæ sufficienter intelligitur peccatum habituale: ergo. Minor probatur: Offensa humana, nec non intentio sufficienter intelligitur habitualiter permanere, quamdiu non retractatur: ergo etiam offensa divina, quod est peccatum.

Respondetur negando minorem, & ad probationem assigno disparitatem: nam neque intentio, neque offensa humana tollit aliquam entitatem in anima intrinsecè & physicè inhærentem, sicut facit peccatum mortale, quod tollit amicitiam divinam consistentem in habitu physico gratiæ & charitatis, ideo offensa humana habitualis bene potest intelligi ratione actûs præteriti non retractati, non autem offensa Divina habitualis. Rursus intentio & offensa humana non intrinsecè maculant & fœdant animam per oppositionem cum aliquo intrinseco nitore & pulchritudine, quod tamen facit peccatum mortale.

Objicies secundò. Si quis in statu puræ naturæ, h. e. nullis donis supernaturalibus elevatæ ad finem ultimum supernaturalem, peccâsset mortaliter, peccatum habituale nihil aliud fuisset, quàm actus præteritus non retractatus: ergo etiam pro statu præsenti essentia peccati habitualis sufficienter salvatur in actu præterito non retractato. 10.

Responderi potest primò negando consequentiam: nam in statu puræ naturæ peccatum habituale fuisset alterius rationis, quàm in statu naturæ elevatæ: tunc enim pro forma opposita non habuisset gratiam sanctificantem, & amicitiam intrinsecam, sed tantùm favorem DEI extrinsecum: atqui in statu præsenti peccatum habituale opponitur gratiæ sanctificanti, amicitiæ, & pulchritudini in anima intrinsecè & physicè receptæ: neque aliter, quàm per ipsius infusionem tolli potest. Responderi potest secundò. Cùm etiam in statu puræ naturæ peccatum mortale potuisset hominem reddere immundum, adeòque habuisset rationem maculæ, constituendum fore in privatione habitualis conformitatis cum lege, & conversionis habitualis ad ultimum finem; quæ tunc fuisset potissima animæ pulchritudo, & probabiliter fuisset aliquod donum ordinis naturalis, quo homo fuisset habitualiter ordinatus ad DEUM super omnia efficaciter diligendum.

Objicies tertiò. Idem est constitutivum peccati, quod distinctivum: sed peccata habitualia inter se distinguuntur, non per privationem gratiæ, sed per actus præteritos: ergo actus præteritus constituit peccatum habituale. 11.

Respondeo distinguendo maj. Idem est constitutivum peccati habitualis, quod distinctivum, si sit distinctivum per modum alicujus importati in recto, concedo; per modum alicujus connotati in obliquo nego maj. sed unum peccatum habituale ab altero distinguitur ratione actûs præteriti, tamquam connotati in obliquo concedo; tanquam importati in recto, nego min. & consequentiam. Item, non distinguuntur inter se peccata habitualia propter privationem nudè & solitariè acceptam, concedo; propter illam sumptam cum ordine & connotatione ad sui causam, quæ est pecccatum actuale, nego.

ARTICULUS II.

An macula peccati consistat formaliter in aliquo positivo, vel privativo?

SUMMARIA.

1. *Excluditur positiva entitas per authoritatem D. Thomæ.*
2. *Per rationem.*
3. *Paritas de peccato actuali retorquetur.*
4. *Macula, seu peccatum habituale formaliter consistit in privatione gratiæ sanctificantis,*
5. *Cum connotatione peccati, à quo causatur.*

6. *Privatio gratiæ in facto esse non est prior quàm peccatum habituale.*
7. *Privatio gratiæ ut moralis & voluntaria non est à DEO.*
8. *Est semper voluntaria saltem indirectè, & interpretativè.*
9. *Pluralitas peccatorum habitualium oritur à connotatione diversorum peccatorum actualium.*
10. *Peccata possunt remitti per solam infusionem gratiæ,*
11. *Non autem per solam condonationem extrinsecam.*
12. *Peccatum habituale reducitur ad speciem peccati actualis.*

§. I.

Rejicitur entitas habitualis positiva.

1. CONCLUSIO PRIMA. *Peccatum habituale formaliter non consistit in positiva & habituali entitate hominem convertente in ultimum finem creatum.*

Hanc assertionem probant omnia argumenta, quibus antea probavimus, peccatum actuale formaliter non consistere in positivo. Et ulteriùs probatur primò luculentâ authoritate Doctoris Angelici, qui hâc ipsâ quæstione a. 1. ad 3. *Macula*, inquit, *non est aliquid positivè in anima, sed significat privationem quandam nitoris*, &c. Et in 4 dist. 18. q. 1. a. 2. quæstiunc. 1. *Ex peccato non remanet positive aliquid in anima, nisi dispositio vel habitus, quæ consequuntur peccatum ex parte actûs, ex quo aliquid ponit: sed macula non est dispositio ex actu causata, nec habitus: quod patet ex hoc, quòd dispositio & habitus possunt sine gratia destrui per contrariam consuetudinem: macula autem sine gratia non aufertur: ergo macula non ponit aliquid positivè in anima.* Quid clarius?

Dices fortè, hunc textum contineri in argumento sed contrà, ex quo nondum sufficienter colligitur mens & sententia S. Doctoris: sed contrà est, quod hoc ipsum repetit in corp. illius quæstiunc. *Ex hoc*, inquit, *aliquid maculatum dicitur, quia debitæ pulchritudinis patitur detrimentum, unde macula secundùm quod hujusmodi, non habet, quòd aliquid ponat*, &c. & post pauca: *Unde ipsa macula, quantum in se est, non ponit de essentia sua nisi privationem gratiæ*, &c. Ex quibus

Probatur secundò ratione. Habitus vitiosi possunt per actus contrarios destrui sine infusione gratiæ: sæpe etiam habitus vitiosi remanent post infusionem gratiæ: ergo non potest in habitu vitioso constitui macula peccati.

2. Probatur tertiò. Circa finem ultimum peccatoris non est constituendus habitus voluntati superadditus: sed peccatum habituale est circa ultimum finem peccatoris: ergo non est constituendum in habitu voluntati superaddito. Major probatur: Natura lapsa sibi relicta, & gratiâ supernaturali destituta per seipsam inclinatur in bonum proprium & privatum, quod est ultimus finis peccantis: ipsa quippe est inclinatio totius suppositi: ergo frustraneus est habitus superadditus, qui faciliter hanc inclinationem.

Probatur quartò. Habitus voluntatis generantur per frequentatos actus, & per oppositos corrumpuntur: sed macula peccati per unicum actum generatur, & per infusionem gratiæ sanctificantis instantaneè corrumpitur: ergo macula peccati non potest consistere in habitu.

Probatur quintò. Non minùs peccatum omissionis causat maculam, quàm peccatum commissionis: sed illa non potest consistere in positivo, uti nec ipsum peccatum omissionis: ergo non est de ratione maculæ, quòd sit aliquid positivum. Adde, quòd macula, quæ deletur per gratiam, immediatè subjectetur in anima; quicquid verò positivum resultat ex actu peccati, subjectetur in potentiis animæ, adeòque macula, & positiva inclinatio subjectis distinguantur.

Dices: Actualis conversio in bonum creatum est quid positivum: ergo etiam habitualis conversio consistit in aliqua inclinatione positiva: atqui peccatum mortale habituale dicit habitualem conversionem in bonum commutabile, sicut actuale dicit conversionem actualem: ergo peccatum habituale consistit in inclinatione positiva ad bonum commutabile. 3.

Respond. dist. consequens: consistit in aliqua inclinatione positiva, quæ sit ipsa voluntas hominis, concedo; quæ sit qualitas aut habitus superadditus, nego consequentiam. Subsumptum distinguo: peccatum mortale habituale dicit habitualem conversionem connotativè, & de suo substrato, concedo; formaliter, nego subsumpt. & consequentiam. Imò retorqueo argumentum: formale peccati actualis non nisi connotativè & de substrato importat conversionem positivam actualem, indistinctam ab ipso actu voluntatis: ergo formale peccati habitualis non nisi connotativè & de substrato importat conversionem habitualem, ab ipsa tamen voluntate indistinctam, erga bonum creatum. Unde hæc paritas illis tantùm est solvenda, qui peccatum actuale formaliter in positiva entitate constituunt.

§. II.

Sententia Thomistica.

CONCLUSIO SECUNDA. *Macula peccati mortalis consistit formaliter in privatione gratiæ sanctificantis cum ordine ad suam causam, quæ est peccatum præteritum.* Ita Thomistæ communiter. 4.

Prima pars probatur primò rejectione priorum sententiarum sic breviter contractâ. Macula peccati non potest consistere in formalitate animæ peccantis extrinseca, neque moraliter solùm intrinseca; ergo in formalitate physicè intrinseca: sed hæc non potest esse positiva: ergo privativa. Si privativa: ergo illius pulchritudinis & nitoris, quo anima constituitur sancta, DEO grata & habitualiter ordinata in finem supernaturalem; sed hæc est gratia sanctificans, nec alia forma est assignabilis. Unde sicut homo per gratiam significantem formaliter denominatur justus & DEO gratus, sic per oppositum habituale peccatum formaliter denominatur injustus, DEO offensus, inimicus, &c.

Probatur secundò. Cùm macula ex ipsa vocis impositione formaliter specificet carentiam debiti

debiti nitoris seu pulchritudinis, etiam peccati mortalis macula consistere debet in privatione debiti nitoris, & quidem illius, qui est vita animæ, & per peccatum mortale expellitur; ideo quippe mortale dicitur, quia causat mortem & expellit vitam animæ: atqui iste nitor, qui simul est animæ vita, est gratia sanctificans: ergo peccati mortalis macula consistit in privatione gratiæ sanctificantis.

Probatur tertiò. In illo consistit macula peccati mortalis, quod per se primò expellitur per justificationem: sed per hanc per se primò expellitur privatio gratiæ: ergo. Major probatur: quia justificatio est formaliter remissio peccatorum, & per hanc mundari, lavari, regenerari dicimur. Minor quoque probatur: Justificatio formaliter est infusio gratiæ: atqui infusio gratiæ formaliter expellit sui privationem, quemadmodum lux expellit tenebras: ergo per justificationem formaliter per se primò expellitur privatio gratiæ.

Probatur quartò. Quæcunque prædicata reperiuntur in macula peccati mortalis, illa conveniunt privationi gratiæ: ergo. Antec. probatur: nam est privatio debiti nitoris, & habitualis ordinationis in ultimum finem; reddit hominem DEO odiosum, & detestabilem, formaliter immundum, injustum, estque terminativè voluntaria: ergo.

5. Secundam quoque partem tradit S. D. hâc q. 86. a. 1. ad 3. his verbis: *Macula non est aliquid positivè in anima, nec significat privationem solam, sed significat privationem quandam nitoris animæ in ordine ad suam causam, quæ est peccatum, & ideo diversa peccata diversas maculas inducunt.* Ubi ratio à posteriori indicata est primò: si privatio gratiæ non acciperetur cum ordine ad suam causam, non esset ratio diversitatis inter unam, & alteram maculam: consequens est absurdum: ergo.

Ratio est secundo. Privatio gratiæ sanctificantis non aliter potest habere rationem peccati & culpæ, ac denominare hominem immundum, ac offensum coram DEO, nisi quatenus est moralis & voluntaria: sed talis non est nisi per ordinem ad actum peccati præteritum, à quo causatur & relinquitur: ergo debet accipi cum ordine ad peccatum præteritum, ex quo habet quòd sit voluntaria, non quidem per modum voluntarii formalis & actualis, quod non est nisi actus voluntatis elicitus, aut imperatus, sed per modum voluntarii terminativi, quod est terminus & effectus ab actu formaliter voluntario relictus.

§. III.

Solvuntur objectiones.

6. Objicies primò. Privatio gratiæ priùs concipitur, quàm peccatum habituale: ergo in illa peccatum habituale non rectè constituitur. Antec. probatur: In eodem instanti, in quo est actuale peccatum, jam concipitur privatio gratiæ, siquidem implicat, peccatum, & gratiam esse simul: atqui in illo instanti nondum potest esse & concipi habituale peccatum, quod est terminus & effectus peccati actualis: ergo.

Resp. dist. antec. privatio gratiæ nudè sumpta, & ut in fieri, priùs concipitur, quàm habituale peccatum concedo; privatio gratiæ unà cum ordine ad peccatum præteritum, & ut in facto esse, nego: eodemque modo distinctâ probat. nego consequentiam.

Objicies secundò: Privatio gratiæ causatur à DEO in pœnam peccati: sed peccatum habituale nullatenus potest causari à DEO: ergo non potest esse privatio gratiæ. Antecedens probatur: quia cùm DEUS subtrahit influxum conservativum gratiæ, oritur privatio gratiæ: ergo privatio gratiæ causatur à DEO subtrahente suum influxum. 7.

Confirmatur. Pœna peccati non est ipsum peccatum: atqui privatio gratiæ est pœna peccati: nam ideo homo privatur gratiâ, quia peccat; & ideo DEUS perseverat in subtractione gratiæ, quia homo perseverat in peccato.

Respondeo. Gratiam sanctificantem spectari posse dupliciter: physicè nimirum, & moraliter. Spectatur physicè, prout est summa animæ perfectio, & participatio divinæ naturæ. Spectatur moraliter, prout est rectitudo & habitualis subjectio & subordinatio hominis ad DEUM ut ultimum finem supernaturalem. Similiter privatio ipsa gratiæ spectari potest vel physicè, prout est præcisè absentia hujus doni supernaturalis causata per subtractionem divini influxûs; vel moraliter, prout dependet à voluntate ponente per actuale peccatum ultimam dispositionem expulsivam gratiæ, & incompossibilem cum ipsa. Quo posito distinguo maj. privatio gratiæ causatur à DEO in pœnam peccati, si privatio vel gratia physicè spectatur, concedo; si moraliter, nego: ergo peccatum habituale non est privatio gratiæ, sub physica solùm consideratione, concedo; sub morali, nego. Similiter ad Confirmat. privatio gratiæ prout hæc est perfectio animæ, & sub physica consideratione, est pœna peccati, concedo; prout hæc est moralis rectitudo & subordinatio ad DEUM, ac sub morali consideratione, nego. Nam ut S. D. q. 1. de malo a. 4 ad 1. dicit: *Idem secundùm diversa potest esse culpa & pœna, non tamen secundùm idem.*

Objicies tertiò. Culpa habitualis debet esse voluntaria: sed privatio gratiæ non semper est voluntaria: ergo. Minor probatur. Quod non est cognitum, non est voluntarium: atqui privatio gratiæ sæpe non est cognita, nempe quoties aliquis negativè infidelis mortaliter peccat, qui habet invincibilem ignorantiam totius legis gratiæ. 8.

Respondeo negando minorem & dico, privationem gratiæ peccatô personali causatam semper esse saltem interpretativè & indirectè voluntariam peccanti.

Ad probationem dist. maj. quod non est cognitum nec distinctè, nec confusè, nec in se, nec in alio, non est voluntarium, concedo; quod tantùm distinctè & in se non est cognitum, nego. Sed privatio gratiæ non est cognita in se & distinctè ab aliquo negativè infideli peccante mortaliter, concedo; non confusè & in alio, nego consequentiam: hoc ipso quippe, quòd infidelis mortaliter peccans advertat, se peccando perdere rectitudinem ad legem, finemque sibi debitum, & inter-

interpretativè velit illud amittere, in quo subjectio ad DEUM, ejusque amicitia consistit, etiam implicitè & in confuso cognoscit amissionem gratiæ sanctificantis, quæ sub generica ratione rectitudinis & amicitiæ cum DEO continetur.

§. IV.

Corollaria.

9. COlliges ex dictis primò. Causam cur plures maculæ peccatorum fiant in homine sæpius peccante mortaliter, quamvis per primum peccatum mortale totius gratiæ privatio sit introducta, esse ipsam connotationem ad novam causam novi videlicet peccati mortalis. Ita S. D. in 4. d. 18. q. 1. ad 2. quæstiunc. 1. ad 1. *Quamvis quantum ad ipsam privationem gratiæ non differant maculæ peccatorum, differunt tamen quantum ad causam, ex quâ macula consequitur, & secundùm hoc etiam quodlibet peccatum unam maculam addit, in quantum novum obstaculum gratiæ ponit.* Ita S. D.

10 Colliges secundò. Posse peccata habitualia per absolutam DEI potentiam remitti absque ullo actu proprio peccatoris, per solam infusionem gratiæ sanctificantis: quia quævis privatio potest destrui per formam oppositam: sed peccata habitualia formaliter consistunt in privatione gratiæ sanctificantis: ergo si DEUS infundat gratiam sanctificantem [quod potest per absolutam potentiam independenter à dispositione peccatoris] tanquam formam oppositam, eo ipso destruet peccata habitualia, & consequenter remittentur peccata.

Colliges tertiò. Nullum peccatum remitti 11 posse etiam per absolutam potentiam saltem in hoc statu [nam quid in statu puræ naturæ, dicetur in Tract. de Gratia] per solam condonationem extrinsecam: neque enim privatio tolli potest, nisi per formam oppositam: sed saltem in hoc statu naturæ elevatæ in finem supernaturalem peccatum habituale formaliter consistit in privatione gratiæ sanctificantis: ergo non nisi per gratiæ infusionem remitti potest.

Colliges quartò. Peccati maculam reductivè pertinere ad speciem peccati actualis; à quo 12. causatur: quia in esse moris & secundùm rationem voluntarii dependet à peccato præterito, tanquam causa sua morali: ergo exinde etiam accipit speciem & distinctionem in esse moris.

DISPUTATIO XXIV.

DE Reatu pœnæ. ad q. 87.

PRimo effectui peccati actualis physico-morali, qui est macula peccati, subnectitur alter effectus purè moralis & demeritorius, qui est reatus pœnæ: unde tam de reatu, quàm de pœna ipsa hoc loco disputamus.

ARTICULUS I.

Quid sit reatus pœnæ?

SUMMARIA.

1. *Quid significetur nomine pœnæ?*
2. *Alius reatus culpæ, alius pœnæ.*
3. *Plura concurrentia ad reatum pœnæ.*
4. *Reatus pœnæ est effectus culpæ.*
5. *Inchoativè consistit in condignitate ad pœnam,*
6. *Indistinctà à macula peccati.*
7. *Completivè etiam in passiva obligatione ad pœnam.*

§. I.

Prænotanda.

1. NOtandum primò. Quamvis in latiori sensu quæcunque animi, aut corporis molestiæ etiam in exercitationem humilitatis, patientiæ, &c. immissæ pœnæ soleant appellari; propriè tamen hoc loco nomen pœnæ significare aliquod incommodum hominis naturali inclinationi contrarium, & in culpæ vindictam inflictum, adeò ut pœna nunquam sit sine connotatione essentiali ad culpam præsuppositam, ratione cujus infligitur.

2. Notandum secundò. Reatum distingui in reatum culpæ & reatum pœnæ. Reatus culpæ est illa subjectio, quâ peccator post commissum peccatum quasi captivus tenetur sub servitute peccati, & impotens ut ab ejus macula propriis viribus expedire se possit. Quo sensu etiam dici potest reatus culpæ illa necessitas, quam habent posteri Adami, ut in primo conceptionis instanti contrahant originale peccatum. Hoc loco non de reatu culpæ, sed pœnæ sermo est.

Notandum tertiò. In reatu pœnæ, qui exinde dicitur, quòd aliquis est reus pœnæ perferendæ, tria concurrere. Primum est ipsa peccatoris condignitas & proportio ad pœnam ratione culpæ contractæ subeundam: nam, sicuti qui fecit actum meritorium, eo ipso dignus est præmio, ita, qui fecit malum, eo ipso est dignus pœnâ, seu reus pœnæ. Alterum est activa obligatio, seu extrinseca ordinatio peccantis ad pœnam subeundam facta ab eo, cui jus est leges pœnales ferendi, & exequendi. Tertium est passiva obligatio, seu denominatio extrinseca, ab illa extrinseca & activa ordinatione proveniens, per 3.

quam

quàm peccator denominatur obligatus ad pœnam.

4. Notandum quartò. Esse de fide certum, quòd reatus pœnæ sit effectus peccati actualis: ita enim constat ex Script. Ps. 36. *Injusti punientur.* Matth. 5. *Qui dixerit, fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Ex definitione Trid. Sess. 6. can. 30. & Symbolo Athanasii: *Qui verò mala egerunt, ibunt in ignem æternum.*

Ratio ex dictis est: Ita se habet proportionaliter in peccato reatus pœnæ, sicut in bonis operibus dignitas ad præmium: sed bonum opus est dignum præmio: ergo & malum opus est dignum supplicio: & ideo dicitur Proverb. 13. *Peccatores persequitur malum, & justis retribuentur bona.* Superest, ut, in quonam formaliter consistat reatus pœnæ, determinemus.

§. II.
Assertio Thomistica.

5. CONCLUSIO. *Reatus pœnæ inchoativè consistit in (1) intrinseca condignitate peccantis ad pœnam, (2) quæ non nisi ratione ratiocinatâ distinguitur à macula peccati: (3) completivè tamen consistit in extrinseca denominatione, seu passiva obligatione ad pœnam subeundam.* Ita quoad 1. & 2. partem Gonet, & Salmanticenses, quoad 3. Sylvius cum aliis à se citatis.

Ratio primæ partis est: quia quod primò concipitur in reatu est esse dignum supplicio, nec priùs aliquis deputatur ad pœnam, quàm sit dignus pœna: sicuti priùs aliquis in executione supponitur dignus præmio, quàm deputetur ad præmium. Ideoque peccans potest esse dignus pœna, quantumvis non deputetur ad pœnam; & si quis deputaretur ad subeundem supplicium absque sua culpa, non ideo diceretur reus pœnæ, siquidem non esset dignus illo supplicio.

6. Ratio secundæ partis est: quia si illa condignitas esset realiter distincta à macula peccati, vel esset relatio realis, vel rationis, vel denominatio extrinseca ab ordinatione divina. Non primum, quia in privativo, qualis est macula peccati, non potest fundari realis relatio: sæpe etiam terminus hujus relationis nempe pœna realiter non existit. Non secundum, quia reatus pœnæ datur nemine cogitante. Non tertium, quia illa denominatio extrinseca, sicut & ordinatio activa præsupponit peccatoris intrinsecam condignitatem demeritoriam. Est ergo reatus ipsamet macula peccati, quæ sub ea ratione, quâ connotat animæ supernaturalem pulchritudinem, sibi oppositam, vocatur macula: sub ea ratione, quâ connotat pœnam, cui peccatorem habitualiter subjectum denominat, sic dicitur reatus. Et hæc diversa connotatio sufficit ad distinctionem rationis ratiocinatæ. Unde sicuti eadem forma gratiæ sanctificantis primariò facit hominem sanctum, & participem naturæ divinæ, secundariò verò dignum vitâ æternâ; sic econtrà privatio gratiæ sanctificantis primariò reddit hominem maculatum, DEOque infensum, secundariò verò dignum pœnâ æternâ.

Ratio tertiæ partis est primò: quia nisi accedat divina deputatio ad pœnam, macula peccati non sufficit ad tribuendum effectum reatûs: ergo divina ordinatio requiritur per modum conditionis complentis reatum & efficaciam demeritoriam peccati: Antec. constat in damnatis, qui licèt continuò peccent, non tamen de novo demerentur, nec proinde contrahunt novum reatum pœnæ sensûs, vel damni, defectu divinæ ordinationis solummodo viatorem peccantem, non verò in viæ termino constitutum deputantis ad pœnam; quemadmodum & Beati, quamvis perpetuò versentur in actibus charitatis, non tamen merentur novum præmium, defectu divinæ ordinationis, solos actus viatorum acceptantis ad præmium. 7.

Secundò. Quia deletâ etiam maculâ peccati non eo ipso deletur totus reatus pœnæ, quod est evidens signum, quòd adæquata ratio reatûs non in sola intrinseca condignitate & macula relicta inveniatur. Antec. patet inprimis in peccatore justificato, qui deletâ maculâ peccati mortalis, quamvis amiserit reatum pœnæ æternæ, adhuc tamen manet reus pœnæ temporalis subeundæ, adeòque reatus adæquatè in sola macula non salvatur. Deinde deletâ maculâ peccati venialis non statim deletur totus reatus pœnæ temporalis, quia nimirum tota pœna, ad quam peccator, præsuppositâ suâ condignitate per actuale peccatum contractâ, deputatus fuit, nondum fuit persoluta. Unde multi, quantumvis in vitæ exitu omnem peccati maculam exuerint, nihilominus peccatorum pœnas in purgatorio exsolvunt.

ARTICULUS II.
An unum peccatum possit esse pœna alterius?

SUMMARIA.

1. *Unum peccatum est pœna alterius.*
2. *Non per se,*
3. *Sed per accidens,*
4. *Pœna non infligitur per voluntatem solùm permittentem.*
5. *Disparitas cur privatio gratiæ sanctificantis possit habere rationem pœnæ, non item privatio rectitudinis moralis.*
6. *Quandonam actio mala sub ratione passionis possit esse à DEO?*

§. I.
Statuitur affirmativa cum distinctione.

CONCLUSIO. *Unum peccatum actuale (1) potest esse pœnâ alterius (2) non per se quoad rationem culpæ, (3) sed per accidens.* S. D. hîc q. 87. a. 2. 1.

Prima pars constat ex S. Script. Rom. 1. *Qui cùm cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt: propter quod tradidit illos DEUS in desideria cordis eorum, in immunditiam, &c.* 2. Thess. 2. *Qui charitatem veritatis non receperunt, ut salvi*

ut salvi fierent. Ideo mittet illis DEUS operationem erroris, ut credant mendacio, &c.

2. Secundæ partis ratio est primò. Pœna debet esse contra physicam inclinationem peccantis: sed culpa non est contra physicam inclinationem peccantis: licèt enim sit contra moralem inclinationem naturæ rationalis quà talis, non tamen est contra physicam inclinationem naturæ, cùm sit actus elicitus, vel imperatus circa objectum delectabile.

Secundò. Pœna peccati debet posse assumi à DEO in emendationem culpæ vel reparationem læsionis per culpam factæ: sed peccatum ad neutrum finem assumi potest à DEO: non ad primum, quia novo peccato augetur culpa; non ad secundum, quia per illud DEUS de novo offenditur.

Tertiò. Pœna propriè dicta infligitur secundùm rectam rationem; & est à DEO: peccatum est contra rectam rationem; & non potest esse à DEO: ergo.

3. Ratio tertiæ partis est: quia esse afflictivum hominis ratione alicujus annexi, & ex merito præcedentis culpæ, est esse pœnam per accidens: sed hoc modo unum peccatum potest esse pœna alterius: prout habet S. D. in 2. 2. q. 30. a. 1. ad 1. dicens: *Culpa potest aliquo modo esse pœna, in quantum scilicet habet aliquid annexum, quod est contra voluntatem peccantis.*

Cæterùm illa connexa possunt esse inprimis subtractio abundantium & efficacium auxiliorum, quâ factâ in pœnam præcedentis peccati, homo labitur in novum peccatum, quod etiam ab Apostolo significatur. Secundò. Inordinatio & afflictio tum animi, tum corporis, quæ certa quædam peccata iræ, invidiæ, impuri amoris, &c. comitari solet. Tertiò. Effectus afflictivi animi vel corporis, qui è peccatis oriuntur, ut sunt infamia, morbi, paupertas, & præcipuè vermis seu remorsus conscientiæ: Et hoc modo exponendi sunt præallegati textus S. Script. & illud D. August. 1. Conf. c. 12. *Jussisti Domine, & sic est, ut pœna sua sit sibi omnis inordinatus animus.* Quo sensu quoque Seneca. *Maxima peccantium pœna peccâsse, & sceleris in scelere supplicium est.*

§. II.

Solvuntur Objectiones.

4. Objicies primò. Etiamsi peccatum in ratione culpæ non pertineat ad voluntatem positivam beneplaciti; pertinet tamen ad voluntatem permissionis: ergo, etsi à DEO non infligatur in pœnam decreto positivo, poterit tamen infligi decreto permissivo.

Respondeo negando consequentiam. Nam sicuti voluntas permissionis non sufficit ad hoc, ut DEUS dicatur causare culpam, ita neque sufficit ad hoc, ut dicatur infligere pœnam, cùm immissio & inflictio pœnæ requirat voluntatem & ordinationem voluntatis positivam.

Objicies secundò. Peccatum habituale consistens in privatione gratiæ sanctificantis, potest habere rationem pœnæ, in quantum per ipsum homo privatur maximâ suâ perfectione: ergo similiter peccatum actuale habens pro formali privationem debitæ rectitudinis propriè potest habere rationem pœnæ, in quantum per illud homo privatur perfectione rectitudinis moralis. 5.

Respondeo negando consequentiam. Quia privatio debitæ rectitudinis, quæ reperitur in actu peccati, est privatio formæ purè moralis, ipsum actum immediatè perficientis in ordine ad legem, & regulam rationis, ipsumque actum in se afficit & absolutè malum denominat, quod totum pertinet ad genus culpæ: atqui privatio gratiæ quantumvis sub ea ratione, quâ tollit habitualem rectitudinem & subjectionem hominis ad DEUM, pertineat ad genus moris & culpæ; quia tamen simul ab anima formaliter tollit physicam perfectionem vitæ supernaturalis, quâ homo in seipso perficitur, eatenus quoque potest pertinere ad genus pœnæ.

Objicies tertiò. Potest aliquid esse à DEO sub ratione passionis, quod non est à DEO sub ratione actionis, veluti patet de passione Christi: ergo licèt peccatum non possit esse pœna à DEO inflicta sub ratione actionis à voluntate egredientis, potest tamen esse à DEO sub ratione passionis in voluntate receptæ. 6.

Respondeo, antecedens posse verificari de actione transeunti, non de actione permanenti: Disparitas est: quòd in actione transeunti passio est effectus peccati existentis in voluntate, & potest à subjecto in quo recipitur, ejusque acceptativâ voluntate dignificari, quemadmodum passio Christi erat effectus malæ voluntatis Judæorum, & quatenus in corpore Christi recepta, & per ipsius voluntatem meritoriè oblata recipiebat infinitam dignitatem. Atqui actio immanens, quale est peccatum voluntatis, in quo malitia intrinsecè reperitur, in ipsammet voluntatem, in qua recipitur, suam malitiam refundit, eamque commaculat tam ut est in ipsa, quàm ut est ab ipsa.

ARTICULUS III.

An peccatum mortale ab intrinseco inducat reatum pœnæ æternæ.

SUMMARIA.

1. *Articulus fidei de æternitate gehennæ.*
2. *Intelligendus secundùm legem DEI ordinariam.*
3. *Peccatum mortale per se inducit reatum pœnæ æternæ.*
4. *Pœna inferni non est intensivè infinita.*
5. *Peccatum veniale non inducit reatum pœnæ æternæ, sed temporalis.*
6. *An sit proportio inter temporale delictum, & pœnam æternam?*

§. I.

Statuitur sententia affirmans.

Suppono primò tanquam de fide certum, pœnas damnatorum fore æternas. Ita contra Orige- 1.

Originem, qui l. 1. periarchon. c. 6. pœnas damnatorum, etiam ipsorum dæmonum aliquando per DEI misericordiam finiendas esse asseruit, definitum est in Conc. Later. c. *firmiter*, de Summ. Trin. Trid. Sess. 6. cap. 14. & 25. Sess. 14. cap. 5. Habetur If. 66. Marci 9. & Matth. 25. *Ibunt hi in supplicium æternum*, sive ut D. August. legit, *in combustionem æternam*. Et Apoc. 14. *Cruciabuntur igne & sulphure in secula seculorum*. Idem habetur in Symbolo Athanasii & passim apud SS. PP.

2. Suppono secundò. Hanc gehennæ & infernalium pœnarum æternitatem esse de fide quoad legem DEI ordinariam: quâ non obstante valde probabile est, per extraordinariam DEI legem & singulari DEI privilegio de facto aliquos ab inferis revocari. Nam ut relinquamus Trajani Imp. relationem, quem aliqui precibus D. Gregorii ex inferno ereptum tradidere, & tanquam probabile refert S. Th. in 4. d. 45. q. 2. a. 2. quæstiunc. 1. Baronius tamen to. 6. ad an. 604. fabulam reputat, risu potiùs despicandam, quàm disputatione seriâ confutandam: nec immeritò; cùm constet, illum Imperatorem non tantùm fuisse crudelissimum Christianorum persecutorem, sed etiam pæderastiæ vitio inquinatum, etsi aliàs eximium justitiæ cultorem: Nihilominus è sacra & Ecclesiastica historia constat, multos à Christo, Apostolis, aliisque Sanctis, tùm etiam intercessione Beatissimæ Virginis fuisse miraculosè ad vitam revocatos, è quibus aliqui fuere infideles, idololatræ, peccatores, & in eum finem ad vitam revocati, ut converterentur, & pœnitentiam agerent, adeòque fuerunt à tormentis infernalibus, sive illa in loco inferni sive in alio juxta Divinæ justitiæ ordinationem paterentur, liberati. His positis, ad quæstionem articuli sit

3. CONCLUSIO. *Peccatum mortale per se, & ex intrinseca sua malitia inducit reatum pœnæ æternæ.* S. D. a. 3. & 4.

Ratio est: Peccato ex se habenti inordinationem irreparabilem per se debetur pœna æterna, & interminabilis: sed peccatum mortale habet ex sua natura inordinationem irreparabilem, ergo ipsi per se convenit debitum & reatus pœnæ æternæ. Major probatur: quia quamdiu manet causa necessaria, tamdiu manet effectus ipsius: sed peccatum est causa necessaria reatûs pœnæ: ergo quamdiu manet peccatum & culpa, tamdiu manet reatus pœnæ: atqui in peccato habente ab intrinseco irreparabilem inordinationem culpa manet interminabiliter: ergo etiam ipsi respondet reatus pœnæ interminabilis.

Minor etiam ostenditur primò: quia peccatum mortale hominem avertit & deordinat ab ultimo fine ex propria sua ratione: sed deordinatio ab ultimo fine est naturâ suâ irreparabilis: quia ultimus finis in moralibus, est sicut primum principium in speculativis; error autem circa prima principia est irreparabilis. Secundò, quia illa inordinatio est irreparabilis, per quam destruitur principium totius ordinis supernaturalis, nimirum gratia & charitas; sicuti propterea mors & cæcitas sunt naturâ suâ irreparabiles, quia illa destruit principium vitæ, ista verò principium visûs: sed per inordinationem peccati mortalis destruitur gratia & charitas, tanquam principium radicale totius ordinis & vitæ supernaturalis: ergo.

§. II.

Corollaria.

Inferes ex dictis primò. Pœnam inferni, etsi sit extensivè seu quoad durationem infinita, utpote interminabilis & fine carens, non tamen esse simpliciter infinitam, nec quoad pœnam damni, hoc est privationem visionis beatificæ, nec quoad pœnam sensûs, h. e. afflictionem dolorosam ab igne extrinsecùs illatam, quam in Tract. de Angelis exposui. 4.

Ratio est primò. Malitiæ simpliciter finitæ, non nisi pœna finita respondere debet: atqui peccati malitia est simpliciter finita: ergo. Neque dicas, esse infinitam in ratione offensæ: nam offensæ non respondet pœna, sed satisfactio; ideóque ad condignè satisfaciendum pro peccato mortali etiam requirebatur infinita satisfactio.

Ratio est secundò. Visio beatifica non est simpliciter & subjectivè infinita: ergo nec privatio visionis quæ est pœna damni. Implicat etiam qualitas physica infinitè intensa: sed pœna sensûs activè consistit in dolorifera qualitate ab igne infernali impressa: ergo non potest esse simpliciter infinita.

Inferes secundò. Peccatum veniale non inducere reatum pœnæ æternæ, quia non avertit efficaciter ab ultimo fine, & relinquit principium vitæ ac ordinis supernaturalis, ex quo peccans seipsum reparare, & veniale peccatum potest extinguere. 5.

Objicies: Pœna debet esse proportionata delicto: quia ut dicitur Deut. 25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*: sed pœna æterna nullam habet proportionem cum culpa mortali: ergo culpa mortalis per se non inducit pœnam æternam. Minor probatur: quia peccatum mortale est sæpe momentaneum; at pœna æternùm durat. 6.

Respondeo primò, non esse necessariam proportionem inter durationem pœnæ, & culpæ: nam etiam pro brevi delicto mors irreparabilis & exilium perpetuum infligitur.

Respondeo secundò ex S. D. hic q. 87. a. 3. ad 1. quòd peccans mortaliter, interpretativè & virtualiter velit æternùm peccare, inquantum æternam DEI fruitionem bono creato postponit, & in hoc suum ultimum finem constituit, ponendo inordinationem ab intrinseco irreparabilem, in qua sufficiens fundatur proportio.



ARTICULUS IV.

An peccatum veniale per accidens puniatur pœnâ æternâ?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Veniale quoad culpam remissum in inferno punitur temporaliter, ex doctrina D. Th.*
3. *Et ratione.*
4. *Peccatum veniale nondum quoad culpam remissum per accidens punitur æternaliter.*
5. *Ratione D. Thomæ.*
6. *Non ideo DEUS punit ultra condignum.*

§. I.

Resolutio negativa pro venialibus quoad culpam remissis in hac vita.

1. STatus quæstionis est, an, si homo moriens in peccato mortali secum deferat ad infernum venialia peccata nondum expiata in hac vita, ut ferè semper contingit, pœnam pro illis peccatis debitam temporaliter exsolvat, vel utrùm illa non quidem per se & ex merito peccati, sed tamen per accidens propter statum damnationis ex temporali mutetur in æternam? Id porrò fieri potest dupliciter, vel ut venialia fuerint quoad culpam remissa in hac vita, nondum verò satis expiata quoad reatum pœnæ. Vel secundò, quòd neque fuerint remissa quoad culpam.

2. CONCLUSIO PRIMA. *Peccatum veniale quoad culpam remissum in hac vita,* [*idem esto judicium de peccatis mortalibus quoad culpam remissis*] *& nondum plenè expiatum in inferno non punitur pœnâ æternâ, sed temporali.* Ita communiter Thomistæ: cum quibus in hac parte etiam sentit Scotus.

Probatur primò authoritate S. D. in 4. d. 22. q. 1. a. 1. ad 5. ubi rejectâ opinione contrariâ sic resolvit: *Ideo alii dicunt, quòd pœna, cujus aliquis est debitor, post culpam remissam in inferno punietur temporaliter. Nec propter hoc sequitur, quòd in inferno sit redemptio, quia pœna, quæ solvitur, non redimitur. Nec est inconveniens, quòd quantum ad aliquid accidentale pœna inferni minuatur usque ad diem judicii, sicut etiam augetur.* Hæc. S. D.

3. Probatur secundò ratione: Si post remissam culpam pœna temporalis adhuc debita mutaretur in æternam, DEUS puniret ultra condignum: sed hoc repugnat bonitati Divinæ; ergo. Sequela probatur, punire pœnâ æternâ, ubi nulla est condignitas ad pœnam æternam, est punire ultra condignum: sed peccato semel remisso nulla remanet condignitas ad pœnam æternam; siquidem hæc fundatur in culpa mortali: ergo.

Probatur tertiò. Si pro peccato mortali remissio sustineri deberet pœna æterna, tunc aliqua peccata remissa etiam de lege DEI ordinaria redirent quoad reatum pœnæ æternæ: sed hoc est absurdum, ut infrà ex Tract. de pœnit.

Probatur quartò. Nulla est assignabilis ratio, cur pœna temporalis pro peccato jam remisso debita mutari deberet in æternam. Non quia damnatus est extra statum viæ, & satisfactionis: quia ad exsolvendam pœnam etiam sufficit satispassio, quæ in inferno locum habere potest. Non quòd damnatus est obstinatus in malo: quia respectu peccati jam in hac vita retractati & remissi nullam habet obstinationem. Non quòd infernalis pœna non minuitur; quia hoc est intelligendum de pœna essentiali, non accidentali. Non quòd in hac vita nemo constitutus in statu peccati mortalis possit exsolvere pœnas pro venialibus, aut mortalibus jam remissis debitas: quia hæc vita est status merendi & satisfaciendi: atqui non acceptatur satisfactio, quæ non est à persona grata & justa.

§. II.

Resolutio affirmativa pro venialibus nondum remissis quoad culpam.

CONCLUSIO SECUNDA. *Peccatum veniale nondum remissum in hac vita, in inferno punitur per accidens pœna æterna.* Ita contra Scotum in 4. dist. 21. S. D. hîc a. 5. ad 3. & q. 7. de malo. a. 10. ubi hæc habet: *Veniale peccatum non meretur pœnam æternam ex specie sua, neque ex parte inhærentiæ ad subjectum per se loquendo, quia non privat gratiâ, sed per accidens fit irremissibile peccato mortali conjunctum, in quantum est in subjecto privato gratiâ, & sic per accidens punitur pœnâ æternâ.* Similia habet q. 5. de malo. a. 2. ad 8. & in 4. dist. 21. q. 1. a. 2. quæstiunc. 3. 4.

Ratio jam indicata est primò. Tamdiu non exsolvitur pœna, quamdiu non remittitur culpa, quæ est causa necessaria reatûs pœnæ: sed in inferno culpa venialis in æternum non remittitur; ergo etiam pœna in æternum non exsolvitur. Minor constat: quia nullum peccatum etiam veniale de lege DEI ordinaria remittitur, nisi fit formaliter aut virtualiter retractatum: sed in inferno, ubi est perpetua obstinatio in malo, & denegatio omnis auxilii supernaturalis, nulla potest esse peccati retractatio & pœnitentia: ergo. 5.

Secundò. Macula peccati venialis sicuti formaliter opponitur extensivo fervori charitatis, ita per eundem tollitur: sed in inferno non potest esse fervor extensivus charitatis, sicut nec ipsa charitas: ergo in inferno macula peccati tolli non potest. Dixi tamen, pœnam esse per accidens æternam: quia æternitas pœnæ non est ex intrinseca condignitate & demerito culpæ venialis, sed ex conjunctione cum peccato mortali, & conditione subjecti, cui in statu damnationis constituto etiam veniale peccatum remitti ampliùs non potest.

Dices: Si DEUS veniale peccatum punit pœnâ æternâ, quod tamen meretur solùm pœnam temporalem, tunc illud punit ultra condignum: sed hoc est absurdum: ergo. Respondeo distinguendo maj. nisi illud veniale fiat per accidens irremissibile, concedo; secùs, nego: tunc enim etiam per accidens habet condignitatem ad pœnam æternam. 6.

Instabis:

7. Instabis: Ordo Divinæ justitiæ exigit, ne peccatum puniatur ultra suam exigentiam demeritoriam: sed exigentia demeritoria peccati venialis, etiam ut conjuncti cum peccato mortali tantùm est ad pœnam temporalem: ergo secundùm ordinem Divinæ justitiæ veniale etiam ut conjunctum cum mortali non nisi pœnâ temporali punitur. Minor probatur. Conjunctio cum mortali non mutat naturam peccati venialis, nec illud trahit extra suum genus: sed peccatum veniale ex genere suo tantùm habet exigentiam demeritoriam ad pœnam temporalem: ergo etiam ut conjunctum cum peccato mortali tantùm exigit pœnam temporalem.

Respondeo negando minorem, ejusque probationem distinguo: peccatum veniale ex genere suo tantùm habet exigentiam demeritoriam pœnæ temporalis, negativè [hoc est, non exigit majorem pœnam, quàm temporalem; ita tamen ut ex adjuncta conditione subjecti possit admittere vel positivam exclusionem, vel exigentiam pœnæ æternæ] concedo; positivè, nego min: ergo etiam ut conjunctum cum mortali tantùm exigit pœnam temporalem, quantum est de se negativè, concedo; quantum est ex conditione subjecti, positivè, nego consequentiam.

Igitur observandum est ex Salmantic. hic disp. 17. n. 74. Peccatum veniale considerari posse in triplici statu. Primò, prout connotat subjectum DEO gratum per gratiam & charitatem, quâ ratione determinatè exigit pœnam temporalem, & excludit æternam. Secundò, prout connotat subjectum DEO exosum per peccatum mortale, & sic positivè exigit pœnam æternam, quia ex conditione talis statûs sit irremissibile in sensu composito illius statûs. Tertiò, prout præscindit à connotatione & conditionibus subjecti, & sic non postulat quidem pœnam æternam, est tamen indifferens, ut juxta conditionem subjecti vel habeat determinatam exigentiam remissionis, adeòque & temporalis punitionis, si illud sit constitutum in gratia; vel determinatam exigentiam pœnæ æternæ, si illud sit constitutum in statu peccati mortalis, eò quòd subjectum DEO exosum in sensu composito illius statûs, etiam in peccatum veniale refundat tam culpæ, quàm pœnæ irremissibilitatem.

DISPUTATIO XXV.

DE Peccato veniali. ad q. 89.

HActenus de peccato personali mortali, tanquam principali analogato sub nomine & genere peccati, dictum: nunc peccatum veniale subjungimus; sic appellatum, quòd non destruat principium veniæ, h. e. gratiam & charitatem; quemadmodum ex opposito mortale dicitur, quod destruit gratiam, tanquam principium vitæ supernaturalis.

ARTICULUS I.

An, & quid sit peccatum veniale?

SUMMARIA.

1. *Fides docet dari venialia.*
2. *Quæ sunt talia ex sua natura.*
3. *Alia venialia ex genere suo, alia per accidens.*
4. *Plures differentiæ inter mortale & veniale.*
5. *Quid sit actum esse simpliciter contra legem?*
6. *Primaria differentia inter peccatum mortale & veniale.*
7. *Objectiones*
8. *Solvuntur.*
9. *Regula discernendi veniale à mortali.*

§. I.

Præsuppositа.

1. SUppono primò tanquam de fide certum, dari quædam peccata venialia. Ita definitum est in Concil. Milevit. can. 7. & Trid. Sess. 6. c. 11. deducitur ex S. Script. Matth. 7. ubi aliqua peccata *festucæ*, alia verò *trabi* comparantur. Item Eccles. 7. Prov. 14. & Jac. 3. ubi dicitur, *omnes homines*, & quidem *quotidie peccare*, quod de peccatis mortalibus non potest intelligi, cùm multi reperiantur sancti & justi, *incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela*, ut constat ex Lucæ 1. Gen. 6. Job. 1. Dan. 6. igitur tantùm intelligi potest de levibus & venialibus peccatis, in quæ etiam justi cadunt, juxta illud: *Septies in die cadit justus.* Ratio congruentiæ est: quia etiam in sacra amicitia & civili societate committuntur offensæ aliquæ graves, aliquæ verò leves: ergo idem contingere potest in amicitia, quæ DEUM inter & hominem intercedit.

Suppono secundò. Dari venialia, quæ non sunt talia propter solam extrinsecam non imputationem DEI, sed ex sua natura intrinseca; nam ita primò definierunt Pius V. & Gregorius XIII. damnantes hanc propositionem Michaelis Bay: *Nullum est peccatum naturâ suâ veniale*: sed omne peccatum meretur pœnam æternam. Secundò: quia sunt aliqua peccata, quæ non feruntur in objectum repugnans charitati, suntque offen- 2.

siones in rebus levissimis, ut verbum otiosum, aspectus curiosus, &c. * Nec obest primò, quòd Ezech. 18. & Rom. 6. mortis comminatio peccato absolutè annectitur: *Stipendium peccati mors*: tunc enim Tò *peccatum* supponit pro suo significato & analogato principali, quod est peccatum mortale. Nec obest secundò, quod dicitur Matth. 5. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis*, [quo videtur indicari peccatum veniale] *minimus vocabitur in regno cælorum*, h. e. in resurrectione computabitur inter minimos, seu reprobos. Non enim Christus per mandata minimá intelligit illa, quæ tantùm obligant sub veniali, sed quæ juxta vulgi & Pharisæorum opinionem habebantur & negligebantur tanquam minima, uti de non irascendo, de non concupiscendo, &c.

3. Suppono tertiò. Aliqua peccata esse venialia ex genere suo, h. e. secundùm speciem ab objecto desumptam; aliqua verò per accidens tantùm, nempe ex defectu deliberationis vel parvitate materiæ: illa specie essentialiter, ista verò accidentaliter distingui à peccato mortali suprà dictum est; in hoc nimirum sensu, quia ex fine proximo operis & meritis objecti peccata, quæ sunt venialia ex defectu deliberationis, vel parvitate materiæ, pertinent ad eandem speciem, ad quam pertinet mortale: sic enim leve furtum æquè est peccatum injustitiæ, quàm furtum grave, & semideliberata concupiscentia æquè est contra castitatem, quàm perfectè deliberata. Quo tamen non obstante spectando habitudinem operantis ad finem ultimum, etiàm hæc venialia essentialiter, & quidem toto genere differunt à quolibet peccato mortali.

4. Suppono quartò, complures esse differentias inter peccatum mortale, & veniale: Primò, quòd mortale destruat charitatem & gratiam, non autem veniale. Secundò, quòd per illud homo simpliciter avertatur à DEO, & rationem ultimi finis collocet in creatura; non autem per veniale. Tertiò, quòd mortale inducat mortem animæ, non veniale. Quartò, quòd inordinatio peccati mortalis sit ab intrinseco irreparabilis, quia non relinquit radicem & principium veniæ; veniale ab intrinseco sit reparabile, quia relinquit gratiam & charitatem, quæ est principium veniæ. Quintò, quòd mortale inducat reatum pœnæ æternæ; veniale reatum pœnæ temporalis. Sextò, quòd mortale sit simpliciter contra legem, veniale verò secundùm quid.

5. Ubi nota, quòd actus possit dici simpliciter esse contra legem ex duplici capite: primò *ex parte legis*, cùm nempe legis observantia est necessaria ad conservationem charitatis & amicitiæ cum DEO, quæ est præcipuus effectus legis: Secundò *ex parte actûs* seu tendentiæ contra legem, quando nimirum actus habet efficacem repugnantiam cum lege, & omnes conditiones ad actum perfectè humanum requisitas. Peccatum mortale utroque modo est contra legem simpliciter; primò ex parte actûs, quia est tendentia deliberata in objectum dissonum rectæ rationi; deinde ex parte legis, eò quòd lex, cui adversatur, sit necessaria ad conservandam conjunctionem cum DEO ut fine ultimo. Peccatum verò veniale si sit tale ex parvitate materiæ, aut levitate objecti, non est simpliciter contra legem, Tò *simpliciter* accipiendo ex parte legis; si sit tale ex defectu deliberationis, non est simpliciter contra legem ex parte actûs. His positis quæritur, quænam ex istis differentiis sit principalior, & radicalior ad distinguendum veniale à mortali?

§. II.

Statuitur primaria differentia inter mortale & veniale.

CONCLUSIO. *Præcipua & primaria differentia peccati venialis a mortali est, quòd per veniale homo non simpliciter & efficaciter à DEO ut ultimo fine avertitur, neque per illud divina amicitia destruitur, neque simpliciter contra legem peccatur.* 6.

Ratio est: Illa est primaria differentia inter mortale & veniale peccatum, per quam genus peccati ut sic immediatiùs dividitur in mortale & veniale: sed per differentias prædictas peccatum ut sic immediatiùs dividitur: ergo. Minor probatur: Inordinatio & contrarietas ad legem proximè & immediatè dividitur in inordinationem efficacem ab ultimo fine, & inefficacem secundùm quid; item contrarietas ad legem dividitur immediatè per hoc, quòd sit simpliciter, vel secundùm quid: sed peccatum ut sic est actus inordinatus contra legem DEI: ergo peccatum ut sic per prædictas differentias proximè & immediatè dividitur.

Dices primò. Offensa personæ infinitæ est 7.
infinita, siquidem ratio offensæ crescit juxta dignitatem personæ offensæ: sed quodlibet peccatum est offensa personæ infinitæ: ergo quodlibet peccatum est infinitum: adeòque nulla est ratio distinguendi inter mortale & veniale peccatum. Secundò. Illa culpa est gravis & mortalis, pro qua eligibilior est pœna æterna, sed pœna æterna est eligibilior, quàm quælibet culpa peccati: ergo quælibet culpa peccati est gravis & mortalis.

Respondeo ad 1. si est offensa simpliciter talis, 8.
concedo; si offensa secundùm quid, nego: sed peccatum veniale est offensa personæ infinitæ, ut tamen sit de genere offensæ secundùm quid, concedo; simpliciter, nego min. & consequentiam. Ad 2. nego maj. hæc enim major eligibilitas ex eo provenit, quòd pœna quæcunque contineatur intra ordinem mali naturalis, & non sit malum DEI, sed malum hominis; econtra quælibet culpa etiam levissima pertinet ad ordinem mali moralis, estque mala ipsi DEO: atqui malum naturale, cùm simpliciter possit esse bonum, & in genere moris possit esse causa meriti & virtutis, habet eligibilitatem aliquam, econtra malum morale, cùm sit simpliciter & absolutè malum, nullam prorsus habet eligibilitatem.

Quæres. Undenam cognosci possit, quòd 9.
aliquod peccatum sit mortale, aut veniale?

Respondeo ex Sylvio hìc tres regulas & signa observari posse: primò, quæ in sacra Script. vocantur *abominabilia*, *digna morte*, iisque gravis pœna & comminatio adjungitur, esse mortalia, uti sunt peccata ab Apostolo recensita Gal. 5. quibus adduntur illa verba: *Quoniam qui talia agunt*,

agunt, regnum DEI non consequentur. Quæ verò mitioribus terminis notantur, esse venialia, sicuti Prov. 10. *In multiloquio non deerit peccatum.* Secundò attendi debet ad communem consensum SS. PP. DD. & fidelium, ex quo cognoscimus binam refectionem in diebus jejunii esse peccatum mortale; refectionem verò inchoatam ante meridiem esse veniale. Tertiò: quæ graviter lædunt charitatem DEI, vel proximi, sunt mortalia; quæ verò leviter tantùm, sunt venialia. Præterea attendi debet ad quantitatem deliberationis, advertentiæ, & materiæ, genus peccati, tenorem legis, &c.

ARTICULUS II.

An ex peccato veniali fieri possit mortale?

SUMMARIA.

1. *Status quæstionis.*
2. *Idem numerò actus moraliter non potest ex veniali fieri peccatum mortale.*
3. *Nec multa venialia possunt integrare unum mortale.*
4. *Quid sentiendum de minutis furtulis?*
5. *Veniale peccatum disponit ad mortale.*
6. *Aliquando directè.*
7. *Aliquando indirectè.*

§. I.

Statuitur negativa.

1. CErtum est primò: actum, qui ex objecto spectatus tantum esset venialiter malus, ex fine vel aliâ circumstantiâ habente gravem deformitatem posse effici mortaliter peccaminosum, quemadmodum etiam actus ex objecto bonus per malum finem vel circumstantiam vitiari potest, ut si verba jocosa proferantur in finem fornicandi.

Certum est secundò: actum ex objecto tantùm venialiter malum fieri graviter peccaminosum, quando affectus peccantis erga illud objectum adeò est exorbitans, ut quis propter illud sit paratus etiam grave præceptum transgrediendi.

Certum est tertiò: peccatum ex se leve gravem malitiam contrahere, quando fit cum formali contemptu legis, aut legislatoris; aut quando est occasio proxima incidendi in peccatum mortale, ut est otiosa confabulatio cum persona, cum qua quis scit se sæpius peccâsse.

Certum est quartò: Unum eundemque actum in esse physico invariatum posse ex venialiter malo successivè fieri mortaliter peccaminosum: ita quippe actus voluntatis à principio venialiter malus propter imperfectam deliberationem, accedente plenâ advertentiâ fit peccatum mortale. Triplex igitur superest dubium, primò, an idem numero actus etiam invariatus, in esse moris fieri possit è veniali mortalis? Secundò: An venialia per multiplicationem ita augeri possint, ut tandem pertingant ad malitiam & quantitatem peccati mortalis? Tertio: An veniale possit esse dispositio ad peccatum mortale?

2. CONCLUSIO PRIMA. *Non potest idem numero actus in esse moris fieri ex peccato veniali peccatum mortale; neque potest cumulus peccatorum venialium quantumcunque multiplicatus ascendere ad malitiam peccati mortalis.* Ratio primæ partis est: Quando mutatur voluntarium, tunc etiam mutatur moralitas actûs; siquidem ista essentialiter radicatur in voluntario libero: sed quotiescunque fit ex veniali mortale, toties mutatur voluntarium: ergo etiam mutatur moralitas actûs; & consequenter actus non manet idem numero in esse moris. Min. probatur: quia in peccato veniali supponitur tantùm adfuisse semiplena libertas, in peccato verò mortali adest libertas plena: sed hæc est diversitas & mutatio voluntarii: ergo.

Confirmatur. Mutato practico dictamine, à quo actus dependet in esse moris, mutatur ipsius moralitas: sed aliud est dictamen practicum, à quo deviat peccatum mortale, aliud à quo deviat veniale: ergo. Min. probatur: quia regula, à qua discordat peccatum mortale, est practicum dictamen de conservanda charitate & conjunctione cum fine ultimo, regula verò à qua discordat veniale, est dictamen de conservando fervore charitatis; sed hæc sunt diversa dictamina: ergo.

Ratio secundæ partis est: Quantumcunque multiplicentur individua unius generis & ordinis, nunquam tamen pertingunt ad individuum ordinis superioris: sicuti quantumcunque multiplicentur accidentia, nunquam tamen pertingunt ad lineam substantiæ: sed peccata venialia pertinent ad genus & ordinem peccati venialis: ergo quantumcunque multiplicentur, nunquam tamen pertingunt ad gravitatem peccati mortalis, quod est in diverso ordine & genere. 3.

Objicies: Qui sæpius per minuta furta peccat venialiter, tandem perveniendo ad gravem materiam, etiam peccat mortaliter: ergo ex pluribus minutis & venialibus peccatis tandem integrari & resultare potest peccatum mortale. 4.

Respondeo negando consequentiam: nam quando per minuta furtula pervenitur ad notabilem materiam, ex qua grave & notabile damnum proximo infertur, non ideo peccatur mortaliter, quia ex omnibus præcedentibus furtis, tanquam partibus integrantibus, resultat peccatum mortale; sed quia advertens ad gravitatem damni in ultimo furto peccat mortaliter: quod licèt seorsim spectatum furtum sit rei levis, quatenus tamen accipitur cum connotatione ad materias omnium furtorum præcedentium, cum quibus materia ultimi furti grave damnum constituere supponitur, sic habet rationem gravis injuriæ sufficientis ad peccatum mortale.

§. II.

Quomodo peccatum veniale sit dispositio ad mortale?

5. CONCLUSIO SECUNDA. *Peccatum veniale potest esse dispositio ad mortale, aliquando directa, aliquando vero indirecta.* S. D. a. 3. & seqq & habetur Eccli. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet.*

Ratio primæ partis est: Quod minuit vires ad superandas tentationes & difficultates occurrentes in observantia præceptorum, est aliquo modo dispositio ad mortale: sed peccata venialia has vires minuunt, quippe fervorem charitatis & abundantiam divinorum auxiliorum.

Ratio secundæ partis est: Quia voluntas per actus imperfectos, ob levitatem materiæ vel defectum plenæ advertentiæ, disponitur ad actus perfectos ejusdem generis vel speciei: sed hoc est directè disponi: ergo.

Ratio tertiæ partis est: quia peccata ex genere suo venialia, cùm specie sint distincta à mortalibus, nullam habent subordinationem, & inclinationem ad illa: solùm ergo disponunt indirectè vel minuendo fervorem charitatis, vel generando habitus vitiosos, vel augendo peccantis affectum erga res creatas, ut tandem non vereatur propter illas graviora etiam præcepta transgredi.

ARTICULUS III.

In quo formaliter consistat macula peccati venialis?

SUMMARIA.

1. *Datur macula peccati venialis.*
2. *Quæ non est simpliciter talis.*
3. *Fervor charitatis dividitur in intensivum & extensivum.*
4. *Quodnam sit impedimentum charitatis?*
5. *In quonam consistat fervor charitatis?*
6. *Quatuor effectus peccati venialis.*
7. *Macula peccati venialis non est peccatum non retractatum.*
8. *Non etiam positiva adhæsio ad res creatas.*
9. *Neque privatio actûs a charitate eliciti, vel imperati.*
10. *Sed privatio fervoris extensivi.*
11. *Exponitur locus Angelici Doctoris.*
12. *Subjectum maculæ venialis est voluntas.*

§. I.

Prænotanda.

1. NOtandum primò. Etiam à veniali peccato aliquam maculam in anima relinqui; ita enim affirmat S. Script. quòd homines etiam justi & Sancti non careant omni maculâ. Prov. 20. *Quis potest dicere: Mundum est cor meum?* Job. 15. *Quid est homo, ut immaculatus sit?* Job. 13. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet.*

2. Notandum secundò. Hanc maculam peccati venialis non esse simpliciter sed secundùm quid talem; neque per ipsam denominari hominem simpliciter immundum & maculatum, quemadmodum denominatur à macula peccati mortalis: nam per veniale non impeditur habitualis animæ nitor, quem percipit ex gratia & charitate, per quem anima secundùm omnes suas vires exornatur & ordinatur in DEUM: magis igitur impedit splendorem actualem, qui provenit ex actibus diversarum virtutum: neque minuit ipsam charitatem, sed fervorem charitatis. De quo

3. Notandum tertiò. Fervorem charitatis alium dici intensivum, alium verò extensivum. Intensivus est gradualis perfectio, seu intensio, quæ in habitu, vel actu charitatis reperitur. Extensivus est habilitas & promptitudo charitatis, quâ per varios actus, sive elicitos sive imperatos, suaviter & promptè movetur in DEUM. Cùm enim charitas in aliarum virtutum actus tanquam earundem radix & regina imperativè influat, tunc dicitur esse extensivè ferventior, quando non tantùm in propriis actibus eliciendis, sed etiam in aliarum virtutum & virium inferiorum actibus imperandis ac dirigendis in DEUM nullum patitur impedimentum, ita ut *per ejus redundantiam in vires inferiores* [inquit S. D. 97. de malo. a.1.] *homo possit dicere illud psalmi 83. Cor meum & caro mea exultaverunt in DEUM vivum.*

Notandum quartò. Prædictum impedimentum, ne charitas tam expeditè feratur in DEUM, consistere in inclinatione inordinata voluntatis ad aliquid temporale, quæ per veniale peccatum relinquitur, quamdiu enim talis inordinata adhæsio durat, vi cujus voluntas offerente se opportunitate circa illud objectum inordinatè se gereret, tamdiu charitas non ita expeditè circa illud objectum versari, idve in DEUM referre potest. Quantò verò quisque à terrenarum rerum affectu est purior: tantò fit cum DEO familiarior. Ideoque S. D. ad remissionem peccati venialis requirit amotionem istius impedimenti 3. p. q. 87. ad 3. dicens: *Ad tollendum maculam venialis peccati requiritur aliquis actus procedens ex gratia, per quam removeatur inordinata adhæsio ad rem temporalem.* 4.

Notandum quintò. Fervorem extensivum, seu habilitatem prædictam charitatis non consistere in aliqua entitate modali superaddita ad habitum charitatis, ut vult Jo. à S. Th. siquidem has modalitates ut superfluas universim rejectas suppono. Neque in ipso actu charitatis elicito, vel imperato: quia habitus non se actu extendit ad aliquod objectum, nisi ut potens se extendere, adeòque per prius concipitur habitualis extensio in actu primo, quàm actualis & in actu secundo. Neque tertiò consistit in habitu charitatis præcisè secundùm se spectato, is enim per veniale peccatum non tollitur, aut minuitur; consistit ergo in habitu charitatis, quatenus connotante certa quædam requisita extrinseca, quæ sunt triplicia. Primò voluntas expedita ab impedimento inordinatæ adhæsionis; secundò obje- 5.

jecta

jecta & materiæ diversarum virtutum; tertiò abundantia & specialia auxilia divinæ gratiæ, quibus mediantibus in suos actus elicitos, vel imperatos suaviter procedat. Hoc ipso quippe quòd voluntas careat inordinata adhæsione ad res creatas, charitas divina habet jus acceptabilitatis ad specialiora auxilia divinæ gratiæ pro variarum virtutum actibus imperandis: quà de causâ rectè ab Esparza vocatur familiaritas cum DEO: nam sicut amicitia simpliciter consistit in charitate: ita familiaritas, quæ est flos amicitiæ, & extensiva perfectio ipsius, consistit in amicabili jure ad abundantiora auxilia divinæ gratiæ pro variarum virtutum actibus exercendis.

6. Notandum sextò. Ex hucusque dictis constare, quatuor effectus à peccato veniali relinqui. Primus est inordinata adhæsio ad rem temporalem: Secundus carentia illius nitoris, quem anima habuisset, per actus virtutum, si in ordinatâ illâ adhæsione non posuisset impedimentum. Tertius est carentia acceptabilitatis & juris amicabilis ad abundantiora gratiæ efficacis auxilia. Et quartus minor facilitas extensiva, seu major tepiditas ad exercendos charitatis, aliarumque virtutum actus. His positis quæritur, in quonam istorum formaliter consistat macula peccati venialis?

§. II.

Resolutio quæstionis.

7 CONCLUSIO. *Macula peccati venialis formaliter non consistit in peccato præterito non retractato,* (2) *neque in positiva inclinatione & adhæsione ad res creatas* (3) *neque in privatione vel absentia actuum charitatis* (4) *sed in privatione fervoris extensivi charitatis primùm expositi.*

Ratio primæ partis est primò, quia S. Script. dicit, hominem etiam per peccatum veniale maculari: ergo cùm hoc sit fundamentum maculam peccati mortalis constituendi in aliquo, quod sit animæ intrinsecum, etiam est fundamentum idem asserendi de macula peccati venialis: sed peccatum præteritum non est intrinsecum animæ: ergo.

Secundò. Macula ut sic significat formaliter privativam carentiam alicujus nitoris debiti: ergo etiam macula peccati venialis. Tertiò. Si macula venialis formaliter consisteret in peccato præterito, tunc non remitteretur formaliter nisi per actum formaliter aut virtualiter oppositum: sed hoc non posse dici constabit ex probatione tertiæ partis.

8. Ratio secundæ partis præter modò dictas ulteriùs est primò. Conversio habitualis in mortali se habet tanquam materiale; ergo etiam in macula venialis peccati ita se habet. Secundò Contactus corporeus non est ipsa macula corporea, sed causa & dispositio ad ipsam: ergo etiam inordinata adhæsio ad res creatas, quæ est quasi contactus animæ, non est ipsa macula, sed dispositio ad ipsam. Tertiò. Omne ens positivum est à DEO: macula non est à DEO: ergo non potest esse formaliter ens positivum.

9. Ratio tertiæ partis est: si macula peccati venialis consisteret in privatione actûs à charitate eliciti, vel imperati, tunc veniale non posset remitti nisi posito ejusmodi actu: quia privatio non tollitur nisi per formam oppositam: sed consequens est falsum: ergo. Minor probatur: Venialia remittuntur in Sacramento ex opere operato per infusionem gratiæ, dummodo saltem per virtualem attritionem homo sit dispositus ad ipsorum remissionem: sed in eo casu non semper adest actus charitatis: ergo. Majorem habet S. D. in 3. p. q. 87. a. 3. in c. dicens: *Per Sacramenta nova legis remitti peccata venialia, in quantum per illa infunditur gratia.* Minor probatur: partim quia experientiâ constat, in suscipiente Sacramentum non semper excitari actum charitatis, præsertim si sit distractus, vel ante completum Sacramentum incidat in phrenesin, &c: partim quia si remissio venialium in Sacramento fieret per excitatos actus charitatis, remissio magis fieret ex opere operantis, quàm ex opere operato: neque Sacramenta haberent majorem virtutem ad remissionem venialium, quàm habeant sacramentalia, quod est contrarium doctrinæ D. Th. remissionem venialium per Sacramenta expressè distinguentis ab illa quæ fit per sacramentalia, dum loco cit. ita loquitur: *Remissio per Sacramenta fit in quantum infunditur gratia & per infusionem gratiæ tolluntur venialia: per sacramentalia verò, in quantum sunt cum aliquo motu detestationis peccati, vel reverentiæ in DEUM.*

Ratio quartæ partis est: Macula peccati venialis debet formaliter consistere in defectu & carentia morali alicujus nitoris debiti inesse animæ: sed alius nitor non est assignabilis, quàm ipse fervor & extrinseca perfectio charitatis: ergo. Minor probatur: Ille nitor vel esset ipsa entitas & habitus charitatis, vel actus, vel intensio, vel modalis perfectio, vel tandem extensiva & connotativa perfectio ipsius. Non est ipse habitus vel intensio ipsius, quia per veniale nec amittitur, nec minuitur: non actus, quia iste ad remissionem peccati venialis non requiritur: non modus, quia non datur: superest ergo ut sit connotativa & extensiva perfectio charitatis. 10

Objicies authoritatem S. D. hîc q. 89. a. 1. in c. dicentis, quòd peccatum veniale tantùm inducat maculam secundùm quid, eò quòd non tollat permanentem nitorem gratiæ & charitatis, sed transeuntem, & quasi extrinsecum, qui relucet in actibus charitatis. Ergo videtur D. Th. maculam peccati constituere in privatione ipsorum actuum charitatis. 11

Respondeo per veniale tolli nitorem ipsorum actuum consecutivè, formaliùs verò & per prius fervorem extensivum: qui ipse fervor, cùm facillimis modis modò minuatur, modò recuperetur, non tam habet rationem nitoris permanentis, quàm transeuntis: ideoque privatio ipsius non est macula simpliciter, sed secundùm quid; præsertim cùm potiùs sit privatio moralis, quàm physica: sicut & ipse fervor potiùs est forma moralis, quàm physica.

Colliges ex dictis: sicuti subjectum proximum maculæ peccati mortalis est ipsa animæ substantia, siquidem forma opposita, nempe gratia sanctificans, in ipsa animæ substantia subjectatur; sic ex opposito proximum subjectum maculæ venialis esse voluntatem; quippe in quâ fervor charitatis seu forma opposita subjectatur. 12

ARTI-

ARTICULUS IV.

Quodnam sit subjectum remotum peccati venialis.

SUMMARIA.

1. *Quilibet homo viator potest peccare venialiter in præsenti statu,*
2. *Non autem in termino viæ.*
3. *Homo in statu innocentiæ non potuit peccare venialiter.*
4. *Nec Angelus viator potuit peccare venialiter.*
5. *Disparitas cur in statu innocentiæ potuerit peccari mortaliter, non autem venialiter?*
6. *Disparitas inter gratiam naturæ reparatæ, & integræ.*
7. *Quomodo potuerit Adamo sub veniali prohiberi comestio pomi?*
8. *Cur Adamus potuerit mereri vitando venialia, non autem illa committere?*

§ I.

An Angelus, vel homo in statu innocentiæ potuerit peccare venialiter?

1. Certum est primò. Quemlibet hominem viatorem in præsenti statu naturæ lapsæ posse peccare venialiter, ut ampliùs dicetur in Tract. de gr. B. V. exceptâ, quam speciali privilegio à venialibus etiam peccatis præservatam fuisse piè credit tota Ecclesia ex communi PP. doctrina.

2. Certum est secundò. Extra statum viæ sive in termino beatitudinis, sive in termino damnationis non esse locum peccato veniali. Non in termino beatitudinis, quia status beatificus essentialiter excludit quamcunque levissimam miseriam, errorem, & offensionem DEI, quandoquidem quæcunque volunt & amant, illa volunt sub ordine ad DEUM & summum bonum clarè visum. Non in termino damnationis, quia ille status facit, ut damnati quæcunque agant ex odio DEI, adeòque induant mortalem malitiam. Neque refert, quòd legantur Dæmones aliquando ad quasdam levitates & jocos, qui non nisi venialem malitiam continent, homines instigâsse: nam & ista non agunt nisi ex pessima intentione, homines à DEO ad suum cultum & familiaritatem abstrahendi. Hoc posito, sit

3. CONCLUSIO PRIMA. *Homo in statu innocentiæ non potuit peccare venialiter.* S. D. q. 89. a. 3.

Ratio ipsius est primò. In quolibet peccato veniali supponitur defectus debitæ subordinationis inter vires inferiores & superiores: atqui talis defectus repugnat in statu innocentiæ: ergo in eodem statu repugnat peccatum veniale. Major probatur. Peccatum veniale vel est tale ex subreptione, & defectu plenæ deliberationis, vel ex genere & conditione objecti, vel ex parvitate materiæ: sed in omnibus istis modis invenitur aliqua turbatio debiti ordinis: nam peccatum ex subreptione ideo contingit, quòd appetitus inferior antevertat deliberationem & perturbet judicium rationis: si est peccatum veniale ex genere suo, vel parvitate materiæ, tunc ideo fit, quòd ratio inferior, quæ operatur circa media, non servet debitam subordinationem ad rationem superiorem ultimo fini immobiliter adhærentem, ut habet S. D. q. 89. a. 3. vel enim ratio inferior fertur in media, ut regulata à ratione superiori firmiter adhærente fini ultimo, aut non. Si primum; non potest esse deordinata circa media, adeòque nec potest esse veniale peccatum; si secundum; ergo non operatur ut subordinata rationi superiori. Minor constat. In hoc quippe status innocentiæ consistebat, quòd cùm esset status naturæ felicis & integræ, ratio superior esset subordinata DEO, ratio inferior superiori; ex qua deinde subordinatione reliquarum etiam virium subjectio & debita subordinatio promanabat.

Ratio est secundò ex arg. *Sed contrà.* Statui innocentiæ repugnat quodlibet malum, pœnalitas & miseria: sed peccatum veniale est animæ miseria inducens reatum pœnæ, & per pœnitentiam, quæ est quædam afflictio spiritûs, expiari debet: insuper ex ejusmodi frequentatis actibus potuisset generari habitus vitiosus, qui est miseria naturæ rationalis: ergo peccatum veniale repugnabat pro statu innocentiæ. Major est communis Theologorum è S. Aug. l. 14. de civit. DEI dicente: *Nec aberat quicquam, quod bona voluntas adipisceretur, nec inerat, quod carnem animumve hominis feliciter viventis offenderet.* Quæ rationes cùm procedant ex natura statûs innocentiæ, probant, impotentiam peccandi venialiter statui innocentiæ convenire non tantùm ex protectione DEI extrinseca, sed etiam ex intrinseca exigentia statûs illius.

CONCLUSIO SECUNDA. *Angelus viator non potuit peccare venialiter.* S. D. a. 4. Ratio est primo ex dictis. Major longè fuit perfectio Angeli viatoris, quàm hominis in statu innocentiæ: ergo si iste non potuit peccare venialiter, obstante perfectâ virium subordinatione, multò minùs Angelus potuit venialiter peccare. 4.

Ratio est secundò: quia sicut intellectus Angelicus attingit conclusiones in ipsis principiis, sic voluntas ipsius non fertur in media, nisi prout stant sub ordine finis ultimi: ergo non potest deordinari circa media, nisi hoc ipso deordinetur circa ultimum finem: sed hoc est peccare mortaliter: ergo.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. Justitia originalis non præservabat hominem à peccatis mortalibus: ergo neque præservasset à venialibus. Consequentia probatur: Mortale peccatum est incomparabiliter majus malum, quàm veniale: ergo si ipsius malitia, miseria, & inordinatio non fuit impedita per justitiam originalem, neque minor longè miseria peccati venialis fuisset impedita. 5.

Respon-

Respondeo negando paritatem, & causalem probationis. Ratio disparitatis est: quia cùm status innocentiæ non esset suâ naturâ inamissibilis, potuit in illo committi peccatum tantæ inordinationis, per quam ipse status perderetur & destrueretur: quia verò non potuit in sensu composito simul consistere cum aliqua miseria, & virium deordinatione, idcirco excludebat peccatum veniale, quippe quod ad destruendam justitiam originalem non fuisset sufficiens, & tamen supposu isset inordinationem virium inferiorum cum superioribus statui innocentiæ repugnantem.

6. Objicies secundò. Gratia, quam in statu naturæ reparatæ habemus ex meritis Christi, plus potest ad conjunctionem hominis cum DEO, quàm gratia justitiæ originalis: sed illa compatitur peccatum veniale: ergo & ista.

Respondeo negando paritatem & causalem ipsius: nam impotentia venialiter peccandi in statu justitiæ originalis non præcisè oriebatur ex conjunctione rationis superioris ad DEUM, sed ex illa quatenus includente donum integritatis, & subjectionem virium inferiorum ad superiores, & excludente omnem miseriam.

7. Objicies tertiò. Potuit DEUS comestionem de ligno scientiæ prohibere sub peccato veniali: sed tunc Adamus utique tantùm peccâsset venialiter: ergo potuit Adamus in statu innocentiæ peccare venialiter. Confirmatur. Nulla apparet repugnantia, cur Adamus non potuerit dicere verbum otiosum, quod est ex genere suo veniale: imò forsan Adamus defacto peccavit nimis curioso aspectu pomi, vel Eva otiosâ confabulatione cum Serpente? neque enim ista excedunt limites peccati venialis.

Respondeo distinguendo majorem. Potuit DEUS sub peccato veniali prohibere comestionem, ut incurrendo post suppositam amissionem justitiæ originalis per mortale peccatum, concedo; antecedenter, nego. Non enim potuisset Adamus errare circa media ad finem, priusquam errâsset circa ipsum ultimum finem.

Ad confirmationem eadem est responsio. Nam priusquam Adamus commisisset ejusmodi peccatum leve, jam priùs naturâ aberrasset à fine ultimo per mortale peccatum, illa verò curiositas, quâ primi parentes defacto peccârunt, jam supponit finem superbiæ mortaliter malum.

Objicies quartò. Potuit Adamus mereri vitando peccata venialia: ergo etiam poterat illa liberè committere; siquidem meritum est de materia libera. 8.

Respondeo negando consequentiam; quia ad merendum sufficiebat ipsi libera potentia contradictionis, saltem ex suppositione statûs innocentiæ [de quo aliàs] non autem ad peccandum venialiter.

ARTICULUS V.

Utrùm peccatum veniale possit consistere cum solo originali?

SUMMARIA.

1. *Quid intelligatur per primum instans rationis!*
2. *Conversio in DEUM alia explicita, alia implicita.*
3. *Probatur obligatio se in primo instanti rationis convertendi in DEUM.*
4. *Peccatum originale non stat cum solo veniali.*
5. *Qualis sit imperfectio deliberationis in puero veniente ad usum rationis?*
6. 7. *Solvuntur objectiones contra obligationem se convertendi in DEUM in primo instanti rationis.*
8. *An illa conversio esset supernaturalis?*
9. *Respondetur affirmativè.*
10. *Adhuc tamen darentur infideles negativè.*

§. I.

Statuitur obligatio in primo instanti rationis se convertendi in DEUM.

1. Resolutio hujus quæstionis pendet à resolutione alterius; utrùm homo in primo instanti usûs rationis, sive quo tempore primò potest discernere inter bonum & malum morale, ipsique occurrit occasio sese determinandi ad bonum honestum, vel delectabile, teneatur sub peccato mortali se convertere in DEUM saltem sub confusâ ratione boni honesti implicitè cognitum? Pro cujus explicatione

Notandum primo. Per *primum instans rationis* non intelligi aliquod instans indivisibile & momentaneum temporis, physicum aut mathematicum, sed instans morale, h. e. totum illud temporis spatium, quo tardiùs aut citiùs juxta diversitatem ingeniorum practicus discursus absolvitur, in quo puer deliberat, seque determinat, an bonum honestum, vel præ honesto bonum sensibile & delectabile amplecti debeat? quod proinde instans è pluribus physicis instantibus integratur, è quibus primum vocatur instans initiativum, ultimum verò completivum, seu terminativum.

Notandum secundò. Hominem vel explicitè vel implicitè in DEUM converti posse. Explicitè convertitur, si actu dilectionis fertur in DEUM, vel ut authorem naturalem sub lumine rationis, vel ut authorem supernaturalem sub lumine fidei cognitum. Certum est, non esse impositam cunctis hominibus obligationem, sese in primo instanti usûs rationis explicitè convertendi in DEUM, cùm experientiâ constet, multos è barbaris, rudibusque hominibus in sylvis vel alpibus natos & educatos, nullam habere, aut habere posse explicitam cognitionem de DEO, quippe quæ non nisi per auditum, aut longiorem discursum obtinetur. 2.

CONCLUSIO PRIMA. *Puer in primo instanti usûs rationis tenetur se convertere in DEum ut ultimum finem, eo modo, quo potest; h. e. explicitè, si DEUS ipsi repræsentatur explicitè, [ut contingit inter dociliores pueros fidelium] implicitè verò, si DEUS tantùm confusè & implicitè repræsentetur, ut solet inter barbaros & infideles contingere.* S. D. a. 6. 3.

Ratio est primò. Quamprimum homini lex naturalis sufficienter promulgatur, tenetur eandem acceptare sub peccato mortali; sicuti quamprimum homini lex Evangelica sufficienter innotescit, tenetur illam amplecti, proponendo vivere secundùm illam: sed quamprimum homo pervenit ad usum rationis, ipsi sufficienter intimatur lex naturalis de sui conversione in debitum finem: ergo tunc sub mortali obligatur illam acceptare. Minor probatur: Quamprimum homini occurrit & proponitur deliberandum, an sequi debeat bonum honestum, vel delectabile, tunc luminis naturalis, & synteresis illustratione ipsi dictatur, bonum honestum sensibili & delectabili esse præponendum: sed quod in primo instanti usûs rationis homini occurrit, est, ut deliberet de seipso, num sequi debeat bonum honestum, an delectabile? ergo etiam homini ad usum rationis venienti sufficienter intimatur lex naturalis de prosequendo honesto; adeòque de conversione saltem implicita suiipsius in DEUM, quam proinde omittendo peccabit mortaliter.

Ratio est secundò. Datur præceptum affirmativum, pro tempore determinato DEUM diligendi super omnia, seque in ipsum ut ultimum finem convertendi: ergo tenetur homo in primo instanti usûs rationis DEUM diligere super omnia, eo modo quo potest, nimirum vel explicitè, vel implicitè, juxta mensuram cognitionis. Consequentia probatur. Non est aliud tempus magis conveniens pro hujus præcepti observantia, quàm quo homo pervenit ad usum rationis: ergo si unquam est obligatio hujus præcepti, tunc est. Antecedens probatur primò: quia maximè est consentaneum rationi, tunc præfigere viæ terminum, cùm viam incipis: sed in primo instanti usûs rationis homo incipit propriè esse viator & moraliter ingreditur mundum. Secundò: quia tunc legi naturæ homo actu subjicitur quoad universa præcepta ipsius, inter quæ primum & finis reliquorum est, DEUM diligere. Tertiò: quia alia tempora assignabilia pro observantia hujus præcepti, longè minùs sunt accommodata, vel quia nimis remota & sera, ut tempus mortis; vel quia tantùm habent obligationem DEUM diligendi per accidens & communem omnibus, ut tempus gravis tentationis. Quartò: quia Angelus in primo instanti viæ habuit præceptum DEUM super omnia diligendi: ergo & homo in primo morali instanti suæ viæ. Hinc jam facili viâ sequitur præsentis §. resolutio. Unde.

§. II.

Resolutio quæstionis.

4. CONCLUSIO SECUNDA. *Peccatum originale non potest consistere cum solo veniali.* S. D. hîc a. 6.

Ratio ex doctrina præcedenti deducta est primò: Aut homo in primo instanti usûs rationis convertitur in DEUM; & tunc per gratiam *consequetur remissionem peccati originalis*, inquit S. D. a. 6. in c. quia DEUS *facienti quod in se est, non denegat suam gratiam*; aut non convertitur in DEUM; *nec seipsum ordinat ad debitum finem, secundùm quod in illa ætate est capax discretionis,* & tunc *peccat mortaliter, non faciens quod in se est* ad implendum naturale præceptum seipsum ordinandi in debitum finem ultimum: ergo peccatum veniale nunquam consistit cum solo originali. Consequentia probatur: Homo vel peccaret venialiter ante instans usûs rationis, vel in illo, vel post illud. Non antè: quia tunc supponitur adhuc destitutus facultate moraliter operandi. Non in illo: quia vel justificatur, vel peccat mortaliter, ut ostendimus. Non post illud: quia in ipso instanti usûs rationis supponitur vel justificatus, vel actuali peccato mortali inquinatus, quod non nisi unà cum originali remitti potest.

Ratio est secundò ex argum. *Sed contrà.* Videtur inconveniens, ut homo in præsenti vita talem statum obtineat, cui nullus locus & status respondeat in altera vita: sed habenti simul originale & solùm veniale peccatum, nullus responderet status in altera vita. Nam pone, talem hominem mori, is non veniret in infernum: quia hic est locus supplicii æterni pro peccatis mortalibus actualibus. Non in purgatorium, quia hoc est locus supplicii temporalis pro solis venialibus nondum plenè expiatis. Non ad limbum puerorum, quia iste deputatus est pro solo originali infectis & cæterà innocentibus. Non etiam in cœlum, ut per se patet.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

OBjicies primò. Priusquam puer habeat judicium perfectum de malitia objecti & perveniat ad statum perfectæ deliberationis, potest habere judicium imperfectum, & imperfectam deliberationem: sed imperfecta advertentia & deliberatio sufficiunt ad peccatum veniale: ergo priùs puer poterit peccare venialiter, quàm peccet mortaliter. Major probatur: quia ratio in homine successivè expeditur, neque instans usûs rationis est mathematicum, sed morale ab actibus imperfectioribus ad perfectiores progrediens: ergo homo priùs pervenit ad usum rationis imperfectum, quàm ad perfectum. 5.

Confirmatur à paritate adultorum, qui dum excitantur à somno, vel ex ebrietate ad mentem redeunt, aliquando tantùm habent usum rationis sufficientem ad peccandum venialiter propter imperfectam cognitionem & deliberationem: ergo idem dicendum de puero veniente ad usum rationis.

Respondeo negando maj. & ratio est, quòd primum instans rationis nihil sit aliud, quàm primus discursus practicus, quo puer discernit inter bonum & malum: atqui faciliùs discernitur & cognoscitur majus malum peccati mortalis, quàm minus malum peccati venialis: unde homo perveniens ad hoc ut possit discernere malitiam venialis peccati, multò magis habet potentiam discernendi malitiam peccati mortalis: sicuti qui cognoscit furtum unius oboli esse illicitum, multò magis cognoscit illicitum esse furtum unius ducati, &c: objectum quippe quantò magis est disconveniens alicui potentiæ, tantò faciliùs ab illa ut tale apprehenditur. Ad probationem nego consequentiam: nam etsi instans usûs rationis

his plures actus includat à primo & initiativo instanti usque ad ultimum & consummativum ipsius, tamen usus ipse rationis seu facultas discernendi inter bonum & malum acquiritur in instanti completivo discursûs practici, ubi habetur plena cognitio & deliberatio.

Ad confirmationem nego consequentiam: nam cùm veniale peccatum committitur ex semiplena deliberatione tempore imperfectæ vigiliæ, id non contingit quia tantùm habet facultatem ad imperfectè deliberandum, sed quia facultas ad perfectè deliberandum hîc & nunc turbatur, & impeditur, ut actu non perfectè deliberet: atqui puer in primo instanti usûs rationis primùm acquirit potentiam ad perfectè deliberandum; quæ proinde ad imperfectè deliberandum ligata & impedita esse non potest.

6. Objicies secundò. Si puer in instanti usûs rationis se non convertens in DEUM, mortaliter peccaret, esset ideo, quia haberet gravem obligationem seipsum ordinandi in debitum finem, secundùm quod in illa ætate est capax discretionis, ut loquitur S. D. citatus: sed talis obligatio non est: ergo. Minor probatur primò: quia tale præceptum neque authoritate Script. neque SS. PP. neque ratione constat. Secundò. Nemo est sollicitus, an hoc præceptum impleverit, neque fideles de tali peccato se accusant. Tertiò. Quia parvuli ad usum rationis venientes non habent talis præcepti notitiam, ideoque per invincibilem ignorantiam ab ejus transgressione excusantur, cùm de facto multi sequentes contrariam opinionem habeant istius præcepti invincibilem ignorantiam. Quartò. Pueri baptizati ferè semper amitterent gratiam, cùm ad usum rationis perveniunt, quia pauci sunt, qui se per amorem DEI super omnia convertant in debitum finem ultimum.

7. Respondeo, negando minorem, cujus obligationis existentiam ostendimus in §. 1. Unde ad contrarias probationes & ad 1. Respond. Præceptum de diligendo DEUM constare ex Script. PP. & ratione; quod autem illud obliget in primo instanti, id probat authoritas S. Doctoris, & lumen rationis. Ad 2. Respondeo. Id fieri quia fideles adulti se supra talem obligationem non reflectunt, vel oppositæ sententiæ probabilitati deferunt. Ad 3. nego antecedens: quia pertinet ad authorem naturæ manifestare obligationem istius præcepti, tanquam omnium primi, & ex quo totus ordo practicus derivatur. Nec est paritas ab adultis viris istud præceptum invincibiliter ignorantibus: nam pueris in primo instanti mediante dictamine synteresis illud præceptum practicè & in actu exercito ita clarè proponitur, ut illud ignorare, aut de illo dubitare non possint. Quia verò hæc propositio & promulgatio præcepti unà cum morali instanti usûs rationis finitur & transit, ad novam illius præcepti cognitionem novus etiam discursus requiritur, qui cùm passionibus aut variis rationibus dubitandi facilè turbetur, ideo contingit, multos de hujus obligationis existentia de facto dubitare, qui in ipso instanti usûs rationis de illa nequaquam dubitârunt. Ad 4. nego sequelam: nam de multis pueris inter fideles probè educatis contrarium potiùs præsumi debet.

§ IV.

Expeditur gravis difficultas ex Tractatu de gratia.

Sed ex his insurgit nova difficultas ex Tract. de grat. quam pro hujus loci exigentia breviter resolvimus. Etiamsi permittatur, in primo instanti usûs rationis esse obligationem sese convertendi in DEUM: tamen non sequitur, quòd ille, qui se convertit in DEUM, justificetur à peccato originali: ergo si ille post hanc conversionem peccet venialiter, potest veniale consistere cum solo originali. Antecedens probatur: Huic præcepto & obligationi satisfit per amorem honesti ut sic, si nempe puer sibi proponat honestè & secundùm rationem vivere: sed amor honesti ut sic, non sufficit ad justificationem: ergo puer satisfaciendo huic præcepto non ideo justificatur à peccato originali. Major constat inprimis, quia puer non potest ad plus obligari, quàm ipsi proponitur: sed aliquando tantùm proponitur bonum honestum ut sic, in illis nimirum qui inter infideles nati & educati habent invincibilem ignorantiam mysteriorum fidei, ideoque appellantur infideles negativi. Minor etiam constat, quia ad justificationem extra Sacramentum necessarius est amor DEI supernaturalis, præsupponens essentialiter fidem & cognitionem DEI ut authoris supernaturalis: amor verò honesti ut sic est merè naturalis, & sic insufficiens dispositio ad justificationem. 8.

9. Ad hanc difficultatem, cujus enucleatam resolutionem remitto ad Tractatum de gratia, relictis variorum intricatis responsionibus. Resp. negando antec. quia juxta Angelici Doctoris axioma à Theologis communiter receptum, *DEUS homini facienti quod in se est, non denegat suam gratiam*; ideoque si in primo instanti usûs rationis homo obsequeretur legi naturali sese convertendi in DEUM, ipsi infunderetur illustratio fidei, & acciperet gratiam justificationis. Ad probat. in contrarium, nego maj. & dico: Cùm homo de facto sit in statu naturæ elevatæ in finem supernaturalem, non tantùm obligari, ut se convertat in DEUM, ut Authorem & finem ultimum naturalem, sed etiam ut Authorem & finem supernaturalem, adeòque per actum supernaturalem, & virtute auxilii supernaturalis. Quod quidem dupliciter fieri potest, vel explicitè, vel implicitè; juxta modum nimirum, quo DEUS sub ratione ultimi finis magis vel minùs explicitè & perfectè repræsentatur. Si ergo prævià fidei illuminatione & instructione DEUS explicitè repræsentetur ut remunerator, seu Author vitæ supernaturalis, tenebitur puer in primo instanti usûs rationis se in ipsum explicitè convertere per actum dilectionis DEI super omnia: qui proinde in casu, quo peccatum originale nondum esset extinctum, sufficeret ad ipsius remissionem & justificationem. In casu verò, quo defectu Evangelicæ prædicationis ratio finis ultimi tantùm confusè repræsentaretur, ita ut puer nec illos qui-

quidem articulos, quorum fides in omni ſtatu eſt neceſſaria ad ſalutem, quòd nempe *DEUS ſit*, *&* *inquirentibus remunerator ſit*, Hebr. 11. diſtinctè cognoſceret, ſaltem habebit ſupernaturalem illuſtrationem & cognitionem honeſti ſupernaturalis, quòd nempe detur regula quædam mundo & naturâ ſuperior noſtrarum operationum directrix, cujus ductum ſequi oporteat. Cui regulæ ſi ſe puer ſupernaturali voluntatis actu conformet, & ſecundùm illam vivere proponat, ſicque faciat quod in ſe eſt, non quidem vi iſtius præciſè actûs juſtificabitur: ſed tamen diſpoſitum ſe faciet, ut DEUS ipſi articulos fidei ad ſalutem explicitè credi neceſſarios revelet, atque ad perfectum ſui amorem perducendo gratiam peccati originalis remiſſivam infundat. Si verò huic ſupernaturali vocationi & inſpirationi non conſentiat, peccabit mortaliter, contra præceptum ſeſe convertendi in DEUM ſaltem implicitè & confuſè ſub ratione honeſti ſupernaturalis cognitum.

Dices. Hâc ratione non dabitur ullus infi- 10.
delis negativè: quia qui reſiſtit illuſtrationi ſupernaturali in fide, non eſt infidelis negativè [h. e. habens quidem carentiam fidei, ſed ſine ſua culpa] ſed omnes pueri venientes ad uſum rationis haberent illuſtrationem ſupernaturalem in fide: quia prima illuſtratio ſupernaturalis, qualis iſta eſſe ſupponitur, eſt illuſtratio fidei: ergo nullus eſſet infidelis negativè, quod eſt contra communem Theologorum acceptam ex D. Auguſtino.

Reſpondeo, negando conſequentiam; & majorem probationis diſtinguo: Qui reſiſtit illuſtrationi diſtinctè repræſentanti neceſſarios articulos ad credendum, eſt infidelis privativè concedo; tantùm confuſè repræſentanti, & ad ulteriorem diſponenti, nego: ſed omnes pueri haberent illuſtrationem ſupernaturalem, vel confuſè vel diſtinctè repræſentantem finem ſupernaturalem, concedo; ſemper diſtinctè, nego min. & conſequentiam. Vide quæ loco cit. dicemus.



TRA-

TRACTATUS VII.

DE PECCATO ORIGINALI.

PROLOQUIUM.

POstquam *perſonalis peccati* ſtygiam larvam ab oculis tuis removi, Amice Lector, ecce! novum monſtrum objicitur, *peccatum originale*; hydra non minùs caudâ, quàm capite metuenda: Capite; nam eſt culpa Capitis, & à capite venenum lethale diffudit in omnia humanæ naturæ membra: Caudâ quoque; non enim tertiam tantùm partem, ut ille draco Apocalypticus; ſed omne genus humanum (exceptâ illâ, quæ *caput ſerpentis contrivit*) feralibus, & inluctabilibus ſpiris implicuit. Tractatum de hoc originali peccato angelicus Doctor ſuſcepit q. 81. & per tres conſequentes quæſtiones expedivit, cùm ageret de cauſis peccati; ubi poſt varias peccatorum cauſas, oſtendit, in peccato originali etiam hominem homini lupum eſſe, quamvis de eodem in 4. contra gentes à c. 50. uſque ad 52: & q. 4. & 5. de malo jam priùs diſputaverit. Mihi materiæ gravitas & amplitudo perſuaſit, ut originale peccatum, tanquam perſonali oppoſitum in ſpecialem Tractatum digererem. Neceſſitatem hujus Tractatûs agnoſcit D. Auguſtinus eo ex capite, quòd tota fermè doctrina fidei & Religionis Chriſtianæ illius notitiam & fidem præſupponat: *In cauſa duorum hominum* (inquit de peccato originali c. 23.) *per quorum unum venundati ſumus ſub peccato, per alterum redimimur à peccatis, propriè fides Chriſtiana conſiſtit.* Difficultatem quoque illius ingenuè fatetur l. 3. de peccator. mer. & remiſſ. c. 4. dicens: *Licèt nihil ſit hoc peccato ad prædicandum notius, nihil tamen eſt illo inter fidei noſtræ myſteria ad intelligendum ſecretius.* Quam tamen difficultatem ductu angelici Doctoris ſuperare & eluctari conabimur.

DISPUTATIO XXVI.

DE Exiſtentia peccati originalis.

1. NOmine peccati originalis à Catholicis intelligitur quidam defectus moralis, ſive labes, quæ hominem naturali viâ generationis ex Adamo totius humani generis Capite deſcendentem, ex vi illius peccati, quod primus parens commiſit, comitatur & inquinat, ac quamdiu non abluitur, aut remittitur, DEO exoſum reddit, eumque ab æterna beatitudine excludit. Dicitur originale, partim quia derivatur ab Adamo, qui eſt caput & origo naturæ humanæ, partim quia à prima origine & inſtan-

ti animationis, quo anima corpori infunditur, & vi propagationis seminalis animam maculat, ex quo capite etiam dicitur peccatum naturæ.

ARTICULUS I.

An detur peccatum originale?

SUMMARIA.

1. *Quid nominis peccatum originale?*
2. *Hæreses de peccato originali.*
3. *Hæreses recentiores.*
4. *Veritas Catholica ostensa ex Conciliis.*
5. *Ex S. Scriptura.*
6. *Ex baptismo infantum.*
7. *Ex effectu.*
8. *Exponuntur objecta testimonia S. Script.*
9. *Exponuntur testimonia.*
10. *Solvuntur rationes hæreticorum.*
11. *Et ostenditur, honestatem conjugii non violari per traductionem peccati originalis.*

§. I.

Veritas Catholica.

2. VArias hæreses circa peccatum originale orcus evomuit. Ex antiquis fuit inprimis hæresis Manichæorum, dicentium, quòd Adamus peccando nobis nihil, sed sibi soli nocuerit. Unde etiam negabant mortem corporis, aliasque miserias esse effectum peccati originalis. Eundem errorem initiò tenuère Pelagiani, sed ut habet S. August. l. 3. de peccat. merit. & remiss. c. 6. & l. de hæres. hær. 88. postea verò, ut satisfacerent objectis, S. Script. authoritatibus, ac definitioni Concilii Palæstini, in quo prædicta hæresis fuit damnata, dixerunt, Adæ peccatum posteris nocuisse non verâ propagatione, sed imitatione & exemplo, prout refert idem S. P. lib. de pecc. origin. à c. 12. usq; ad 15. Postremò tandem concesserunt nocuisse quoad mortem ac pœnas corporis, non autem quoad mortem animæ, & verum aliquod peccatum, ut habet S. August. l. 4. contr. 2. epist. Pelag. Accesserunt Armeni VII. sæculo, qui apud Gaulterium, cùm baptismum ad salutem necessarium esse dicerent, tamen tollebant originale peccatum, & Sacramentis vim gratiam conferendi adimebant.

3. Hos posterioribus sæculis secuti sunt Albigenses apud D. Antoninum p. 4. tit. 11. c. 7. §. 5. Abailardus ep. 188. Zwinglius in l. de baptismo dicens: *Peccatum originis non esse peccatum, sed naturæ morbum.* Joannes Westphalus apud eundem Gaulter. ad annum 1600. c. 12. n. 12. dicens: *Non esse peccatum ullum originis, neque S. Augustino, qui id asserat, fidem ullam habendam esse.*

4. Adversùs istos hæreticorum errores est inconcussum fidei dogma, peccatum originale habere veram rationem culpæ per naturalem propagationem à primo parente traductæ in posteros. Ita contra Pelagianos definitum est in Concilio Palæstino, cujus meminit D. Augustinus l. 1. contra Julian. c. 2. In Milevitano, can. 2. Arausicano II. c. 2. iis præcipuè verbis: *Injustitiam DEO dare convincitur, qui mortem sine peccato, quod est meritum mortis, transire dicit.* Florentino in Decreto Unionis. In Tridentino sess. 5. decr. de pecc. orig. definiens can. 2. *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non ejus propagini, asserit nocuisse, & acceptam à DEO sanctitatem & justitiam, quam perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit,* &c.

Deducitur primò ex manifestis S. Scripturæ testimoniis. Et primò ex Job c. 14. v. 4. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* quem textum 70. Interpp. quos sequuntur DD. Augustinus, Cyprianus, Ambros. legunt. *Nemo mundus à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram.* Et Hebræi: *Quis dabit mundum ab immundo? non unus, etiamsi breves dies ejus.* Quæ porrò ista labes, quæ etiam unius diei infantem polluit, nisi originalis, cùm de spirituali labe animæ sermonem esse ostendant verba adjuncta: *Nonne tu, qui solus es?* Et rursus: *Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, & adducere eum tecum in judicium.* Spirituales quippe sordes abluere, proprium DEI munus est: neque pro alia, quàm animæ labe & culpa aliquis adducitur in judicium. 5.

Secundò in Psal. 50. v. 7. David, *Ecce,* inquit, *in iniquitatibus conceptus sum,* Hebraicè: *in iniquitate.* Quòd cùm non possit intelligi de iniquitate parentum, siquidem David ex legitimo fuit toro progenitus, neque de propria personali, solùm potest accipi de iniquitate, & peccato originali.

Tertiò. Apostolus ad Rom. c. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ex quibus sic arguitur: Juxta Apost. Unius nempe primi hominis peccatum fuit causa, ut peccatum omnes homines corriperet [ideò dicit, *in quo omnes peccaverunt*] & obnoxios morti redderet: sed hoc non est peccatum personale, cùm pertineat etiam ad infantes peccati personalis incapaces: ergo tantùm est peccatum originale. Atque ita hunc locum ab Ecclesia semper intellectum testatur Trid. loco cit. Nec quicquam valet responsio Pelagianorum dicentium, quòd peccatum Adami non propagatione, sed imitatione transierit in posteros. Nam primò dictum Apostoli comprehendit etiam infantes, qui Adamum peccando imitari non potuere. Secundò. Hâc ratione Apostolus potiùs debuisset dicere, quòd per diabolum peccatum intraverit in mundum, siquidem ipse primus peccando malum exemplum dedit sui sequacibus. Eandem doctrinam confir-

confirmat Apostoli comparatio sub finem ejusdem cap. inter inobedientiam Adami, & obedientiam Christi, *sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita & per unius obeditionem justi constituentur multi.* Et illa consequentia 2. Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Sed constat, Christum fuisse mortuum pro omnibus hominibus, etiam parvulis: ergo omnes fuere mortui peccato non utique personali: ergo originali.

6. Probatur secundò antiquissimâ Ecclesiæ consuetudine etiam infantes baptizantis, ad abluendum in ipsis peccatum originis, prout per formam baptismi significatur. Nec est alicujus momenti responsio Pelagianorum dicentium, non dari parvulis baptismum in remissionem peccati, sed ad aperiendam januam regni cœlestis. Nam contrà est primò: quòd primarius finis & effectus, quem baptismus practicè significat, est emundatio à peccato, & spiritualis regeneratio, hoc est, justificatio, quâ de causâ Tit. 3. vocatur *lavacrum regenerationis.* Et Ephes. 5. dicitur Christus *mundans Ecclesiam lavacro aquæ.* Unde contrà est secundò. Quòd cœlum non aperitur nisi removendo prohibens iis, qui per peccatum à cœlo fuerunt exclusi, unde nisi parvuli haberent peccatum, etiam à cœlo non essent exclusi nec illius apertione indigerent.

7. Probatur tertiò ratione. Ubi reperitur necessarius effectus alicujus causæ, ibi & ipsam causam reperiri necesse est: sed necessitas moriendi, aliæque miseriæ corporales sunt necessarius effectus peccati originalis juxta Divinam comminationem. Genes. 2. *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Et Apostoli testimonium in cit. Rom. c. 5. dicentis, quòd *per peccatum primi hominis in omnes homines mors pertransiit.* Insuper comitatur hominem à principio suæ conceptionis: ergo eundem etiam ab initio suæ conceptionis comitatur peccatum originale.

§. II.

Solvuntur objectiones.

8. Objiciunt primò authoritatem S. Script. nam Ezech. 18. dicitur. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem Patris:* atqui si daretur peccatum originale, filius portaret iniquitatem Patris:

Secundò. Rom. 5. dicitur. *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt:* ergo licèt omnes mortem corporis, non tamen omnes mortem animæ, seu peccatum ab Adamo traxerunt.

Tertiò ibidem dicit Apostolus: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi:* ergo non omnes per originem, sed multi per imitationem facti sunt peccatores.

Quartò, 1. Cor. 7. ad Christianos Apostolus dicit: *Filii vestri sancti sunt:* ergo non sunt peccatores.

Quintò. Rom. 4. dicitur: *Ubi non est lex, nec prævaricatio:* sed parvuli recèns concepti non sunt capaces legis: ergo nec prævaricationis.

Respondeo ad 1. Illum locum juxta expositionem S. Hieronymi loqui de pœna spirituali animæ, non de culpa: atqui peccatum originale non est propriè pœna, sed culpa, & quidem non aliena tantùm, sed etiam nostra, ideoque cùm propter peccatum originale pœnas tum corporales tum spirituales patimur, non pro aliena, sed pro nostra culpa punimur.

Ad 2. Respondeo per Tò *non peccaverunt,* intelligi peccatum personale, quod satis intelligitur ex adjunctis verbis: *in quo omnes peccaverunt.* Mens igitur Apostoli est, ostendere, mortem corporis non esse effectum peccati personalis cujusvis hominis; siquidem illi quoque, qui nunquam personaliter peccârunt, moriuntur.

Ad 3. dico, Tò *multi* idem significare, quod omnes, cùm immediatè Apostolus præmiserit illa verba: *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem,* quo modo etiam Christus dixit: *qui pro multis effundetur,* hoc est, *pro omnibus.*

Ad 4. Respondeo Apostolum solùm loqui de sanctitate legali, ut idem sit sancti, quod legitimi. Alii exponunt de sanctitate non in actu, sed potentiâ proximâ, eò quòd ob fidem parentum facilè posset filiis applicari baptismus.

Ad 5. distinguo subsumptum: parvuli in se spectati non sunt capaces legis, concedo; in suo capite, in Adamo spectati, nego: ergo non possunt peccare & prævaricari in se, & peccato personali, concedo; ut contenti in Adamo, & peccato originali, nego.

Objiciunt secundò authoritatem quorundam SS. PP. inprimis Hieronymi, qui super Ezech. c. 19. ait, *Animam infantis esse sine peccato.* Deinde Ambrosii in illud Psal. 48. *Iniquitas calcanei mei,* &c. dicit, nos ex Adamo *non contraxisse peccatum, sed lubricum delinquendi.* Demum Chrysostomi in epist. ad neophytos dicentis: *Hac de causa etiam infantes baptizamus; cùm non sint coinquinati peccato, ut eis detur, vel addatur sanctitas, & adoptio,* &c. 9.

Ad hanc objectionem respondit D. Augustinus l. 1. cont. Julianum, vindicans SS. PP. à calumniis hæreticorum, præsertim Chrysostomum, cujus verba ex Græco sic legenda ostendit: ideo & infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes, & dicit textum intelligendum esse de peccatis propriis. Mox tacitam adversariorum replicam depellens subjungit: *At inquies, cur non ipse addidit propria? Cur putamus, nisi quia disputans in Catholica Ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur.* Quæ responsio etiam satisfacit ad testimonia ex Hieronymo & Ambrosio adducta; nam Ambrosius quoque cùm dicit, nos ex Adamo non contraxisse peccatum, sed lubricum peccandi, per peccatum intelligit personale, & actuale peccatum, quod propria voluntate committitur; per lubricum verò delinquendi intelligit vel ipsum peccatum originale, tanquam causam & radicem peccandi, vel fomitem concupiscentiæ, qui culpam originalem præsupponit. Dici etiam potest cum Ysamberto ad q. 81. disp. 1. a. 4. commentaria, ex quibus hæc testimonia Hieronymi & Ambrosii assumuntur secundùm communem opinionem his SS. PP. falsò adscribi.

Obji-

10. Objiciunt tertiò ex ratione. Si peccatum traduceretur ex Adamo, etiam anima traduceretur ex ipso: sed consequens est falsum: anima quippe creando infunditur: ergo. Sequela probatur: Peccatum est subjectivè in anima; ergo cùm ipsum non possit seorsim traduci, necesse erit, ut unà cum subjecto suo traducatur, & sic anima humana erit per traducem, quod est falsum.

Secundò, non est assignabilis causa peccati originalis animam actu inficientis: ergo nullum datur. Antecedens probatur. Vel illius causa esset, qui generat, vel qui generatur, vel DEUS infundens animam, vel Adamus. Non qui generat, aliàs damnanda erunt conjugia, quæ per actum generationis transfundunt orginale peccatum; non qui generatur, ut per se patet. Non DEUS, quem implicat esse causam peccati; non Adamus, quem probabilius est nullum habuisse peccatum, cùm filios cœpit generare, primo peccato jam per pœnitentiam deleto.

Respondeo ad primum, negando sequelam, & consequentiam probationis; sufficit enim, quòd totus homo, qui in lombis Adami peccantis continebatur, vi ultimarum dispositionum, quæ fiunt per seminalem propagationem, ex Adamo propagetur, & anima corpori sic ultimatè disposito infundatur, ut è sequentibus magis patebit.

Ad 2. nego antecedens: nam causa hujus peccati erat voluntas Adami, quatenus fuit moraliter voluntas omnium posterorum. Probationem in contrarium distinguo, peccatum Adami cùm filios generaret, jam erat per pœnitentiam deletum, prout erat personale, & ipsi proprium, concedo; prout erat originale, & voluntarium voluntate capitis, nego. Tunc enim, cùm pœnitentiam ageret, jam à capitis dignitate deciderat.

Sed instas: Necdum salvatur honestas conjugii, & commercii maritalis: quia tametsi ab Adamo mediatè & remotè per propagationem seminalem traducatur originale peccatum: ad hanc tamen traductionem proximè & immediatè concurrunt parentes vacando generationi; sed qui cooperatur ad alterius peccatum, & concurrit ad ipsius spirituale nocumentum, peccat: ergo etiam parentes per generationem prolis concurrendo ad ejus nocumentum spirituale, nempe peccatum originale, peccabunt. 11.

Respondeo, negando assumptum, & suppositum probationis, quòd Adamus mediatè, & proximi parentes proximè concurrant ad traductionem peccati originalis: cùm enim juxta dicenda in sequenti disputatione, ista traductio fiat propterea, quòd semen humanum habeat privativam carentiam illius vigoris, quo in statu innocentiæ poterat propagare justitiam originalem; illa verò privativa carentia dependeat à sola voluntate Adami tanquam capitis, ideo proximi parentes nullo modo ad eandem concurrunt, aut cooperantur; sed hæc ipsa carentia privativa in solius Adami voluntatem refunditur, & ad actum generationis non nisi concomitanter, & per accidens se habet.

ARTICULUS II.

Quomodo peccatum originale sit voluntarium?

SUMMARIA.

1. *Propositio difficultatis.*
2. *Aliud voluntarium formale, aliud terminativum.*
3. *Terminativum applicatur parvulis.*
4. *Quid intelligatur nomine pacti cum Adamo.*
5. *Ostenditur hujus pacti possibilitas.*
6. *Et probatur necessitas.*
7. *Quod debuit esse Adamo revelatum.*
8. *Peccatum originale est parvulis terminativè voluntarium.*
9. *Respondetur ad rationem difficultatis.*
10. *Replica solvitur.*

§. I.

Prænotanda.

1. ADhuc superest difficultas, quo pacto originale peccatum possit habere veram rationem culpæ: omnis quippe culpa debet esse voluntaria: atqui macula originalis non est infantibus voluntaria, qua de causa etiam ante baptismum innocentes vocantur: ergo macula originalis non potest habere veram rationem culpæ. Pro cujus dubii resolutione, prænoscenda est inprimis diversa acceptio voluntarii. De quo

2. Notandum primò ex alibi dictis, quòd voluntarium sit duplex: unum consistens in actuali voluntatis exercitio, quod dicitur voluntarium formale, cujus generis sunt omnes actus, & omissiones liberæ voluntatis. Aliud voluntatium est terminus & effectus prædicti exercitii, & dicitur voluntarium terminativum, quo modo habituale peccatum diximus esse terminativè voluntarium. Nam & peccatum aliquando sumitur pro actuali voluntatis defectu, quo DEUS offenditur, & aliquando pro sequela & macula à peccato relicta, quæ peccatum habituale dicitur, eò quòd non se habeat transeunter, sed permanenter.

Notandum secundò. Habituale peccatum rectè dividi in personale, & originale. Illud est, quod in anima resultat ex peccato propriâ voluntate commisso; istud, quod ex voluntate capitis derivatur. Unde sicut ad personale habituale peccatum non requiritur, ut actualiter à voluntatis influxu procedat, sed sufficit, quòd ab illa per proprium voluntatis influxum processerit; ita peccatum originale, cùm non sit propriâ voluntate commissum, non requirit, quòd à propria parvulorum voluntate processerit, sed sufficit, quòd præcesserit actus voluntatis alienæ, quæ ipsorum voluntas moraliter reputabatur. Quod quidem voluntarium, etsi non sufficiat, ut peccatum dicatur, & sit parvulis voluntarium physicè; sufficit tamen, ut sit & dicatur ipsis voluntarium moraliter, vi moralis transfusionis ipsorum voluntatis in voluntatem Adami factæ per decretum & pactum Divinum. De quo 3.

§. II.

§. II.

Exponitur pactum DEI cum Adamo.

4. NOtandum primò. Nomine pacti hoc loco nihil aliud intelligi, quàm decretum Divinum Adamo notificatum, quòd si Adam DEO obediens in accepta justitia perseveraret, eandem quoque justitiam originalem in omnes suos posteros ex se gignendos propagaret, & quod Adam fecisset, pro tota sua posteritate fecisse censeretur. Quo proinde pacto debebant omnium hominum voluntates moraliter transfundi in voluntatem Adami, ipsiusque voluntas haberi moraliter pro voluntate totius generis humani in ipsius lumbis etiam physicè contenti.

5. Notandum secundò. Ejusmodi decretum seu pactum esse possibile: nam potest homo in hominem, v. g. procuratorem, & mandatarium, suam transfundere voluntatem, ut, quod ille fecerit, suo nomine factum censeatur, eosdemque effectus sortiatur, ac si ipsemet fecisset: potest supremus Princeps voluntatem subditi, non exspectato ipsius consensu transfundere in voluntatem alterius, ut voluntatem pupilli in voluntatem tutoris: ergo multò magis DEUS, qui juxta D. August. magis habet in sua potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas, potuit omnium nostrûm voluntates conjungere cũ voluntate unius principii originantis; præsertim cùm nemo nostrûm potuisset esse rationabiliter invitus, ubi de summo favore, nempe transfusione præstantissimi doni justitiæ originalis naturæ humanæ prorsus indebiti agebatur: neque alia conditio onerosa fuerit imposita, quàm observantia præceptorum, quæ tunc Adamo propter naturæ integritatem, Divinorumque auxiliorum abundantiam erat facillima. His positis

6. CONCLUSIO PRIMA. *Ejusmodi pactum cum Adamo initum de facto necessariò est admittendum.* Ita comm. Catholicorum.

Ratio est. Peccatum originale debet nobis aliqua ratione esse voluntarium [aliàs enim culpæ & peccati imputabilis rationem habere non posset] non est autem voluntarium voluntate propriâ, cujus nullus adest actualis & personalis influxus: ergo est voluntarium voluntate alienâ ipsius Adæ: sed ex Adami voluntate non potest nobis esse voluntarium nisi voluntas Adami moraliter habeatur pro nostra voluntate: ergo ut peccatum originale sit nobis voluntarium ex Adami voluntate, debet ipsius voluntas moraliter haberi pro omnium nostrûm voluntate. Atqui hoc non habet voluntas Adami ex sua natura, aliàs non tántummodo primum, sed omnia quæcunque Adami peccata debuissent propagari in posteros: ergo hoc habet ex ordinatione Divina Adamo indicata sub illis verbis: *Quocunque die comederis ex eo, morte morieris*: quam Divinam ordinationem ab Adamo acceptatam pactum nominamus indicatum Os. c. 6. *Ipsi sicut Adam transgressi sunt pactum, ibi prævaricati sunt omnes.* Quæ verba de pacto inito cum Adamo in paradiso interpretantur Hieronymus, Cyrillus, Prosper, aliique.

7. Ex quo intelliges, hoc Divinum decretum, seu pactum necessariò fuisse Adamo manifestatum. Ratio est. Ut Adami peccatum non tantùm esset personale peccatum tanquam hominis privati, sed etiam peccatum capitis, omnes posterorum voluntates in se moraliter complectentis, debuit ut sic esse ipsi voluntarium: sed nisi fuisset ipsi revelatum, quòd esset constitutus caput non solùm naturale, sed etiam morale totius posteritatis, qui vel perseverando eidem prodesset, vel prævaricando eidem noceret, non fuisset ipsi ut sic voluntarium, quod enim est propriâ voluntate voluntarium, necessariò est præcognitum: ergo oportebat, ejusmodi decretum Adamo esse perspectum, unde etiam pacti denominationem accepit, in quo duorum mutua notitia & voluntas semper intervenit.

§. III.

Resolutio quæstionis.

CONCLUSIO SECUNDA. *Peccatum originale ut derivatum in posteros, & in ipsis subjectatum non est formaliter sed terminativè, non physicè sed moraliter voluntarium, per ordinem ad voluntatem Adami tanquam capitis.* Ita Thomistæ. 8.

Ratio ex dictis est. Omne peccatum etiam habituale debet esse voluntarium: sed peccatum originale est veri nominis peccatum, & culpa reddens hominem DEO odiosum: nam ita appellatur Dan. 9. *Ut deleatur iniquitas, & finem accipiat peccatum.* Et Jo. 1. *Ecce Agnus DEI, qui tollit peccatum mundi*, uti legit D. Augustinus & Venerab. Beda: ergo debet esse voluntarium. Unde etiam D. August. l. 1. Retr. c. 13. etiam de peccato originali dicit intelligendum, quod alibi dixerat, *nullo modo esse peccatum, quod non est voluntarium*; atqui non est voluntarium formaliter & physicè voluntate propriâ, ut patet; ergo terminativè & moraliter per ordinem ad voluntatem Adami, qui moraliter habebatur pro tota hominum universitate. Quod pulchrè exemplificat S. D. hic q. 81. a. 1. his verbis. *Homines ex Adam derivati sunt tanquam multa membra unius corporis: actus autem unius membri corporalis, puta manûs, non est voluntarius voluntate ipsius manûs, sed voluntate animæ, quæ primo movet membrum. Sic igitur inordinatio, quæ est in isto homine ex Adam generato, non est voluntaria voluntate ipsius, sed voluntate primi parentis, qui movet motu generationis omnes, qui ex ejus origine derivantur, sicut voluntas animæ movet omnia membra ad actum.* Hæc S. D.

Ex quibus patet responsio ad rationem difficultatis. Omnis culpa debet esse voluntaria, vel 9. formaliter, vel terminativè, vel voluntate propriâ, vel alienâ, concedo; tantùm formaliter & voluntate propriâ, nego. Sed macula originalis non est voluntaria formaliter, & voluntate propriâ, concedo; terminativè, & voluntate alienâ, nego minorem & consequentiam.

Dices tamen primò. Voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione: sed peccatum 10. originale non est in parvulis à principio intrinsecò, sed extrinseco, nempe Adamo, & est sine cognitione, cùm usu rationis careant: ergo non potest ipsis esse voluntarium.

Secundò: Voluntarium debet esse liberum, & in ejus potestate, cui voluntarium dicitur: sed originale non est in potestate parvulorum, ut sit, vel non sit: ergo non est ipsis voluntarium.

Respondeo ad 1. Voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione, si sit voluntarium physicum & formale, concedo; si sit terminativum & morale, nego. Vel subdistinguo: Est à principio intrinseco voluntatis alienæ cum cognitione alienæ rationis, concedo; propria, nego. Et sic distincto consequente, nego consequentiam.

Ad 2. distinguo majorem. Voluntarium personale, quod est voluntarium voluntate personæ, debet esse in ejus potestate, concedo; voluntarium capitale, quod est voluntarium voluntate capitis, nego majorem. *Ad* hoc enim sufficit, quòd sit *in potestate alicujus, qui est caput in natura*, inquit S. D. in 2. dist. 30. q. 1. a. 2. ad 1.

DISPUTATIO XXVII.

DE Transfusione peccati originalis.

CONclusâ peccati originalis existentiâ, proximè discutienda sunt, quæ ad genus causæ quasi efficientis pertinent; ubi primò inquiritur, quomodo fiat istius culpæ traductio in posteros; Secundò: quodnam sit illud Adæ peccatum, ex quo tanquam radice morali totius humanæ naturæ originalis infectio sequitur? ubi tam certum quidem est, peccatum originale generatione transfundi in posteros, quàm certum est, illud dari, ita definiente Concil. Milevit. c. 2. *In parvulis regeneratione mundari, quod generatione contraxerunt.* Et Trid. Sess. 6. c. 3. *Nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti; cùm eâ propagatione per ipsum, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant.* Nihilominùs magna est utrinque sententiarum diversitas, ad quam dilucidandam sit

ARTICULUS I.

Quomodo Adæ peccatum traducatur in posteros?

SUMMARIA.

1. *Duplex modus infectionis in natura humana.*
2. *Refutatur error, quòd anima sit ex traduce.*
3. *Causa infectionis originalis non est conceptio cum ardore libidinis.*
4. *Sententia communis, quòd generatio sit conditio sine qua non.*
5. *Non satisfacit doctrina S. Thomæ.*
6. *Sententia quorundam Thomistarum, statuentium physicam propagationem peccati,*
7. *Impugnatur.*
8. *Illius fundamenta solvuntur.*
9. *Nostra & Thomistica sententia*
10. *Probatur authoritate D. Anselmi:*
11. *Et D. Thomæ.*
12. *Probatur ratione.*
13. *Quomodo verificetur comparatio inter virtutem seminis ad producendam naturam, & propagandum peccatum?*
14. *Quòd anima fiat una natura cum carne corrupta, est quid morale.*
15. *Quomodo verificetur illud axioma: Sicut affirmatio est causa affirmationis, sic &c.*
16. *Rejicitur positiva qualitas morbida in semine.*
17. *Semen per analogiam ad instrumenta physica dici potest instrumentum peccati originalis impropriè.*
18. *Diversitas, cum qua peccatum originale fuit in Adamo, & est in posteris.*
19. *Quo sensu omnes in Adamo peccaverint, & Adam peccet in omnibus?*
20. *Peccatum Adami est causa moralis, non tamen demeritoria peccati originalis in posteris.*
21. *Est demeritoria causa respectu pœnalium effectuum.*

§. I.

Varii modi exponendi referuntur, & refelluntur.

NOtandum. Naturam humanam esse peccato *Adæ* infectam, duplici modo posse intelligi, primò quoad sufficientiam, debitum & potentiam. Secundò, actu in se, & quoad efficaciam. Primum contigit, quamprimum *Adam*, ceu caput, in quo totum genus humanum moraliter continebatur, peccavit: tunc enim inducta est necessitas ac debitum actu contrahendi peccatum originale omnibus individuis, quæ naturali viâ generationis ex *Adamo* nascerentur: alterum verò tunc contingit, quando individuum naturæ humanæ per actum generationis ab *Adamo* propagatur, & anima corpori sic generato infunditur. Quæstione igitur non in priori sensu quoad sufficientiam, sed in posteriori quoad efficaciam & actualem peccati contractionem institutâ 1.

Censuerunt aliqui primò duce Tertulliano, ut habetur apud S. *Augustinum*, l. de hæres. 66. & l. 10. de Genes. ad litt. c. 23. ideo à parvulis contrahi peccatum originale, eò quòd eorum anima 2.

anima esset ex traduce, h. e. quòd anima filii esset producta, vel ab anima patris, vel virtute seminis. Contra quem errorem pugnat inprimis definitio Concilii Lateran. sess. 8. quòd singulis hominibus anima à DEO infundatur. Secundò, quòd anima tanquam spiritualis substantia sit incapax alterius productionis, quàm creationis ex nihilo. Tertiò, quòd in hoc errore necdum salvetur propagatio peccati originalis, siquidem peccatum originale non est productivum alterius peccati, & ex Christianis parentibus, quibus per baptismum jam remissa fuisset culpa originalis, non posset nasci proles infecta illo peccato.

3. Secundò. Quorundam fuit opinio, ex eo capite à parvulis contrahi peccatum originale, quòd concipiantur cum ardore libidinis, cujus fundamentum sumpserunt ex dictis D. Augustini l. 1. de nupt. c. 24. & alibi. Item Venerab. Bedæ in l. qq. q. 14. dicentium, prolem contrahere originale peccatum, quia gignitur cum libidine & concupiscentia.

Sed contrà est primò, quòd aliqui sancti magis oratione, quàm voluptate concepti legantur. Secundò, quòd in illa libidinosa voluptate nulla possit ostendi virtus vel physicè vel moraliter causativa peccati. Tertiò, quòd eadem delectatio comitetur actum generationis, quem multo pòst tempore primùm consequitur infusio animæ rationalis. Sancti PP. adducti non loquuntur de ardore libidinis tanquam causa, sed tanquam signo peccati originalis, ex quo bene colligitur, prolem generatam contrahere peccatum originale.

4. Tertiò, communis apud RR. sententia dicit, peccatum ideo ab Adamo causari, & transfundi in posteros, quòd eorum generatio fiat virtute seminis ab Adamo mediatè decisi, quâ generatione positâ, tanquam conditione sine qua non haberent necessitatem contrahendi originale peccatum, etiam Adæ peccatum moraliter recipiunt.

Prior pars probatur authoritatibus Tridentini & S. Script. pro existentia peccati originalis suprà adductis, è quibus habetur, quòd homines nisi *ex Adamo propagarentur, non nascerentur injusti*. Unde & D. August. l. 2. de Gen. ad litt. c. 20. & 21. dicit, Christum non fuisse *decimatum in Abraham*, quia non processit viâ seminali ab Adam. Et ratio est: In tantum ab Adamo transfunditur originale peccatum in posteros, in quantum Adam erat eorum caput in transfundenda justitia originali: sed ad hoc fuisset necessaria eorum generatio virtute seminis ex Adamo mediatè saltem decisi: ut habet S. D. q. 100 a. 1. ergo etiam ad hoc, ut peccatum Adæ causet in posteris originale peccatum, necesse est, ut eorum generatio fiat virtute seminis ex Adamo decisi.

Secunda pars probatur: quia quod applicat subjectum agenti, habet se, ut conditio sine qua non: sed generatio applicat hominem actuali peccato Adæ, tanquam in ipso moraliter causanti originale peccatum: ergo habet se velut conditio sine qua non.

§. II.

Sententia Salmanticensium.

5. Hæc expositio vera quidem est, sed non adæquatè satisfacit doctrinæ Doctoris Angelici, qui hîc q. 83. a. 1. in c. *in generatione hominis non solùm conditionem sine qua non*, sed etiam concursum instrumentalem ad transfundendum originale peccatum agnoscit. Sic enim inquit: *Peccatum ergo originale omnium hominum fuit quidem in ipso Adam sicut in prima causa principali*, secundùm illud ad Rom. 5. *In quo omnes peccaverunt. In semine autem corporali est peccatum originale sicut in causa instrumentali: eò quòd per virtutem activam seminis traducitur in prolem simul cum natura humana.* Et ad 2. *Peccatum originale causatur ex semine, sicut ex causa instrumentali; non autem oportet, quòd aliquid sit principalius in causa instrumentali, quam in effectu, sed solùm in causa principali*, & hoc modo peccatum originale primo modo fuit in Adam, in quo fuit secundùm rationem actualis peccati. Ex quo textu inferunt, &

6. Docent quartò Gonett & Salmantic. tract. 13. de pecc. disp. 14. dub. 3. n. 61. peccatum originale causari, & traduci physicè ab Adamo actualiter peccante principaliter, à semine verò per generationem instrumentaliter, in quam sententiam allegant D. Bonavent. in 2. dist. 31. a. 1. q. 1. Alvarem aliosque

Ratio est primò. Causa, quæ executivè, mediante instrumento, ponit effectum, physicè concurrit ad illum: sed Adamus executivè, mediante instrumento juxta allegata ex S. D. ponit in nobis originale peccatum: ergo physicè ad illud concurrit.

Confirmatur exemplo ejusdem S. D. l. cit. in c. *Hoc modo ex voluntate primi parentis peccatum originale traducitur in posteros per quamdam generativam motionem, sicut a voluntate alicujus hominis derivatur peccatum actuale ad alias partes ejus* &c. Subsumitur: atqui causalitas voluntatis in derivando peccatum ad alias partes hominis, ut ad appetitum sensitivum &c. non est moralis, sed physica ex vi proprii & realis influxûs: ergo similiter causalitas Adami in traducendo ad posteros originale peccatum debet esse physica.

Secundò. Originale peccatum est effectus ex Adami peccato, vel physicè vel moraliter causatus. Non moraliter, quia causa moralis mediante aliena voluntate causat effectum: atqui peccatum Adami nullâ aliâ voluntate, sed solùm mediante instrumento producit effectum: ergo peccatum Adami non moraliter sed physicè ponit peccatum orignale in posteris.

Tertiò. Eo modo transgressio Adami causat in nobis peccatum originale, quo causavit habituale peccatum in ipso Adamo: sed in ipso causavit physicè: ergo & in nobis. Major constat: quia etiam in nobis peccatum originale est terminativè voluntarium ex transgressione Adami, sicut peccatum habituale resultans in ipso Adamo; &, ut dicetur, peccatum originale in nobis non est aliud, quàm peccatum primum habituale Adami. Minor quoque probatur: Causa physicè causans actum incompossibilem cum aliqua forma, etiam physicè causat privationem illius formæ, sicut ignis physicè causans calorem in aqua, physicè causat privationem frigoris oppositi; sed voluntas Adami physicè causabat actum incom-

incompossibilem cum justitia originali: ergo physicè causabat ejus privationem, quæ in *Adamo* erat peccatum habituale, in nobis est originale, modò inferiùs exponendò.

7. Verùm hæc sententia, nisi physicæ causalitatis nomine velit abuti, & facere quæstionem de nomine, sustineri difficilè potest. Contrà enim est primò, quòd peccatum sive actuale sive habituale est extra totam lineam entitatis, & causalitatis physicæ, habetque non principium effectivum, sed defectivum, cùm aliàs necessariò requireret influxum & concursum causæ primæ, qui implicat: unde nec in *Adamo* datur virtus physica principalis, nec in semine instrumentalis ad productionem peccati, & sicut peccatum actuale quoad rationem formalem tantùm admittit causam defectivam moralem, sic multò magis peccatum habituale, quod est moralis sequela illius. Idque maximè locum habet in peccato originali; neque enim *Adamus* actualiter peccando aliter potest esse causa, quòd posteri incurrant originale peccatum, nisi quia ipse erat caput humanæ naturæ continens omnium nostrûm voluntates: atqui illa continentia erat merè extrinseca, & moralis, non physica alicujus intrinsecæ virtutis: ergo etiam non nisi moraliter potuit causare peccatum originale in posteris.

Secundò. Ut ab *Adæ* peccato physicè propagaretur originale peccatum, deberet illud in se, vel in aliqua physica virtute existere: atqui peccatum *Adæ* non est in seipso, ut patet; non in aliqua virtute physica, neque enim in semine est aliqua virtus physica, quàm ad productionem naturæ; ut taceam, quòd implicet virtus physica productiva peccati formaliter: ergo peccatum originale physicè non propagatur ex *Adæ* peccato.

Tertiò. Si peccatum *Adæ* esset causa physica transfusionis culpæ originalis, tunc istud haberet vel ex sua natura, vel ex elevatione Divina, vel vi pacti, quo *Adam* constitutus est caput totius naturæ humanæ: sed ex nullo horum. Non ex sua natura, ut per se patet; cùm aliàs non esset major ratio de uno peccato, quàm de altero. Non ex elevatione Divina, aliàs DEUS esset specialis causa peccati originalis, quod implicat. Non vi pacti, quia per illud voluntas *Adami* non physicè fuit immutata, sed moraliter.

8. Neque urgent in contrarium adductæ rationes. Nam ad 1. distinguo majorem: Causa, quæ mediante instrumento physico ponit effectum, causat illum physicè, concedo; instrumento tantùm morali, nego majorem: sed *Adamus* mediante semine tanquam instrumento morali, causat peccatum originale, concedo; physico, nego minorem, & consequentiam.

Ad confirmationem, nego subsumptum, & retorqueo: causalitas voluntatis in derivando peccatum ad alias partes, quoad formale, non est physica, & effectiva, sed moralis & defectiva: ergo similiter causalitas *Adæ* peccantis in derivando peccatum originale in posteros. Quoad formale, inquam, nam si sermo sit de materiali, argumentum vagatur extra scopum.

Ad 2. patet ex dictis: Peccatum originale esse effectum moralem, *Ad* cujus impugnationem, nego majorem, quæ tantùm valet in causa morali, positiva & meritoria, vel demeritoria, non alia quacunque defectiva & privativa: unde & respectu puræ omissionis voluntas, nullâ aliâ voluntate mediante, est causa moralis, non physica.

Ad 3. nego minorem, & retorqueo, peccatum habituale formaliter, tanquam sequela actualis peccati formaliter non habet physicam sui causam, sed moralem: ergo multò magis peccatum originale.

§. III.
Nostra sententia.

NOtandum, *Angelici* Doctoris probabilem doctrinam esse, quòd cùm *Adamo* data fuisset justitia originalis non tantùm per se, sed etiam pro posteris sub conditione, si in innocentia & observantia legis Divinæ perseveraret, ipsius semini virtutem quoque supernaturalem fuisse inditam, ita ut per ipsam naturalem generationem unà cum natura etiam justitiam originalem propagare posset: idcirco semen ipsius per supernaturalem virtutem inditam fuisse elevatum, ut non tantùm esset instrumentum naturale in ordine ad communicandam & propagandam naturam, sed etiam supernaturale instrumentum in ordine ad communicandam & propagandam justitiam originalem: quam virtutem supernaturalem *Adamus* peccando amisit. Ita indicat S. D. q. 4. de malo a. 1. ad 9. dicens. *Ex peccato primi parentis destituta est caro ejus illa virtute, ut ex ea posset decidi semen, per quod originalis justitia in alios propagaretur.* Quo posito sit 9.

CONCLUSIO. *Traductio peccati originalis fit per hoc, quòd anima connaturaliter unitur corpori ex corrupto semine descendenti: cujus corruptio formaliter consistit in privatione illius vigoris, quem habuisset ad propagandam justitiam originalem, si Adam non peccasset.* Videtur esse doctrina D. Anselmi illa verba Psal. 50. *In iniquitatibus conceptus sum &c* sic explanantis: *Hoc modo de immundo semine, & in iniquitatibus, & peccatis concipi potest homo in utero, non quòd in semine immunditia sit peccati, aut peccatum, sive iniquitas, sed quia ab ipsò semine, & ipsa conceptione accepit homo necessitatem, ut, cùm habuerit animam rationalem, habeat peccati immunditiam.* 10.

Ubi nota necessitatem contrahendi immunditiam peccati à S. D. tribui semini tanquam causæ per Tò *ab ipso*, non utique ut causæ principali, ergo ut instrumentali; non ut physicæ, prout priori §. probavi, ergo ut morali. Sed quomodo ut morali? nisi quia carentia vigoris in semine connotat peccatum *Adami* tanquam causam moralem, ex quo illa carentia non est tantùm negativa, quæ ipsi physicè etiam in statu puræ naturæ competeret, sed insuper privativa, quod tantùm habet in statu naturæ lapsæ.

Prima pars conclusionis habetur ab *Angelico* Doctore hîc a. 1. a. 2. *Ex hoc fit iste, qui nascitur, consors culpæ primi parentis, quod naturam ab eo sortitur, per quamdam generativam motionem*, q. 3. de pot. a. 9. ad 3. *Humana natura traducitur à parente in filium per traductionem carnis, cui postmodum anima infunditur, & ex hoc infectionem incurrit, quod fit cum carne traducta una natura*, &c. 11.

Secun-

Secundam quoque partem habet primùm cit. q. 4. de malo. Hæc subjungens: *Et sic in semine defectus corruptionis moralis, & quædam intentio ejus: sicut dicimus, intentionem coloris esse in aëre, & intentionem animæ esse in semine. Et ex hoc etiam est ibi virtus ad similem imperfectionem, sicut est ibi virtus ad productionem humanæ naturæ in prole generata.*

12. Ratio totius conclusionis est. Ut anima peccatum originale contrahat vi naturalis generationis, prout distinctè S. D. affirmat, non aliter potest verificari, quàm quia limitatur ad corpus, & fit forma corporis generati ex infecto semine, ideoque destituti vigore justitiæ originalis: sed corpus ideo est generatum ex infecto semine, quia per peccatum Adami semen destituitur illâ virtute instrumentali unà cum natura propagandi innocentiam & justitiam originalem, quam habuisset, si Adam non peccâsset: ergo propter istum privativum defectum seminis traducitur, & transfunditur in posteros peccatum originale. Major inde probatur: quia anima non potest infici à corpore generato, quasi ipsum corpus in animam agendo suam infectionem communicaret: ergò tantùm per hoc, quòd forma corporis, scilicet anima ad corpus infectum limitetur. Uti docet S. D. in 2. dist. 30. q. 1. a. 2. ad 5. his verbis: *Cùm anima non possit infici nisi per infectionem corporis, non quasi corpore agente in animam, sed per quamdam collimitationem unius ad alterum, quia forma recipitur in materia secundùm conditionem ipsius materiæ, cùm omne, quod est in altero, sit in altero per modum recipientis: & ideo ex hoc ipso, quòd corpus illa virtute privatur, quâ perfectè erat subjicibile animæ, sequitur etiam, quòd anima illâ virtute careat, quâ perfectè corpus subditum regat. Et talis defectus originalis justitiæ est culpa naturæ, prout consideratur consequens ex voluntate alicujus habentis naturam, ex quâ natura traducta est.* Hæc S. D.

13. Dices. Ex hoc evincitur, vi generationis etiam physicè propagari peccatum originale: nam S. D. cit. ex q. 4. de malo facit comparationem inter virtutem seminis ad imperfectionem post peccatum *Adæ*, & inter virtutem ad productionem humanæ naturæ: sed ista est physica: ergo & illa.

Respondeo 1. Illo ipso loco hanc virtutem vocari ab Angelico Doctore *defectum corruptionis moralis*: ergo non est aliquid physicum, sed morale.

Respondeo 2. In hoc esse comparationem & similitudinem, quòd uti necessariò natura sequitur ad virtutem seminis, sic etiam inquinatio naturæ per peccatum originale necessariò sequitur ad corruptionem seminis: in cæteris verò esse latam disparitatem: nam natura sequitur productivè, physicè, positivè ex physica & positiva virtute instrumentali seminis, peccatum verò sequitur privativè per solam resultantiam moralem, ex defectu morali & privativo seminis, qui non nisi æquivocè virtus dicitur.

14. Instas. *Ex hoc anima traductivè infectionem incurrit, quia fit cum carne traductâ una natura,* & ad eandem limitatur: sed fit una natura cum carne, & ad eandem limitatur physicè: ergo traductiva infectio animæ fit physicè.

Respondeo distinguendo majorem, quia fit cum carne traducta ex semine moraliter corrupto una natura, concedo; cum carne traducta ut sic, nego. Sed physicè fit una natura cum carne traductâ ut sic, concedo; ut traductio dicit defectum corruptionis moralis in semine, nego minorem & consequentiam.

Adhuc inquis cum Gonett. Sicut affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis: sed vigor, quem Adamus inditum habebat in semine, fuerat physicè productivus justitiæ originalis in posteris: ergo ejus privatio in semine etiam physicè concurrit ad privationem justitiæ originalis in posteris.

15. Respondeo, præscindendo ab illa quæstione, an ille vigor in semine fuerit physicè productivus justitiæ originalis, quod negat Contensonus non ignobilis Thomista, hoc ipsum argumentum solvendum esse ipsi Gonetto in materia de auxiliis, ubi hôc ipsô argumentô Adversarii conantur evertere intrinsecam efficaciam gratiæ, sic enim inquiunt: DEUS per gratiam efficacem est causa actûs boni: ergo per ejus subtractionem erit causa, quòd actus bonus non eliciatur, vel actus malus eliciatur, cùm sicut affirmatio &c. Quod igitur ipse illo loco, hoc ipsi reponimus in præsenti. Et quidem primo. Sicut affirmatio &c. sic negatio est causa negationis, ut est negatio, concedo; ut est privatio, nego: ergo privatio vigoris in semine physicè concurrit ad privationem justitiæ originalis, ut est negatio, concedo, hoc ipso quippe, quòd nulla adsit causa physica producens justitiam, etiam physicè abest ipsa justitia; [quod ipsum tamen potiùs est non concurrere physicè ad ponendam justitiam, quàm physicè concurrere ad ponendum defectum justitiæ] ut est privatio, sic nego; sic enim est absentia purè moralis connotans debitum morale inessendi, unà cum causa morali, voluntate scilicet capitis, & capitali peccato Adami.

Secundò. Sic negatio est causa negationis, si terminus sit capax ejusmodi causalitatis, concedo; si non sit, nego. Justitia quidem originalis est capax productionis physicæ, cùm sit forma physica: atqui privatio illius justitiæ non est capax, cùm sit absentia purè moralis, prout est privatio.

§ IV.

Corollaria.

Inferes primò, fictitiam esse non solùm omnem 16. morbidam qualitatem, sed etiam quamcunque positivam virtutem seu qualitatem instrumentalem fluentem semini superadditam, vi cujus sit traductivum peccati originalis: nam ejusmodi virtus aut qualitas, vel esset naturalis, vel esset supernaturalis. Non naturalis, quia nulla qualitas corporea naturalis in spiritualem animæ substantiam agere potest. Multò minùs supernaturalis, quia implicat, à DEO tanquam principali & speciali agente produci virtutem per se causativam peccati. Adde, quòd, cùm peccatum originale juxta proximè dicenda formaliter

consistat in privativo, non requirit majorem virtutem sui communicativam, quàm privativam, qualis ex S. D. est carentia illius vigoris productivi justitiæ originalis.

17. Inferes secundò. Per analogiam ad instrumenta creata dici posse, quòd semen sit instrumentum peccati originalis: juxta S. D. q. 83. a. 1. in c. quia sicuti propter vigorem propagativum justitiæ originalis in statu innocentiæ semen fuisset instrumentum positivum ipsius: sic, quia propter defectum privativum hujus vigoris, homo concipitur peccato originali inquinatus, & originali justitiâ destitutus, rectè dici potest instrumentum privativum peccati originalis.

18. Inferes tertiò. Peccatum originale aliter fuisse in Adamo, aliter in nobis: nam in illo fuit personale, & capitale simul; personale, quatenus propriâ voluntate commissum; capitale, quatenus commissum voluntate capitis, adeòque moraliter voluntate omnium posterorum: quo modo etiam ab aliis vocatur peccatum originis. Prout verò in nobis intrinsecè reperitur, sic propriè originale dicitur; capitale etiam non activè, tanquam in alios derivabile, sed passivè, tanquam à capite in membra derivatum.

19. Inferes quartò: Quo sensu dicat Apostolus, *omnes in Adam peccâsse*? Non enim significatur omnes homines formaliter in Adamo peccâsse; sed Adamo peccante tanquam capite totius generis humani, omnibus membris ejusdem generis humani impositam fuisse necessitatem & debitum in primo instanti suæ originis & conceptionis actu contrahendi eandem labem & maculam, quam Adamus in sua persona contraxerat. Sed etiamne rectè dicitur Adam in nobis peccare, quando in originali peccato concipimur? Respondeo affirmativè. Hoc enim loquendi modo utitur S. Ecclesia in approbato officio de Immaculata Conceptione dicens. *Te pulchram ornavit sibi sponsam, in qua Adam non peccavit*: adeòque supponit, in aliis hominibus non exemptis Adamum peccare. Cujus tamen dictionis alius sensus esse non potest, quàm quòd primum Adæ peccatum tanquam causa moralis per seminalem propagationem actu applicetur ad producendum effectum moralem culpæ originalis in posteris primùm conceptis.

Si dicas. Peccatum Adæ jam fuisse remissum, & extinctum: non ergo ampliùs habere moralem influxum. Respondeo fuisse remissum & extinctum, ut erat personale, non ut erat capitale; sic enim virtualiter remansit in privatione vigoris, qui priùs erat in carne, & semine Adami.

Inferes quintò: Etsi personale peccatum Adæ 20.
seu capitis sit causa moralis respectu peccati originalis in posteris contracti, non tamen esse causam demeritoriam ipsius: quia demeritum correlativè non respicit culpam, sed pœnam: atqui peccatum originale est vera culpa secundùm priùs dicta, non pœna peccati: ergo à peccato Adami non respicitur, vel causatur demeritoriè. Secundò causalitas demeritoria punit effectum mediante aliqua voluntate, e. g. pœna causatur à peccato demeritoriè, quia peccans præbet DEO fundamentum justæ indignationis & punitionis: sed culpa originalis causatur in parvulo nullâ mediante alienâ voluntate: ergo non demeritoriè, quomodo ergo peccatum originale causatur moraliter?

Respondeo, in quantum in ipso conceptionis instanti, quo anima corpori ab Adamo per seminalem propagationem generato infunditur, simul moraliter resultat, seu inest animæ macula peccati, ipsi debita propter Adami peccatum, quod erat peccatum capitis, & totius naturæ.

Fuit tamen Adami peccatum causa demerito- 21.
ria directa respectu pœnalium effectuum, qui naturam lapsam comitantur, fuit etiam indirectè causa demeritoria plurium peccatorum, in quantum propter originale peccatum subtrahitur abundantia auxiliorum, & gratiarum, quibus hominis voluntas firmaretur in bono, & retraheretur à malo, ex quo per accidens contingit frequentior lapsus in peccata.

ARTICULUS II.

Quodnam Adæ peccatum sit causa transfusionis in posteros:

SUMMARIA.

1. *Plures malitiæ concurrentes ad peccatum Adami.*
2. *Peccatum inobedientiæ traducitur in posteros.*
3. *Quodlibet primum peccatum fuisse transfundendum.*
4. *Ostenditur ex D. Th. & ratione.*
5. *Fundamenta sententiæ negantis.*
6. *Exponitur mens SS. Patrum.*
7. *Comminatio mortis implicitè fuit conjuncta etiam transgressioni præceptorum naturalium.*
8. *Cur comminatio mortis explicitè adjuncta comestioni?*
9. *Peccatum superbiæ fuit prius naturâ, quàm peccatum inobedientiæ.*
10. *Alia peccata Adami non transeunt in posteros.*
11. *Eva sola peccando non nocuisset generi humano.*
12. *Siqui liberi ab Adamo ante lapsum fuissent geniti, non traxissent originale peccatum.*
13. *Etiam internum peccatum inobedientiæ fuisset traductum.*
14. *Peccata proximorum parentum non transfunduntur.*
15. *Qui miraculosè formaretur ex carne humana, non contraheret originale peccatum.*

§. I.

Statuitur Sententia Thomistica.

Suppono primo. In lapsu Adami plures ma- 1.
litias ac deformitates intervenisse, ut habet S. D. q. 82. a. 2. ad 1. puta superbiæ, gulæ, inobedientiæ, quarum tamen præcipua & actu consummata fuit malitia inobedientiæ, ut è Script. & Conciliis constat. Unde Sup-

2. Suppono secundò. Hoc primum Adæ peccatum, quod erat inobedientiæ contra præceptum positivum DEI, non comedendi de ligno scientiæ boni & mali, esse illud peccatum, quod in posteros traducitur. Ita enim constat ex Apostolo antè citato Rom. 5. *Per unius hominis inobedientiam*, &c. Et ex Trid. Sess. 5. de pecc. orig. ubi decernitur, *peccatum, quo Adam posteritati nocuit, fuisse prævaricationem, & transgressionem Divini mandati, pro qua DEUS mortem comminatus fuerat, inobedientiæ peccatum*, &c.

Quæstio igitur est, an hoc peccatum inobedientiæ fuerit originale, & traducendum in posteros, quatenus erat inobedientia contra præceptum positivum, habens adjunctam comminationem mortis, vel quatenus erat primum peccatum ipsius, ita, ut si alio quocunque peccato sive interno sive externo justitiam amisisset, illud æquè fuisset in posteros transmittendum? Negativam tenent Alensis, Catharinus, Suarez, Amicus, & plures RR. Affirmativa est conformior S. Doctori, quam tenent Gonett, Godoyus, Salmanticenses, & communis Thomistarum. Unde sit

3. CONCLUSIO. *Inobedientia Adami fuit peccatum originis non præcisè quia fuit peccatum inobedientiæ, sed quia primum, ita, ut si aliud prius peccatum commisisset, etiam per illud totam humanam naturam vitiâsset.*

Probatur clarâ authoritate S. D. in 2. dist. 21. q. 2. a. 2. ad 2. dicentis: *Hoc idem*, [nempe corruptionem naturæ] *etiam sequentia peccata fecissent, si talem naturam* [hoc est integram] *invenissent.* Item dist. 33. in fi. in expos. litt. inquit: *Quodcunque autem aliud peccatum fuisset hoc modo primum, etiam similem effectum habuisset, sive fuisset peccatum operis, sive voluntatis.* Præcipuè ad Annibald. in 2. dist. 21. q. un. a. 4. ad 2. *Quodcunque peccatum mortale in statu innocentiæ commissum fuisset, idem esset secutum, propter hoc, quòd tota natura humana erat in primis parentibus, & per primum peccatum mortale corruptio gratiæ facta fuit.*

4. Probatur secundò ratione in adductis textibus indicatâ. Ideo peccatum inobedientiæ de facto traducitur in posteros, quia per illud facta est corruptio gratiæ, & ablatio justitiæ originalis: sed hoc fuisset factum per quodlibet peccatum, quantumvis internum, & solâ mente commissum: ergo.

Probatur tertiò. Si Adamus posteris per alterius peccati commissionem non amisisset justitiam originalem, tunc potuisset illam propagare in posteros: consequens est falsum: ergo. Minor probatur: tum quia non poterat propagare, quod ipse non habuit: tum quia hæc propagatio juxta S. Doctoris doctrinam debuisset fieri per vigorem instrumentalem existentem in semine; sed hunc non habuisset, siquidem dependebat à gratia & justitia originali, quam peccando amisit.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

5. Objicies. Illa, quæ dependent à sola voluntate DEI, non nisi per S. Script. Concilia, & Patrum testimonia nobis innotescunt, quemadmodum Thomistæ in Tract. de Incar. argumentantur: sed S. Script. Concilia, & Patres non loquuntur de amissione justitiæ originalis, & transfusione malitiæ propter quodcunque peccatum, sed propter peccatum inobedientiæ in comestione fructûs prohibiti: ergo non propter aliud quodcunque peccatum fuisset in posteros transfundenda malitia peccati, & perdenda justitia originalis. Minor probatur, quia decretum Divinum de amissione justitiæ originalis pro se, suisque posteris Adamo indicatum solùm continetur in illa comminatione, *Quâcunque die comederis, morte morieris*; quæ comminatio, ut patet, soli comestioni de ligno vetito fuit conjuncta. Neque Concilia & PP. aliam causam peccati originalis, quàm inobedientiam Adami allegant.

Confirmatur 1. Illud solum peccatum fuit causa transfusionis culpæ originalis in posteros, quod fuit causa, ut morte corporali morerentur: sed hoc fuit solum peccatum comestionis, quia nulli alteri peccato fuit adjuncta comminatio, & pœna mortis.

Confirmatur 2. Leges odiosæ sunt restringendæ: sed lex de amissione justitiæ, & transfusione peccati in totam posteritatem est odiosa: ergo est restringenda ad solum peccatum, de quo DEUS in S. Script. mentionem facit, non ad alia extendenda.

Confirmatur 3. Illud solum peccatum Adami potuit transfundi in posteros, quod fuit peccatum capitis, non quod fuit peccatum personæ: sed sola comestio fructûs prohibiti fuit peccatum capitis: ergo. Minor probatur: Adamus non habebat ex sua natura, ut esset caput morale totius generis humani, sed solùm ex pacto, seu decreto Divino: sed hoc ut antè dictum, tantùm erat de non comedendo de ligno scientiæ boni & mali: ergo solùm circa observantiam, vel transgressionem hujus præcepti Adamus habebat rationem capitis: alia verò quæcunque peccata tantùm fuissent peccata personæ.

Confirmatur 4. Si primum Adæ peccatum fuisset transfundendum in posteros, tunc non tam peccatum inobedientiæ, quàm superbiæ & gulæ transiret in posteros: sed hoc est contra Script. Concilia, & PP: ergo. Sequela probatur. Priùs peccavit Adamus inordinato appetitu scientiæ, & similitudinis cum DEO, quam Serpens promiserat, nec non inordinato appetitu fructûs, quem viderat pulchrum & delectabilem ad vescendum, quàm comederit de illo fructu: ergo: si primum peccatum fuit peccatum originis, illud potiùs fuit peccatum superbiæ, & gulæ, quàm inobedientiæ.

Respondeo, distinguendo minorem. Script. Conc. & PP. loquuntur de transfusione peccati propter inobedientiam, tanquam causam unicam de facto positam, & primum peccatum Adami, concedo; tanquam causam unicam possibilem hujus transfusionis secundùm præsentem rerum ordinem, & in casu, quo aliud peccatum fuisset primum, sic nego: ergo solum peccatum Adami poterat esse causa transfusionis de facto, ex suppositione, quòd fuerit primum, concedo; de possibili, & ex suppositione, quòd aliud ipsius peccatum esset primum, nego consequentiam. 6.

Ad

7. Ad probationem etiam distinguo minorem. Comminatio mortis incurrendæ fuit conjuncta soli comestioni de ligno vetito explicitè, concedo; implicitè, nego. Fuit enim ipsi conjuncta, quatenus erat transgressiva mandati. Unde à fortiori etiam non quidem explicitè, sed tamen implicitè fuit conjuncta transgressioni mandatorum naturalium & Divinorum, quæ fortiùs ligabant. Ita habet S. D. in 2. dist 33. in expositione textûs. *In hoc ostenditur, quòd, etiamsi alia peccata commisisset, similem pœnam sustinuisset, quasi a minori ad majus: gravius est enim præceptum præterire legis naturalis, quo prohibetur id, quod in se est malum, quàm præterire præceptum disciplinæ, quo prohibetur, quod non est malum, nisi quia prohibitum.* Ex quo patet responsio ad primam confirmationem: quia etiam aliis peccatis fuit adjuncta comminatio mortis implicitè.

8. Ad 2. confirmationem, distinguo majorem. Lex odiosa est restringenda ab illis, ad quæ intentio legislatoris & ratio legis non se extendit, concedo; ad quæ se extendit, nego. Si petas: cur ergo specialiter & explicitè comminatio mortis fuerit adjuncta comestioni? Respondeo: quia, cùm illa de se non esset mala, per adjunctam pœnam debuit innotescere, quòd esset mala, & destructiva justitiæ originalis.

Similiter ad 3. confirmationem nego minorem, & probationem distinguo. Decretum Divinum tantùm erat de non comedendo explicitè, concedo; implicitè, nego minorem & consequentiam.

9. Ad 4. confirmationem nego sequelam, ejusque probationem distinguo. Adam peccavit peccato superbiæ priùs naturâ, concedo; priùs tempore, nego. Nam ipsum peccatum inobedientiæ initium sumpsit ab inordinato appetitu excellendi, juxta illud Job. 4. *In ipsa initium sumpsit omnis perditio*, ideoque internum peccatum superbiæ tanquam motivum in genere causæ finalis præcessit, tota tamen peccati malitia consummata fuit in actu externo inobedientiæ comedendo fructum prohibitum. Unde adhuc primum completum Adami peccatum, quamvis ex variis malitiis partialibus conflatum, fuit peccatum inobedientiæ.

§. III.

Corollaria.

10. Inferes ex dictis primò: Alia peccata Adami, quæ post primum lapsum fortè commisit, aut commisisset, non transire in posteros: siquidem non sunt ampliùs peccata capitis, sed personæ.

11. Inferes secundò. Evæ peccatum, quantumvis præcesserit peccatum Adami, non tamen nocuisse, aut fuisse nociturum generi humano per transfusionem sui, si Adam non peccâsset; siquidem non Eva, sed Adamus fuit constitutus caput generis humani: unde ipsius peccatum non erat peccatum capitis.

Nec officit, quod Ecclesiastici 25. dicitur: *A muliere initium factum est peccati*; hoc enim intelligendum de initio occasionis & suasionis, non de principio transfusionis, docet D. Th. 1. Cor. 15. l. 3. & in 4. dist. 1. q. 2. a. 2. quæstiuncula 2. ad 1.

Inferes tertiò. Si qui liberi ex Adamo ante ipsius lapsum fuissent concepti, vel geniti, illos fuisse accepturos justitiam originalem, neque ex Adami lapsu inficiendos: quia fuissent geniti ex semine habente vigorem productivum justitiæ originalis: & Adamus respectu illorum tantummodo hominum habuit rationem moralem capitis, qui adhuc in ipsius lumbis continebantur, & viâ naturalis generationis ex ipso propagari poterant. 12.

Inferes quartò. Etiamsi peccatum inobedientiæ in sola interna voluntate Adami permansisset, & non processisset ad opus externum, eodem modo fuisse propagandum in posteros, sicuti modò est propagatum, cùm Adamus comedendo de fructu prohibito inobedientiam opere externo complevit: quia opus externum habet suam malitiam ab actu interno, per quem secundùm primùm dicta Adamus suam innocentiam perdidisset. 13.

Inferes quintò. Peccata proximorum parentum non transfundi in posteros, unde si Adam in justitia perseverâsset, peccante Caino ipsius filii non contraxissent originale peccatum, prout colligitur ex Apost. ad Rom. 5. *Unius* [solius Adæ tanquam capitis] *de illo multi mortui sunt, & per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi.* Unde D. Anselmus lib. de Concept. Virg. c. 23. *Quoniam nullus post Adamum potuit filiis suis justitiam servare, nullam video rationem, cur proximorum parentum peccata filiorum debeant animabus imputari.* 14.

Sed opponitur difficilis textus ex D. Th. q. 5. de malo a. 4. ad 8. *Si aliquis ex posteris Adam peccâsset, eo non peccante, moreretur quidem propter suum peccatum actuale, sicut Adam mortuus fuit; sed posteri ejus morerentur propter peccatum originale.*

Respondent aliqui, hanc sententiam hic a. 4. fuisse retractatam. Gonett existimat, opinionem D. Thomæ fuisse, quòd DEUS, si noluisset Adami peccatum permittere, alium ex posteris Adami constituisset pro capite morali suorum descendentium, sicque posteri propter originale peccatum fuissent mortui, de quo tamen nihil certi.

Inferes sextò. Si quis hominum ex humana carne miraculosè formaretur, adinstar Evæ, ita ut per seminalem propagationem non descenderet ex Adamo, non contracturum labem originariam: tunc enim, inquit S. D. hic a. 4. ad 3. *Esset in Adam secundùm corpulentam substantiam non secundùm seminalem rationem:* quod etiam extendi debet ad eum, qui nasceretur miraculosè ex solo semine, aut sanguine mulieris: tum quòd illud in plurium sententia tantùm passivè, tum quòd saltem minùs principaliter concurrat ad generationem prolis. Secùs dicendum de prole, quæ ex solius viri semine ad matricem mulieris, vel Divinâ virtute, vel dæmonum operâ delato conciperetur, tunc enim verè ortum traheret ex Adamo. 15.

DISPU-

DISPUTATIO XXVIII.

DE Essentia peccati originalis.

NOn minùs essentia, quàm existentia peccati originalis est circumscepta difficultatibus; nam existentiam fidei & definitionem limites non adeò permittunt obnoxiam vagæ rationis licentiæ; metaphysica verò essentiæ constitutio, cùm parùm ad fidem & mores conferat, libertati ingeniorum relinquitur. Igitur examinatâ priùs sententiarum varietate nostram demum mentem explicabimus.

ARTICULUS I.

Referuntur & refelluntur diversæ sententiæ de essentia peccati originalis.

SUMMARIA.

1. *Hæreses constituentes originale in aliquo substantiali.*
2. *Hæresis constituens in concupiscentia.*
3. *Sententia Ambrosii Catherini, ejusq; fundamenta,*
4. *Refutatur,*
5. *Fundamenta solvuntur.*
6. *Refertur sententia Durandi constituens originale in reatu ad pœnam.*
7. *Impugnatur*
8. *Authoritates objecta exponuntur.*
9. *Refertur & exponitur sententia de morali inexistentia primi peccati.*
10. *Impugnatur,*
11. *Refertur sententia Thomistarum quorundam constituens peccatum originale in aliquo habituali positivo.*
12. *Impugnatur ratio positivi.*
13. *Impugnatur moralis transfusio,*
14. *Ulteriores impugnationes.*
15. *Exponuntur testimonia adducta è S. Doctore.*

§. I.

Rejiciuntur errores.

1\. PRimò Matthias Illyricus Centuriatorum Princeps in libello de pecc. orig. dicebat, peccatum originale esse ipsammet animæ substantiam, eò quòd Rom. 7. Ephes. 4. Coloss. 3. istud, imò & alia peccata exprimantur vocibus substantiam significantibus: *Vetus homo*, *corpus peccati* &c. Cujus delirii absurditas coincidens cum antiquissima hæresi Manichæorum, damnata pridem fuit à Conciliis & Patribus unanimi consensu concludentibus, peccatum non esse substantiam, nullam substantiam esse malam, nullam esse mali naturam, omnem substantiam esse à DEO, peccatum verò non esse à DEO. Item à Trid. Sess. 5. de pecc. orig. can. 5 definiente: *Per Sacramentum baptismi tolli ab homine totum id, quod veram & propriam rationem peccati habet.*

Constat etiam ex hac ratione: quòd dæmon non possit esse Author alicujus substantiæ: est verò Author peccati originalis: *Nam invidiâ diaboli peccatum intravit in mundum*: ergo peccatum originale non potest esse substantia. Porrò Apostolus dicens: *Vetus homo*, non significat solum peccatum formaliter, sed subjectum peccatis inquinatum, quemadmodum & novus homo significat subjectum, gratiâ sanctificante præditum. Corpus quoque peccati per metaphoram & allegoriam vocatur multitudo peccatorum: quia sicut ex variis membris consurgit totum corpus, ita ex variis peccatis integra multitudo peccatorum coalescit.

A priori errore parum abludit explodenda Kemnitii insania, asserentis, originale peccatum esse aliquid substantiale corporeum, v. g. cor, hepar, aut totum corpus: hæc enim manent refutata ex dictis: ipsum quoque originale est infectio & mors ipsius animæ, quod de nulla re corporea dici potest.

Tertiò communissimus error est Lutheranorum & Calvinistarum, qui dicunt, peccatum originale esse ipsum fomitem concupiscentiæ, & inclinationem ad malum. Qui error manet confutatus ex præallegata definitione Tridentini; quæ hanc præcipuè hæresin tangit, quòd per baptismum tollatur in renatis, quidquid habet veram & propriè dictam rationem peccati, juxta illud Apostoli. Rom. 8.: *Nihil damnationis est iis, qui sunt renati in Christo JESU*: atqui concupiscentia relinquitur post baptismum attestante eodem Apostolo Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Nec obest, quòd Apostolus hanc concupiscentiam alicubi appellet peccatum, nam dicitur peccatum metonymicè, non quòd verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, ut loquitur Tridentin. cit. Can. 5. Manet eadem hæresis refutata ex dictis in priori Tract. ubi ostendimus, motus concupiscentiæ secundùm se non esse peccata. 2.

Ex iisdem fundamentis rejicitur opinio, quæ tribuitur Gregorio Arimin. l. 2. sent. dist. 31. q. 1. constituentis peccatum originale in morbida qualitate animæ superaddita, quam Serpens suo sibilo Adamo afflaverit: nam primò, si per hanc qualitatem intelligis concupiscentiam, incidis in errorem prioris sententiæ; si distinguis: vel illa quali-

qualitas est spiritualis, vel corporea. Non corporea, quia hæc non potest afficere animam; non spiritualis, quia hujus non est assignabilis causa, cùm sibilus Serpentis non cum Adamo, sed cum Eva loquentis illam non potuerit producere; insuper ejusmodi qualitas non ablueretur per baptismum, nec subtraheretur Divinæ causalitati, quorum utrumque repugnat peccato originali.

§. II.

Expenditur opinio Catherini.

3. Ambrosii Catherini, Pighii, & Salmeronis doctrina est, peccatum originale formaliter consistere in præterito actuali peccato Adami parvulos extrinsecè denominante: quæ sententia docet primò peccatum originale nihil esse aliud, quàm primam Adæ inobedientiam. Secundò, hoc originale peccatum esse unum idemque in omnibus, in Adamo quidem reipsa, in cæteris verò imputativè. Tertiò, nihil esse inhærens in parvulis, quod habet rationem peccati. Quartò, privationem justitiæ, reatum, & similia pœnam esse peccati originalis, non culpam.

Fundamentum hujus sententiæ est primò: Illud est originale peccatum, per quod mors intravit in mundum: sed per peccatum Adami personale mors tam animæ, quàm corporis intravit in mundum: ergo ipsum est peccatum originale. Secundò: Illud est peccatum originale, quo in primo instanti conceptionis peccatores constituimur: sed per inobedientiam Adami sic constituimur peccatores, dicente Apostolo: *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.*

Tertiò. Illud est nostrum originale, quod Adam in nos transmisit: sed transmisit suum personale, vel actuale peccatum, non enim aliud transmisit, quàm quod habuit; sed habuit actuale peccatum; ergo.

Quartò. Illud est nostrum originale, quo Adam nobis nocuit: sed per suam actualem inobedientiam nobis nocuit: ergo.

Huc applicant textus SS. PP. cùm dicunt: *Quoniam non jejunavimus, exulamus a paradiso.* Basilius hom. 1. de jejun. *In casu primi hominis cecidimus omnes.* Bernard. serm. in Cœna Dom.

4. Contra hanc sententiam est primò: quia Concil. Arauf. can. 2. nec non Trid loco citato, dicunt peccatum *transfundi in posteros*, & eodem modo loquuntur de peccato, ac de morte: sed peccatum transfundi non est pura denominatio extrinseca, uti neque *mortem transire in genus humanum*: ergo non potest salvari originale peccatum per puram denominationem extrinsecam.

Secundò. Idem Trid. sess. 6. c. 3. affirmat, homines dum concipiuntur, *propriam injustitiam* contrahere, ut, licèt sit unum origine, sit tamen distinctum in singulis: sed ex mente Pighii & Catherini unum tantummodo esset peccatum originale commune omnibus, cùm actuale peccatum Adami tanquam actus immanens ipsius non possit multiplicari in posteris.

Tertiò. Concilium ibidem opponit comparativè injustitiam, quam ex Adamo per generationem accepimus, gratiæ & sanctitati, quam à Christo per baptismi regenerationem accepimus: ergo sicut ista est cuilibet baptizato propria, intrinseca, & distincta à sanctitate Christi, ita & injustitia, quam ex Adamo contrahimus, est cuilibet propria, intrinseca, & distincta à peccato Adami.

Quartò. Pœna damni, respondens culpæ originali, intrinsecè & sigillatim afficit omnes, qui sine baptismo decedunt: ergo similiter culpa originalis, cui illa proportionatur, debet esse intrinsecè recepta in singulis.

Quintò per baptismum intrinsecè mundamur, & abluimur à peccatis: sed hoc significat in proprietate verborum ablutionem alicujus maculæ intrinsecæ: ergo.

Fundamenta contrariæ opinionis peccant in 5. confusione peccati originalis activi originantis cum peccato originali passivo, & sensûs causalis cum formali.

Unde ad 1. Respondeo distinguendo majorem: Est peccatum originale originans, concedo; est peccatum originale, originatum, & passive receptum, nego. Hoc enim est ipsa mors animæ: & sic distinctâ minore, nego consequentiam.

Ad 2. distinguo majorem: Illud est nostrum originale peccatum, quo formaliter & intrinsecè peccatores constituimur, concedo; quo causaliter, & extrinsecè, nego majorem: sed per Adæ actuale peccatum constituimur peccatores causaliter & extrinsecè, concedo; formaliter & intrinsecè, nego minorem & consequentiam.

Ad 3. nego minorem, & probationem distinguo. Illud transmisit, quod habuit causaliter, concedo; formaliter, nego. Peccatum enim, quod formaliter habuit, cùm esset actus immanens, transmitti non potuit.

Similiter ad 4. Illud est originale, quo Adam nobis nocuit, & nocet formaliter, concedo; quo nocuit causaliter, nego; vel subdistinguo: Est originale originans, & activè, concedo; originatum, & passivè, nego.

Ita & Basilius loquitur in sensu causali, cùm exilium à paradiso refundit in comestionem pomi prohibiti. D. verò Bernardus loquitur de casu, quo omnes in Adamo peccante cecidimus, in debito & potentia, non actu; extrinsecè, non intrinsecè.

§. III.

Sententia Durandi rejicitur.

Durandus in 2. dist. 30. q. 3. dicit, peccatum 6. originale parvulorum formaliter consistere in reatu, seu dignitate carendi justitiâ originali, quæ carentia est pœna ipsorum.

Fundamentum habet in authoritate SS. Dionysii & Augustini; nam Dionysius de Div. nom. c. 4. asserit, puniri non esse malum, sed esse pœnâ dignum: ergo dignitas pœnæ est moralis malitia, ideoque sufficiens, ut formaliter constituat peccatum originale. D. verò Augustinus disputans contra Pelagianos sæpius meminit, concupiscentiam in non baptizatis esse peccatum originale non ratione sui, sed ratione reatûs adjuncti, & idem esse tolli reatum, ac tolli originale peccatum.

Sed

7. Sed contrà est: Vel per reatum intelligis obligationem ad pœnam, vel dignitatem ad illam subeundam: sed neutro modo potest in reatu peccatum originale consistere. Non in obligatione; partim quia hæc est à DEO, culpa non est à DEO; partim quia nemo ad pœnam obligatur à DEO, nisi culpabilis & dignus pœnâ, adeò, ut obligatio priùs culpam & dignitatem pœnæ supponat; partim quia potest à DEO tolli obligatio ad pœnam, remanente culpâ. Non etiam in ipsa dignitate pœnæ, quia & ipsa dignitas pœnæ est proprietas culpæ, eandem naturâ & ratione priùs supponens, prout dictum in priori Tractatu de peccato personali: non enim ideo aliquis habet culpam, quia est dignus pœnâ; sed ideo est dignus pœnâ, quia habet culpam. Vel igitur iste reatus resultat in parvulo ex aliqua culpa verè ipsi inexistente, vel tantùm, ex culpa extrinseca Adami; si primum, habetur intentum, præter reatum ad pœnam admittendam esse veram culpam in parvulis; non utique actualem; ergo originalem. Si secundum, incidis in sententiam priori §. refutatam, nec multùm differs à modo loquendi Pelagianorum, qui dicebant, nos solùm quoad obligationem luendi pœnas Adæ peccatum participare.

8. Ad authoritatem SS. Dionysii & Augustini Respondeo, pœnâ dignum esse malum arguitivè & consecutivè, quia ex hoc arguitur aliquem esse culpabilem, cùm pœna sit effectus & signum peccati; non verò esse malum constitutivè. Item D. Augustinum loqui de reatu radicali, qui est reatus culpæ, non pœnæ: nam culpam sæpius hoc modo radicaliter, vel etiam metonymicè sumendo effectum pro causa appellari possim constat ex S. Script. ut Exod. 32. *Percussit DEUS populum pro reatu vituli.* Et Deut. 21. *Auferetur ab eis reatus sanguinis*, hoc est, culpa homicidii, quo modo loquendi etiam utitur Tridentinum sess. 5. de pecc. orig. can. 5. Verùm relictis hisce sententiis jam antiquatis.

§ IV.

Quædam sententiæ probabiles refelluntur.

9. Valde communis Recentiorum doctrina & conformis ad ea, quæ tradunt de peccato habituali, est, peccatum originale formaliter esse moralem concursum posterorum ad prævaricationem Adæ, iis inexistentem & intrinsecum non physicè, sed moraliter: sicut in adulto actus peccati semel commissus manet habitualiter, donec per pœnitentiam deleatur. Sic Lugo de pœnitentia Disp. 10. s. 7. n. 20. Suar. 1. 2. de pecc. D. 9. sect. 2. Granado, aliique plures. In qua sententia duplex est admittenda moralitas; una per quam voluntates posterorum fuerunt transfusæ in voluntatem Adami; ita ut Adamo peccante posteri quoque moralem concursum præstiterint, & peccaverint in Adamo. Altera est, quòd sicut personale peccatum Adami post commissionem transiit in habituale peccatum, & ipsum moraliter intrinsecè inquinavit; sic etiam ille concursus & actus posterorum, quamdiu per baptismum non remittitur, censeatur in illis præsens, & intrinsecus moraliter.

Exponunt & probant suam sententiam tum aliarum refutatione, tum paritate peccati habitualis personalis; illud enim consistit in peccato proprio præterito non retractato, ita ut ex parte voluntatis connotet actum præteritum, ex quo habet quod sit voluntarium, & negationem retractationis; ex alia verò nempe ex parte DEI connotet negationem condonationis: ergo similiter peccatum habituale originale constituendum erit in peccato Adami, non ut præcisè erat Adami personale peccatum, sed ut simul erat peccatum naturæ, & omnium posterorum, ex quo habet, quòd sit voluntarium, simulque in morali inhærentia & præsentia, quæ constituitur ex negatione condonationis & remissionis Divinæ.

Confirmatur. Idem specie est peccatum originale in parvulis, quod erat habituale peccatum in Adamo: sed peccatum habituale in Adamo consistebat in peccato præterito non retractato: ergo etiam in hoc consistit peccatum originale in parvulis modo explicato.

Sed contra hanc sententiam faciunt ea, quæ de peccato habituali diximus in priori Tractatu, præcipuè quòd juxta Trid. peccatum originale sit macula verè intrinseca, *quæ omnibus inest unicuique propria*, & quòd *parvuli, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahant ex vi propagationis carnalis, sicut fideles per renascentiam in baptismo gratiam Christi consequuntur*: atqui in hac sententia nulla forma verè parvulis intrinseca & inhærens ostendi potest, quæ lavacro baptismi verè abluatur: non enim sufficit dicere, esse moraliter intrinsecam: quidquid enim moralitatis assignaveris, est parvulo extrinsecum; videlicet ordinatio Divina de transfusione voluntatum in voluntatem Adami, peccatum ipsius, & negatio condonationis Divinæ: ergo ex nullo capite salvatur, quòd peccatum originale sit parvulis intrinsecum. Adde, quòd verba Concill. [prout jam sup. tract. indicatum] sint in proprio sensu accipienda. 10.

Inter Thomistas Godoyus cum Martinez aliisque citatis docet, peccatum originale consistere in aliqua moralitate positiva, quæ sit conversio in bonum commutabile, & aversio ab incommutabili bono. 11.

Fundamentum petunt primò ex D. Th. hic a. 2. ubi cùm in tit. art. quæsiisset, *utrùm peccatum originale sit habitus?* resolvit esse habitum, non per modum activæ inclinationis, sed dispositionis, quâ natura bene vel malè se habet, idque comparat cum ægritudine, & in C. vocat *languorem animæ*, & ad 1. *habitum corruptum.*

Præterea inf. q. 113 a. 1. dicit, justificationem impii, quæ est transitus à peccato habituali ad gratiam, *esse motum*: atqui motus est inter terminos positivos.

Tandem q. 24. de Verit. a. 12. inquit: *Homo, qui est in peccato mortali, habitualiter peccato inhæret, quamvis enim non semper habeat habitum vitii, quia ex uno actu luxuriæ habitus non generatur; voluntas tamen peccantis derelicto incommutabili bono, bono commutabili quasi fini adhæsit, Et hujusmodi adhæsionis vis & inclinatio in eâ manet, quousque iteratò bono incommutabili quasi fini adhæreat.*

Fundamentum à ratione idem ferè est, quod prioris sententiæ: nimirum: Peccatum originale, quod ex Adamo contrahimus, est ejusdem rationis cum illo peccato habituali, quod Adam per actualem inobedientiam contraxit: sed istud consistebat in termino positivo, & habituali conversione, seu adhæsione ad bonum creatum, tanquam ultimum finem [ita nempe docent isti authores universaliter de omni peccato habituali:] ergo etiam peccatum originale in ejusmodi habituali, & positiva conversione consistit.

12. Contra hanc sententiam est primò: quia illa habitualis & positiva inclinatio in bonum commutabile, vel est aliquid corporeum, vel incorporeum. Non corporeum; primò, quia hoc non potest intrinsecè afficere spiritualem animæ substantiam. Secundò, quia vel esset substantia, vel accidens. Non substantia, hic enim est error Manichæorum; non accidens, quia hoc vel iterum esset concupiscentia, vel qualitas morbida, quorum utrumque Catholica & communis doctrina eliminat. Non incorporeum: primò, quia ipsa voluntas peccantis per peccatum deordinata à DEO est naturalis inclinatio in bonum proprium, tanquam in ultimum finem, unde alia inclinatio superaddita est supervacanea; secundò, quia nulla inclinatio naturalis præter voluntatem pro suo objecto, & termino respicit finem ultimum. Tertiò: quia, ut expressè fatetur S. D q.24. de Verit. a. 12. non per quemlibet actum peccaminosum generatur habitus, cùm tamen per quodlibet peccatum voluntas peccantis adhæreat bono commutabili. Quartò: quia est inexplicabile, quomodo Adami peccatum mediante generatione transfundat aliquid positivum in posteros, quando ipsum nec in se, nec in virtute aliqua positiva semini impressa, quam fictitiam esse ex dictis constat, existit.

13. Neque dicas: non transfundere physicè, sed moraliter: nam moralis positiva causalitas consistit in motione alienæ voluntatis ad ponendum effectum, adeòque si Adamus moraliter causaret illum terminum positivum, tunc per suam inobedientiam demeritoriè moveret Divinam voluntatem ad ponendum illum terminum positivum, cùm alia voluntas in illum influens assignari nequeat, quod rursus est magnum absurdum.

Confirmatur. Terminus positivus requirit causam positivam: hæc non est peccatum Adami, non est voluntas Divina, nec alia est assignabilis: ergo nec terminus positivus.

Contra hanc sententiam est secundò, quòd nititur falsis suppositis, nempe, quòd tam peccatum actuale, quàm habituale formaliter consistat in positivo, quæ tamen ex oppositis fundamentis tum in præsenti, tum in priori Tract. refutavimus quæ hîc non sunt repetenda. Ex quibus etiam solutum manet fundamentum hujus sententiæ à ratione petitum. 14.

Contrà est tertiò: In illo formaliter consistit culpa originalis, quod tollitur formaliter per gratiam sanctificantem: sed per illam non tollitur aliqua forma positiva, tollitur verò sui privatio, tanquam opposita: ergo culpa originalis non consistit in aliquo positivo. Adde, quòd ille terminus positivus causatus per actum peccaminosum voluntatis esset subjectivè in voluntate, quam inclinaret in pravum finem ultimum: atqui culpa originalis subjectivè non est in voluntate, sed in animæ substantia.

Ad testimonia ex S. D. adducta, & ad 1. Respondeo cum Salmanticensibus hîc disp. 16. dub. 3. §. 5. Peccatum à S. Doctore vocari habitum non propriè, sed similitudinariè, tum ratione suæ permanentiæ, tum ratione malæ dispositionis, quâ non positivè, quasi per aliquam formam & qualitatem positivam, sed privativè tanquam per privationem justitiæ originalis, anima malè se habet respectu finis ultimi: aliàs quo pacto rationem formalis culpæ originalis potuisset constituere in privatione justitiæ originalis, quod tamen affirmat a. 3. mox referendo. 15.

Ad 2. Respondeo, motum ibidem latè accipi, qui fit inter terminos, vel positivè, vel privativè contrarios. Nisi malis dicere, etiam in justificatione terminum à quo, hoc est, habituale peccatum esse terminum positivum, non quidem formaliter, sed connotativè, videlicèt ratione actûs peccaminosi, à quo causatur.

Ad 3. Respondeo. Illum locum aliud nihil velle, quàm quòd post peccatum relinquatur habitualis adhæsio ad bonum commutabile, indistincta tamen partim ab ipsa voluntate, partim à concupiscentia, quæ in peccato originali se habeat non formaliter, sed materialiter.

ARTICULUS II.

In quonam formaliter consistat peccatum originale?

SUMMARIA.

1. *Exponitur donum justitiæ originalis.*
2. *Statuitur formale peccati originalis in privatione justitiæ originalis secundùm primarium effectum.*
3. *Probatio ab authoritate.*
4. *Probatio à ratione.*
5. *Authoritas D. Thomæ objecta exponitur.*
6. *Rationes objecta*
7. *Solvuntur.*
8. *Peccatum originale est idem specie atoma in omnibus hominibus.*

§. I.

Expositio Justitiæ originalis & resolutio quæstionis.

Notandum, quòd justitia originalis, quam Adamus in paradiso & innocentiæ statu obtinuit, atque, si in illa perseveràsset, etiam in posteros transmisisset, adæquatè sumpta includat plurium donorum & perfectionum aggregationem, quibus anima DEO, & vires inferiores superioribus perfectè subjiciebantur, corpus quoque à morbis, 1.

morbis, & ipsa morte immune conservabatur: quoad primariam tamen perfectionem, qua nimirum anima DEO perfectè subjiciebatur, & ex qua tanquam radice alia dona in animam & corpus redundabant, fuisse ipsum habitum gratiæ sanctificantis, prout Salmanticenses tr. de pecc. disp. 16. dub. 1. colligunt è S. D. 1. p. q. 95. a. 1. dicente: *Per gratiam in anima existentem inferiora ei subdebantur.* Et 1. 2. q. 23. a. 2. ad 2. *Originalis justitia pertinebat primordialiter ad essentiam animæ, erat enim donum divinitus datum humanæ naturæ, quam per prius respicit essentia animæ, quam ejus potentiæ.*

Ex quibus ratio sic deducitur primò. Sola gratia sanctificans pertinet ad essentiam animæ, alia verò dona ad potentias ipsius: sed justitia originalis pertinet primariò & radicaliter ad essentiam animæ: ergo primariò & radicaliter consistit in gratia sanctificante. Secundò. Tunc justitia originalis primariò consistit in gratia sanctificante, quando primarius effectus ipsius est formalis effectus ipsius gratiæ sanctificantis: sed est: quia primarius effectus est animam DEO subjicere: sed hoc est munus formale gratiæ sanctificantis: ergo. Neque ex hinc sequitur, quòd restitutâ per baptismum vel pœnitentiam gratiâ restituatur justitia originalis: quia justitia originalis non tantùm nominat perfectionem & effectum primarium, sed ut conjunctum cum donis, perfectionibus & effectibus secundariis in ipso radicatis. Unde licèt gratia sanctificans cum suo effectu primario, qui est animam DEO subjicere, per baptismum & pœnitentiam conferatur, non tamen meretur appellationem justitiæ originalis ob defectum aliorum donorum & perfectionum, quæ ab originali justitia includuntur. His prænotatis sit

2. CONCLUSIO. *Peccatum originale [intrinsecè contractum a parvulis] formaliter consistit in privatione justitiæ originalis, hoc est, gratiæ sanctificantis, ex primario fine DEO animam subjicientis, quatenus illa privatio est causata per inobedientiam Adami.*

Ita potior Thomistarum cum S. D. sic habente in terminis hic q. 8. a. 3. in c. *Privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur DEO, est formale in peccato originali.* Et pauló pòst: *Peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter verò est defectus originalis justitiæ.*

3. Probatur primò authoritate tum D. Anselmi, tum Tridentini. Nam ille l. de Conc. Virg. c. 26. ita loquitur. *Hoc peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam, quam supra posui, factam per inobedientiam Adæ justitiæ debitæ nuditatem.* Et Trid. sess. 5. in Decr. de pecc. orig. & sess. 6. cap. 3. dicit: *Peccatum originale inesse cuique proprium, parvulos propagatos ex Adamo, dum concipiuntur, propriam injustitiam contrahere, quam regenerationis lavacro necesse sit expiari.* Ex quibus sic infertur. Peccatum originale est id, quod inest cuique proprium, & per gratiam baptismi deletur: sed nihil aliud est assignabile intrinsecum animæ, quod per gratiam baptismi deleatur, quàm prædicta privatio justitiæ originalis: ergo.

Probatur secundò ratione. Macula, seu peccatum habituale formaliter consistit in privatione gratiæ, quatenus causata, & voluntaria ex actu præterito: sed peccatum originale parvulis intrinsecum est de genere peccati habitualis, ut constat: ergo consistit in privatione gratiæ, secundùm primarium effectum, [quem habet tanquam justitia originalis] animam DEO subjicientis, & in ipsum habitualiter convertentis: atqui non consistit in illa ut causata & voluntaria per actum personalem propriæ voluntatis: ergo in illa ut causata per Adami peccatum, quod physicè quidem spectatum erat actus Adamo proprius: moraliter verò erat pariter peccatum totius naturæ in Adamo tanquam capite contentæ. Major probata manet ex iis, quæ de peccati habitualis essentia sup. diximus. 4.

Probatur tertiò. Peccatum originale vel consistit formaliter in aliquo positivo, vel privativo. Non in positivo, tum, quia omne ens positivum est à DEO, nec potest habere formaliter rationem defectûs: tum quia illud positivum deberet esse intrinsecum animæ secundùm doctrinam Trident. atqui ea positiva, quæ sunt intrinseca animæ, non tolluntur per gratiam baptismi, siquidem fomes concupiscentiæ remanet in renatis: ergo necesse est, ut formaliter consistat in privativo: sed in nullo alio privativo, quàm justitiæ originalis secundùm primarium suum effectum animam DEO subjicientis, qui est ipsi communis cum gratia sanctificante: ergo.

Confirmatur. Illud peccatum ex Adamo parvuli contrahunt generatione, quod erat in Adamo habituale, & macula relicta ex primo peccato Adami: atqui illud erat privatio gratiæ tanquam justitiæ originalis: ergo hoc ipsum est originale contractum à parvulis. Major constat; nam peccatum originale est de genere peccati habitualis, ideoque à Trident vocatur mors animæ: ergo respondet habituali peccato Adami. Minor etiam patet: quia mors animæ in Adamo causata ex primo peccato fuit carentia & privatio justitiæ originalis, quatenus ex primario effectu animam DEO subjicientis, quo primario effectu sublato, aliæ mox deordinationes fuerunt secutæ.

Probatur 4. Explicata privatio justitiæ originalis habet omnia requisita ad formale constitutivum peccati originalis: ergo. Antecedens probatur. Nam primò est radix omnium aliarum imperfectionum, quæ ad peccatum originale quoquo modo reducuntur, ut explicat S. D. loc. cit. his verbis: *Per justitiam originalem perfectè ratio continebat inferiores animæ vires, & ipsa ratio a DEO perficiebatur ei subjecta. Hæc autem originalis justitia subtracta est per peccatum primi parentis, & ideo omnes vires animæ remanent quodammodo destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinatur ad virtutem, & ipsa destitutio vulneratio dicitur naturæ.* Item opusc. 192. *Quia*, inquit, *dicti status tam ordinata integritas tota causabatur ex subjectione humanæ voluntatis ad DEUM, consequens fuit, ut subducta humanâ voluntate à voluntate Divina, deperiret illa perfecta subjectio virium inferiorum ad rationem, & corporis ad animam*, &c. Secundò: quia ista privatio est vera animæ macula, & habitualis defor-

mitas. Tertiò: quia est aversio ab ultimo fine supernaturali, quemadmodum gratia est habitualis conversio in ipsum. Quartò: quia est voluntaria terminativè ex peccato Adami tanquam peccato totius naturæ. Ac Quinto: quia est delebilis per infusionem gratiæ baptismalis. Sextò: quia est privatio debitæ ordinationis habitualis in finem supernaturalem, & habitualis conformitatis cum lege supernaturali, quæ in gratia sanctificante consistit.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

5. Objicies primò authoritatem S. D. ad Annibaldum d. 30. a. 2. ubi dicit, quòd *peccatum originale consummativè est privatio justitiæ, & originaliter consistit in ipsa habitudine ad commutabile bonum ex peccato primi parentis relicta:* ergo non consistit formaliter in privatione. Item hîc cit q. a. 1. in c. peccatum originale dicit esse habitum, sicut est ægritudo. Et ad 1. vocat *habitum corruptum*, & languorem naturæ: sed ista dicunt aliquid positivum.

Respondeo ad 1. Tò originaliter accipi à S.D. pro materialiter & dispositivè. & Tò consummativè pro formaliter, ut verba superiùs allegata clarè explicant. Et ad alterum dico, ut priùs, peccatum originale à S. D. vocari habitum & languorem ex triplici causa: primò similitudinariè propter habitualem permanentiam, quam habet in anima adinstar cujuslibet peccati habitualis. Secundò causaliter; quia sublatâ justitiâ originali consequitur fomes concupiscentiæ, & inordinatio potentiarum, quæ pertinent ad materiale peccati originalis. Tertiò dicitur habitus materialiter, in quantum pro materiali habet *inordinatam dispositionem partium animæ*; sicuti morbus corporalis pro materiali dicit ipsos humores inordinatè dispositos, pro formali autem privationem, quâ tollitur æqualitas sanitatis, inquit S. D. cit. a. 1. ad 1.

6. Objicies secundò ex ratione, & quidem primò. Pœna peccati originalis non est originale peccatum: sed subtractio justitiæ originalis fuit facta in pœnam peccati Adami: ergo non est ipsum peccatum originale. Majorem habet S. D. q. 5. de malo a. 1. in c. sic concludens: *Conveniens pœna peccati originalis est subtractio gratiæ, & per consequens visionis Divinæ, ad quam homo per gratiam ordinatur.*

Secundò. Si DEUS parvulum per gratiam unionis hypostaticæ sanctificaret, sine infusione gratiæ habitualis, eò ipsò deleretur peccatum originale, & tamen non tolleretur privatio gratiæ sanctificantis: ergo peccatum originale est separabile à privatione gratiæ, & consequenter non potest formaliter in illa consistere.

Tertiò. Si peccatum originale formaliter consisteret in privatione justitiæ originalis, tunc eò ipsô, quòd per baptismum deleatur peccatum originale, restitueretur justitia originalis: sed hoc non fit: ergo. Sequela patet: quia privatio formæ non tollitur nisi per formam oppositam; si ergo aufertur privatio justitiæ originalis, conferri debet ipsa justitia originalis.

Quartò. Peccatum originale adæquatè sumptum non minùs dicit conversionem ad bonum commutabile, quàm aversionem ab ultimo fine: ergo adæquatè non consistit in sola privatione.

Respondeo ad 1. ut sup de peccato habituali, subtractio seu privatio justitiæ originalis facta est in pœnam peccati, ut est negatio physicè spectata, & à DEO per subtractionem influxûs, concedo; ut privatio moraliter spectata, & causata ex peccato Adami, nego. Item; est pœna, quantum ad effectus secundarios, qui sunt subjectio appetitûs inferioris ad superiorem, exemptio à morte, & infirmitatibus, concedo; quantum ad effectum primarium, qui est subjectio animæ ad DEUM, nego: eodemque modo distincto consequente, nego consequentiam. 7.

Ad 2. nego antecedens, etiamsi enim in illo casu non daretur parvulo gratia sanctificans, ut in se, daretur tamen ut eminenter contenta in superiori dono gratiæ hypostaticæ. Unde si dicas: privatio non tollitur nisi per formam oppositam: sed forma opposita est gratia: ergo privatio non tollitur nisi per infusionem gratiæ; sed hæc non infunditur ex hypothesi: ergo. Respondeo distinguendo Minorem: forma opposita est gratia vel formaliter, vel eminenter talis, concedo; solùm formaliter talis, nego: ergo non tollitur nisi per infusionem gratiæ, nisi hæc suppleatur per gratiam superiorem & substantialem, concedo; si suppleatur, ut contingit in hypothesi, nego consequentiam.

Ad 3. distinguo majorem, restitueretur justitia originalis, quoad aliquem & primarium effectum, qui est subjectio mentis ad DEUM, concedo quoad omnes secundarios effectus, priùs memoratos, nego.

Ad 4. distinguo antecedens; peccatum originale adæquatè sumptum, hoc est, tam quoad partem materialem, quàm formalem, dicit habitudinem ad commutabile bonum, concedo; inadæquatè sumptum, quantum ad rationem formalis constitutivi, nego; & pariter distincto consequente, etiam nego consequentiam.

Ex dictis colliges, quòd peccatum originale sit idem specie atoma, & æquale in omnibus hominibus, siquidem & causa, nimirum Adami peccatum, & forma huic privationi opposita, videlicet justitia originalis, & pœna damni, quæ pro peccato originali infligitur, eadem specie est in omnibus. 8.



DISPU-

DISPUTATIO XXIX.

DE Subiecto peccati originalis. ad q. 83.

NOmine subjecti venit tam proximum quàm remotum. Remotum dicimus ipsam personam, & suppositum, quod originali peccato inficitur: de quo certum est ex antè dictis, omnes homines ex Adamo per generationem propagatos eodem inquinari, nisi speciali privilegio muniantur: quâ occasione quæritur, an Beatissima Virgo non tam ab ipso peccato originali [id quippe jam in tota Ecclesia receptissimum est] quàm ab ejus debito proximo incurrendo privilegium obtinuerit. Cùm verò persona hominis constet diversis partibus, & substantialibus, puta anima & corpore, & accidentalibus, puta potentiis, quæritur, secundùm quam partem originale peccatum in homine proximè & immediatè subjectetur?

ARTICULUS I.

Quodnam sit proximum subjectum peccati originalis.

SUMMARIA.

1. *Diversa consideratio peccati originalis.*
2. *Peccati originalis formaliter sumpti immediatum subjectum est anima.*
3. *Quoad effectus & proprietates etiam recipitur in potentiis animæ.*
4. *Per justitiam originalem voluntas DEO subjicitur radicaliter & mediante charitate.*
5. *Peccatum originale integraliter sumptum inficit potentias animæ.*
6. *Omnis culpa est voluntaria mediante voluntate tanquam causâ, non semper tanquam subjecto.*

§. I.

Sententia D. Thomæ.

1. POtest peccatum originale considerari vel essentialiter, vel secundùm effectum formalem primarium, vel integraliter secundùm suas proprietates, & effectus secundarios, quemadmodum & justitia originalis hoc modo spectari potest. Essentialiter & secundùm effectum primarium est privatio gratiæ tanquam habitualis subjectionis ad DEUM, integraliter & secundùm suos effectus secundarios, seu ut vocat Angel. Doctor, materialiter importat fomitem concupiscentiæ, & vulnenera potentiarum, de quibus in Tract. de gratia. Quo posito sit

2. CONCLUSIO. *Peccatum originale secundùm suam malitiam essentialem proximè & immediatè recipitur in ipsa substantia animæ: diffusivè tamen secundùm suas proprietates, & effectus etiam recipitur proximiùs in voluntate, & remotiùs in aliis potentiis.* Ita deducitur ex hac quæstione 83. S. D.

Prima pars probatur primò. In illo subjecto immediatè recipitur peccatum originale quoad suam essentiam, in quo est effectus formalis ipsius: sed ipsius formalis effectus est immediatè & proximè in animæ substantia; ergo & peccatum formale. Minor probatur. Cùm juxta præced. disp. peccatum originale formaliter consistat in privatione justitiæ, sive gratiæ sanctificantis tanquam habitualis subjectionis animæ ad DEUM; ideo ipsius formalis effectus est privare animam formâ gratiæ sanctificantis: sed iste immediatè recipitur in anima, sicut & forma opposita, per quam hæc privatio formaliter expellitur, nempe gratia sanctificans, immediatè recipitur in anima: ergo formalis effectus peccati originalis in anima recipitur.

Probatur secundò ratione Angel. Doctoris. Secundùm illam partem anima immediatiùs recipit culpam originalem, secundùm quam immediatiùs & proximiùs unitur corpori: sed secundùm ipsam substantiam anima immediatiùs unitur corpori; non enim anima mediantibus potentiis, sed potentiæ mediante substantia animæ corpori uniuntur: ergo anima culpam originalem secundùm ipsam suam substantiam immediatè & proximè recipit. Major probatur. Culpa originalis derivatur in animam per generationem unitivam animæ cum corpore, unde secundùm hoc concipitur anima primò receptiva culpæ originalis, secundùm quod primò concipitur unita corpori: sed secundùm ipsam substantiam, quæ per actionem unitivam immediatè & per se primò intenditur, concipitur anima primò unita corpori: ergo secundùm ipsam substantiam primò & immediatè recipit anima culpam originalem.

Secunda pars probatur. Sicut justitia originalis per virtutes supernaturales tanquam suas proprietates rectificabat animæ potentias, easque DEO subordinabat, & quidem proximè ipsam voluntatem mediante habitu charitatis, quo convertebatur in DEUM ut ultimum finem: appetitum verò sensitivum per specialem vigorem ex se diffusum subjiciebat rationi: sic ex opposito peccatum originale, quòd primariò & immediatè privet ipsam animam habituali subjectione, & ordinatione ad DEUM, secundariò privat potentias animæ, & maximè voluntatem habituali conversione 3.

versione ad DEUM ut ultimum finem: ipsum verò appetitum sensitivum illo vigore, quo subjiciebatur rationi: ergo sicut justitia originalis primariò & principaliter in animæ substantia, diffusivè verò & quasi integraliter per suas proprietates in animæ potentiis recipitur; ita pariter originale peccatum primariò & immediatè in animæ substantia, diffusivè autem & secundariò secundùm suos effectus in animæ potentiis recipitur: Unde sunt illa animæ vulnera; malitia in voluntate, ignorantia in intellectu, fomes concupiscentiæ in appetitu sensitivo. De quibus in Tract. de grat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

4. Objicies primò authoritatem D. Th. hìc q. 82. a. 3. in c. dicentis: *Sic ergo privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur DEO, est formale in peccato originali; omnis autem alia inordinatio virium animæ se habet in peccato originali sicut quoddam materiale.* Ex quo sic arguitur. Justitia originalis, quatenus voluntatem DEO subjiciens est in ipsa voluntate: ergo etiam privatio justitiæ, quatenus voluntatem DEO subjicientis, est in ipsa voluntate: sed juxta D. Th. formale peccati originalis est privatio justitiæ ut voluntatem DEO subjicientis: ergo formale peccati est in voluntate, non in substantia animæ.

Respondeo. Tò *per quam*, intelligi radicaliter & causaliter, non formaliter; sicut etiam Tò *subdebatur* intelligendum est consecutivè per modum primæ proprietatis. Unde ad argumentum distinguo antecedens: justitia originalis quatenus voluntatem DEO subjiciens est in ipsa voluntate, est secundùm effectum secundarium, & consecutivè concedo; secundùm effectum primarium, nego: eodemque modo distinguo consequens. Subsumptum quoque distinguo. Secundùm S. Doctorem formale peccati originalis est privatio justitiæ, quatenus voluntatem DEO subjicientis causaliter & radicaliter per effectum secundarium, concedo; formaliter & per effectum primarium, nego subsumptum & consequentiam.

5. Objicies secundò eundem S. D. cit. q. a. 2. ad 3. *quòd peccatum originale inficit diversas partes animæ, secundùm quod sunt partes unius totius, sicut & justitia originalis continebat omnes animæ partes in communi.* Ergo sentit S. D. quòd peccatum originale non tantùm sit in anima, sed etiam in partibus, hoc est, potentiis ipsius.

Respondeo, sensum S. Doctoris sufficienter colligi ex adjuncta comparatione cum justitia originali. Itaque sensus est: Peccatum originale integraliter sumptum, tam secundùm secundarios, quàm primarios effectus, tam secundùm proprietates, quàm secundùm essentiam non tantùm afficere substantiam animæ, sed etiam potentias ipsius; sicuti in eodem sensu hoc præstat justitia originalis, quo non obstante idem peccatum metaphysicè formaliter, & essentialiter sumptum est in sola animæ substantia: unde illo ipso art. in corpore dicit: quòd *omnis alia inordinatio virium animæ [præter privationem justitiæ, per quam voluntas DEO subdebatur] se habet in peccato originali, sicut quoddam materiale.*

Objicitur tertiò: Anima non est capax culpæ, nisi mediante voluntate: ergo culpa originalis per prius in voluntate, quàm in anima recipitur. Antecedens probatur. Nullum voluntarium recipitur in anima, nisi mediante voluntate: sed omnis culpa etiam originalis, est voluntaria: ergo nulla culpa nisi mediante voluntate in anima recipitur. 6.

Respondeo, negando antecedens, ejusque probationem distinguo. Nullum voluntarium recipitur in anima, nisi mediante voluntate, tanquam causa quasi efficiente, concedo; tanquam subjecto, nego: ergo nulla culpa nisi mediante voluntate tanquam causâ in anima recipitur, concedo, sic enim voluntate Adami mediante macula originalis contrahitur; tanquam subjecto, nego consequentiam.

Instas. In causis immanenter operantibus, idem est subjectum termini & operationis: [sicut ideo verbum mentis est in intellectu, & impulsus in voluntate] ergo sicut malitia actualis peccati immediatè recipitur in voluntate, sic etiam malitia habitualis peccati tanquam terminus illius; & consequenter culpa peccati originalis mediante voluntate non solùm ut causa, sed etiam ut subjecto in anima recipitur.

Respondeo, distinguendo majorem. In causis immanenter positivè effectivè & directè causantibus terminum, idem est subjectum operationis & termini [quod probant instantiæ adductæ] concedo majorem; privativè, defectivè & indirectè causantibus, nego antecedens & consequentiam: quia per peccatum actuale non nisi defectivè, privativè & indirectè causatur privatio gratiæ sanctificantis, quæ est macula peccati habitualis terminativè voluntaria, in quantum voluntaria aversio ab incommutabili bono ratione directæ oppositionis cum efficaci conversione ad illud habet indirectam, sed tamen metaphysicam repugnantiam & incompossibilitatem cum gratia Divina: de quo in Tract. de gratia.

ARTICULUS II.

Utrùm Beatissima Virgo Maria contraxerit debitum peccati originalis?

SUMMARIA.

1. *Quid intelligendum nomine Immaculatæ Conceptionis?*
2. *Quanta certitudo Immaculatæ Conceptionis?*
3. *Admittendum in B. Virg. aliquod debitum.*
4. *Divisio debiti in proximum & remotum.*
5. *Utriusque debiti differentia.*
6. *Sententia negans debitum probatur authoritate:*
7. *Et ratione.*

8. Con-

8. *Contraria statuitur, & probatur authoritate.*
9. *Occurritur evasioni Adversariorum.*
10. *Opponitur authoritas SS. PP.*
11. *Mors & propagatio probant debitum proximum.*
12. *Item solius Christi exceptio, & ratio exceptionis.*
13. *Stante pravisione Christi post peccatum non potest negari debitum proximum.*
14. *Sine debito proximo non bene salvatur Christi redemptio.*
15. *Responsio Adversariorum refellitur.*
16. *Debitum proximum probatur ex gratia praeservativa.*
17. *Responsio Adversariorum refutatur.*
18. 19. *Decretum seu pactum conditionatum sub obligatione meritorum Christi est impossibile.*
20. *A posteriori probatur debitum proximum peccati.*
21. *Beatissima Virgo non comprehenditur sub lege communi quoad executionem & actualem contradictionem.*
22. *Opposita authoritates exponuntur.*
23. *Peccare in Adamo non est vera intrinseca macula.*

§. I.

Praesupposita.

1. Suppono primò: Nomine Immaculatae Conceptionis debere intelligi infusionem animae B. V. in instanti debitae organizationis factam cum omnimoda exclusione peccati originalis: nam iste sensus DD. de hoc mysterio loquentium in cathedris; iste sensus fidelium illud venerantium in templis; iste Summ. Pontiff. & Ecclesiae sensus in approbatione officii de Immacul. Concept. ubi habentur haec verba: *Tota pulchra es amica mea, & macula originalis non est in te.* Item: *In tua conceptione Virgo immaculata fuisti.* Unde etiam Sixtus IV. & Gregor. XV. prohibuerunt uti nomine Sanctificationis, aut alio quocunque, quàm Conceptionis.

2. Suppono secundò: Veritatem Immaculatae Conceptionis DEI Genitricis tanquam moraliter [licèt nondum de fide] certam, quantâ nempe certitudine certum est, Beatissimam Virginem esse in sanctitate natam, & cum corpore in coelum assumptam; siquidem Ecclesia non minùs festum Immaculatae Conceptionis toto orbe celebrandum festivo cultu proponit, quàm festa Nativitatis & Assumptionis; suntque in honorem, & sub patrocinio Immaculatae Conceptionis institutae sacrae familiae, sodalitates, officia, concessae pro iisdem Indulgentiae, &c. ex quo moralis certitudo hujus piae sententiae deducitur argumento nostri Ludovici Blosii in sac. an. fid. c. 5. *Quidquid Ecclesia Catholica universaliter colendum proponit, est certò verum & sanctum:* sed Ecclesia Catholica Conceptionem B. V. tanquam immaculatam & sanctam universaliter colendam proponit & praecipit, non minùs quàm Nativitatem, ejusque in Coelum Assumptionem: ergo est certò talis. Huic festo initium dedêre in Hispania S. Ildefonsus, in Anglia Anselmus SS. PP. & Patres Benedictini. Ille in l. de perpet. Virg. pro Immaculata Conceptione sic loquitur: *Maria verò, quia benedicta, culpam corruptionis non habuit, propterea Christum non in dolore, nec sub corruptione genuit.* S. verò Anselmus l. de Conceptu Virg. c. 5. in illud Apostoli Rom. 5. *in quo omnes peccaverunt*, ista habet: *Vera utique sententia, & cui contradicere nefas esse pronuntio: sed cùm eminentiam gratiae DEI in te considero, sicut te non intra omnia, quae facta sunt, inaestimabili modo contueor, sic nec lege aliorum in tua formatione demetitam fuisse opinor, singulari & humano intellectu impenetrabili Divinitatis virtute & operatione ab omni peccati adjunctione liberrima.* Et c. 18. *Quia decebat, ut conceptio purissima foret; nempe decens erat, ut eâ puritate, quâ major sub DEO nequit intelligi, Virgo illa niteret.* Cùm ergo totius Ecclesiae communis consensus pro veritate Immaculatae Conceptionis conspiret, luculenti de eadem veritate libri sint editi, & à Summ. Pontiff. impositum contrariae opinioni silentium: quia nimirum, ut inquit D. August. epist. 118. c. 5. *de eo, quod universa Ecclesia facit, disputare, insolentissima insania est*; Hinc relictâ hujus veritatis ulteriori probatione alteram quaestionem discutiendam suscipimus, an Beatissima V. habuerit debitum contrahendi peccatum originale proximum vel remotum? Ubi

Suppono tertiò. Cùm sit de fide, Beatissimam Virginem non minùs, quàm alios homines fuisse verè & propriè à Christo redemptam, ipsique omnem sanctitatem & praedestinationem esse fundatam in meritis Christi, ideo necessariò admittendum esse aliquod saltem debitum contrahendi peccatum originale, cùm hoc sit redemptionis objectum, &, ut inquit S. D. in 4. d. 43. a. 4. ad 3. *dimissio debitorum, & liberatio à malo non possit intelligi, quòd aliquis sine debito, vel immunis à malo nascatur.* Unde etiam in precatione offic. Immacul. Concept. annexa dicitur: *Qui ex morte Filii tui praevisa eam ab omni labe praeservâsti.* 3.

Caeterùm istud debitum à Recentioribus distingui coepit in debitum proximum & remotum. 4. Proximum ille habere dicitur, qui in Adamo tanquam capite morali totius humanae naturae vi pacti & decreti Divini contentus, per Adami peccatum jus amisit in sua conceptione recipiendi gratiam & justitiam originalem, & necessitatem contraxit habendi maculam peccati originalis, seu privationem justitiae originalis, nisi speciali privilegio eximatur, & à tali macula praeservetur. Qua de causâ habentes debitum proximum, dicuntur in Adamo peccâsse, non quasi in seipsis intrinsecè aliquam peccati maculam contraxerint; sed quia propter primum Adami peccatum tota universitas hominum seu natura ex Adamo propaganda amisit jus justitiae originalis, & deberet suo tempore vi naturalis propagationis in omnibus & singulis suis membris concipi intrinsecè inquinata privatione justitiae originalis. Debitum remotum habere dicitur, qui quidem debuisset includi in generali pacto & decreto de amissione justitiae originalis, & transfusione peccati, actu tamen non fuit inclusus, eò quòd sub conditione meritorum Christi talis persona fuerit excepta à generalitate legis, quoad partem saltem odiosam de transfusione peccati.

5. Unde prima differentia inter utramque sententiam est, quòd in prima sensus decreti Divini est iste: Ego te Adame nunc constituo caput totius generis humani, ita, ut non tantùm omnes homines à te naturam, sed etiam hanc felicitatem, justitiamque, in qua te collocavi, & tandem vitam æternam accipiant, si in observantia meorum præceptorum perseveraveris. Si verò præceptum meum prævaricatus fueris, peccatum tuum non tibi tantùm, sed & omnibus ex te nascituris sit in ruinam, amissionem hujus justitiæ, felicitatis, immortalitatis atque exclusionem à vita æterna. Altera verò sententia pacto adjicit conditionem, idque sic exponit: Ego volo, ut tua voluntas sit moraliter voluntas omnium posterorum tam in ordine ad transfundendam justitiam, si perseveràris, quàm ad transfundendam malitiam, si peccaveris, exceptâ hâc personâ individuâ, si pro ipsa Christus voluerit offerre sua merita, ubi quidem per generalitatem pacti Beatissima V. fuisset comprehendenda sub Adamo tanquam capite morali quoad partem odiosam de transfusione peccati, si Christus sua merita non obtulisset [quod vocant debitum remotum] ne tamen actu comprehenderetur sub ipso, atque ita cum tota natura haberet necessitatem contrahendi peccatum [quod est debitum proximum] sufficienter cautum fuit in virtute exceptionis & conditionis oppositæ, per quam etiam sufficienter dependebat à meritis & redemptione Christi.

Secunda differentia est, quòd prima sententia admittit, Adamum fuisse caput morale respectu Beatissimæ Virginis, eamque in Adam peccâsse; hoc enim non significat aliquem defectum actualem intrinsecè maculantem, aut inhærentem, sed solùm potentiam & debitum contrahendi per extrinsecam denominationem à peccato Adami, prævisum in signo antecedente prævisionem omnis maculæ actu contractæ, & intrinsecè receptæ. Unde aliud est dicere, Adamum in Beatissima Virgine non peccâsse, & aliud, B. V. in Adamo non peccâsse: nam prima propositio tantùm significat, quòd B. V. de facto non incurrerit labem originalem propter Adami prævaricationem, altera verò significat, B. V. ne quidem propter Adami peccatum amisisse jus ad gratiam, aut habuisse debitum incurrendi hanc maculam.

Tertia differentia est, quòd prima sententia admittit, B. V. comprehensam fuisse sub pacto Divino tam quoad partem favorabilem de transfusione justitiæ, quàm quoad partem odiosam de transfusione peccati: & ideo absolutè concedit, B. V. fuisse filiam Adæ tam naturaliter, quàm moraliter. At verò secunda sententia admittit fuisse comprehensam sub pacto quoad partem favorabilem, quoad partem verò odiosam dicit fuisse non actu comprehensam, sed tantùm comprehendendam, si Christus sua merita pro B. V. non obtulisset.

Quarta differentia est, quòd secunda sententia necessariò præsupponit Christi existentiam prævisam in Divina scientia, antecedenter ad prævisionem peccati Adami, nam prius naturâ concipitur pactum cum Adamo initum, quàm lapsus Adami: atqui in pacti ipsius conditionali clausula [si Christus sua merita obtulerit] jam supponitur existentia Christi: ergo hæc etiam supponitur ante prævisionem & existentiam peccati. Prima verò sententia hanc prioritatem nequaquam supponit: neque tenetur admittere. His ita positis sit

§. II.

Proponitur sententia negans debitum proximum.

PRo prima & negante sententia, quæ nostrâ primùm tempestate invaluit, Salmanticenses referunt, Lezanam, Granadum, Penalosam, & quosdam alios. Citantur etiam pro hac sententia Scotistæ in communi; sed an verè? infrà videbimus. 6.

Probatur primò: Lex incurrendi peccatum originale non est lata pro Virgine: ergo non habuit debitum proximum. Antecedens probatur ex quodam Responsorio Officii à Sixto IV. in Extrav. cùm præcelsa. de Reliq. & vener. SS. ubi locus Script. Esther 15. *Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*; ita Virgini mysticè applicatur: *Omnes moriemini, quia in Adam peccavistis; tu verò ne timeas, ô Maria, invenisti gratiam apud DEUM; non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Accedit authoritas D. Anselmi dicentis: *Sic te nec lege aliorum in tua formatione demeritam fuisse opinor*: ergo fuit exempta à lege.

Secundò. In antiph. superiùs relata dicitur: *Eam ab omni labe præservâsti.* Sed DEUS non præservâsset ab omni labe, nisi Virginem præservâsset, ne peccaret in Adamo: ergo. Huc pertinet illud D. Anselmi de Concept. Virg. c. 18. *Deipara eâ puritate nitere debet, qua sub DEO major nequit intelligi.* Sed major utique est puritas, si Beatissima Virgo non peccavit in Adamo, adeòque careat debito proximo peccati: ergo. S. Ildefonsus quoque l. de Virg. Mariæ dicit: Eam *in totum fuisse extraneam à maledicto primæ damnationis*: sed non fuisset in totum extranea, si saltem peccâsset in Adamo. D. Cyprianus serm. de Nativitate Christi inquit: *Innoxiam affligi non decuit; nec sustinebat justitia, ut illud vas electionis communibus laxaretur injuriis, quoniam plurimùm à cæteris differens naturâ communicabat, non culpâ*: ergo debebat eximi à culpa Adami omnibus communi. D. Augustinus l. de nat. & grat. cap. 36. *Exceptâ itaque S. Virgine MARIA, de quâ propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem; inde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Probatur tertiò. Maximè decuit Beatissimam Virginem præservari etiam à debito peccati; idque DEUS potuit: ergo præsumendum est, à DEO fuisse præservatam. Antecedens quoad primum membrum probatur primò: quia est magna vilitas habere necessitatem incurrendi peccatum: & quidem major vilitas & turpitudo, quàm habere fomitem peccati: quia iste tantùm inclinat in materiale peccati: illa verò etiam necessitat ad formale peccati: ergo sicuti decuit

Beatam

Beatam Virginem liberari à fomite peccati, & ab actuali contractione peccati originalis, quia utrumque est magna deformitas; ita etiam decuit illam à debito proximo peccati liberari.

Alterum membrum antecedentis etiam ostenditur: Siqua foret ratio, cur DEUS juxta ordinem præsentis Providentiæ non potuisset Virginem liberare à debito proximo, esset ista, quòd juxta hunc ordinē deberet esse redempta per mortem & Sanguinem Christi; non autem esset redempta, quia pactum Divinum cum Adamo, & prævisio seu permissio peccati originalis est prior prævisione mortis & passionis Christi: Si ergo B. V. fuisset exempta à pacto & peccato Adami, fuisset liberata antecedenter, adeòque independenter ad mortem & passionem Christi, nec proinde propriè foret redempta. Sed hæc ratio nil obest: ergo. Minor probatur. Potuit Decretum Divinum, seu pactum cum Adamo initum esse conditionatum circa personam B. Virginis, hoc modo, ut DEUS diceret: Volo ut Adami voluntas sit moraliter voluntas omnium ipsius posterorum, sive ad transfundendam justitiam, sive ad transfundendam culpam; exceptâ tamen hâc determinatâ personâ, si Christus [qui in ordine intentionis supponitur priùs prævisus & intentus] pro illa sua merita offerre voluerit. Sed hoc casu Virgo Beatissima est propriè redempta, quia quamvis ipsi per appositam conditionem cavebatur, ne actu esset comprehensa in illo pacto, quoad partem odiosam de transfusione peccati: tamen etiam pro illo signo nondum erat actu liberata, sed primùm pro signo posteriori, quo Christus pro ipsius præservatione obtulit sua merita, ac proinde fuit dependenter à meritis Christi præservata.

Si dicas. B. V. pro illo signo, quo pactum cum Adamo fuit prævisum, & decretum, ab illo non fuit actu exempta: ergo fuit actu comprehensa. Nego consequentiam. Tantùm enim sequitur fuisse comprehendendam, nisi Christus sua merita offerret. Cùm autem in signo posteriori Christus obtulit sua merita, purificata conditio de præsenti dedit effectum etiam pro præterito, sive pro illo signo, in quo erat prævisio pacti cum Adamo: ita enim & in humanis contractibus, aut pactis usuvenit, ut ratihabitio, vel aliqua conditio impleta det effectum præteriti, & retrotrahatur ad tempus initi contractûs, pacti &c. juxta textum in L. potior 11. §. 1. ff. *qui potiores in pignore:* ubi dicitur: *Cùm semel conditio extiterit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.*

Confirmatur primò: Magìs dedecet B. Virginem in Adamo peccâsse, quàm aliquando peccâsse venialiter: ergo si dignitas maternitatis ipsam eximit ab omni culpa veniali; multò magìs à peccato in Adam commisso.

Confirmatur secundò. Est offensio piarum aurium, dicere, quòd Beatiss. Virgo in Adamo peccaverit, adeòque fuerit peccatrix, maculata, immunda, DEO inimica, &c. sed hæc offensio non aliter evitatur, quàm si negetur debitum proximum: ergo non est asserendum.

Confirmatur tertiò. Argumenta, quæ probant immunitatem B. V. ab actuali contractione peccati originalis, probant etiam immunitatem à debito illius; & econtra, quæ oppugnant immunitatem à debito, pariter oppugnant immunitatem ab ipso peccato originali: ergo pro majori confirmatione piæ & receptissimæ sententiæ, de Beatissimæ Virginis immunitate à peccato originali, tenendum est, ipsam pariter immunem fuisse à debito peccati originalis.

§. III.

Præfertur sententia affirmans debitum proximum.

CONCLUSIO. *Virgo Beatissima non fuit exempta à debito proximo peccati originalis.* Est communissima doctrina tam SS. PP quàm Theologorū, quorum plurimos vide apud Salmanticenses. tr. 13. disp. 15. dub. 4. §. 3. & 4. Ipse etiam Scotus, insignis propugnator Immaculatæ Conceptionis, verbis admodum claris in nostram concedit sententiam: nam in 3. dist. 3. q. 1. cùm Authoritates PP. quæ adversari videntur, retulisset, subjicit: *Ita exponendæ sunt auctoritates, quòd omnes naturaliter propagati ab Adam sunt peccatores, id est, ex modo, quo habent naturam ab Adam, habent unde careant justitiâ debitâ, nisi eis aliunde conferatur.* Hanc quoque sui Subtilis Doctoris mentem fuisse, agnovit ipsius Scholiastes Hugo Cavellus: *Docet,* inquit, *modum solvendi omnes Sanctorum authoritates, quæ universaliter neminem excipiunt ab originali, quia intelliguntur quoad debitum: omnes enim naturaliter concepti, habent unde contrahant originale ex vi suæ conceptionis, nisi ex privilegio aliquis eximatur,* &c. 8.

Si dicas: Scotum loqui de necessitate contrahendi peccatum originale solùm *in radice,* moves quæstionem de nomine: quod enim *in radice* appellas, hoc ego eodem jure & sensu voco *in debito.* Et ideo hanc utramque vocem, tanquam synonymam conjunxit ex eadem schola præclarus Doctor, & Ecclesiastes Didacus de la Vega in Conc. Dom. Pass. dicens: *DEIpara Virgo MARIA etsi peccatum nullum sive originale, sive actuale habuerit, contraxit tamen illud* NB. *in radice, & in debito.*

Probatur authoritate simul & ratione primò. Beatissima Virgo peccavit in Adamo: ergo habuit debitum proximum. Antecedens probatur primò: quia Apostolus eâdem universalitate loquitur de morte, & peccato hominum in Adamo, quâ loquitur de reparatione hominum per mortem & redemptionem Christi. Inde enim 2. Corinth. 5. facit hanc consequentiam: *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Rom. 3. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ DEI.* Ibidem c. 5. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ* &c.

Secundò, quia teste Jo. à S. Th. Pelagius in Concilio Palæstino fuit jussus abjurare istum articulum, *quòd per mortem, & prævaricationem Adam non omne genus humanum moriatur.*

Dices. Sicut est fundamentum excipiendi B. V. ab universalibus locutionibus adstruentibus actualem contractionem peccati originalis; sic pariter

pariter esse fundamentum eandem excipiendi à debito proximo: ideoque sufficere ad veritatem illarum propositionum, quòd B. V. debuisset in *A*damo peccare, nisi fuisset excepta in pacto conditionato.

Sed contrà est primò. Quòd fundamentum eximendi B. V. à peccato originali actu contracto præbet ipsemet *A*postolus, cùm dicit Rom. 5. *In quo* [hoc est *Adam*] *omnes peccaverunt.* Per quæ expressè significat, se loqui de peccato *A*dami comprehendente totum genus humanum, quo omnes homines extrinsecè denominantur peccatores in *A*damo, & debitores ipsam intrinsecam maculam peccati in sua conceptione contrahendi, adeòque etiam reliqua, quibus affirmat, *omnes esse mortuos*, commodè exponuntur de morte, vel in se, vel in Adamo: Atqui nullum præbet fundamentum eximendi B. V. à debito proximo, sive à morte & peccato in *A*damo commisso: imò destruit omne tale fundamentum. Nam primò idem Apostolus Rom. 3. *Justitia DEI*, inquit, *per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum; non enim est distinctio, omnes enim peccaverunt, & egent gloriâ DEI*, hoc est, interprete D. August. l. 2. hypogr. gratiâ justificationis. Et c. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Ubi Apostolus negat esse faciendam distinctionem & exceptionem à necessitate salutis, & justificationis accipiendæ per fidem in Christum: eò quòd omnes peccaverint: ergo cùm B. V. non excipiatur ab universalitate eorum, qui justificari debent per fidem in Christum, pariter non debet excipi ab universalitate eorum, qui peccaverunt in Adamo: cùm aliàs causalis Apostoli non subsisteret. Rursus sicut in priori textu Apostolus conjungit universalitatem salvandorum per fidem in Christum cum universalitate peccantium, sic in secundò conjungit universalitatem morientium, cum universalitate eorum, qui peccaverunt. Unde sicuti nullum est fundamentum excipiendi Beatissimam Virginem ab universalitate morientium, cùm actu subierit mortem, ita neque ab universalitate eorum, qui in *A*damo peccaverunt.

Secundò. Eodem c. 5. eâdem omnino extensione & universalitate comprehendit peccatores in Adamo, & justificatos per Christum, institutâ comparatione inter meritum Christi, & peccatum *A*dami: *Sicut*, inquit, *per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem:* ergo sicuti B. V. non potest excipi ab universalitate secundæ propositionis, ita nec primæ.

Tertiò 1. Corinth. 15. *Per hominem*, inquit, *mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Ubi Apostolus de omnibus, qui in Christo sunt resurrecturi, eâdem extensione & universalitate in *A*damo per peccatum mortuos esse affirmat.

10. Contrà est secundò: quòd in SS. Scripturarum expositione standum est communi doctrinâ, & sensu SS. PP. sed isti ab universalitate Apostolicæ doctrinæ de peccato & morte in *A*damo solum Christum excipiunt, imò expressè B. V. comprehendunt: ergo B. V. non potest excipi à debito proximo contrahendi peccatum originale. Minor probatur. Nam D. *A*ugustinus exponens textum *A*postoli proximè allegatum l. 6. cont. Julianum c. 12. *Omnes ergo*, inquit, *ad mortem per Adam, omnes ad vitam per Christum; quia sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur, id est, ex prima origine generis humani nemo ad mortem, nisi per Adam, & nemo per Adam, nisi ad mortem: & nemo ad vitam, nisi per Christum, & nemo per Christum nisi ad vitam*: ergo sicuti Christus omnibus ex se regenerandis est causa vitæ; sic *A*damus omnibus ex suo semine generandis fuit causa mortis. Hoc ipsum colligit præfatus S. Pater ex consequentia, quam habet *A*postolus 2. Corinth. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Nam l. 20. de Civit. c. 6. ita exponit: *Omnes mortui sunt in peccato, nemine prorsus excepto.* Et loco cit. c. 1. *Per hoc unus*, inquit, *pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt, ostendens fieri non potuisse ut moreretur, nisi pro mortuis. Ex hoc enim probavit omnes esse mortuos, quia pro omnibus mortuus est unus. Vide, quia consequens esse voluit; ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est*, &c.

Idem D. August. sup. psal. 34. conc. 2. ad illa: *Ego autem cùm mihi molesti essent* &c. ita loquitur. *MARIA ex Adam mortua propter peccatum Adæ, Adam mortuus propter peccatum, & caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata.* Unde

Probatur secundò nostra conclusio. Si B. Virgo caruisset debito proximo, tunc fuisset immunis à morte, neque caro ipsius fuisset ex propagatione peccati: consequens est absurdum & repugnat dictis SS. PP.: ergo & antecedens. Sequela quoad primum membrum probatur ex D. *A*ugustino tum in textu primùm adducto, ubi dicit, *Mariam mortuam propter peccatum Adæ*, tum in l. 4. cont. 2. epistolas Pelagii c. 4. *Pati mortem sinè meritis mortis de uno solo Mediatore DEI & hominum homine Christo JESU Catholica fides novit.* Et l. 2. de pecc. merit. c. 35. *Teneamus indeclinabilem fidei confessionem; solus unus est, qui sine peccato mortuus est propter nostra peccata:* ergo juxta D. *A*ugustinum præter unicum mediatorem Christum omnes alii, quicunq; mortem subeunt, illam subeunt ex meritis mortis. Et quomodo ex meritis, nisi ex peccato *A*dami tanquam causa demeritoria? adeòque & B. Virgo comprehensa erat in ista causa demeritoria mortis. 11.

Quoad secundum membrum probatur eadem sequela, quia ex nulla alia ratione potest dici caro esse ex propagatione peccati, nisi quia generatur virtute seminis corrupti, & privati vigore propagandi justitiam originalem, vel quia generatio trahit secum inquinamentum peccati, nisi divinitus impediatur: atqui ista privatio dependet à peccato *A*dami tanquam causa morali: ergo sublato influxu morali ex peccato *A*dami (uti fit in sententia negante debitum proximum] consequens est, ut etiam caro non generetur ex propagatione peccati. Minor principalis quoad

mortem

mortem est certa: quoad propagationem probatur pariter authoritate D. Augustini l. 10. de Gen. ad litter. c. 18. ubi ait: *Quid coinquinatius illo utero Virginis, cujus caro* NB, *etiamsi de peccati propagatione venit, non tamen de peccati propagine concepit.* Et S. Fulg. l. de Inc. Chr. c. 6. *Hæc est gratia, quâ factum est, ut DEUS, qui venerat peccata tollere, homo conciperetur, atque nasceretur in similitudine carnis peccati de carne peccati. Caro quippe MARIÆ, quæ in iniquitatibus fuerat humanâ solemnitate concepta, caro fuit utique peccati, quæ Filium DEI genuit in similitudinem carnis peccati.*

12. Roboratur prædictum argumentum primò: Exceptio alicujus à lege communi firmat regulam in contrarium, præcluditque locum, ne quis alius intelligatur exceptus; ut est receptum juris principium l. *quæsitum* 12. §. *idem respondit. L. cùm de lanionis* 17. §. *si quis fundum. ff. de fundo instructo. L. ex eo* 18. *ff. de testibus.* Cùm ergo SS. PP. solum Christum excipiant à communi lege peccati, eumque solum immunem asserant ab omni debito peccati, manifestum est, neminem alium ab ipsis excipi.

Secundò. Ratio, cur SS. PP. Christum excipiunt à debito omnis peccati, est, quia solus ille virtute Spiritûs S. de Virg. MARIA conceptus est absque seminali propagatione ex Adamo: ita sensisse D. Ambrosium testis est ipsemet S. Augustinus l. 2. contr. Julianum c. 9. *Dicit beatus Ambrosius, unum solum hominem mediatorem DEI & hominum,* NB. *eò quòd sit natus ex Virgine, nec senserit nascendo peccatum, generationis obnoxiæ vinculis non teneri.* Qui S. P. Augustinus l. 1. de nupt. & concupisc. eadem habet. *Sine carnis concupiscentia nasci voluit, qui futurus erat sine peccato: ut hinc etiam doceret, omnem, quæ de concubitu nascitur, carnem esse peccati:* NB. *quandoquidem sola, quæ non inde nata est, non fuit caro peccati.* Et S. Leo serm. 5. de Nativit. *Cùm sola conditio nascendi in cunctis esset ratio peccandi, solus inter filios hominum Dominus JESUS innocens natus est, quia solus sine carnis concupiscentiæ pollutione conceptus est.* Jam verò ad eos tantùm exceptio à regula communi pertinet, quos causa & ratio exceptionis comprehendit: atqui hæc solum Christum, non B. Virginem comprehendit, ut certum est: ergo exceptio ad B. V. extendi non debet.

13. Probatur Tertiò. Si B. Virgo fuisset exempta à proximo debito peccati originalis, in virtute pacti conditionati ipsam eximentis & excipientis, si Christus sua merita offerret, tunc Christus fuisset prævisus ante lapsum Adami: sed non fuit prævisus, aliàs contra expressam doctrinam Doct. Angelici, contra Script. quoque & PP. authoritates, Christus venisset, etiamsi Adam non peccâsset, prout ex instituto disputabitur in Tract. de Incarnatione: ergo non potest dici, B. V. fuisse exemptam à debito proximo culpæ originalis.

14. Probatur quartò. Si B. Virgo non habuisset debitum proximum, non fuisset propriè redempta à Christo: consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur. Tunc non fuit propriè redempta, quando non comprehendebatur sub objecto & materia redemptionis: sed si non habuisset debitum proximum, non fuisset comprehensa sub objecto & materia redemptionis: ergo. Minor probatur: Objectum & materia redemptionis est peccatum Adami tanquam peccatum totius naturæ, seu tanquam inducens reatum, & debitum ut singuli ex ipso nasciruri concipiantur cum privatione originalis justitiæ: sed B. V. non fuisset comprehensa sub hoc debito & reatu: ergo non fuisset comprehensa sub objecto & materia redemptionis.

Respondent, B. Virginem non fuisse quidem comprehensam sub objecto redemptionis absolutè, bene tamen conditionatè, sub conditione nimirum, nisi Christus in posteriori naturæ pro ipsa sua merita offerret. 15.

Sed contrà est primò: quòd ista conditio supponit prævisionem Christi ante lapsum Adami, quod dici non potest.

Contrà est secundò: quòd ipsa oblatio meritorum Christi habeat pro objecto naturam habentem reatum incurrendi & contrahendi labem peccati originalis. Unde hæc exceptio à generali pacto sub conditione, si Christus sua merita obtulerit, evertit seipsam, cùm illa oblatio sit pro iis, qui sub generali pacto absolutè continebantur.

Contrà est tertiò: quòd istius conditionati pacti nullum prorsus est fundamentum in S. Script. & PP. bene autem in contrarium, ut latè ostendimus, & mox ulteriùs deducemus.

Contra est quartò. Potissimum fundamentum B. Virginem eximendi ab originali peccato, actu contracto, litteraliter indicatum in S. Scr. est Genes. 3. ubi DEUS ad Serpentem dixit: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, ipsa conteret caput tuum:* atqui hoc decretum Divinum præsupponit lapsum Adami, adeòque & pactum cum ipso initum: nam pro causali DEUS præmisit: quia *fecisti hanc rem,* hoc est, quia mediante Eva seduxisti Adamum, & in ipso totum genus humanum.

Probatur quintò: Tunc Beatissima Virgo habuit proximum debitum peccati originalis, quando in primo instanti suæ conceptionis fuisset obnoxia peccato, nisi præservata fuisset per gratiam: sed fuisset: ergo. Minor probatur. Posito, quòd DEUS Beatissimæ Virgini in primo instanti conceptionis non contulisset gratiam impeditivam peccati, vel habuisset puram negationem gratiæ, vel privationem ipsius? Non secundum, quia hoc ipso habuisset debitum incurrendi privationem, adeòque & culpam originalem. Non primum, quia sic fuisset in statu puræ naturæ, quemadmodum fuisset Adamus, vel Angelus, si fuissent sine gratia: sed hoc admitti non potest: primò. quia hoc est contra legem & providentiam DEI ordinariam, humanam naturam elevantis in finem supernaturalem. Secundò; quia hac ratione gratia B. Virgini in primo instanti collata non esset redemptiva & præservativa; quemadmodum nec gratia Adamo innocenti & angelo collata est talis, hoc ipso, quia non impedit sui privationem & culpam, sed simplicem negationem. 16.

Tertiò: quia carentia formæ unà cum debito habendi

habendi illam formam est privatio: sed absentia gratiæ in hoc casu in B. V. fuisset conjuncta cum debito habendi illam formam, siquidem hoc debitum pertinet ad perfectionem naturæ elevatæ; cujus utique pars fuit B. V. nec est ullum fundamentum ab illo B. V. excludendi. Quartò: quia aliàs Virgo non fuisset à peccato præservata per gratiam, quæ ipsi fuit data in instanti suæ conceptionis; quia etiamsi illa non fuisset data, tamen non fuisset concepta in peccato, sed in puris naturalibus.

17. Respondent in illo casu, quo DEUS in primo instanti animationis gratiam redemptivam animæ B. V. non infudisset, habituram fuisse privationem gratiæ, & culpam originalem, quia tunc necessariò deberet supponi, quòd Christi mors & passio pro B. V. exemptione non fuissent oblatæ, & acceptatæ, adeòque fuisset comprehensa in pacto etiam quoad partem odiosam, & consequenter etiam in peccato Adami.

18. Verùm contra hanc responsionem multa militant. Contrà enim est primò: Vel oblatio meritorum mortis, & passionis Christi debuisset fieri ante, vel post prævisum Adami peccatum. Si ante, tunc Christus etiam ut passibilis venisset Adamo non peccante: siquidem prævisio passionis fuisset independens à prævisione peccati, quod nec Adversarii concesserint; si post, tunc sequeretur, quòd Christus fuisset author peccati originalis in Beatissima Virgine, si noluisset pro ejus exemptione offerre sua merita: consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur: Illa culpa originalis causaretur & resultaret moraliter, vel ex vi primi peccati Adami ceu capitis, vel ex vi denegatæ exemptionis? Non ex vi primi peccati: quia illius moralis influxus & denominatio tantùm illos tangebat, respectu quorũ Adamus erat caput morale; non autem erat caput morale; respectu Beatissimæ V. saltem quoad partem odiosam, dum actu peccaret, sed neque finito actu peccati, ubi Adam jam desiit esse caput morale pro tota posteritate; ergo si denegato beneficio exemptionis in posteriori instanti B. Virgo contraxisset culpam originalem, illa adscribenda foret ei, per quem stetit, ut conditio in pacto inclusa non impleretur: sed ex parte Christi stetisset, quò minùs poneretur conditio exemptionis inclusa in pacto: ergo ipsi tanquam causæ fuisset adscribenda culpa originalis: sicuti, si, Titio hærede instituto sub conditione si Cajus consenserit, Cajus consensum denegaret, eidem ceu causæ adscriberetur denegatio hæreditatis: & tunc haberet locum illud axioma: Sicut affirmatio est causa affirmationis, sic negatio est causa negationis.

Contrà est secundò: quòd istud pactum con-
19. ditionatum, *Volo ut sis caput morale omnium posterorum exceptâ hâc determinatâ personâ, si pro illa Christus merita sua passionis obtulerit*, sit absque fundamento Script. & PP. qui nullam faciunt distinctionem inter caput naturale, & morale gratis excogitatum, imò impossibile. Cujus ratio est primò: quia, ut priùs dicebamus, oblatio meritorum Christi habet pro objecto illos, qui in Adamo peccaverunt; *non enim est opus valentibus medicus, sed malè habentibus*: sed B. V. in Adamo non peccâsset.

Secundò: quia formalis & privativus effectus peccati ab Adamo commissi debuisset manere suspensus respectu B. Virginis, usque dum impleretur conditio oblationis meritorum Christi, ita, ut hâc positâ non esset comprehensa moraliter sub peccato Adami, illâ non positâ esset comprehensa, quod rursus est impossibile; sicut enim moralis intrinseca denominatio peccantis immediatè consequitur, & afficit personam Adami, sic etiam extrinsecè afficit naturam in Adamo contentam, cùm sit impossibile, ut possit ab alia, quàm Adami voluntate dependere.

Tertiò: quia, ut priùs dictum, hoc pactum conditionatum faceret Christum auctorem peccati, nam in pactis conditionatis, in quibus conditio dependet ab alia, quàm paciscentis voluntate, non sequitur effectus, nisi dependenter ab illius voluntate, qui potest ponere & implere conditionem, uti ostensum in priori exemplo; cùm ergo pactum cum Adamo initum de transfusione peccati esset conditionatum, nisi videlicet Christus offerret sua merita, quæ conditio utique non dependebat ab Adami voluntate, sed Christi: etiam transfusio peccati in casu, quo Christus denegaret oblationem meritorum, esset adscribenda voluntati Christi, quod implicat. Imò verò transfusio peccati non fuit objectum DEI paciscentis cum Adamo, cùm sit impossibile, illam esse objectum voluntatis positivæ, qualis est decretum de transfusione justitiæ, sed tantùm potuerit ex hypothesi, quòd DEUS Adamum constituerit caput totius naturæ, etiam in ordine ad transfundendam justitiam originalem, per Adami voluntatem, justitiam peccando destruentis, indirectè causari: quâ igitur ratione potuit DEUS partem odiosam in pacto secernere à parte favorabili, ut deberet, vel non deberet incurrere peccatum, prout Christus sua merita pro B. V. vellet, vel non vellet offerre? Exempla ab adversariis petita è rebus humanis non sunt ad rem, cùm [omissis aliis differentiis] procedant de suspensione alicujus effectûs pœnalis, deque debito illius; non autem de suspensione, vel debito culpæ.

Probatur sextò. Si Adam non peccâsset, B. V. habuisset jus in sua conceptione accipiendi justitiam originalem, & nascendi ex semine non corrupto, immunitatem quoque à morbis, miseriis & morte: ergo ex eo, quòd Adam peccaverit, B. V. habuit debitum contrahendi culpam originalem. Consequentia probatur: Sicuti jus habendi justitiam originalem nihil est aliud, quàm denominatio extrinseca proveniens à justitia originali & modo naturali descendendi ex radice & semine instructo vigore justitiæ originalis: ita debitum proximum nihil aliud est, quàm denominatio extrinseca proveniens à peccato Adami, & modo naturali descendendi ex Adami radice infecta, & semine corrupto: nec aliunde magis SS. PP. colligunt necessitatem contrahendi peccatum originale: sed hæc forma denominans reperitur non minùs respectu B. V. quàm aliorum hominum, quæ modo naturali fuit genita ex radice infecta, & vera filia Adami, ideoque dicitur rosa, ex spinis orta, sed sine spina.

Confirmatur. Si B. V. nullo modo fuisset a-

actu con-

ctu comprehensa sub lege communi & pacto quoad partem odiosam de transfusione malitiæ, non propriè ex privilegio fuisset liberata ab originali, siquidem privilegium quo aliquis eximitur à lege, supponit ipsum priùs contentum sub lege. Sed neque esset ratio, cur B. V. subjaceret morti, & corporis passibilitati, siquidem isti sunt effectus ex illa lege & Adami peccato consecuti, excepto Christo Domino, quem solum SS. PP. excipiunt, ut ex SS. PP. antea ostendimus.

§. IV.

Solvuntur rationes sententiæ oppositæ.

21. AD primum prioris sententiæ fundamentum Respondeo. Legem de transfusione peccati non fuisse latam pro B. V. quantùm ad executionem, & ex vi privilegii derogantis universalitati legis, fuisse verò latam pro omnibus, & sic etiam pro B. V. quantum ad vim obligatoriam legis. Aliàs potiùs deberet dici, *non pro te, sed pro cæteris*, quàm *pro omnibus, hæc lex constituta est*. Adde, quòd dispensatio & privilegium supponit personam contineri sub lege: cùm ergo B. V. indiguerit privilegio & dispensatione, etiam contineri debuit sub lege de transfusione peccati.

22. Ad 2. Respondeo, PP. allegatos non loqui de peccato Adami extrinsecè denominante, & de debito peccati, sed de ipso peccato originali intrinsecè contracto, quod ex aliis plurimis ipsorum testimoniis est compertum.

23. Ad 3. Respondeo, negando antecedens quoad utrumque membrum: quoad primum quidem, quia B. Virginem maximè decet, ut habeat suam sanctitatem dependenter à perfecta redemptione, morte & Sanguine Christi, quæ dependentia difficilè salvatur in contraria opinione. Præterea ea, quæ decent juxta præsentem DEI legem, ex fundamento S. Scripr. & PP. colligi debent, sed sicuti nullum est fundamentum ex prædictis asserendi, quòd B. Virginem deceret esse immortalem, & impassibilem, ita nullum est fundamentum grave affirmandi, quòd caruerit debito proximo. Quoad alterum quoque membrum: quia quamvis absolutè DEUS potuisset tale decretum facere, tamen supposito ordine præsentis providentiæ id non potuit, prout ex probationibus constare potest. Quod de fomite peccati additur, magnam habet disparitatem: nam is intrinsecè inhæret supposito, & propter vehementem inclinationem in objectum illicitum, ac rebellionem cum spiritu, magnam importat indecentiam: at illud debitum & necessitas peccati originalis tantùm extrinsecè denominat, & quia tollitur per gratiam præservantem, nullo modo actualiter inficit suppositum.

Ad confirmationem primam, nego antecedens: quia veniale peccatum est vera labes & macula intrinsecè afficiens, & à propria voluntate intrinsecè dependens: debitum verò peccati, quod etiam peccatum in Adamo dicitur, est tantùm denominatio extrinseca ab aliena voluntate, & non nisi extrinsecè nostrâ, dependens: non autem propriè est labes, vel macula, quæ actu inficit, sed tantùm quæ deberet inficere; nec potest dici, quòd sit defectus moralis: quia peccato originali nullus defectus moralis præsupponi potest. Unde ad summum dici potest defectus naturalis, ut est, nasci ex parentibus perduellibus, qualis nihil obest sanctitati perfectæ Virg. B. siquidem reverà nata fuit ex radice infecta. Sed neque gloria Filii potest obscurare gloriam Matris: pertinet autem ad gloriam Filii, quòd Beatissima Virgo esset sanctificata per redemptionem perfectam, quæ sine debito proximo salvari commodè non potest.

Ad 2. Respondeo: Dicere B. V. fuisse peccatricem, immundam &c. ideo esse offensivum piarum aurium, quia principaliter significatur per ejusmodi terminos, quòd intrinsecè in se ipsa & actu fuerit maculata &c. quod minimè significatur, cùm dicitur in Adamo peccâsse, vel contraxisse debitum peccati originalis.

Ad 3. confirmationem Respondeo, haberi ex hucusque disputatis fundamentum cum proprietate verborum Scripturas & dicta SS. PP. de peccato loquentium exponendi de peccato in Adamo, in debito, & in potentia, negandi verò de peccato intrinsecè & actualiter contracto. Econtra nullum, vel exiguum esse fundamentum negandi hoc debitum, & omnia exponendi de debito solùm remoto, quod non est nisi æquivocè debitum, & potiùs esset, quàm est, debitum, si Christus sua merita non obtulisset. Addo ex Salmanticensibus, longè meliùs consuli B. V. honori, si illius immaculata Conceptio probetur & confirmetur salvâ dependentiâ à beneficio redemptionis & authoritate S. Script. ac SS. PP. quàm si novitiis inventis exiguâ vel nullâ authoritate munitis fulciatur: prout Sapientissimus Theologus Franciscus Suar. to. 1. in 3. 2. tract. 5. disp. 9. sect. 4. apud Salmanticenses l. cit. dub. 5. n. 183. sese super hoc puncto consulentibus rescripsit his verbis: *Addo, quemlibet prudentem Theologum Dominæ nostræ affectum debere non inclinare ad illud extremum* [*quòd nempe caruerit debito proximo*] *quoniam ad honorem Virginis nihil refert, neque Immaculatæ Conceptionis Veritatem juvat, prebetq; Adversariis occasionem dicendi, non posse nos Immaculatam Conceptionem defendere, nisi declinando ad opiniones, vel censurâ dignas, vel diminuentes Christi redemptionem.* Hæc ille.

DISPUTATIO XXX.

DE Effectibus peccati originalis ad q. 85.

CAusarum genus omne, quod ad peccatum originale concurrit, discussimus: superest, ut ejus quoque effectus dispiciamus, quorum alii sunt spirituales, alii corporales; ut enim ait Tridentinum *Sess. 5. can. 1. Totus Adam per suæ prævaricationis offensam secundùm corpus & animam in deterius est commutatus.*

ARTICULUS I.

Quinam sint effectus peccati originalis?

SUMMARIA.

1. *Mors, & defectus corporales sunt effectus peccati originalis.*
2. *Objectiones solvuntur.*
3. *Inter effectus originalis peccati est diminutio boni naturæ.*
4. *Et 4. vulnera animæ.*
5. *At non ablatio proprii arbitrii.*

§. I.

Effectus & defectus peccati originalis ex parte corporis.

1. CONCLUSIO PRIMA. *Mors, aliiq; defectus corporales sunt effectus peccati originalis tanquam per accidens causati.* Ita Cathol. DD. cum S. D. hic q. 85. a. 5. & habetur in Tridentino sess. 5. [post definitiones Concil. Milevit. & Arausicani] dicente: *Primum parentem peccando in se & in omnem suam posteritatem mortem invexisse.* Constat etiam ex Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit, & per peccatum mors.*

Ratio est. Quod causat aliquem effectum removendo prohibens, dicitur causa per accidens: sed peccatum originale causat mortem, aliasque corporales miserias per remotionem doni integritatis & justitiæ originalis, per quod illæ fuissent impeditæ: ergo.

2. Dices primò. Mors est homini naturalis, quippe conveniens ex ratione materiæ. & pugna primarum qualitatum: ergo non est effectus peccati originalis.

Secundò. Sublatâ causâ tollitur effectus: sed sublato peccato originali per baptismum, non ideo tollitur necessitas moriendi, aliæque miseriæ corporales: ergo istæ non sunt effectus peccati originalis.

Tertiò. Si peccatum originale esset causa corporalium miseriarum, istæ deberent esse æquales in omnibus hominibus, sicuti peccatum originale est æquale in omnibus, æqualis enim causa parit æqualem effectum: sed consequens est contra experientiam: ergo & antecedens.

3. Respondeo ad 1. distinguendo consequens: ergo non est effectus per se, concedo; per accidens, nego. Nam licèt defectus corporales conveniant homini secundùm conditionem & dispositionem naturæ; hæc ipsa tamen dispositio fuisset impedita per donum integritatis, quod per peccatum originale removetur: sicuti cùm à lapide removetur impedimentum, quo detinebatur, ne secundùm connaturalem gravitatem deorsum caderet.

Ad 2. distinguo majorem: Sublatâ causâ tollitur effectus, si ab illa causa per se & unicè dependeat tam in fieri, quàm consummari, concedo; secùs, nego majorem: sed miseriæ corporales à peccato dependent tanquam à causa per accidens tantùm, per se verò à conflictu primarum qualitatum, quæ amissâ justitiâ originali non habent illud temperamentum, quo in æqualitate conserventur, neque illud adjutorium, quo ab extrinseco agente protegantur.

Similiter ad 3. Respondeo: si peccatum originale esset causa per se, concedo; si per accidens, nego sequelam: tunc enim inæqualitas miseriarum provenit per se ex inæquali dispositione corporum, quemadmodum remoto impedimento unus lapis per se citiùs altero deorsum voluitur ob intrinsecam inæqualitatem gravitatis.

§. II.

Effectus peccati originalis ex parte animæ.

CONCLUSIO SECUNDA. *Per peccatum primi parentis diminuitur bonum naturæ, & infliguntur quatuor vulnera animæ, videlicet ignorantia, malitia, infirmitas, & concupiscentia.* S. D. q. 85. a. 1. & 3. Ratio 1. p. est: quòd donum justitiæ originalis maximum fuit bonum & perfectio totius naturæ humanæ: sed hoc fuit ablatum per peccatum primi parentis: ergo. 4.

Secunda pars constat inprimis ex Evangelica parabola hominis descendentis in Jericho, Luc. 10. qui dicitur acceptis vulneribus relictus semivivus; sub qua parabola *SS.* PP. intelligunt humanam naturam per primi parentis peccatum sauciatam, prout latiùs exponitur in Tract. de grat. Ratio ex *S* D. est: quia vulneratio animæ dicitur destitutio & privatio debiti ordinis, quem deberent habere vires animæ, & quem habuerunt virtute justitiæ originalis: sed ejusmodi destitutio ordinis est quadruplex. Tot enim sunt destitutiones ordinis, quot sunt vires seu potentiæ animæ, quæ possunt esse subjecta virtutum, adeòque ordinabiles in bonum rationis: sed ejusmodi potentiæ sunt quatuor: Ratio, in qua est prudentia, per quam ordinatur ad verum; Voluntas, in qua est justitia; Irascibilis, in qua est fortitudo; Concupiscibilis, in qua est temperantia: ergo tot sunt quoque deordinationes & vulnera animæ. Et sic primò in ratione est vulnus ignorantiæ, in quantum destituitur debito ordine ad verum; in voluntate est vulnus malitiæ, in quantum destituitur ordine ad bonum; vulnus infirmitatis in irascibili, in quantum destituitur suo ordine ad arduum; & in quantum concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, sic in ipsa est vulnus concupiscentiæ. 5.

Ex quo tamen non sequitur, quod affirmant Novatores hæretici, liberum arbitrium peccato Adami fuisse sublatum; cùm enim anima rationalis tam secundùm se, quàm secundùm suas potentias sit spiritualis & immutabilis, ideo quoad liberi arbitrii, hoc est, voluntatis indifferentis substantiam corrumpi non potuit. Sed neque ampliùs esset locus vel bonis & meritoriis, vel malis & peccaminosis operibus, si liberum arbitrium interiisset, quod est hæreticum. 6.



ARTI-

ARTICULUS II.

Quas pœnas causet originale peccatum post mortem?

SUMMARIA.

1. *Peccatum originale causat pœnam damni.*
2. *Parvuli in peccato originali decedentes non potiuntur beatitudine naturali.*
3. *Probatur authoritate & ratione.*
4. *Iidem non patiuntur pœnam sensûs.*
5. *Probatur authoritate & ratione.*
6. *Explicantur Scriptura in oppositum adducta.*
7. *Disparitas de pœnis hujus & alterius vitæ.*
8. *Ratio, cur infantes potiùs pœnam damni, quàm sensûs patiantur.*
9. *Originale conjunctum actuali causat majorem pœnam intensivè.*
10. *Alligatio ad limbum non est pœna sensûs.*
11. *Parvuli propter pœnam damni non patiuntur tristitiam.*
12. *Quis futurus status Angelorum post extremum judicium?*

§. I.

An pœna damni sit effectus peccati originalis?

1. CONCLUSIO PRIMA. *Pœna damni est effectus peccati originalis.* *Est de fide ex definitione Tridentini* Sess. 5. can. 4. & 5. de pecc. orig. dicente, quòd *parvuli sine baptismo morientes in pœnam peccati originalis priventur vitâ æternâ.* Et Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S., non potest introire in regnum DEI.* Sed privari vitâ æternâ, & non posse introire in regnum DEI, est ipsa pœna damni: ergo.

2. Inferes ex dictis contra singularem opinionem Ambrosii Catherini, Parvulos absque baptismo mortuos non fore beatos beatitudine naturali, ut sentit communis Catholicorum DD.

Constat inprimis ex authoritate. Nam primò in Florentino definitur, illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel in solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen imparibus puniendas. Secundò D. Aug. l. 1. de pecc. merit. c. 16. de istis parvulis: *Multùm*, inquit, *fallit & fallitur, qui eos in condemnatione prædicat non futuros, dicente Apostolo, judicium ex uno delicto in condemnationem*, &c. Tertiò D. Anselmus de Concept. Virg. c. 27. *Si originale peccatum est aliquod peccatum, necesse est, omnem hominem in eo natum, in illo non dimisso damnari*, quæ omnia cum beatitudine naturali repugnant. Unde

3. Ratio corollarii est primò. Beatitudo naturalis non stat cum aversione habituali ab ultimo fine naturali: sed parvuli per originale peccatum sunt habitualiter aversi ab ultimo fine naturali: non enim potuit Adamus per mortale peccatum efficaciter averti à DEO ut ultimo fine supernaturali, quin simul averteretur ab illo ut ultimo fine naturali: ergo.

Secundò. Cùm Beatitudo naturalis sit status omnium bonorum naturalium aggregatione perfectus, non compatitur secum ullam miseriam naturalem: atqui infantes absque baptismo mortui habent aliquam miseriam, & infelicitatem; nimirum detentionem in limbo subterraneo tenebroso, qui etiam infernus dicitur, & nequaquam convenit cum naturali felicitate: ergo non possunt habere beatitudinem naturalem. Minor habetur primò in Florentino primùm citato, & S. Anselmo l. c. c. 22. dicente: *Post diem judicii nullus erit Angelus, aut homo, nisi aut in regno DEI, aut in inferno.* Et probatur ulteriùs ratione; tum quia non est ratio, cur post judicium universale debeant habere alium locum, quàm obtinuerint in judicio particulari: sed in hoc obtinuerunt limbum subterraneum: ergo. Tùm quia secundùm communem sententiam post universale judicium omnia elementa reducentur ad suum situm naturalem; sicque terra undequaque erit aquis cooperta; ita ut nullus ibi relinquatur locus humanæ habitationi; adeòque cùm infantes in cœlo non sint futuri, neque locum habituri in terris, nec utique instar piscium in aquis nataturi, eundem habebunt locum, quem nunc habent, nimirum limbum subterraneum. Sed nunc ad aliam opinionem discutiendam priori à diametro oppositam sit

§. II.

An parvuli sine baptismo mortui patiantur pœnam sensûs?

AFfirmativam tenent Gregor. Armin. in 2. d. 30. Driedo l. 1. de grat. to. 3. c. 2. Sylvius hic q. 85. a. 6. quæsit. 2. oppositam tenent communiter Thomistæ, aliique DD. cum quibus 4.

CONCLUSIO est *negativa, & manifesta* S. Doctoris in 3. dist. 22. q. 2. a. 1. ad quæst. 2. ubi distinguens infernum in 4. partes, quarum una est infernus damnatorum, altera limbus puerorum, tertia purgatorium, quarta limbus PP. De secunda parte sic dicit: *Alius est infernus supra istum* [nempe infernum damnatorum] *in quo sunt tenebræ, & propter carentiam Divinæ visionis, & propter carentiam gratiæ; sed non est ibi pœna sensibilis, & dicitur limbus puerorum.*

Probatur primò ex c. *majorem*, extra de baptismo, ubi Innocentius III. dicit: *Pœna originalis peccati est carentia visionis DEI: actualis verò peccati pœna, gehennæ perpetuæ cruciatus.* Ubi frustrà foret utriusque pœnæ contradistinctio, nisi Summ. Pontifex in priori membro divisionis carentiam visionis accepisset cum exclusione cruciatûs; siquidem & pœna peccati actualis non solùm gehennæ cruciatum, sed etiam carentiam visionis includit. Item S. Gregor. Nazianz. orat. 40. dicit: *Parvulos decedentes sine baptismo, nec gloriam, nec supplicia habituros.* Gregor. Nyss. orat. de infant. *Immatura mors infantium demonstrat, neque in doloribus & mæstitia futuros esse eos, qui sic vivere desierunt.* Et D. Bernard. serm. 3. de resurrect. *Tolle propriam voluntatem,* 5.

& non erit infernus; *nihil ardebit in inferno præter propriam voluntatem*: Subsumo: Sed infantes in originali peccato mortui nunquam habuerunt propriam voluntatem: ergo non ardebunt in inferno.

Probatur secundò ratione. Pœna, quæ videtur notabiliter esse improportionata pro peccato originali, non debet adstrui, nisi ex S. Script. PP, & DD. consensu evidenter colligi posse videatur; sed ex S. Script. PP. & DD. consensu potiùs contrarium colligitur, quàm quòd parvuli punientur pœnâ sensûs, eaque pœna videtur esse notabiliter improportionata pro peccato originali: ergo non debet adstrui.

Minor quoad 1. p. patet inprimis ex authoritatibus præmissis, & consensu ferè omnium Theologorum, qui à 500. annis scripserunt, & ampliùs patebit ex solutione objectionum: quoad secundam quoque partem probatur primò: quia pœna sensûs est passio & cruciatus personalis; peccatum verò originale non est peccatum personæ, sed potiùs naturæ.

Secundò: quia pœna sensûs infligitur propter inordinatam conversionem ad bonum commutabile, quâ quis propriâ voluntate suum commodum, aut delectationem in bono creato peccando quæsivit, juxta illud Apoc. 18. *Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*: sed hoc non reperitur in peccato originali: ergo.

Tertiò. Unde aliquis non redditur dignus vituperio, & reprehensione, inde etiam non redditur dignus pœnâ positivâ cruciatûs infligendi: sed ex peccato originali præcisè nemo redditur dignus vituperio & reprehensione, quod adeò cuique notum existimat D. Augustinus l. de 2. animabus c. 11. ut dicat, quòd illud *decantent & in montibus pastores, & in theatris poëtæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis*, &c. ergo etiam ex solo peccato originali nemo fit dignus pœnâ positivâ sensûs.

Quartò. Pœna sensûs est effectus reprobationis positivæ: sed hæc præsupponit prævisionem peccati proprii personalis, prout dictum in Tract. de prædestinat: ergo etiam pœna sensûs illam præsupponit.

§. III.

Solvuntur objectiones.

6. Objicies primò. Matth. 25. ad omnes, qui in ultimo judicio futuri sunt à finistris, dicitur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Sed ibi intelligitur pœna sensûs, & decedentes in originali non erunt à dextris: ergo à finistris.

Confirmatur primò ex Apoc. 20. ubi dicitur, quòd, *qui non est inventus in libro vitæ, missus est in stagnum ignis.* Sed non baptizati infantes non sunt inscripti in libro vitæ: ergo mittuntur in stagnum ignis, hoc est, tormentum gehennæ.

Confirmatur 2. Scriptura dicit, nos ratione peccati originalis nasci *filios iræ*; adeòque parvuli sine baptismo mortui sunt filii iræ: sed ira DEI nihil aliud est, quàm pœna damnationis æternæ: ergo.

Respondeo primò: Ibi principaliter esse sermonem de adultis. Unde ad illos, qui à dextris sunt, præmittitur: *Esurivi & dedistis mihi manducare*; ad illos verò, qui à finistris sunt: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare*: quæ opera non nisi ad adultos pertinere possunt. Nihilominus cùm etiam non adulti in extremo judicio sint comparituri juxta generalem modum loquendi, qui habetur eodem capite: *Cùm venerit Filius hominis in Majestate sua, congregabuntur ante eum omnes gentes.* Et 2. Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi*, idcirco

Responderi potest secundò ad mentem S. D. q. 5. de malo. a. 2. ad 1. nomine ignis intelligi etiam pœnam damni; cùm sæpius in S. Script. nomine ignis qualibet pœna significari soleat. Ut psal. 65. *Transivimus per ignem & aquam* &c. quo modo etiam exponendus est textus D. Fulgentii relatus in can. *firmissimè*. de consecr. dist. 4. *Firmissimè crede, & nullatenus dubites, non solùm homines ratione utentes, verùm etiam parvulos, si sine sacramento baptismi de hoc sæculo transeunt, ignis æterni supplicio puniendos.* Quem textum modò prædictò exponit glossa *in c. nulla. de consecr. dist.* 4. dicens: *Et hæc carentia* [nempe visionis DEI] *est pœna ignis, de qua intelligendus est canon firmissimè desumptus ex Fulgentio.*

Ad 1. confirmationem Respondeo. Illum locum manifestè loqui de adultis, siquidem præmittit illa verba: *& judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundùm opera ipsorum* &c. constat autem, quòd nulla sint opera parvulorum. Nec refert, quòd dicat Apostolus, *se vidisse magnos & pusillos*, nam, ut exponit Cornel. à Lapide, illic non intelliguntur ætate & staturâ, sed gradu & dignitate pusilli.

Ad 2. confirmationem Respondeo, Iram DEI non tantùm significari & ostendi in inflictione pœnæ sensibilis, sed etiam in æterna exclusione à regno cœlesti, ex qua parvuli sufficienter appellari possunt Filii iræ.

Objic. 2. Parvuli in hac vita patiuntur pœnam sensûs, consistentem in morte, miseriis & morbis corporalibus: ergo etiam non est absurdum, ut in altera vita pœnam sensûs patiantur: aliàs post mortem essent melioris conditionis, quàm ante mortem. 7.

Respondeo: Patiuntur hanc pœnam tanquam per accidens causatam ad subtractionem doni integritatis seu justitiæ originalis, concedo; per se, nego antecedens & consequentiam: nam in altera vita, ubi cessat virtus agentium naturalium, pœna sensûs ex ordinatione Divina per se deberet infligi. Nec ideo essent melioris conditionis in altera vita, quia præstat infinities sustinere præsentes miserias cum capacitate visionis beatificæ, quàm iisdem carere cum visionis beatificæ incapacitate in æternum.

Objicitur tertiò. Major est pœna damni secundùm communem Theologorum, quàm pœna sensûs: ergo si parvuli propter originale peccatum puniuntur graviori pœnâ damni, etiam punientur pœnâ sensûs, quæ levior est. 8.

Confirmatur. Propter veniale peccatum, quod multò levius est, quàm originale, infligitur pœna sensûs in altera vita: ergo etiam infligitur propter originale.

Respon-

Respondeo, negando consequentiam. Rationem disparitatis dat S. D. q. 5. de malo a. 2. quòd pœna sensûs sit contraria bonæ habitudini, & integritati, quæ est propria & connaturalis ipsi naturæ; at pœna damni sit contraria perfectioni naturæ excedenti ordinem ipsius naturæ: sed non est inconveniens, ut quis detrimentum patiatur in his, quæ sunt supra naturam, propter peccatum alterius, quod tamen aliquo modo ad ipsum pertinebat: est tamen inconveniens ut detrimentum patiatur absque suo personali delicto in his, quæ sunt naturæ suæ propria.

Ad Confirmat. quoque negatur paritas. neque enim gravitas culpæ præcisè est ratio, cur infligatur pœna sensûs; sed quia quis propria voluntate inordinatam delectationem, aut commoditatem quærit in bono commutabili, quod cùm etiam fiat à peccante venialiter, non autem reperiatur in habente peccatum originale, patet ratio disparitatis.

9. Objicies quartò. Sequeretur, quòd aliquis habens simul peccatum originale & actuale non majorem pœnam in inferno pateretur, quàm habens solùm peccatum mortale actuale: nam etiam per quodlibet mortale peccatum inducitur pœna damni; sed hoc est absurdum: ergo.

Respondeo, pœnam spectando physicè & extensivè, non pateretur majorem, concedo; moraliter & intensivè, nego: cùm enim habens simul peccatum originale & actuale pœnam damni patiatur ex duplici titulo adæquato, habetur pro pœna magìs moraliter intensa & radicata, quemadmodum is, qui propter plura peccata habentia annexam censuram, est excommunicatus, habetur pro magis excommunicato.

10. Objicies quintò. Ipsa alligatio parvulorum ad limbum est pœna sensûs: sed hanc in nostra sententia parvuli patiuntur & patientur in æternum: ergo patiuntur pœnam sensûs. Major probatur: Pœna sensûs, quam dæmones & animæ damnatæ patiuntur ab igne infernali juxta nostram sententiam in Tract. de Angelis, consistit in illorum alligatione & detentione ab igne infernali: sed æquè parvuli alligantur & detinentur à limbo: ergo.

Respondeo, negando majorem; ad probationem distinguo majorem, consistit in illorum detentione ab igne infernali activa, & contraria, concedo; tantùm formali, vel negativa detentione, nego. Sed parvuli detinentur à limbo formaliter & negativè, concedo; activè & contrariè, nego minorem & consequentiam. Formaliter & negativè, non autem activè detinentur à limbo, quia limbus est illud spatium, extra quod non possunt esse & operari, idque non propterea, quasi limbus aliquâ qualitate productâ sibi subjiceret, & à connaturalibus operationibus impediret animas parvulorum, quo modo dæmones ab igne torqueri loco citato diximus, sed propter subtractionem Divini concursûs, ne extra limbum operari possint, qui est modus negativè detinendi in limbo: ideoque potiùs dici debet, parvulos detineri & alligari in limbo, quàm à limbo. Vide S. D. q. 10. de Verit. a. 1. ad 11.

§ IV.

Aliqua quæsita resolvuntur.

Quæres primò: An parvuli propter carentiam visionis patiantur tristitiam, & animi dolorem; quemadmodum adulti sustinentes pœnam damni, propterea gravissimè affliguntur? 11.

Respondeo, negativè. Et probatur primò authoritate Gregorii Nyss. suprà citati, qui dicit: *Immatura mors infantium demonstrat, neque in doloribus, & mæstitia futuros esse eos, qui sic vivere desierunt.*

Probatur secundò ratione; quia non videtur conveniens, ut parvuli sentiant majorem dolorem, quàm sit dolor sensibilis causatus ab igne infernali, si enim ipsos immunitas à personali peccato eximit à dolore minori, cur non magis eximat à majori? Sed juxta doctrinam D. Chrysostomi ho. 24. in Matth. dolor, quem damnati sentiunt ob amissam beatitudinem, major est dolore sensibili, quem ab igne inferni patiuntur: ergo.

Probatur tertiò ratione S. D. in 2. dist. 33. q. 2. a. 2. in arg. Sed contra. Recta ratio non patitur, ut aliquis affligatur de eo, quod suam proportionem excedit, sed tantùm de eo, quod caret aliquo bono, ad quod jus, exigentiam, aptitudinem, aut proportionem habuit: sicut nullus sapiens homo affligitur de hoc, quòd non possit volare: atqui in parvulis nullum erat jus, aptitudo, & proportio ad æternam gloriam: ergo de ipsius carentia rationabiliter tristari non possunt.

Imò, inquis, habuerunt proportionem, quatenus erant contenti in Adamo. Sed contrà occurrit S. D. loco cit. Recta ratio non patitur, ut aliquis perturbetur de eo, quod in ipso non fuit, ut vitaretur: sed in pueris est recta ratio nullo actuali peccato obliquata: ergo non turbantur de hoc, quòd talem pœnam sustineant, quam vitare nullo modo potuerunt. Hæc S. D. Unde vides, ad tristitiam causandam non sufficere, quòd habuerint remotam & moralem capacitatem ad beatitudinem, quatenus contenti erant in suo capite.

Quæres secundò: qualis sit futurus status parvulorum post extremum judicium? 12.

Respondeo primò. Illos habituros corpora integra in ea quantitate, quam habuissent, si ad adultam ætatem pervenissent; prout etiam de damnatis dicit S. D. in 4. d. 44. q. 3. a. 1. qc. 1. *ex eo, quòd perfecta sunt DEI opera*: sed resurrectio est opus peculiare Divinæ virtutis.

Secundò. Erunt immortales, incorruptibiles, impossibiles, non ratione alicujus dotis, aut doni intrinseci, sed ex ordinatione Divina, & defectu exterioris agentis, cùm post resurrectionem corporum sola detur actio corporea ad puniendum.

Tertiò. Erunt impeccabiles etiàm non ab intrinseco, sed ab extrinseco, ex DEI providentia subtrahente concursum ad omne materiale peccati ratione statûs, quia nimirum jam sunt in termino viæ, ubi non ampliùs mutatur voluntas a dispositione, quam habuit in via, ut habet S. D. q. 5. de malo a. 3. in c. Unde cùm infantes nullum habuerint inordinatum voluntatis actum in via, Divinæ providentiæ dispositione à simili deordinatione præservantur in termino viæ.

Quartò. Habebunt aliquam cognitionem, & dilectionem DEI, ut authoris naturæ, non tamen amicabilem, & efficacem, quæ cum habituali & efficaci aversione ab ultimo fine naturali non consistit. Præter quas cognitiones habituri sunt per species infusas quorundam objectorum naturalium cognitiones, cùm hoc sit omnino secundùm connaturalem exigentiam naturæ rationalis, ut habet S. D. in 2. d. 33. q. 2. a. 2. in c.





TRACTATUS VIII.
DE LEGIBUS.
PROLOQUIUM.

Recto ordine post Tractatum *de vitiis & peccatis* Theologia Scholastica ad normam Doctoris Angelici *de Legibus* tractat, ut nocti diem, tenebris lucem subnectat. Nam *Lex Lux* est, quæ cæcam dissipat vitiorum caliginem: fidum sidus & Cynosura est, quæ in fluctuantis vitæ turbido portum ostendit æternæ felicitatis. Hæc est Theologi Legem tractantis consideratio: nam agit quidem & de Lege Moralis Philosophus, sed tanquam Regulâ morum ad obtinendam naturalem felicitatem: tractant de illa Jurisprudentes, sed in ordine ad politicam gubernationem, & communem Reipublicæ pacem: disputant Juris Canonici Interpretes, sed in ordine ad Ecclesiasticam politiam, moresque convenienter ad obtinendam salutem in foro externo instituendos. Theologus altiori indagine *Leges* examinat, quatenus ab increata Sapientia derivatæ humanas actiones à vitiis avocant, & in conscientiæ foro ad internam animæ sanctitatem informant, atque ad DEUM ut ultimum finem supernaturalem, in cœlesti quondam Republica consequendum disponunt. Hic noster in paucis hisce pagellis; hic Tuus, Amice Lector, nunc in intentione, & utinam olim in executione ultimus Finis esto. Vale.

DISPUTATIO XXXI.
DE Lege in communi. ad q. 90.

Licèt in ampla & metaphorica acceptione inclinatio ac propensio in aliquem finem naturaliter impressa quandoque nomen legis accipiat, quo sensu dicitur Prov. 8. *Legem ponebat aquis, ne transirent fines suos*, & inordinata inclinatio appetitûs sensitivi, Rom. 8. *lex membrorum, lex peccati, lex fomitis* appellatur; hîc tamen legis nomine intelligitur regula humanorum actuum in commune bonum directiva. De qua

ARTICULUS I.
Quid & quotuplex sit Lex?

SUMMARIA.

1. *Existentia & necessitas legis.*
2. *Varii actus intellectûs & voluntatis concurrunt ad constituendam legem.*
3. *Lex formaliter consistit in imperio, quod est actus intellectûs practici.*
4. *Præsupponit tamen actum voluntatis.*
5. *Hinc removetur actus intellectûs, qui est judicium de agendis.*
6. *Exponuntur authoritates S. Scripturæ, quæ allegantur pro utraque parte.*

7. *Lex*

7. *Lex debet esse illius potentia, in qua est dominium quoad vim dirigendi, non quoad vim movendi.*
8. *Finis legis est bonum commune.*
9. *Non est necessariò finis operantis, sed operis.*
10. *Ideo fertur ad communitatem.*
11. *Qualis debeat esse communitas?*
12. *Causa legis efficiens.*
13. *Legis definitio.*
14. *Diversæ legis divisiones.*
15. *Actus legis.*
16. *Differentia inter legem, præceptum, privilegium, & consilium.*

§. I.

Sitne Lex formaliter actus rationis, vel voluntatis?

1. SUppono primò, necessarium fuisse hominibus, ut haberent legem, per quam ipsorum actus in proportionatum finem honestatis dirigerentur. Nam primò: Creatura rationalis & ab intrinseco defectibilis in suis operationibus, cùm ipsa sibi non possit esse regula suarum operationum, indiget regulâ Superioris, eandem præceptivè & obligatoriè adstringente intra limites honestatis, ne ab iis exorbitet: atqui homo est creatura rationalis ab intrinseco defectibilis in suis operationibus: ergo indiget tali regulâ Superioris, h. e. lege, quâ dirigatur in finem honestatis. Secundò. Creatura rationalis essentialiter subjecta jurisdictioni Divinæ, etiam ab illo in suis actibus essentialiter jus & legem accipit: sed homo est ejusmodi creatura: ergo. Tertiò. Necesse fuit, ut homines singuli & privati subordinarentur toti communitati, ac bonum privatorum dependeret à bono communi omnium: sed hoc absque legibus obtineri non posse experientiâ constat: ergo necesse fuit, leges dari. Quæ ra ones probant, in omni statu legem fuisse necessariam. Itaque suppositâ legis existentiâ & necessitate

2. Suppono secundò, ad condendam legem varios actus tam voluntatis, quàm intellectûs concurrere. Nam primò post efficacem intentionem boni publici oritur consultatio de utilitate & congruitate legis ad hunc finem condendæ; quam consultationem claudit resolutoria sententia, ac judicium de legis æquitate: mox voluntas legem sic præviè consultatam eligit, & quâ pollet authoritate ac potestate jurisdictionis subditos obligare decernit. Hâc voluntate excitatâ & applicatâ ratio mox per actum imperii eandem voluntatem subditis efficaciter denunciat, vimque obligandi in ipsos moraliter derivat.

Quæritur ergo: In quonam istorum actuum formaliter & secundùm metaphysicam suam essentiam lex consistat. Communis Scotistarum & Recentiorum collocat in actu voluntatis, consequenter ad sua principia posita in Tract. de Act. hum. ubi docent imperium formaliter esse actum voluntatis, qui supponat actum intellectûs. Alii in utroque actu tam intellectûs quàm voluntatis ex æquo constituunt. Communis Thomistarum docet formaliter consistere in actu rationis, qui imperium dicitur, necessariò tamen præsupponere actum voluntatis.

Cum quâ sentio & probo primam partem assertionis primò ex S. D hic a. 1. & 1. 2. q. 17. a. 1. 3.
Imperium est actus rationis practicæ, quia est quædam directiva & ordinativa intimatio operis faciendi vel omittendi ad subditos capaces directionis: sed lex formaliter est imperium: ergo formaliter est actus rationis practicæ. Major supponitur ex Tract. de act. hum. & inde liquet: quia ordinare, dirigere, intimare, loqui sunt actus intellectûs: sed hoc est munus proprium imperii: ergo. Minor conceditur ab omnibus; lex quippe est præceptiva ordinatio, efficax & obligatoria, eoque distincta à consilio; *virtus legis est præcipere, vel prohibere l. legis virtus; ff. de leg.*

Probatur secundò. Electio tametsi essentialiter prærequirat actum intellectûs, à quo habet quòd sit assumptiva unius medii præ altero, tamen formaliter non consistit in actu intellectûs, sed voluntatis; neque ex actu intellectûs componitur: ergo tametsi lex ceu imperium essentialiter prærequirat actum voluntatis, & inde accipiat efficaciam motricem, non ideo tamen formaliter consistit in actu voluntatis.

Altera pars probatur: quia vis motiva & libertas in actibus prudentiæ & intellectûs practici dependet à voluntate ceu primo movente in ordine creato: sed lex & imperium habet vim movendi, estque actus liber pertinens ad prudentiam & intellectum practicum: ergo dependet à prævio actu voluntatis. 4.

Ex quo inferes primò, legem formaliter non consistere in judicio practico intellectûs, quod consultationem sequitur, & vocatur dictamen vel sententia de agendis, v. g. *hoc est tibi faciendum:* nam, ut loco cit. diximus, imperium movet ad executionem, quod exprimitur per verba, *fac hoc*, nec ostendit tantùm facienda, sed præcipit: sed lex est imperium: ergo. 5.

Inferes secundò. Cùm in Sac. Script. DEI lex vocatur *voluntas*, ut ps. 32. & 142. id accipiendum esse originativè & præsuppositivè, quia prima & radicalis vis movendi ac obligandi pertinet ad voluntatem: Cùm verò vocatur *mandatum, judicia, eloquia, sermones DEI*, esse accipiendum formaliter. Sic pariter cùm Prov. 6. *lex lux & mandatum* DEI *lucerna* ps. 118. nuncupatur, ad intellectum principaliter pertinere indicatur; illuminatio quippe, sicut & ideatio, exemplatio, &c. directricis potentiæ, & oculi intellectualis sunt munia. Nihilominus 6.

Objicies: In illa potentia residet actus legis, in qua formaliter residet superioritas & dominium: sed hoc formaliter residet in voluntate: ergo & actus legis. Major probatur: quia legislatio est actus Superioris, & provenit ex dominio jurisdictionis. 7.

Respondeo distinguendo majorem: in qua formaliter residet dominium, quoad vim regulandi & dirigendi, concedo; quoad vim movendi, nego: & sic distinctâ minore, nego consequentiam.

§. II.

Legis causa finalis & efficiens.

FInis intrinsecus legis est bonum commune. 8.
Lex, inquit Isidorus citatus, *est nullo privato commodo,*

commodo, sed pro communi utilitate civium conscripta. Ratio ex S. D. est primò, quia regula communis pertinens ad principium humanorum actuum, debet respicere finem ultimum, tanquam principium primum in operativis: finis quippe & actus debent ad invicem proportionari: sed finis ultimus est felicitas, eaque communis; siquidem particularis felicitas refertur ad communem, tanquam pars ad totum: ergo lex primariò & intrinsecè intendit communem felicitatem, h. e. bonum commune.

Secundò. Legem ferre est actus potestatis gubernativæ vel Divinæ, vel à DEO in homines derivatæ. Si est ipsius DEI, constat, ab ipso intendi communem hominum beatitudinem: si est actus potestatis ab ipso derivatæ, debet hujus potestatis exercitium divinæ intentioni conformari, idque sive illa immediatè à DEO, sive tantùm mediatè, & ab hominibus immediatè proveniat: neque enim populus potestatem gubernativam in unum vel plures contulit, ut suis commodis, sed ut publico bono consulerent, *nec regnum est propter regem, sed rex propter regnum*, inquit Arist. 3. polit. unde hanc inter regem & tyrannum differentiam agnoscit D. Basil. hom. 12. in Proverb. quòd ille propriam, hic communem in suo regno quærat utilitatem.

9. Ista tamen publici boni intentio non est necessariò ex fine operantis, sed sufficit, si sit ex fine operis. Ideoque lex erit valida, si cum voluntate obligandi lata, ex se ad commune bonum sit utilis, quantumvis privatâ intentione legislatoris in proprium commodum, aliumve pravum finem detorqueatur: *Etsi enim ille* [inquit D. Aug. l. 1. de lib. arb. c. 5.] *cum aliqua libidine hoc statuit, non ex eo fit, ut ei legi cum libidine obtemperare necesse sit, & quia bona lex & à non bono ferri potest.*

10. Quæ causa est, quòd lex ad communitatem ferri debeat: *Jura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur. L. jura 8. ff. de leg.* Est quippe lex actus prudentiæ gubernativæ & architectonicæ quæ respicit bonum commune, & non nisi in communitate reperitur. Sed qualis illa, & quanta debet esse communitas, ut sit propriè legis capax? ℞. cum Suar. l. 1. c. 6. requiri communitatem perfectam. Talis est, quæ sibi sufficit ad comparandam, & conservandam felicitatem, quatenus mutuo partium subsidio humanitus fieri potest & solet. Dividitur in realem, seu localem, quæ terminis realibus, seu localibus clauditur, ut civitas, regnum, &c. & in personalem, quæ non tam à loco, quàm personis ad se invicem sub perfecto regimine moraliter unitis attenditur, ut est aliquis Ordo Religiosus, Militaris, &c. Imperfecta communitas est congregatio plurium personarum, insufficiens tamen ad efficiendum unum corpus politicum, & felicitatem humanam mutuo partium concursu conservandam; cujusmodi est quælibet privata domus & familia, quæ non tam communitatem, quàm partem communitatis efficiunt.

11. Non ideo tamen à ratione legis excludimus illa statuta, quæ proximè non totam communitatem, aut singulas illius partes, sed unam aliquam partem, aut societatem in communitate contentam concernunt: uti sunt leges vectigalium pro augendo Principis ærario, leges in favorem Clericorum, Religiosorum, pupillorum, militum, &c. latæ: nam & istæ ultimatò, per se, & ab intrinseco bonum commune respiciunt: totiusque communitatis vel maximè interest ejusmodi leges condi & servari.

Causa efficiens legis est una, vel plures perso- 12.
næ habentes authoritatem publicam, & partem jurisdictionis, ut habet S. D. a. 3. Nimirum qualis est ordo finium, talis est ordo efficientium: cùm ergo finis legis sit bonum commune & publicum, etiam ille, qui legem condit, debet pollere potestate publicâ: quam habet vel ipsa communitas, vel unus, aut plures gerentes personam curamque communitatis. Unde *non cujuslibet ratio est factiva legis*, inquit S. D. a. 3. sed ejus, qui habet præceptivam potestatem, & quidem jurisdictionis. Nam potestas præceptiva alia est œconomica & dominativa, alia politica & jurisdictionis. Illa œconomica & dominativa ad præceptum sufficit: ad imponendam verò legem politica & jurisdictionis requiritur, & quidem, ut dictum, suprema; siquidem legislatio actus est supremi imperii.

§. III.

Legis definitio & divisio.

DEfinitur Lex à S. D. a. 4. *Lex est ordinatio ra-* 13.
tionis ad bonum commune, ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata. Cujus definitionis bonitas liquet ex antè dictis, & enumeratione causarum, quæ inibi sufficienter continentur. Dicitur ergo primò *Ordinatio*; quo significantur causa & effectus formalis, qui est subditos dirigere & ordinare in finem ultimum felicitatis, adeòque lex ipsa formaliter consistit in actu ordinativo & intimativo, h. e. imperio: & quidem secundò *rationis* practicæ, quo indicatur subjectum legis, quod est intellectus practicus: tertiò dicitur, *ad bonum commune*, quod est legis causa finalis: & quartò *ab eo qui curam communitatis habet*; ubi denotatur causa efficiens. Denique *promulgata*, juxta illud Gratiani in c. *in istis temporalibus*; dist. 4. *Leges instituuntur, cùm promulgantur.* Nempe Lex publicum & commune præceptum est: sed hoc sine publica intimatione, quam promulgationem vocamus, nequit intelligi. Lex quoque ait S. D. a. 4. imponitur aliis per modum mensuræ & regulæ: sed regula & mensura imponitur, & actu mensurat & regulat, in quantum mensurato applicatur: ergo etiam Lex in tantum aliis imponitur, illosque actu mensurat, in quantum applicatur: sed applicatur promulgando: ergo. Esto igitur, quòd priusquam Lex promulgetur, inchoativam quandam, radicalem & incompletam virtutem obligandi ac regulandi à voluntate Legislatoris accipiat, quòd tamen formalem & perfectam efficaciam obligandi habeat, hoc promulgationi debet.

Variæ sunt legis divisiones; Primò Lex potest 14.
dividi in Divinam & humanam. Divina in æternam, naturalem, & positivam: positiva in veterem & novam: humana in Ecclesiasticam, & Civilem

vilem. *Lex æterna*, ut describit S D q. 93. a. 1. *est ratio divinæ Sapientiæ secundùm quod est directiva omnium actuum & motionum in bonum publicum totius universi, quod est gloria DEI.* Ubi si Tò *motionum* generatim sumatur cum inclusione motionum irrationalium, lex æterna in improprio & latiori sensu accipitur: si restringatur ad motus, seu actus liberos creaturæ rationalis, qui soli sunt proxima legum materia, tunc in proprio sensu accipitur. *Lex naturalis* Doctori Angelico est *impressio divini luminis in creatura rationali, quo inclinatur in debitum actum & finem.* *Lex positiva* est quæ ex liberâ magistratûs determinatione facienda vel omittenda decernit, & quia lex ab Ecclesiastico magistratu lata per antonomasiam canon dicitur, ideo *lex Ecclesiastica* Canonica dicitur, & Jus Pontificium ex ejusmodi canonibus acervatum Jus Canonicum appellatur. Leges verò magistratuum sæcularium, tanquam institutæ pro bono civium *Civiles* vocantur. Alias legum subdivisiones dabunt sequentia.

Actus legis à S. D. q. 92. a. 1. quatuor numerantur: videlicet imperare, vetare, permittere, punire. Nam duplex est vis & efficacia legis, directiva videlicet & coactiva. Ad primam pertinet aliqua præcipere, prohibere, permittere: Ad alteram pertinet, inflictis pœnis subditos à legum transgressione prohibere. 15.

16. Colliges ex dictis differentiam inter *legem*, *præceptum*, *privilegium*, & *consilium*. Præceptum à lege differt, quia non per se respicit bonum commune, unde & personis singularibus, & à quolibet superiore, Domino, patrefamilias habente potestatem gubernativam imponi potest, nec est suâpte naturâ perpetuum, cùm per mortem præcipientis exspiret. Privilegium quoque differt, quòd tangat personas etiam privatas, & in bonum privatum sæpius referatur. Ideoque *l. 1. ff. de constitut. Princ.* privilegium lex personalis vocatur. Consilium manifestè differt, quòd detur à privato ad privatum sine respectu ad bonum publicum, & efficacia obligandi.

ARTICULUS II.

An & quomodo promulgatio sit de essentia Legis?

SUMMARIA.

1. *Promulgatio est necessarium requisitum ad substantiam legis.*
2. *Aliud est promulgatio, aliud legis divulgatio.*
3. *Promulgatio aliter activè, aliter passivè accipitur.*
4. *Promulgatio activa pertinet ad intrinsecam constitutionem legis.*
5. *Non autem accepta passivè.*
6. *Unde promulgatio activa non est applicatio legis nisi inadæquatè acceptæ.*
7. *Non omnis actus secundus præsupponit essentiam in actu primo.*
8. *Lex est actus prudentiæ actu obligans.*
9. *Promulgatio licet actu transierit, remanet virtute.*
10. *Quomodo verum sit, leges priùs condi, quam promulgari?*

§. I.

Statuitur sententia affirmans.

1. Constat ex præced. §. & est certum apud omnes, quòd nulla lex habeat in actu secundo efficaciam obligativam subditorum, nisi sit legitimè promulgata, ut adeò promulgatio pertineat ad substantiam legis in actu secundo obligantis per modum actualis regulæ & mensuræ subditis applicatæ. Dubium est, idque exigui momenti, an promulgatio pertineat ad formam & intrinsecam constitutionem legis; an verò sit tantummodo complementum ipsius, aut conditio sine qua non? ubi

2. Notandum primò. Longè distare promulgationem à legis divulgatione: nam divulgatio fit per simplicem communicationem notitiæ: promulgatio verò per authoritativam intimationem, seu solennem & publicam legis propositionem. Ideo licèt per notitiam privatim comparatam alicui certò constaret, quòd lex v. g. de frumento extra provinciam non avehendo esset conscripta, à Principe subscripta, & cras publicanda, is tamen hodie frumentum licitè efferret extra provinciam: cùm neque lex defectu promulgationis haberet vim obligandi, neque divulgatio ad solemnem publicationem sufficiat, ut præter alios docet Castrop. disp. 1. p. 2. n. 2.

Notandum secundò. Promulgationem aliquando accipi passivè, pro signo, in quo relucet imperium, & intimatio obligativa Magistratûs, e. g. scriptura publicè affixa, vox præconis &c. aliquando verò activè pro ipso imperio legislatoris, tanquam actu formaliter quidem immanente, virtualiter tamen transeunte, in quantum efficaciter causat, & essentialiter connotat aliquod signum manifestativum legis. Quâ prænotatâ distinctione sit 3.

CONCLUSIO. *Promulgatio activè (2) non passivè accepta pertinet ad intrinsecam constitutionem legis.* Ita videtur sentire S. D. a. 4. 4.

Ratio 1. partis est primò. Est intrinsecum & essentiale legi, quòd habeat vim obligandi: sed in esse obligatoriæ formaliter constituitur per promulgationem, eò *quòd in notitiam subditorum deducitur ex ipsa promulgatione*, inquit S. D. cit. ergo promulgatio pertinet ad intrinsecam constitutionem legis.

Secundò. Lex essentialiter est intimatio & vox publica Principis, loquentis ut persona publica: sed hoc fit per publicam propositionem: ergo.

Tertiò. Lex essentialiter est regula & mensura actualis, in actu secundo mensurans humanas operationes: sed in esse talis constituitur per publicam propositionem & promulgationem: ergo.

Ratio

Ratio secundæ partis est: Lex formaliter & in recto nominat ordinationem & imperium legislatoris: ergo illa, quæ pertinent ad intrinsecam constitutionem legis, debent se tenere ex parte legislatoris: atqui solùm activa promulgatio se tenet ex parte legislatoris; passivè verò sumpta pro signo manifestativo legis, sic moraliter recipitur in ipsis subditis: ergo promulgatio non passivè sed activè accepta pertinet ad intrinsecam constitutionem legis. Quo tamen non obstante est requisitum essentialiter connotatum, sine quo activa promulgatio consistere, vel intelligi nequit: prout in simili de revelatione Divina, in Tractatu de fide dicemus, illam activè sumptam esse formale motivum fidei, passivè verò acceptam connotari per modum essentialis requisiti.

§. II.

Solvuntur objectiones.

6. OBjicies primò. Applicatio & approximatio causæ non est formale constitutivum ipsius: sed promulgatio legis, tanquam causæ obligativæ, est ipsius applicatio ad subditos: ergo non est formale constitutivum legis. Minor habetur à S. D., qui legem nuncupat mensuram; promulgationem verò applicationem. Major quoque probatur: Applicatio causæ & mensuræ præsupponit causam & mensuram in sua essentia & actu primo jam constitutam: ergo eandem non constituit.

Respondeo distinguendo min. promulgatio est applicatio legis inchoativè & inadæquatè acceptæ, nempe pro regula solùm aptitudinaliter mensurante, concedo; completè & adæquatè acceptæ, pro regula publica actu mensurante, & habente efficaciam formalem actualem obligandi, nego. Sic enim promulgatio non est mera applicatio sed intrinsecum complementum & constitutivum legis.

7. Objicies secundò. Actus secundus alicujus essentiæ præsupponit illam jam constitutam in actu primo: sed promulgatio pertinet ad actum secundum legis, quippe inducens obligationem actualem ipsius: ergo præsupponit essentiam legis, ejusque virtutem obligatoriam in actu primo.

Respondeo negando, vel distinguendo majorem: nisi illa sit de genere actûs secundi, concedo; si sit, nego. Nam utique inter rerum essentias continentur actus liberi, vitales, visio, imperium, locutio, consilium, revelatio, &c. quæ omnia consistunt formaliter in actu secundo. Sic itaque lex completè sumpta non est potentialis sed actualis mensura humanorum actuum, regula & locutio publica & præceptiva Principis, actu obligatoria subditorum, ideoque non per actum primum, sed per actum secundum regulandi, mensurandi, obligandi, ad quod intrinsecè pertinet promulgatio, constituitur.

Objicies tertiò. Lex est actus prudentiæ existentis in Principe: sed actus prudentiæ secundùm suam essentiam & rationem formalem completè habetur in actu intellectûs practici dictantis aliquid esse faciendum, vel omittendum ante omnem promulgationem: ergo lex secundùm suam essentiam completè habetur ante omnem promulgationem. 8.

Respondeo. Lex est actus prudentiæ, qui sit imperium politicum actu obligans subditos, concedo; alius quicunque, nego: sed actus prudentiæ, qui tantùm est dictamen judicativum de agendis vel omittendis, completè habetur ante promulgationem, concedo; qui est dictamen imperativum actu obligans, nego min. & consequentiam.

Objicies quartò. Datur lex etiam promulgatione non existente: ergo non constituitur per promulgationem. Antecedens probatur primò, quia promulgatio est actus transiens, quo transacto permanet virtus & efficacia legis. Secundò: quia datur lex æterna, cùm tamen promulgatio tam divinæ quàm aliarum legum non nisi in tempore cœperit. 9.

Respondeo negando antecedens. Et primam probationem distinguo. Promulgatio est actus transiens actu, concedo; tam actu, quàm virtute, nego: remanet quippe in effectu à se relicto, v. g. signo, scripturâ, memoria, moribus hominum. Secundam probationem distinguo. Datur lex æterna ante promulgationem, quæ sit ab æterno sub inadæquata & inchoativa ratione legis, concedo; sub adæquata & completa ratione legis, nego.

Colliges ex dictis. Quomodo concordanda sint duo axiomata in speciem opposita, quorum uno dicitur, *leges priùs condi, quàm promulgari*; altero, *leges institui, cùm promulgantur.* Nam primum procedit de lege solùm inchoativè & inadæquatè sumpta, pro regula aptitudinali; alterum verò procedit de lege completè & adæquatè sumpta pro regula actuali, habente formalem efficaciam obligandi. 10.

DISPUTATIO XXXII.

DE

Lege æterna, & naturali.

INter prima & potissima membra, quibus Lex dividitur, poni solet lex æterna, & naturalis, quamvis non sint membra secundùm philosophicum rigorem usquequaque distincta; cùm Lex naturalis, ut in decursu patebit, formaliter accepta à lege æterna non distinguatur. Utriusque in hac Disputatione naturam, subjectum, materiam & proprietates inquirimus.

ARTI-

ARTICULUS I.

Quid sit Lex æterna?

SUMMARIA.

1. *Legis æternæ latior & strictior acceptio.*
2. *Duo principales actus pertinent ad Legem æternam.*
3. *Subjectum Legis æternæ.*
4. *Illius materia operationes liberæ creatæ,*
5. *Non divinæ.*
6. *Hinc nulla creatura rationalis legis expers.*

§. I.

In quo actu formaliter consistat?

1. Lex æterna quandoque in latiori, quandoque in pressiori significatione accipitur. Latiùs accepta, ut fit frequenter in sacra pagina, significat rationem Divinæ Sapientiæ, quatenus directivam omnium motuum & creaturarum in suos fines. Pressiùs verò accepta denotat rationem ejusdem Divinæ Sapientiæ actus liberos creaturæ rationalis efficaciter ordinantis in finem ultimum.

2. Unde duos principales actus lex æterna includit. unum præsuppositivè, qui est judicium scientiæ simplicis intelligentiæ, quo DEUS cognoscit actus ordinabiles, vel inordinabiles ad se ut ultimum finem: respectu priorum est judicium virtualiter negativum & aversativum, ut optimè advertit Reding, ex quo pariter in voluntate fundatur tum simplex complacentia in actibus ad se ordinabilibus, tum displicentia in actibus inordinabilibus. Secundus actus est scientiæ visionis, per quem DEUS, supposito decreto, quo vult ut creaturæ rationales per liberos & morales actus in se tendant, tanquam in ultimum finem, efficaciter exprimit, imperat, & causat omnem cujuscunque legis efficaciam.

§. II.

Subjectum & materia Legis æternæ.

3. Legis æternæ sub ampla significatione subjectum sunt omnes creaturæ, siquidem omnes subjiciuntur rationi directivæ Divinæ Sapientiæ. Ideo S. D. a. 4. *Quæcunque divinæ gubernationi subduntur, subjiciuntur etiam legi æternæ.* Et D. Aug. l. 19. de Civit. *Nullo modo*, inquit, *DEI aliquid legibus, ordinationique subtrahitur, à quo pax universitatis administratur.*

At verò legis æternæ propriè acceptæ materia sunt operationes liberæ & morales creaturæ rationalis; nam omnes actus liberi sive Angelici sive humani suam moralitatem obtinent dependenter à conformitate, vel difformitate ad legem. Lex verò vel est ipsum DEI imperium, & lex æterna, vel certè derivatur ab ipsa, ideoque omnes actus humani vel proximè vel remotè ab æterna DEI lege mensurantur. 4.

Etiamne actus DEI liberos ipsius legi subjicimus? Nequaquam: tum quia lex non est nisi erga subditum: at DEUS nec intra nec extra se habet superiorem se: tum quia voluntas divina essentialiter recta cum suo intellectu identificata, est ipsamet regula & lex divina; at lex non datur respectu suiipsius. 5.

Hinc deduces contra exleges hæreticos, nullam dari creaturam rationalem jugo legis exemptam. Neque obstant Apostoli verba 1. ad Tim. 1. & ad Gal. 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Nam duplex illorum verborum potest esse sensus, interprete Doct. Angel. q. 93. a. 6. ad. 1. primò quòd justi non sint sub lege timore supplicii, tanquam inviti & homines servilis ingenii, quia spirituales viri per charitatem, quam Spiritus sanctus cordibus eorum infundit, voluntariè id, quod legis est, implent. Secundò, in quantum opera hominis justi, qui Spiritu sancto ducitur, magis dicuntur esse opera Spiritûs sancti quàm ipsius hominis; ideoque in quantum Spiritui sancto tribuuntur, non sunt sub lege: *ubi enim Spiritus, ibi libertas* 2. ad Cor. 1. 6.

ARTICULUS II.

Quid sit lex naturalis.

SUMMARIA.

1. *Existentia legis naturalis.*
2. *Duplex acceptio legis naturalis.*
3. *In quo actu formaliter consistat?*
4. *Est lex necessaria necessitate consequenti.*
5. *Definitio Legis naturalis.*
6. *Est diverso sensu lex una & multiplex.*
7. *Non consistit in ipsa hominis natura.*
8. *Non etiam in aliquo habitu,*
9. *Neque in conscientia.*
10. *Actus aliqui sunt intrinsecè mali fundamentaliter, quia præsuppositivè ad legem repugnant naturæ rationali, non verò formaliter.*
11. *Status quæstionis de distinctione juris naturalis & gentium.*
12. *Non est accurata divisio juris gentium in primævum & secundarium.*
13. *In quibus conveniant & differant utrumque jus?*
14. *Ostenditur differentia in 4. generibus causarum.*
15. *Differt etiam in obligationis universalitate & immutabilitate.*
16. *Jus gentium est jus non scriptum.*
17. *In eodem actu reperitur jus naturale, gentium & civile.*
18. *Quo sensu fœdera belli & pacis sint de jure gentium?*

§. I.

Legis naturalis definitio & essentia.

1. TAm ex communi hominum consensu, quàm ex fide constat, dari legem naturalem hominibus congenitam, juxta illud ad Rom. 2. 14. *Gentes naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, & ipsi sibi sunt Lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*: quàm enim implantatum est creaturæ rationali, ut per actus humanos & morales capaces bonitatis moralis tendat in debitum finem ultimum; tam necesse fuit, eidem præscribi & implantari regulas rationis, quibus in eodem ultimo fine prosequendo dirigeretur, & sine quibus nullus esset conceptus moralitatis, nullus bonitatis aut malitiæ moralis, quod ex alibi dictis suppono.

Quæstio igitur principaliter est, in quanam entitate formaliter consistat lex naturalis? Vasq. 1. 2. disp. 150. c. 3. existimat legem naturalem esse ipsam naturam rationalem, quatenus est prima regula vel boni convenientis, vel mali disconuenientis. Alensis 3. p. Sum. q. 27. n. 2. tenet consistere in habitu, seu lumine rationis in actu primo manifestativo bonitatis aut malitiæ moralis. Quam sententiam etiam amplectitur Suarez l. 2. c. 5. n. 14. nisi quòd præter vim luminis naturalis, etiam in actuali judicio mentis docet propriissimè consistere legem naturalem. prout etiam tradunt Gabr. Arimin. & Amicus. Reding. q. 15. a. 1. controv. 2. & Theologi S. Galli sect. 2. q. 2. docent, consistere formaliter in practico dictamine synteresis præceptivè intimantis media ad finem naturæ rationali consentaneum obtinendum necessaria. Magnif. P. Petschacher q. 3. de lege naturali a. 1. docet, legem naturalem formaliter consistere in lege æterna, & actu rationis Divinæ. Pro cujus quæstionis resolutione

2. Notandum. Legem naturalem aliquando accipi in rigore Theologico, & prout formaliter se tenet ex parte DEI Legislatoris; aliquando secundùm vulgarem & communem loquendi modum, prout se tenet ex parte hominis, & remanet virtualiter in aliquo suo effectu, vel signo, quo sensu Theologi morales communiter de lege naturali loquuntur. Quâ distinctione facilè in concordiam redigi possunt diversæ Theologorum sententiæ, quorum aliqui in ipso DEI præcipientis, alii verò in actu synteresis legem naturalem constituunt.

3. CONCLUSIO. *Lex naturalis formaliter consistit in æterna DEI Lege, & imperio præceptivo mediorum habentium necessariam connexionem cum fine naturæ rationali consentaneo: quod per actuale dictamen synteresis nobis promulgatur, & in illo virtualiter permanet, quemadmodum Scriptura aliqua significat imperium obligativum ipsius Legislatoris.* Ita sentire videtur S. D. sup. q. 71. a. 6. ad 4. dicens: *Legem naturalem contineri principaliter in lege æterna, & secundariò in judicatorio rationis naturalis.* Et D. August. l. 1. de sermone Domini in monte: *Nullam animam esse, quæ ratiocinari possit, in cujus conscientia non loquatur DEUS. Quis enim legem naturalem in cordibus hominum scribit, nisi DEUS?*

Ratio ex fundamentis priori jam Disputatione positis est. Omnis lex formaliter est ordinatio & imperium Legislatoris subditis promulgatum: sed Lex naturalis est vera lex: ergo formaliter est ordinatio & imperium ipsius Divini Legislatoris, adeòque est lex æterna ipsius, & actus formaliter immanens, virtualiter verò transiens, & mediante actu synteresis nobis impressa, ac promulgata.

Inferes ex dictis primò: Legem naturalem ex parte DEI esse necessariam consequenter; ex suppositione nimirum, quòd decreverit condere naturam rationalem liberè & moraliter operantem: quia factâ hâc suppositione necesse fuit naturam rationalem subesse Divinæ jurisdictioni & gubernationi, in cavendis, quæ naturæ rationali quà tali sunt dissentanea, & in agendis quæ ad finem naturæ rationalis quà talis consequendum sunt necessaria: sed hoc fit per legem naturalem: ergo. 4.

Inferes secundò. Legem naturalem rectè sic definiri: *Est ordinatio Sapientiæ Divinæ per dictamen synteresis naturæ rationali impressum, quâ dirigitur in suum finem ultimum per media necessaria consequendum.* Ubi notatur primò causa formalis, nempe *imperium Scientiæ practicæ DEI* virtualiter transiens, & *in dictamine synteresis* virtualiter tanquam in signo remanens: secundò causa subjectiva quæ est *natura rationalis*: tertiò finis, *in suum finem*, h. e. bonum honestum; denique modus, quo à lege divina positivâ liberâ distinguitur, *per media necessaria*, est enim de actibus vel intrinsecè bonis, vel intrinsecè malis. 5.

Inferes tertiò cum S. D. q. 94. a. 4. Legem naturæ partim esse unam, partim multiplicem. Una est tum unitate principii universalissimi, ad quod cætera præcepta reducuntur, *bonum est sequendum, malum fugiendum*; tum unitate finis, quod est bonum humanæ naturæ. Multiplex est ex pluralitate præceptorum particularium ad diversas virtutes spectantium, quæ rursus ad tria genera revocantur secundùm triplicem inclinationem hominis ad bonum: primò ad bonum secundùm naturam communem omnibus substantiis, & huc pertinent præcepta de conservatione vitæ; Secundò ad bonum secundùm naturam communem cæteris animalibus, & huc pertinent præcepta de educatione prolis, &c. Tertiò ad bonum secundùm naturam rationalem quà talem, & huc pertinent præcepta dirigentia actus humanos, quatenus per illos homo honestè se habet tum erga DEUM, tum proximum, tum seipsum. 6.

§. II.

Rejectiones aliarum opinionum.

SEquitur ex dictis primò. Legem naturalem non consistere in ipsa natura rationali, quatenus illi quædam actiones sunt convenientes, ideoque honestæ, quædam disconvenientes, ideoque inhonestæ. Nam primò subjectum legis non est lex: sed natura est subjectum legis naturalis; quippe quæ juxta stylum Apostoli est *inscripta in cordibus nostris.* Secundò: Legis actus proprii & officia sunt ostendere honestatem, illuminare, dirigere, præcipere: sed ista non conveniunt naturæ rationali secundùm se spectatæ. Tertiò: Lex est actus superioris erga inferiorem & subditum: natura non est sibiipsi subdita: ergo. 7.

Rectè

Rectè igitur advertit Suar. l. 2. c. 5. n. 6. ab Adversf. malè confundi fundamentum honestatis cum lege, cùm plura ad legem, quàm ad fundamentum & radicem bonitatis vel malitiæ moralis requirantur; Unde etiam, licèt divina natura sit fundamentum & ratio, quòd veritas ipsi sit consentanea, mendacium verò malum & dissentaneum, haud tamen sequitur, quòd divina natura sit lex respectu DEI.

8. Sequitur secundò. Legem naturalem sumptam ex parte hominis non consistere in habitu, est quippe participatio divinæ legis actu præcipientis: sed hæc consistit in actu imperii, ergo & Lex naturalis. Nihilominus, quia illo imperio jam transacto non idcirco aboletur lex naturalis, sed in virtute synteresis habitualiter [non formaliter] perseverat, dicitur aliquando nobis inesse per modum habitûs.

9. Sequitur tertiò. Legem naturalem eodem modo acceptam distingui à conscientia, quia primò lex naturæ est regula generalis, conscientia est dictamen practicum in particulari, prævio discursu formatum. Secundò illa proximè, hæc remotè à synteresi originem trahit. Tertiò conscientia est tum ipsius legis naturalis, tum divinæ, tum humanæ ad operationem particularem applicatio, & quidem non tantùm legis veræ, sed etiam existimatæ tantùm, unde sæpius datur conscientia erronea: Lex verò naturalis est principium applicabile, quod nunquam potest esse erroneum, utpote divinitus impressum.

10. Dices; Actus intrinsecè mali sunt tales, quia independenter à libero decreto & lege DEI repugnant naturæ rationali quà tali: sed repugnant legi naturali: ergo lex naturalis consistit in ipsa natura rationali quà tali.

Respondeo. Actus intrinsecè mali sunt tales fundamentaliter, quia independenter &c. concedo; sunt mali formaliter, nego. sed repugnant legi naturali formaliter, concedo; tantùm fundamentaliter, nego min. & consequentiam. Formalis quippe malitia cujuscunque actûs etiam intrinsecè mali desumitur à repugnantia ad legem æternam, veluti dictum in Tract. de peccato.

§. II.

Distinctio juris naturalis & juris Gentium.

11. IMperator *l. 1. instit. tit. 2.* dividit jus in *naturale, gentium, & civile.* Cui divisioni litem movet mox subjuncta definitio: *Jus gentium est quod ratio naturalis inter omnes homines constituit:* quod enim naturalis ratio constituit apud omnes homines, pertinet ad jus naturale: ut *servare fidem, honorare parentes &c.* Igitur contra leges dialecticæ unum ex membris dividentibus jus in communi, in altero membro includitur, nempe jus gentium in jure naturali. Stat præterea in oppositum authoritas D. Thomæ qui hîc q. 95. a. 4. ex Isidoro jus seu legem humanam dividit in jus gentium, & jus civile, in quantum jus gentium proximè derivatur à lege naturæ, sicut conclusio à principiis, continetque generalia præcepta, ut justas emptiones, venditiones, &c. Jus verò civile remotiùs derivatur à lege naturæ per modum particularis determinationis. Atqui jus humanum adæquatè distinguitur à jure naturali, siquidem lex humana obligatoriam authoritatem sortitur ex arbitrio hominum: lex verò naturalis à voluntate authoris naturæ; unde etiam lex universim dividitur in divinam & humanam, tanquam in membra adæquatè opposita.

Ut seu definitionis, seu definientis authoritati suppetias ferant, dividunt Jurisperiti apud Suarez l. 2. c. 19. jus gentium in primarium seu primævum & secundarium. Primarium vocant, quod naturalis ratio apud omnes primo statim assensu & consensu constituit, quodque nobiscum natum est, & apud omnes gentes peræquè custoditur, ut religio erga DEUM, pietas in parentes, fides in pactis, &c. Jus gentium secundarium est, quod non primo statim assensu, sed necessitate ita exigente, interventu discursûs practici, expensis vitæ ac societatis humanæ commodis communi hominum consensu & usu institutum est: ut sunt emptio, venditio, locatio, societates, servitutes, manumissiones, libertas commerciorum, publica securitas legatorum etiam tempore belli, &c. quâ positâ distinctione meritò dicendum erit cum eodem Suar. Jus gentium primarium ad jus naturale, secundarium verò ad jus humanum positivum revocari. Et ratio primæ partis est: Quod omnes homines ex evidenti instinctu luminis naturalis necessariò & æqualiter obligat, pertinet ad legem naturæ, siquidem talis instinctus immediatè derivatur ab authore naturæ, ideoque Isidorus *l. 5. etymol.* c. 4. Jus naturale, inquit, esse, *quod est commune omnium nationum,* eò quòd utrobique instinctu naturæ, non constitutione aliquâ habeatur: atqui jus gentium primarium ita se habet, unde & ejus præcepta Decalogo continentur: ergo. Ratio 2. partis est: Illa lex continetur sub lege humana positiva, quæ hominum moribus & arbitrio constituitur: nam recipere Legatos sub pacto securitatis, rerum divisiones, emptiones, venditiones, commercia & cætera ejusmodi, ad secundarium jus gentium pertinentia, non sunt absolutè de necessitate generis humani; cùm sine iis humana societas absolutè conservari & gubernari potuisset, & aliquamdiu conservata fuerit. Cùm verò unà cum humano genere etiam malitia cresceret, magistrâ necessitate, non unius sed omnium ferè gentium consuetudine sunt introducta: sed quod usus & mores hominum constituerunt, pertinet ad jus humanum positivum: ergò. Inde

Nihilominùs, ut optimè observat Clariss. D. Jos. Cletle in selectis qq. ex 1. p. ff. q. 2. n. 3. hâc distinctione divisioni juris in naturale & gentium non admodum succurritur; cùm jus gentium primarium nihilo differt à jure naturali, nec nisi denominativè & impropriè *gentium* dici possit, eò quòd gentibus commune sit usitatum. Ideoque dimissâ hâc distinctione rectiùs Theologi à formali principio divisionem legis ac juris instituunt, & id omne jus sub lege naturali comprehendunt, cujus obligatio vel efficacia ab authore naturæ profecta instinctu naturali evidenter cognoscitur: illa sub jure gentium complectuntur, quæ dictante quidem ratione naturali, mediante tamen consuetudine, consensu & arbitrio omnium ferè gentium, non ut absolutè, sed ut necessaria ex suppositione moribus hominum intr897

troductâ, servantur. Cætera ex ratione naturali remotiùs derivata, & populorum vel magistratuum placito variè instituta sub jus civile redigunt.

13. Quamvis igitur jus gentium quandam affinitatem habeat cum jure & lege naturali, & in aliquibus conveniat, ut quòd utrumque sit commune gentibus, saltem utplurimum; quòd utrumque habeat actus præceptivos, prohibitivos, permissivos: nihilominus tamen essentialiter discriminantur, primò quòd præcepta juris gentium tam affirmativa quàm negativa non sunt in materia intrinsecè bonâ, vel malâ, neque sunt ex principiis synteresis evidenter deducta, sed immediatè fundantur in moribus, usu, mutuoque consensu & tacito contractu gentium: qua de causa Imp. §. 4. Instit. de jure natur. &c. vocat jus gentium, *quod usu gentium introductum est*. Secundò differunt, quòd præcepta juris naturalis sunt de rebus simpliciter necessariis ad finem naturæ rationali proprium, ut fidem servare, neminem defraudare, colere parentes, &c. dum econtra præcepta juris gentium non sunt de mediis simpliciter necessariis ad obtinendam felicitatem humanæ societatis, sed magis de commoditate, aut necessitate hypothetica fundata in aliqua libera hypothesi, ut est immunitas Legatorum & Fecialium, jura hospitii, captivitates, servitutes, libertas commerciorum, &c. sine quibus absolute humana societas subsistere potuisset.

14. Unde tertiò differunt secundùm omnia 4. genera causarum: Et de causa materiali constat ex dictis: materia quippe juris & legis naturalis sunt actus intrinsecè boni, vel mali, mediaque necessariò connexa cum fine ultimo: materia verò juris gentium sunt actus habentes solùm magnam commoditatem, aut hypotheticam aliquam necessitatem ad consequendam felicitatem. Item differunt subjecto: nam subjectum juris naturalis sunt omnes & singuli homines: juris verò gentium, sunt aliquæ, & pleræque, non necessariò omnes gentes. Differunt in causa efficienti, nam lex naturalis inprimitur ab ipso authore naturæ humanis cordibus: jus gentium descendit ex arbitrio, consuetudine & mutuo consensu gentium, quamvis originetur in lumine synteresеos. Differunt in fine intrinseco, nam finis intrinsecus legis naturalis est felicitas omnium hominum, & singulorum: econtra finis intrinsecus juris gentium est felicitas gentium quà talium. Differunt proinde causâ formali, definitione & differentiâ specificâ; quia jus naturæ est ordinatio Authoris naturæ inscripta cordibus omnium hominum, ad ea agenda, quæ absolutè & intrinsecè sunt necessaria ad finem ultimum naturæ rationalis, & ad fugiendum illa, quæ cum ipso intrinsecè repugnant. At verò jus gentium rectè definitur, *Ordinatio communi usu & consuetudine gentium, mutuoq; consensu introducta, ad ea amplectenda sine quibus humana societas ex integris gentibus aggregata, quæ mutuis officiis fovetur & indiget, commode non subsistit.*

15. Unde deduces primò, Jus gentium etiam in effectu multum distare à jure naturali, tum universalitate, tum immutabilitate: quia obligatio, quæ est primarius juris sive legis effectus, in jure naturali omnes omnino gentes, singulosque homines afficit, estque formaliter immutabilis seu indispensabilis, prout sequenti art. ostendemus, secus in jure gentium, quod neque necessariò suam obligationem in omnes gentes propagat; neque est prorsus immutabile, quia proximè fundatum in arbitrio & consuetudine gentium.

Deduces secundò. Jus gentium scriptum 16.
propriè non dari, sed ut docet Suarez loc. cit. illud esse speciem juris non scripti & consuetudinarii, quia, ut loquitur Imperator, *est usu gentium introductum*: sicq; primò dividi potest jus in Divinum & humanum; Divinum in naturale & positivum; Istud in scriptum & non scriptum, h. e. traditione acceptum; Humanum quoque in scriptum & non scriptum. Scriptum, quod scripturâ superioris authoritate confectâ perficitur, est tantummodo civile, cùm gentes diversæ nullam agnoscant potestatem humanam superiorem, vi cujus præceptis in certam scripturam redactis arctari possint. Non scriptum verò & consuetudinarium est vel moribus civium unius gentis, populi, civitatis introductum, & illius felicitatem per se primò respicit, estque jus consuetudinarium civile seu politicum: vel est plurium populorum, & gentium moribus introductum, idque propter felicitatem humanæ societatis, non ex una, sed pluribus gentibus diversorum sceptrorum, linguarum, rituum constitutæ, tunc propriè est jus gentium. Possunt quippe, ut cum Suar. loc. cit. eleganter exponit Clariss. D. D. Clerle, considerari homines, prout sunt cives alicujus civitatis, provinciæ, regni: & rursus prout sunt cives vastæ mundi Reipubl. & totius universi; neque enim divisio gentium ita à se invicem homines divulsit, ut non in generalibus quibusdam officiis ad universam hominum societatem pertinentibus reciprocâ quâdam colligatione & vinculo, in ipsa naturæ specificæ convenientia, primisque principiis fundato indigeant, ex quo fit, ut in toto ferè mundo quædam consuetudines sint introductæ, quibus nemo se velit esse exemptum, præter admodum paucas & barbaras nationes, quæ ne quidem naturalis rationis præceptis obsecundant. Ex quo etiam patet sufficiens distinctio juris gentium à jure civili tam scripto, quàm non scripto.

Deduces tertiò. In uno eodemque actu fre- 17.
quenter concurrere jus naturæ, gentium, & civile: ita e. g. in contractu spectari potest inprimis specialis modus contrahendi, isque ordinariè pertinet ad jus civile, vel arbitrium ipsorum contrahentium: alterum est observatio contractûs consummati: & hoc pertinet ad jus naturale, quo dictatur, suum cuique esse reddendum, fidemque servandam: tertium est facultas libera contrahendi, & illa est juris gentium.

Deduces quartò. Quo sensu fœdera belli & 18.
pacis inter populos inita sint juris gentium? Nam primò vel sumuntur hæc fœdera pro ipsa pactione fœderis in genere, & sic videntur post diluvium, factâ hominum gentiumque divisione, earundem moribus ita suadente communi utilitate introducta, adeoque esse de jure saltem permissivo gentium; quamvis eandem facultatem DEUS Israëlitis restrinxerit, ut patet ex Deuteronomii

nomii cap. 7. Vel secundò, sumuntur fœdera determinatè, v. g. pro hac, vel illa pacificatione, Monasteriensi, Neomagensi, Pyrenæa, &c. & sic sunt juris non gentium, sed civilis: quia ut sic non introducuntur moribus gentium; neque respiciunt per se communem gentium felicitatem, prout illæ humanam societatem constituunt & quasi rempublicam universi, sed constituuntur authoritate summorum Principum & Magistratuum, atque in cujuslibet partis fœderatæ propriam felicitatem referuntur, quod pertinet ad jus civile: neque enim, si Hispanus cum Gallo pacem inierit, ideo vel Hispanus Gallicæ, vel Gallus Hispanicæ gentis felicitatem quærit, sed quælibet gens suam, prout manifestum fit ex punctis in ejusmodi fœdera deductis. Nec refert, quòd plures diversæ gentes populique in ejusmodi fœdera conveniant, uti nunc Anglia, Hispania, Imperium, Belgium, Sabaudia &c. contra Gallos; nam & in illis quælibet pars fœderata proprii statûs & Reipubl. conservationem ac felicitatem principaliter intendit. Vel tertiò per fœdera intelligitur ipsa fœderis observandi religio; & hæc procul dubio est juris naturalis, siquidem, fidem esse servandam, ipsa rationis naturalis principia præscribunt.

ARTICULUS III.

An lex naturæ sit immutabilis?

SUMMARIA.

1. *Quot modis fieri possit legis mutatio?*
2. *Materialis mutatio legis naturalis fieri potest humanâ potestate.*
3. *Non tamen in omni præcepto.*
4. *Quæ sunt de jure naturæ permissivo, humanitus mutari possunt.*
5. *Nullâ potestate lex naturæ formaliter mutari aut dispensari potest.*
6. *Objectiones ex S. Scripturæ Authoritate diluuntur.*
7. *Ad variarum dispensationum exempla objecta respondetur.*

§. I.

Præsupposita.

1. Suppositâ divisione legis naturalis in præceptivam & permissivam; Notandum est, mutationem legis fieri vel quoad existentiam, vel quoad specificationem: quoad existentiam fit, quando lex in humana mente per invincibilem ignorantiam nullam habet existentiam, vel habitam amittit. Et hoc sensu quæri potest, an lex naturæ invincibiliter ignorari possit? ad quam quæstionem in prioribus responsum est, legem naturalem quoad prima principia moralia ex nullius ratione utentis mente tolli posse, bene autem quoad secundaria, quæ per remotiorem consequentiam ex primis deducuntur. Quoad specificationem lex mutari dicitur, quando id quod per legem priùs erat illicitum, postea fit licitum, vel econtra, quod quidem fieri potest dupliciter, nempe ab intrinseco, & extrinseco. Ab intrinseco fit, quando mutato fine & ratione legis, cessat etiam obligatio legis, vel in totum, & tunc dicitur cessatio legis, vel in particulari occasione, & tunc dicitur interpretatio legis. Ab extrinseco lex mutatur, quando ab habente potestatem, nempe à legislatore, revocatur vel in totum, & tunc dicitur abrogari; vel ex parte, & quoad aliquem casum aut personam particularem, & tunc dicitur fieri dispensatio; nam dispensatio dicitur relaxatio juris à superiore facta cum aliquo particulari, remanente vigore juris. Rursus, Mutatio vel dispensatio legis potest esse mutatio legis formaliter & propriè, vel tantùm materialiter, & impropriè. Mutatio legis formaliter quam Suar. etiam vocat intrinsecam, est, cùm legis obligatio definit remanente objecto legis sub iis circumstantiis, sub quibus terminat intentionem legislatoris; materialiter & impropriè [quod etiam appellant extrinsecè] lex mutatur, quando materia sive objectum legis ita mutatur, ut ad illud legislatoris intentio & legis obligatio jam ampliùs se non extendat. His positis

2. Certum est primò. Legis naturalis materialem tantùm & impropriam mutationem non tantùm divinâ, sed etiam humanâ potestate fieri posse, quando nimirum materiæ & objecti mutatio ejusmodi potestati subest; Certum quippe est de facto mutatâ materiâ præcepti naturalis, præceptum naturale non obligare, non quia præceptum ejusve obligatio mutetur, sed quia non invenit objectum, circa quod deberet suam obligationem exercere: ergo si DEUS vel potestas humana possit mutare materiam legis, similiter poterit fieri extrinseca mutatio legis naturalis. Antec. constat in lege naturali reddendi depositum, servandi naturale secretum, quæ præcepta non obligant in casu, quo reddendo depositum, vel servando secretum, damnum Reipubl. sequeretur; hæc quippe præcepta non aliter respiciunt redditionem debiti, & servationem secreti, nisi sub implicitâ conditione boni communis, ad quod omnia tacitè referuntur: quâ deficiente mutatur objectum & materia legis, & consequenter obligatio legis ad talem casum se non extendit, ipso nihilominus vigore legis penitùs immutato. Sic pariter, etiamsi sit lex naturalis, ne quis occidat seipsum, si DEUS, qui est Dominus vitæ & mortis, expressâ revelatione & præcepto potestatem homini tradat, licita erit occisio sui ipsius; si creditor faciat donationem mutui, cessabit naturalis obligatio mutuum restituendi, &c.

3. Certum est secundò. Non omne præceptum legis naturalis etiam materialiter mutari posse: quando nimirum materia legis est simpliciter immutabilis: ita quippe in præcepto non blasphemandi, non mentiendi &c. nulla est mutabilitas, aut dispensabilitas, quia materia prohibita habet intrinsecam & essentialem repugnantiam cum divinis perfectionibus.

4. Certum est tertiò, ea quæ sunt de jure permissivo naturæ, mutari posse: neque enim ratio naturalis dictat, illa esse necessaria ad conservandam morum honestatem: sed tantùm tribuit moralem facultatem illa retinendi, quamdiu legitimam authoritatem habentibus aliud expedire non videbitur. Sic rerum communitas, & hominum libertas est de jure naturæ permissivo, quia natura ex se non præcipit, sed permittit homines gaudere bonis communibus, & possessione suæ libertatis, quamdiu boni communis ratio aliam dispositionem non introduxerit, quæ jure gentium introducta est in servitutibus, & rerum divisionibus. Dubium superest, an jus naturale præceptivum formaliter & propriè mutari, aut dispensari possit, sive per humanam, sive per divinam potestatem? Ubi posse in quibusdam remotioribus conclusionibus, & casibus particularibus jus naturæ Summi Pontif. authoritate limitari, aut dispensari censuit Angelus V. Papa n. 1. Sanch. l. 8. de matrim. d. 6. cum pluribus à se relatis. Posse in jure naturæ secundario, & in quibusdam præceptis secundæ tabulæ à DEO propriè dispensari, haud obscurè docet Scotus in 3. d. 37. q. un. à n. 5. cum plerisque suæ scholæ.

§. II.

Resolutio quæstionis.

5 CONCLUSIO. *Jus seu lex naturæ præceptiva verè & formaliter neque humanâ, neque Divinâ potestate mutari, aut dispensari potest.* Ita S. D. q. 94. a. 5. & 6.

Ratio est primò. Lex DEI æterna, consistens in actu, partim simpliciter, partim hypotheticè necessario, mutari, & dispensari non potest: atqui lex naturalis ex parte DEI est lex æterna ipsius, consistens in imperio necessario prohibente actus intrinsecè malos, & præscribente ea, quæ necessariam habent convenientiam cum bono naturæ rationalis, ex suppositione quòd decreverit creare naturam rationalem, quæ per liberos actus tendat in suum finem: Item fundatur in actu necessario simplicis intelligentiæ, quo DEUS cognoscit, actus intrinsecè malos esse inordinabiles ad se ut ultimum finem, & esse suis Divinis perfectionibus repugnantes, adeòque impermissibiles: sicut ergo est impossibile istos actus mutari, ita pariter est impossibile mutari legem naturæ.

Unde summopere miror, quânam consequentiâ quidam Rec. Scotista in Disp. de Leg. D. 1. q. 5. à n. 9. doceat, posse DEUM propriè dispensare in quibusdam præceptis Decalogi, cùm paulò antè eâdem distinctione q. 2. n. 18. dixisset, regulam legis naturalis haud esse aliam, quàm incommutabilem æternam DEI voluntatem, seu rectiùs actum Divinæ voluntatis necessarium, quo ab æterno vult obligari quamcunque creaturam rationalem ad faciendum ea, quæ sunt intrinsecè bona, ac omittendum ea, quæ sunt intrinsecè mala: Certè omnis dispensatio est aliqua legis mutatio, quâ nempe voluntas legislatoris facit licitum, quod antecedenter faciebat illicitum: sed lex naturalis juxta prædictum Scotistam est necessaria & immutabilis, adeòque incapax mutationis: ergo pariter est indispensabilis.

Ratio est secundò. Lex naturalis fundatur in intrinseca convenientia vel disconvenientia actionis humanæ cum natura rationali [ut admittit prædictus Scotista l. cit. n. 7.] sed ista est intrinsecè immutabilis: ergo.

Confirmatur. Ut fieret aliqua mutatio vel dispensatio in lege naturæ, deberet remanente objecto cum omnibus circumstantiis fieri licitum, quod lege naturæ est illicitum: sed hoc est simpliciter impossibile: ergò. Minor probatur: Est impossibile, ut fiat licitum, quod est disconveniens naturæ rationali quà tali: sed quicquid est lege naturæ illicitum, est disconveniens naturæ rationali quà tali, ideoque etiam inordinabile in debitum finem ultimum: ergo pariter est impossibile, ut, quod lege naturæ est illicitum, fiat aliquando licitum.

Oppones è S. Script. primò. DEUS cum Abrahamo dispensavit in quinto præcepto, *Non occides*, quando ipsi præcepit, ut immolaret filium Gen. 22. Secundò in sexto præcepto cum Osea, quando ipsi præcepit, ut acciperet mulierem fornicariam. Tertiò in septimo præcepto cum Hebræis, quando ipsis concessit spolia Ægyptiorum Exod. 11. Quartò in monogamia & indissolubilitate matrimonii, cùm antiquis Patriarchis plures uxores, & Hebræis libellum repudii permisit. Accedat authoritas D. Bernardi, qui l. de dispens. & præc. c. 5. ita loquitur de præceptis secundæ tabulæ: *Quæ etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo solvere aut licuit, aut licebit, Dominus tamen horum quod voluit, & quando voluit, solvit.* 6.

Respond. Per adducta exempla nequaquam formalem, & propriè dictam mutationem, vel dispensationem legis evinci, cùm per solam materiæ & objecti mutationem commodissimè explicentur: In quantum nempe DEUS, ceu Dominus vitæ & mortis ac universæ creaturæ Abrahamo concessit potestatem in vitam filii, Oseæ in corpus meretricis, Hebræis in bona Ægyptiorum; quamvis ex DD. Hieronymo, Augustino, Irenæo; aliisque PP, advertat Suarez, exemplum Oseæ parum vel nihil probare, cùm rectè intelligi possit, quòd DEUS præceperit Oseæ, ut sibi mulierem fornicariam legitimo conjugio sociaret. Sic etiam vi ejusdem supremi dominii potuit DEUS marito concedere jus in plures uxores, & tollere jus uxoris in corpus mariti, marito remittere obligationem respectu uxoris, quo casu mutato legis naturalis objecto, neque monogamiæ, neque indissolubilitatis & vinculi lex ampliùs adstringebat. Ad D. Bernardi authorit. ℞. S. Patrem hoc intendere & probare, quòd DEUS aliquas actiones suâ lege prohibitas possit efficere licitas, quod tamen nulla posset humana potestas, idque probat adductis Scripturæ exemplis: hoc autem per materialem solùm dispensationem sufficienter obtinetur, quippe quæ ex infinito DEI dominio, quod omnem creatam authoritatem ac potestatem excedit, derivatur.

Opponuntur etiam quædam humanæ potestatis exempla. Primò. Summi Pontifices sæpius dispensârunt in matrimonio rato, cujus tamen vinculum est de jure naturæ. Secundò, Eccle- 7.

Sia di-

sta dispensat in votis, quorum obligatio est juris tam divini, quàm naturalis. Tertiò, Lege usucapionis auferuntur & occupantur bona aliena, quod rursus est legi naturali contrarium. Quartò. Jure naturæ mutuo consensu clandestino contractus matrimonialis perficitur, & tamen hunc contractum jus positivum Tridentini invalidat.

Respond. Neque in istis exemplis intervenire aliquam formalem mutationem, aut dispensationem; sed tantùm aliquam mutationem materiæ vel objecti. Nam quia fidelium voluntates Summo Pontifici tanquam Christi in terris Vicario moraliter sunt subjectæ, & subordinatæ, potest ille ex gravibus causis illorum consensum moraliter immutare, vel irritare, quo facto lex de indissolubilitate matrimonii, de redditione voti, &c. desinit obligare, & sic patet responsio ad 1. & 2.

Ad 3. Resp. Lege usucapionis non occupari alienum, sed acquiri proprium, atque dominium ab uno in alterum transferri, quod omnino rationi & æquitati naturali est congruum, quæ dictat, intuitu boni communis à supremo Magistratu vi alti dominii rerum proprietates & dominia aliquando auferri, vel ab uno in alterum transferri posse & debere.

Ad 3. Resp. Clandestini matrimonii valorem jure naturali tantummodo permissum esse, cui juri permissivo humanâ potestate aliquid addi, vel detrahi posse extra dubium est.

DISPUTATIO XXXIII.

DE

Lege Divina positiva antiqua & nova

ad q. 98. & seqq.

LEgis Divinæ necessitatem S. D. q. 91. a. 4. probat hâc ratione: Hominem elevatum in finem beatitudinis supernaturalis oportebat dirigi in finem illius beatitudinis: hoc autem non præstabat lex naturalis, quæ nec finem naturalis felicitatis transcendit, neque actiones particulares satis determinat: Neque præstabat lex humana, quippe quæ tantùm versatur circa actus externos humanæ cognitioni, & judicio subjectos: neque omnia vitia prohibere, aut punire potest. Debuit itaque dari lex Divina, quâ etiam interni actus ad honestatem supernaturalem in particulari dirigerentur, & vitia beatitudini opposita prohiberentur, unde psal. 101. dicitur: *Lex immaculata, testimonium fidele, convertens animas,* &c. Dividitur lex Divina in Veterem & Novam, seu Veteris & Novi Testamenti, de quâ deinceps.

ARTICULUS I.

Quænam legis antiquæ, & novæ differentia?

SUMMARIA.

1. *Quid sit antiquum Testamentum?*
2. *Quid novum?*
3. *Omnis causalitas gratiæ in quocunque statu pertinet ad novum Testamentum.*
4. *Legis Mosaicæ & Evangelicæ præcipua differentia.*
5. *Aliæ differentiæ accidentales.*
6. *Triplicia præcepta legis antiquæ.*
7. *Ceremonialia & judicialia erant figurativa.*
8. *Omnia præcepta moralia legis Veteris aliquo modo continebantur in Decalogo.*
9. *Quâ ratione moralia pertinuerint ad legem Veterem?*
10. *Quotuplicia fuerint præcepta ceremonialia?*
11. *Quotuplicia præcepta judicialia?*

§. I.

Differentia antiqui & novi testamenti.

1. QUia lex antiqua etiam appellatur lex antiqui Testamenti, & lex nova novi Testameni, videndum inprimis, quæ sit utriusque Testamenti notio & distinctio. Igitur Testamentum Divinum, ut docet Illustriss. Reding. q. 15. a. 3. n. 4. significat universim Divinam promissionem & pactum, quo humana communitas sub certis legibus & ritibus aggregatur: idque post eversum primum Testamentum annexum statui Innocentiæ, quo promissa fuit posteritati ex Adamo propagandæ justitia originalis, sub conditione observandi Divina mandata, præcipuè de non comedendo fructu ex ligno scientiæ boni & mali, duplex è S. Script. nobis innotescit, Vetus, & Novum. Vetus est promissio de conferendis temporalibus bonis populo Israëlitico, & de Christo ex ipsorum sanguine nasciturò, sub conditione præscriptarum & promulgatarum per Moysen legum, cæremoniarum, & Sacrificiorum, quibus ipse Christus, & gratia per ipsum conferenda significabatur. Hoc vetus Testamentum jam sumpsit initium à temporibus Abrahami; ad ipsum quippe primitus facta fuit promissio, quòd ejus posteris tribuenda esset terra Chanaan, & quòd in ipsius semine, h. e. Christo ex ejus sanguine

guine nascituro, *benedicenda essent omnes gentes.* Ipse quoque primus legem circumcisionis accepit, per quam familia Abrahami ab aliis gentibus discriminata jam in unam quandam Ecclesiam consignabatur: perfectionem verò suam vetus Testamentum accepit primùm, quando Moyses assumptum volumen legis, quod tunc dici cœptum *volumen fœderis, legit audiente populo;* illisque spondentibus: *Omnia quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes. Ille verò sumptum victimarum sanguinem respersit in populum: & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* Exod. 24.

2. Novi verò Testamenti nomine intelligitur Divina promissio, Christo DEO Homini facta de generis humani reconciliatione, gratia & gloria, tum ex opere operantis, tum ex opere operato hominibus conferenda, sub onerosa conditione mortis & passionis subeundæ, velut indicatur Is. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum,* &c. Quod testamentum in morte Christi perfectum, & consummatum, virtualiter post lapsum Adami jam inchoatum fuit, juxta doctrinam Angel. Doct. 1. 2. q. 106. a. 1. ad 3. dicentis: *Nullus unquam habuit gratiam Spiritûs S. nisi per fidem Christi explicitam, vel implicitam, per fidem autem Christi pertinet homo ad Novum Testamentum. Unde quibuscunque fuit lex gratiæ indita, secundùm hoc ad Novum Testamentum pertinebant.*

3. Ex quibus cognosces, omnem causalitatem gratiæ sive in lege non scripta, sive Mosaica, maximè per sacramentum deletivum peccati originalis, pertinere ad novum Testamentum, cui soli annexa est promissio gratiæ: eamque potissimam esse inter utrumque Testamentum differentiam: quod vetus Testamentum continuerit promissionem temporalium, umbram, & figuram gratiæ per Christum conferendæ; unde & dicitur Hebr. 7. *Nihil ad perfectum adduxit lex;* Novum verò ipsam exhibeat gratiam & veritatem, juxta illud Jo. 1. *Gratia & veritas per JESUM Christum facta est.*

4. Ipsa lex Mosaica, non quia à Moyse instituta, sed promulgata, ipso DEO authore & dictante per Angelum, prout dicitur Act. 7. *Accepistis legem in dispositione Angelorum,* dicitur lex veteris Testamenti, lex fœderis, imò metonymicè pactum, non quia formaliter erat ipsa Divina promissio, sed quia erat conditio, cui adjuncta erat futurorum bonorum promissio, ut habetur Exod. 19. *Si audieritis vocem meam, & custodieris pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis gentibus; mea est enim omnis terra, &c.* Unde & Arca & Tabernaculum, in quo tabulæ legis asservatæ, dicta sunt arca & tabernaculum testimonii, vel fœderis. Cujus ea quoque est formalis & primaria differentia à lege nova Evangelica, quòd sub ea ratione, quâ erat propria Veteris Testamenti præsertim in sacrificiis & sacramentis, quibus ille populus in unam Ecclesiam aggregabatur, nulla polleret efficaciâ causativâ gratiæ, sed eandem tantummodo figuraret; aut siquam concomitanter conferendam ex opere operantis significaret, illud ipsum non haberet formaliter & ex meritis veteris testamenti, sed concomitanter & in virtute novi testamenti, ad quod pertinet meritum fidei, sine quo in nullo statu confertur gratia.

Plures accidentales differentias si exposcas, differunt præterea, quòd lex antiqua solis Hebræis data, & per Moysen promulgata; lex nova à Christo toti mundo data & promulgata: Illa partim bonorum temporalium pollicitatione, partim pœnarum comminatione ad sui observantiam inducebat, ideoque ab Apostolo pædagogus appellatur; lex nova verò trahit amore, & consideratione æternorum bonorum. Illa in præceptis tam cæremonialibus, quàm judicialibus figurabat Christum venturum, & gratiam novi testamenti; ista continet ipsammet exercitam veritatem. Unde & Lex antiqua fuit antiquata post passionem Christi: Lex nova verò Evangelica durabit usque ad finem mundi. 5.

§. II.

Quotuplicia præcepta Antiqua Legis?

Triplicia erant præcepta antiquæ legis: moralia, cæremonialia, & judicialia, velut exprimitur Deut. 5. *Loquar tibi omnia mandata mea, & cæremonias, atque judicia. Moralia* sunt præcepta juris naturalis, decalogo comprehensa. *Cæremonialia* sunt præcepta, quibus populus Israëliticus specialiter dirigebatur ad cultum divinum; cujus materia fuit quadruplex: primò Sacramenta, ut circumcisio, agnus paschalis, &c. Secundò Sacrificia, ut holocaustum, sacrificium pro peccato. Tertiò sacra, hoc est, res pertinentes ad sacrificia, & cultum DEI, ut tabernaculum, templum, altare, sacra vasa, &c. Quartò peculiares observantiæ, ut erant certa festa, jejunia, prohibitiones quorumdam ciborum, &c. Judicialia sunt illa præcepta, quibus populus Israëliticus ordinabatur ad bonam tum œconomicam, tum politicam gubernationem. 6.

Ex his tam cæremonialia, quàm judicialia præcepta erant figurativa: *Omnia* quippe *in figura contingebant illis.* 1. Cor. 10. cum hac tamen differentia, quod præcepta judicialia magis ex consequenti & accessoria DEI voluntate essent figurativa, cùm principaliùs essent ordinata ad rectam gubernationem Reipublicæ; cæremonialia verò licèt in universali essent ordinata ad DEI cultum, protestationem internæ fidei, evitationem idololatriæ, &c. in particulari tamen essent ad mysticas significationes principaliter ordinata: quod enim tale determinatum animal, e. g. hircus, agnus, &c. ad sacrificium deputaretur, non erat alia ratio, quàm figurativa, & significativa mysteriorum novi testamenti. Numerus istorum præceptorum fuit ingens: Guilielmus Parisiensis 613. enumerat apud Suar. Unde non immeritò Act. 15. lex antiqua vocatur *Jugum importabile.* 7.

Quæres primò. An omnia præcepta moralia veteris testamenti contenta fuerint intra Decalogum? Respondeo: omnia fuisse contenta vel formaliter, vel virtualiter; virtualiter, vel ut principia in conclusionibus; vel ut conclusiones in principiis. Sic præceptum de dilectione DEI pro- 8.

& proximi, tametsi expressum non esset formaliter in Decalogo, tamen virtualiter in illo continetur, eò quòd omnis lex in DEI & proximi charitate fundetur. Unde D. Gregor. hom. 27. in Evang. *Præcepta Divina sunt quidem multa per diversitatem operis, sunt tamen unum in radice charitatis.* Alia verò præcepta moralia magis particularia, ut quæ spectant ad virtutem Religionis, temperantiæ, justitiæ &c. ideo virtualiter continentur in decalogo, quia sunt tanquam conclusiones in suis principiis & fructus in semine.

9. Quæres secundò. Quomodo præcepta moralia pertineant ad legem Veteris Testamenti, cùm potiùs videantur pertinere ad legem naturæ? Respondeo cum Illustriss. Reding loc. cit. n. 8. distinguendum esse in ejusmodi præceptis diversum ordinem. Nam primò per illa homo ordinatur ad honestum naturale tanquam finem naturæ rationali quà tali proprium, & sic pertinent ad legem naturalem humanis mentibus à DEO authore impressam. Secundò potest per illa homo sub lumine fidei divinitus revelatæ ordinari ad finem supernaturalem ejusmodi præceptorum observantiâ meritoriè consequendum: & sic pertinent ad novam legem gratiæ. Tertiò per illa ordinabatur populus ad Messiam venturum, ut nempe observantiâ ejusmodi præceptorum sub promissione temporalium bonorum, majori puritate disponeretur ad Christum ex se nasciturum: ut enim D. Th hîc q. 98. a. 4. ait, soli Judæorum populo legem dari debuisse, quòd, cùm promissiones de Christo Judæorum Patribus factæ sint, *decuerit, eum populum, ex quo Christus nasciturus erat, quâdam speciali sanctificatione pollere.* Unde etiam Apostolus Rom. 3. docet, illi populo *credita fuisse eloquia DEI:* & sub hac postrema consideratione præcepta moralia propria sunt veteri testamento.

Quæres tertiò. Quotuplicia fuerint præcepta cæremonialia? Respondeo: Illa à D. Th. hîc q. 101. & 102. congruè reduci ad quatuor genera, nimirum sacrificia, sacra, sacramenta, & observationes cæremoniales. Cujus numeri rationem dat S. D. cit. q. 101. a. 3. quòd præcepta cæremonialia præcipuè fuerint ordinata ad cultum Divinum: ipse porrò cultus Divinus principaliter consistebat in sacrificiis, de quo passim in libro Levitici: ipsa sacrificia & cultus Divinus ulteriùs exigebant certum locum, vasa, & instrumenta sacrificandi, quæ nomine sacrorum comprehenduntur: unde alterum genus præceptorum de sacris, h. e. tabernaculo, arca, altaribus, thuribulis, &c. Secundò exigebant specialem ad DEI cultum, sacrumque ministerium deputationem, quò pertinebant Sacramenta, & inde tertium genus præceptorum; Ac denique certos ritus, & observantias legales, quibus veri DEI cultores ab aliis discernerentur, quò pertinent præcepta cæremonialia de observationibus, quæ quartum genus præceptorum absolvunt. Singulorum mysticas ac symbolicas significationes exponit loc. cit. D. Th. & S. Script. Interpretes. 10.

Quæres quartò. Quotuplicia fuerint præcepta judicialia? Respondeo cum eodem S. D. q. 104. a. 4. juxta quadruplicis ordinis distinctionem judicialia quoque præcepta in quatuor classes posse dispesci. Prima est eorum, quibus constituebatur certus ordo inter Principem, seu Magistratum & populum: secunda, quibus ipsi populares inter se; tertia, quibus populus ad extraneos; & quarta eorum, quibus domestici inter se, maritus & uxor, parentes & filii, dominus & servus ordinabantur. Prima classis continebat mutua officia Principis & subditorum; Altera officia civium, venditiones, emptiones, &c. Tertia officia versùs extraneos, uti bella, susceptiones peregrinorum, &c. Quarta domesticam conversationem &c. 11.

ARTICULUS II.

De abrogatione & cessatione legis antiquæ.

SUMMARIA.

1. *Lex antiqua abrogata per Christum.*
2. *Quo sensu dicatur æterna?*
3. *Non fuit abrogata ante passionem.*
4. *Sed in ipsa morte Christi.*
5. *Quo sensu aliqua præcepta antiqua legis dicantur mortua, vel mortifera?*
6. *Lex quoad omnia præcepta fuit inæqualiter mortua.*
7. *Cæremonialia quando cœperint esse mortifera?*

§. I.

An & quando lex antiqua fuerit abrogata?

1. CONCLUSIO PRIMA. *Lex antiqua fuit abrogata per Christum.* Est certa Catholicorum contra Judæos, ex D. Th. q. 103. a. 3. & 104. a. 3.

Probatur primò veteris testamenti authoritate, ubi Jer. 31. DEUS promittit: *Faciam domui Israël, & domui Jacob fœdus novum non secundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum, in die quâ apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti.* Præterea. Ablato & mutato sacerdotio legis antiquæ, non potuit illa salva consistere, siquidem præcepta cæremonialia majori ex parte referuntur ad sacrificia & sacerdotium antiquæ legis: sed fuit ablatum sacrificium & sacerdotium veteris legis, ut habetur apud Danielem c. 9.: fuit etiam à Christo mutatum partim per sacrificium cruentum in Cruce, partim per incruentum in ultima cœna, ubi Christus se exhibuit Sacerdotem non juxta ritum & institutionem legis Mosaicæ, sed secundùm ordinem Melchisedech, prout de ipso dicitur Ps. 109. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Probatur secundò authoritate novi testamenti; præterquam enim quòd hanc veritatem totâ

epistolâ ad Galatas D. Paulus propugnat, etiam ad Rom. c. 7. dicit: *Vos mortificati estis legi per corpus Christi.* Et Hebr. 7. *Reprobatio quidem fit praecedentis mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem.* Et S. Petrus Act. 15. *Quid tentatis DEUM imponere jugum* [legis] *super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus: sed per gratiam Domini nostri JESU Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.*

2. Dices. Quod est æternum, non est mutationi & cessationi obnoxium: sed lex antiqua in S. Scriptura sæpius dicitur æterna: ergo non est mutationi & abrogationi subjecta. Secundò, Christus dixit: *Non veni legem solvere, sed adimplere.*

Respondeo ad 1. Vocari æternam, vel primò quoad rem significatam, nempe Christum & Evangelium: vel secundò, quia diutissimè duratura, prout æternitas in S. Script. & apud Hebræos sæpius accipitur juxta SS. Interpretes: vel tertiò, quia non habet alium terminum, nisi ipsi legi intrinsecum, & à legislatore intentum, nempe veritatem Evangelicam, quâ per mortem Christi institutâ umbratilis illa & figurativa lex veteris testamenti non poterat ulteriorem sui durationem postulare.

Ad 2. Respondeo, sensum esse, quòd Christus non venerit ad tollendam illius legis observantiam, priusquam illius figuræ per suam mortem & passionem implerentur; tunc enim non ampliùs poterat esse locus umbris & figuris.

3. CONCLUSIO SECUNDA. *Ante Christi passionem lex antiqua non fuit abrogata.* Est contra Scotum, qui in 4. dist. 3. q. 4. §. *quantum ergo*, docet, saltem præceptum circumcisionis [quod facilè extenditur etiam ad alia præcepta] fuisse mortuum statim ab institutione baptismi.

Ratio juncta authoritati est: Tunc solùm lex vetus cœpit abrogari, quando lex nova cœpit obligare, novumque testamentum fuit conditum: sed novum testamentum non fuit conditum nisi in sanguine & morte Christi, neque ante ipsius mortem cœpit obligare lex Evangelica: ergo ante mortem Christi lex vetus non potuit abrogari. Minorem tradit Apostolus Hebr. c. 9. *Ideo*, inquit, *novi testamenti mediator est, ut morte intercedente &c. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.* Rursus de tabernaculo, id est, sacerdotio & religione veteris testamenti loquens significat illud duràsse usque dum Christus sanguinem fudit: *Prius*, inquit, *tabernaculum habet statum, & offeruntur munera & hostiæ, donec propalata fuit Sacramentorum via, & Christus per proprium Sanguinem introivit semel in Sancta æternâ redemptione inventâ.*

4. CONCLUSIO TERTIA. *Tota lex antiqua fuit mortua, consummato per mortem Christi sacrificio in ara Crucis.* Ratio est: quia lex antiqua fuit alligata statui veteris Testamenti, quo proinde sublato etiam illa suam amisit efficaciam: atqui in morte Christi sublatum est testamentum vetus, *confirmato* jam *per mortem testatoris novo Testamento* Heb. 9. translato à Synagoga sacerdotio, impletis præcedentibus vaticiniis & figuris, consummatis per crucis sacrificium omnibus sacrificiis, in cujus signum statim post mortem Christi *scissum est templi velum.* Lucæ 23. ergo etiam lex antiqua in morte Christi mortua fuit & antiquata.

§. II.

An tota lex antiqua æqualiter sit mortua?

NOta. Aliud esse præcepta antiquæ legis esse mortua, aliud esse mortifera. Mortua ex eo dicuntur, quòd careant efficaciâ obligandi ad sui observantiam; mortifera verò, quòd sine gravi peccato observari non possint; adeòque sui observatoribus animæ mortem inferant. Quo posito sit 5.

CONCLUSIO QUARTA. *Lex Mosaica quantùm ad omnia præcepta non fuit æqualiter mortua. Unde præcepta moralia quoad antiquæ legis titulum, & quasdam circumstantias isti statui proprias, ut est v. g. cultus Sabbati, fuerunt mortuæ; vigent tamen etiamnum quoad substantiam; siquidem ut sic pertinent ad legem naturæ, suntq; confirmata per Evangelium.* 6.

Præcepta cæremonialia ita quoad substantiam sunt mortua, ut etiam sint observantibus mortifera, quia illius legis cæremoniæ erant umbræ, protestationes, annunciationes Christi venturi: sed manifestatâ jam Dominici adventûs, & Redemptionis veritate, non ampliùs est licitum prædicare vel annunciare adventum Christi futurum: ergo.

Præcepta demum judicialia sunt quidem quoad substantiam mortua, non tamen sunt per se mortifera. Sunt mortua quoad substantiam, quia ordinabantur tum ad bonum politicum Reipublicæ Israëliticæ, tum ad Christum figurandum; sed tam figuræ Christi, quàm Respublica Israëlitica exspirârunt: ergo. Non tamen per se sunt mortifera, quia multa continent ex æquitate naturali deducta, publicæque tranquillitati accommoda, neque ad annunciandum Christi adventum præcisè ordinata.

CONCLUSIO QUINTA. *Præcepta cæremonialia antiquæ legis à passione Christi usque ad divulgationem Evangelii fuêre mortua, non mortifera: ab hujus verò divulgatione etiam mortifera.* S. D. q. 103. a. 4. ad 1. Et quidem prior pars habetur exemplis S. Script. nam & Timotheus ab Apostolo Paulo post Christi passionem fuit circumcisus. Et Act. 19. Apostoli fidelibus præceperunt, ut abstinerent à suffocatis, quorum utrumque pertinebat ad cæremonias antiquæ legis. Ratio totius responsionis est: quòd post factam toto orbe promulgationem, & divulgationem legis Evangelicæ, non sit conveniens, ampliùs exerceri ritus Judaicæ genti proprios, & Christi venturi protestativos; initio verò prædicationis Evangelicæ, ut facilior esset Judæorum conversio, & in unam Ecclesiam unà cum gentilibus adunatio, poterant aliqui ritus Judaici ab Apostolis permitti, & bonâ intentione exerceri, dummodo non fierent ut signa protestativa Christi venturi, aut ut media necessaria ad salutem. 7.

ARTI-

ARTICULUS III.

De lege Evangelica.

SUMMARIA.

1. *Lex Evangelica habet formalem rationem legis.*
2. *Materia legis Evangelicæ.*
3. *Subjectum illius sunt omnes homines.*
4. *Initium legis Evangelicæ.*
5. *Scriptura non est de ipsius essentia.*
6. *Durabit usque ad finem mundi.*
7. *Sitne a Summo Pontifice dispensabilis?*
8. *Rationes in contrarium.*
9. *Fundamenta opposita solvuntur.*

§. I.

Causæ Legis Evangelicæ.

1. CONCLUSIO PRIMA. *Lex Evangelica habet formalem rationem legis vere & proprie dictæ, cujus legislator est Christus Dominus.*

Est de fide contra Sectarios nostri temporis, qui nihil volunt esse sub præcepto præter fidem. Constat primò ex variis Script. ut Is. 33. *Dominus Judex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster.* Ubi sermo est de Messia, seu Christo, unde præmiserat: *Domine miserere nostri, te enim exspectavimus*, &: *Ipse salvabit nos.* Item Ps. 71. *DEUS judicium tuum regi da*, &c. Is. 2. *De Sion exibit lex.* Jer. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël, & domui Juda fœdus novum:* &: *Dabo legem meam in visceribus eorum.* Jac. 4. *Unus est legislator & Judex, qui potest perdere, & salvare.*

Constat secundò, quòd ipse Christus quoque potestatem istam legislativam sæpius ostendit & usurpavit in præcepto charitatis Jo. 14. *Mandatum novum do vobis.* Et: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* In præcepto baptismi Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c. In præcepto Eucharistiæ Jo. 6. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis*, &c. Confessionis Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c. Et generaliter Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.*

2. CONCLUSIO SECUNDA. *Materia legis Evangelicæ sunt actus tam interni, quam externi in materia virtutum moralium, fidei, & Sacramentorum.*

De materia moralium virtutum constat; quia lex naturalis de actibus istarum virtutum fuit per Evangelium magis confirmata, uti cùm Matth. 7. Christus dixit: *Omnia quæcunque vultis, ut faciant homines, & vos facite illis.* De fide & Sacramentis, ubi etiam comprehenditur Sacrificium novæ legis patet, quia novum Sacrificium, nova Sacramenta, & plurium articulorum explicita fides in novo Testamento fuit determinata & præscripta.

Unde patet primò. In lege nova divina contineri solùm præcepta fidei moralia & cæremonialia, non etiam judicialia; prout expressè tradit S. D. quodl. 4. a. 13 dicens: Legem novam esse contentam præceptis moralibus naturalis legis, & articulis fidei, & Sacramentis gratiæ. Patet secundò. Quomodo intelligendum sit antiquum axioma Theologorum dicentium, in nova lege nulla esse præcepta nisi fidei & sacramentorum. Sensus enim est, non quòd lex nova nulla habeat præcepta moralia, sed quòd peculiaria præcepta distincta à præceptis naturalis & Mosaicæ legis alia non habeat, quàm præcepta fidei, & sacramentorum: unde in moralibus lex tantummodo fuit confirmata.

CONCLUSIO TERTIA. *Subjectum legis Evangelicæ sunt omnes homines.* Est de fide ex Matth ult. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes* &c. *Docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Marci ult. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* 3.

§. II.

Legis Evangelicæ duratio & dispensabilitas.

Quæres primò. Quandonam cœperit lex Evangelica. 4.

Respondeo. Lex Evangelica in morte Christi accepit efficaciam radicalem obligandi, formalem verò respectu totius mundi cùm fuit promulgata in die Pentecostes, quæ tamen ipsa virtus obligatoria ut redigeretur in actum exercitum, requirebatur prædicatio Apostolorum, per quam tolleretur invincibilis istius legis ignorantia. Ratio 1. p. est, quia Testamentum accipit suum robur ex morte testatoris: sed Christus erat testator seu conditor novi Testamenti: ergo ipsius morte novum Testamentum & fœdus cum Patre initum accepit suum robur: sed in hoc Testamento etiam continebantur leges, sub quibus esset erigendus Ecclesiæ status: ergo eædem leges jam tunc in morte Christi acceperunt suum robur; Robur, inquam, non formale, sed radicale, quia tunc lex nondum erat promulgata.

Unde ratio 2. partis est: Tunc lex accepit virtutem suam formaliter obligatoriam, quando promulgabatur: sed fuit promulgata in die Pentecostes Hierosolymis, quando & Petrus ad Judæos dixit, Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrûm in nomine JESU Christi in remissionem peccatorum vestrorum*, &c. Sicut ergo lex Pontificis Romæ publicata accipit formalem virtutem obligandi pro tota Ecclesia, ita jam tunc lex Evangelica habebat completam rationem legis illos, ad quorum notitiam hæc promulgatio pervenerat, actu obligantis. Quia tamen hæc ipsa promulgatio non poterat simul & semel omnibus tum Judæis, tum Gentilibus innotescere, eorumque invincibilem ignorantiam discutere, propterea, ut affirmat 3. p nostræ responsionis, tunc successivè reliquas etiam non tantùm Judææ, sed etiam Gentilitatis, & totius orbis partes actu obligavit, cùm remoto invinci-

bilis ignorantiæ impedimento in audientium mentes promulgatio cœpit influere.

5. Quæres secundò. Sitne de ratione legis Evangelicæ quod sit scripta?

Respondeo negativè. Quia ante scriptionem Evangeliorum lex Evangelica erat sufficienter promulgata & obligatoria, quatenus fuit cordibus inscripta per judicium practicum intellectûs non merè naturale sicut lex naturalis, sed spiritu gratiæ Divinæ elevatum; veluti indicatur Jer. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam.* Et 2. ad Cor. 3. *Epistola estis Christi ministrata à nobis non atramento, sed spiritu DEI vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.*

6. Quæres tertiò. Quanto tempore lex Evangelica sit duratura?

Respondeo, Esse duraturam usque ad finem mundi. Et clarè deducitur ex Matth. 28. primùm allegato; ubi cùm Christus mandâsset Apostolis, *docere & baptizare omnes gentes*, subjunxit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Et adhuc manifestiùs Matth. 24. *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in universo orbe, in testimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio.* Ubi exponente D. Th. q. 106. a. 4. ad 4. Christus loquitur de prædicatione Evangelii cũ pleno effectu, *ita scilicet quòd in qualibet Gente fundetur Ecclesia*; quo facto Christus dicit venturam consummationem, nempe sæculi, ut intelligunt D. Hier. ibid. & S. Chrys. ho. 49. in Matth. Idcirco frequenter in sacro textu regno, sacerdotio, testamento Christi tribuitur æternitas, quia nimirum durabit usque ad finem mundi in Ecclesia militante, & consummabitur in triumphante. Hebr. 13. Apostolus Sanguinem Christi, *sanguinem testamenti æterni* vocat, Ps. 109. Christus vocatur *sacerdos in æternum.* Lucæ 1. *Regnabit in domo Jacob in æternum.* Mich. 4. *Regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc & usque in æternum. Potestas ejus potestas æterna.* Dan. 7.

Ratio quoque est: Illa lex debet esse ultima, quæ immediatè conjungit fini ultimo, nullâ aliâ mediante: sed lex Evangelica immediatè conjungit fini ultimo, siquidem vita & gloria æterna dantur intuitu fidei, sacramentorum, & bonorum operum, quæ per istam legem, & Christum ipsius authorem traduntur.

7. Quæres quartò. Utrum lex ista saltem in uno alterove præcepto [nam in totum mutari non posse, manifestum est] per Summi Pontif. dispensationem mutari possit?

Fuit quorundam Canonistarum opinio, posse Summ. Pontif. authoritate non quidem humanâ, sed Divinâ & supernaturali extra materiam fidei dispensare in jure divino. Pro qua Suarez refert Panormit. in c. *proposuit, de concess. præbend.* & Felin. *in c. quæ Ecclesiarum.* de constitut. è quibus iste concedit, posse Sum. Pontif. ex causa commutare in istam: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis.* Item, posse unico verbo consecrare Sacerdotem & Episcopum: Quibus ex parte accedunt Canus Relect. de pœnit. p. 5. & Sanch. l. 8. de matrim. disp. 6. n. 6. docentes, quòd in iis præceptis, quorum observatio in particulari casu potest impedire majus bonum spirituale, uti contingit in voto & juramento, Summus Pontifex dispensare possit. Pro fundamento adducunt primò, quòd Christus Matth. 16. dederit Petro amplissimam potestatem, cùm dixit: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Ex quibus verbis colligitur, Summum Pontificem posse dispensare in voto, juramento, matrimonio rato, in vinculo spirituali inter Episcopum & Ecclesiam Sponsam suam, in professione religiosa, quamvis hæc omnia in multorum sententia sint juris Divini. Secundò Jure Divino solus Episcopus est Minister sacramenti Confirmationis, & tamen ex gravi causa Summus Pontifex committit hoc ministerium simplici sacerdoti. Præterea refert Onuphrius in Chronico anni 1490. ex Volaterrano quòd Innocentius VIII. cum Saxonibus [dicendum erat, Norwegis; nam Saxones abundant vino, & in hunc diem in sua cœna Lutherana tenacissimè servant usum calicis] propter vini inopiam dispensaverit, ut in solo pane conficerent Eucharistiæ sacramentum; cùm tamen sit juris Divini, ut Eucharistia conficiatur, & sacrificium fiat in utraque specie.

Respondendum tamen est cum S. D. in quodl. 4. a. 13. Suarez l. 10. c. 6. Reding q. 15. a. 3. n. 7. cum communi tam Theologorum, quàm Canonistarum, Summum Pontificem in lege Divina etiam positiva dispensare non posse. 8.

Ratio est primò, quia inferior non potest validè dispensare in lege Superioris sine justa & rationabili causa: sed homo non potest habere justam & rationabilem causam dispensandi in lege Divina: ergo. Minor probatur. Tunc datur rationabilis causa dispensandi in lege Superioris, quando casus emergit, in quo superior legislator legis obligationem remitteret, si illum prævidisset: sed hoc de DEO dici non potest: quia infinita sua scientia penetravit omnes casus & causas.

Ratio est secundò. Vel Divina voluntas vult, alicujus legis obligationem se extendere ad talem casum, vel non vult? si vult; non potest inferior judex dispensare, siquidem omnis efficacia præceptiva & legislativa hominum à Divina voluntate derivari debet. Si non vult, eoipso nullâ opus est dispensatione.

Ratio est tertiò à posteriori: quia si daretur locus mutationi & dispensationi in lege Divina positiva, præsertim circa materiam & formam sacramentorum, Ecclesia DEI non haberet necessariam unitatem seu uniformitatem, quæ non in sola fide, sed vel maximè in exteriori quoque DEI cultu, Religione, Sacramentis ritibusque substantialibus fundatur: hoc autem repugnat intentioni & providentiæ Divini legislatoris, per suam Evangelicam legem unam, sanctam, & æternaturam Ecclesiam erigentis.

9. Ad 1. fundamentum contrariæ sententiæ Respond. id nimium probare, nam ex illius textûs amplitudine inferri posset, Summum Pontificem æquè in uno ac altero præcepto juris Divini dispensare posse, quod traditioni & doctrinæ totius Ecclesiæ adversatur. Exponendus igitur est ille locus de iis omnibus, quæ Petri clavibus & jurisdictioni

ditioni subjecta sunt, inter quæ non est lex & potestas ipsius Christi Divini legislatoris. Quod additur de voto, & juramento, matrimonio rato, non est ad rem, quia hæc sunt juris Divini naturalis, de quo jam in Disputatione dictum, non esse formalem dispensationem sed tantùm materialem, ex morali immutatione voluntatum, quæ Summo Pontif. tanquam supremo Pastori sunt subditæ.

Ad 2. optima est responsio August. à V. M. disp. 6. q. 2. Volaterranum, ex quo desumpta est illius dispensationis fabula, sic habere: *Norvvegiæ Innocentii VIII Pontificis concessione permissum sine calice vino sacrificare, quòd ob immensa frigora vinum in ea regione importatum acescat.* Ubi non dicitur sine vino, sed sine calice; imò supponitur consecratio cum vino: ideoque exponi potest, concessam Norwegis facultatem in aliquo vase clauso vinum consecrandi, ne de facili congelari posset: néve vinum mediante congelatione à frigore acedinem patiatur. Quicquid sit, una hirundo non facit ver, & unius scriptoris authoritas tanti non est, ut ipsi omnium ferè Doctorum cœtus assurgat.

DISPUTATIO XXXIV.

DE

Lege humana positiva & scripta secuudùm se.

ad q. 95.

Cùm plurima sint in moribus humanis, quæ lex naturalis & Divina positiva indeterminata relinquat, humanæ communitati necesse fuit, ut per leges positivas ulteriorem morum disciplinam obtineret, quâ circa particulares actus dirigeretur, *earumq; metu malorum coërceretur audacia, & tuta esset inter improbos innocentia*, ut inquit Isidorus relatus à S. D. q. 95. a. 1. Hanc legislativam potestatem hominibus à DEO datam frequenter contra Hæreticos testatur sacra Pagina Prov. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Rom. 13. *Qui potestati resistit, DEI ordinationi resistit*, &c. Eandem à lege naturæ derivatam & dependentem agnoscit S. D. citat. a. 2. Cùm enim omnis lex humana debeat esse justa & rationabilis, etiam debebit esse conformis ad regulas rationis, quas inter eminet lex naturæ. Dividitur hæc potestas in Ecclesiasticam, & Civilem, seu politicam, juxta duplicem hominum communitatem: cùm enim sit duplex finis, in quem homines oportet dirigi: unus felicitatis temporalis, & naturalis; alter spiritualis, æternæ, & supernaturalis; ita duplex est hominum communitas, una politica & Civilis, altera Ecclesiastica; illam Civilibus, hanc Ecclesiasticis legibus oportet dirigi; nam *ubi non est gubernator, populus corruet.* Prov. 11.

ARTICULUS I.

In quibus resideat potestas condendi leges?

SUMMARIA.

1. *Dividitur lex in generalem & particularem.*
2. *In præceptivam & pœnalem.*
3. *In favorabilem & odiosam.*
4. *In Ecclesiasticam & civilem.*
5. *Potestas legislativa non est in aliquo homine ex natura rei.*
6. *Data fuit ab authore naturæ integris communitatibus.*
7. *Ab istis translata in supremos Magistratus.*
8. *Imperator potest leges facere pro toto & solo Imperio.*
9. *Summus Pontifex potest ferre leges civiles pro suo statu Ecclesiastico.*
10. *Qua potestate Sum. Pont. deroget legibus Imperatoriis, vel disponat de regnis.*
11. *Etiam fœmina legitima hæres regni gaudet potestate legislativâ.*
12. *Summus Pontif. habet potestatem legislativam Ecclesiasticam jure Divino.*
13. *Similiter Concilium Oecumenicum.*
14. *Sed quid, Sede vacante, vel tempore schismatis?*
15. *Episcopis competit potestas legislativa dependenter à Summo Pontif.*
16. *Exponuntur textus S. Scripturæ in speciem contrarii.*
17. *Potestas legislativa etiam competit Prælatis habentibus jurisdictionem quasi episcopalem.*
18. *Qualis potestas leges ferendi conveniat Concilio Nationali?*
19. *Qualis legato, vel Nuncio Apostolico?*
20. *Qualis Cardinalibus?*
21. *Qualis Capitulo Sede vacante.*

§. I.

Variæ divisiones legis Scriptæ.

Lex scripta, quæ est constitutio, dicitur, estque 1.
imperium, seu ordinatio rationis ab habente legitia-

legitimam potestatem pro bono communi edita, dividi potest primò in *generalem*, & *particularem*. Illa est, quæ fertur à Summo Principe, puta Summo Pontif. Imperatore, vel Rege. Particularis, quæ fertur ab inferiori & subalterno Prælato vel Principe.

2. Dividitur secundò *in preceptivam*, & *pœnalem*. Præceptiva est, quâ aliquid absolutè præcipitur, vel prohibetur absque adjunctione alicujus pœnæ in transgressores statutæ, ut est v. g. præceptum Ecclesiasticum diebus festivis audiendi Sacrum.

Pœnalis est, quâ transgressori pœna vel mulcta injungitur, quæ pœna si sit capitalis, specialiter *Sanctio* nominatur; l. 41. ff. *de pœnis*. Hæc rursus subdividitur in purè pœnalem & mixtam. Purè pœnalis est, per quam sub conditione alicujus actûs positi directè pœna vel mulcta injungitur, ut si lex dicat: Qui frumentum è provinciâ evexerit, solvat 20. solidos. Mixta est, quæ simul actum prohibet, & pœnam taxat, eaque rursus subdividitur in copulativè & disjunctivè mixtam. Disjunctivè, cùm sub disjunctione aut actus prohibetur, aut pœna imponitur, e. g. aut frumentum non evehito, aut 20. solidos pendito. Copulativè, cùm actui prohibito sine disjunctione pœna jungitur, ut frumentum provinciâ non evehito sub pœna 20. solidorum.

3. Rursus dividitur lex in *favorabilem & odiosam*. Favorabilis est, quæ principaliter fertur in alicujus favorem, licet in alterius odium redundet: odiosa est, quæ principaliter fertur in alicujus odium, vel pœnam, quamvis etiam cedat in alterius favorem, de quibus est regula Juris 15. in 6. quòd leges favorabiles amplam, odiosæ strictam patiuntur interpretationem.

4. Porrò cùm genus humanum non solùm indigeat directione in ordine ad bonum honestum contentum intra limites rationis naturalis, vel ad externam & temporalem felicitatem; sed etiam ad bonum honestum ordinis supernaturalis, ad spiritualem animæ salutem, æternamque felicitatem comparandam, ideo lex, eique correspondens potestas legislativa dividitur præcipuè in *Ecclesiasticam*, & *Politicam*, seu Civilem; quarum ista temporalem, illa spiritualem & æternam subditorum felicitatem primariò intendit. Utraque suas habet subdivisiones, de quibus Canonistæ Tit. 2. de Constitut.

§. II.

Potestas ferendi leges Civiles.

5. QUæres primò: An civilis potestas legislativa ex natura rei existat in aliquo homine, vel familia singulari.

Respond. negativè. Nam naturæ indulto omnis homo liber nascitur: ipseque Adamus, tametsi quoad propagationem esset caput naturale omnium hominum, non tamen majorem, quàm œconomicam potestatem habuit in suos descendentes, neque enim fuit ipsi dictum, ut præesset hominibus, sed *piscibus maris, & volatilibus cœli, ac bestiis terræ*. Cùmque eadem sint in cunctis hominibus naturæ principia, non esset major ratio, cur ejusmodi potestas uni potiùs, quàm alteri competeret.

Est tamen hæc potestas data integris communitatibus ab authore naturæ, per modum proprietatis moralis politicam communitatem consequentis. Cùm enim naturalis instinctus hominibus dictârit, ne pecorû ritu solitarii & vagi, sed in communem societatem adunati convivere nt, idque sine legum adminiculo obtineri, ac retineri non possit; consequens erat, ut hominibus inter se aggregatis potestas fieret certis legibus communitatem stabiliendi, & felicitatem communem tuendi; siquidem DEUS & natura in necessariis nunquam deficiunt. 6.

Quam potestatem quia populus in unum aut plures à se transferre potuit, & ita suadente experientiâ ac necessitate modò liberaliùs, modò limitatiùs actu transtulit, hinc legislativa potestas modò in uno, modò in pluribus juxta statûs Monarchici & Aristocratici diversitatem residet, non immediatè, sed mediante populi consensu à DEO concessa. Nec refert, quòd aliquando Monarchicum regimen à tyrannicæ invasionis [ut in Nemrodo] vel armorum violentiâ initium sumpserit: nam & regimen tyrannicè cœptum tractu temporis, unanimi subditorum consensu, in justam Monarchiam mutari, & jure belli integri populi sub jugum mitti potuerunt. 7.

Quæres secundò. Quanta sit Imperatoris potestas ferendi leges? 8.

Respond. Quemadmodum Principibus ac Rebuspublicis supremam Jurisdictionem habentibus competit potestas tantùm in regnis & provinciis sibi subjectis ferendi leges, extra quas neminem ligant; [nam *extra territorium jus dicenti non paretur impune, l. ult. ff. de jurisd.*] sic posse Imperatorem leges ferre pro toto imperio, non verò pro toto orbe, & provinciis imperio non subjectis: neque enim ampliùs est, qui velit ire in sententiam Bartoli, dominium totius orbis Imperatori adulatoriè asserentis. Siquando igitur Imperatoriæ leges etiam extra imperium observantur, uti de regno Lusitaniæ testatur Castropol. p. 22. §. 1. obligatio non ex illarum, sed propriarum regni constitutionum virtute nascitur.

Quæres tertiò. An Summus Pontifex habeat potestatem leges civiles ferendi? Certum est Summum Pontificem habere potestatem ferendi leges civiles in statu Ecclesiastico, seu terris Romanæ Ecclesiæ ex Principum donatione subjectis: in has quippe ditiones temporalis Principis authoritate fungitur. De aliis verò terris & provinciis 9.

Respondeo. Summus Pontifex non habet potestatem leges Civiles extra statum Ecclesiasticum ferendi. Ita Suar. Bellarm. & communis DD. Ratio est, quòd jurisdictio, quam Sum. Pont. à Christo accepit, est potestas clavium regni cœlestis, quæ per se & directè tantùm extenditur ad bonum spirituale fidelium: adeòque directè se non extendit ad bonum temporale & politicum, nec proinde extra suum territorium de illo potest disponere, ut ipsâ Summorum Pontiff. confessione ostendit Clariss. Lombardus in Sacerdot. Reg. l. 1. §. 5.

Nec obstat, quòd Sum. Pont. quandoque per legem contrariam derogat legibus Imperatoriis, quate- 10.

quatenus animarum saluti adversantibus: ita quippe *in c. vigilante & c. fin. de prascr.* abrogavit legem civilem permittentem præscriptionem cum mala fide. in *c. cùm haberet, de eo, qui duxit in matrimonium,* præcipit, illegitimis liberis alimenta præberi, quæ per leges civiles denegantur; imò sæpius de integris regnis disponit; ita Zacharias Pont. Childerico III. Regi exauthorato ad ipsorum Francorum preces Pipinum substituit. Leo III. in Carolum M. jus Occidentalis Imperii transtulit. Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi Fridericum II. Imperio dejecit. [Vide plurima exempla in citato Regali Sacerdot.]

Respondeo, Hæc omnia à Summo Pontif. fieri non ex vi potestatis directæ, sed indirectæ in jura & bona temporalia: nam imperia, regna & reges, quatenus ad finem salutis æternæ subordinantur, etiam Ecclesiasticæ potestati, quæ aliter fidelium saluti non posset prospicere, subjiciuntur.

11. Quæres quartò. An etiam in fœmina seu Regina hærede regni legislativa potestas locum habeat?

Respondeo *affirmativè.* Cùm enim supremæ potestati & Regiæ jurisdictioni annexa sit legislativa potestas, si fœmina Regiæ successionis & gubernationis, pariter & legislativæ potestatis erit capax. Nec obstat, quòd Apostolus 1. Tim. 2. *Mulierem docere non permittit.* Et in *l. fœminæ* ff. de R. I. dicitur: *Fœminas ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotas esse, & ideo nec Judices esse posse, nec magistratus gerere.* Nam Apostolus loquitur de publica & concionatoria doctrina fidei in Ecclesia, lex verò loquitur de fœminis sortis inferioris, non de præcellentibus, & in summo regimine constitutis. V. Suar. l. 3. c. 9.

§ III.

Potestas ferendi leges Ecclesiasticas.

12. Quæres primò. *An* potestas legislativa in Ecclesia sit juris Divini?

Respondeo primò. Potestas legislativa pro tota Ecclesia est in Summo Pontifice immediatè collata à Christo. Ita DD. Catholici. Ratio est: Christi in terris Vicarius habet supremam jurisdictionem & potestatem gubernativam, adeòque & legislativam in Ecclesiam, & quidem jure Divino, seu immediatè à Christo: sed Sum. Pont. legitimè in Cathedra Romana succedens Petro est Christi in terris Vicarius: ergo jure Divino habet potestatem legislativam in totam Ecclesiam. Major fundatur in duplici loco Evangelii, uno quo Christus potestatem gubernativam Petro promisit, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Et tibi dabo claves regni cælorum.* In altero, quo tradidit: Jo. 21. *Pasce oves meas,* quo verbo *pascendi* supremum Ecclesiæ regimen & cura pastoralis designatur, Quemadmodum 2. Reg. 5. indicatur: *Tu pasces populum meum Israël, & eris Princeps super eum.* Minor pariter ostenditur: Per hæc verba suprema potestas in Ecclesiam eo fine Petro fuit tradita, ut Ecclesia in ipso tanquam petrâ solidata contra persecutiones invicta perennaret: atqui hoc non obtineretur, nisi unà cum Ecclesia etiam officium supremi hierarchatûs perennaret. Unde Adrianus Papa in Epistola ad Imp. quæ refertur in 7. synod. act. 2. *Ab ipso,* inquit, *Redemptore mundi B. Petro Apostolo principatus ac potestas data est, & per eundem Apostolum Catholica & Apostolica Ecclesia Romana usque hactenus tenet principatum, & potestatis authoritatem.* Et in c. *novit. de judiciis* dicitur: *Potestas nostra non ex homine, sed ex DEO est.* Neque refert quòd electio ad Papatum fiat ab hominibus: quia cùm legitima successio non fiat jure sanguinis, aut modo hæreditario, sed viâ electivæ designationis; idcirco electores designant quidem personam, quæ Petro succedat, non tamen tribuunt jurisdictionem, quam ipsimet nunquam habuerunt; sed positâ hâc designatione tanquam necessariâ conditione, potestas jurisdictionis supremæ immediatè confertur à Christo.

Respond. secundò. Potestas ferendi leges universales pro tota Ecclesia eodem jure competit 13. Concilio œcumenico, quia illud repræsentat totum corpus Ecclesiæ, habetque influxum authoritatis à præsidentia Romani Pontificis, tanquam Capitis, cujus munus est Generalia Concilia convocare, præsidere, approbare, confirmare. Unde si Concilium sit acephalum, & Papali authoritate destitutum, nullâ potitur potestate legislativâ, quippe carens jurisdictione requisitâ.

Sed quid si Concilium congregetur Sede vacante, vel tempore schismatis? 14.

Respondeo: Posse quidem leges universales condere, inquantum exigit temporum necessitas; quæ tamen non aliter sunt habituræ efficaciam, nisi cùm à sequenti Romano Pontifice fuerint approbatæ, vel ab Episcopis congregatis pro singulis suis diœcesibus acceptatæ, in iisque promulgatæ. Ratio est: quòd tale Concilium jurisdictionem pro tota Ecclesia nec habet à Summo Pontifice ut supponitur, neque à jure Divino, de quo nec scripto, nec traditione constat. Plus ergo potestatis non habet quàm quæ cuilibet corpori mystico jure naturæ competit, ut in defectu capitis per Principes congregatos possit se gubernare, suoque bono prospicere, quousque legitimum caput obtinuerit. Ita Suar. l. 4. c. 6.

Respondeo tertiò. Episcopi obtinent potestatem legislativam pro suis diœcesibus, non quidem immediatè, sed mediatè à Christo acceptam. 15. Et primæ quidem partis ratio est: quia intantùm habent potestatem condendi leges, inquantum sunt Pastores & Rectores Ecclesiæ: sed sunt Rectores Ecclesiæ, non quidem universalis sed quilibet suæ particularis Diœcesanæ, juxta illud D. Pauli *Act. 20. Vos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam DEI:* ergo quilibet respectu suæ Ecclesiæ diœcesanæ habet authoritatem leges ferendi. Ita habetur *c. 2. de major. & obed. c. 2. de constitution.*

Secundæ partis, quam contra Vasq. tuetur Suarez cum communi, Ratio est: quia jurisdictio Episcopalis, cujus pars est legislatio, per Summum Pontif. sæpe limitatur, ampliatur, aufertur, non habentibus ordinem Episcopalem confertur, ab Episcopis non consecratis & solùm confirmatis exercetur, quod evidens signum est, potestatem jurisdictionis à Summo Pontif. in Episcopos immediatè

mediatè derivari: unde & D. Gregorius in c. decreto 2. q. 6. dicit: *Episcopos esse vocatos in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Et S. Leo *serm.* 3. *de Assumpt.* *Si quid cum eo* [Summo Pontifice] *commune cæteris voluit esse Principibus, nunquam nisi per ipsum dedit, quicquid aliis non negavit.* Congruentiam dat Ang. Doctor in 4. cont. gent. c. 76. quòd sic magis consulatur ordini hierarchico, & unioni Ecclesiæ: unde & Christus soli Petro dixit: *Tibi dabo claves,* &c. ut ostenderetur potestas clavium per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiæ unitatem.

16. Si dicas primò: Etiam munus Episcopale est juris Divini juxta illud Apostoli: *Vos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam DEI.* Secundò. Sicut Pontifex Romanus Petro, sic Episcopi succedunt aliis Apostolis: ergo sicut & cæteri Apostoli habuerunt potestatem gubernativam immediatè à Christo, sic & Episcopi. Tertiò. Matth. 18. Apostolis eorumque Successoribus promisit Christus, *Quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis.*

Respond. ad 1. Est juris divini quoad potestatem ordinis, concedo; jurisdictionis, nego, vel subdistinguo: est juris divini, radicaliter, & in genere, in quantum est divinum præceptum, ut instituantur Pastores etiam particularium Ecclesiarum, concedo; formaliter, & in particulari, in quantum alicui confertur potestas in determinatam partem populi Christiani, sic nego.

Ad secundùm distinguo antec. succedunt cæteris Apostolis in Episcopatu, concedo; in Apostolatu, nego antec. & consequentiam.

Ad tertium. Respond. Salvâ illorum verborum veritate & proprietate, potestatem ligandi in Successore Petri esse principaliter, in cæteris Ecclesiæ Pastoribus participativè.

17. Respondeo quartò. Eandem potestatem leges ferendi, quam habent Episcopi, etiam obtinent Prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem, intra terminos suæ quasi Diœcesis: siquidem jurisdictio Episcopalis fuit in ipsos translata, ipsique sunt veri Ordinarii suarum Ecclesiarum.

18. Quæres secundò. Quam potestatem habeant Synodi minores, Cardinales, & Capitula?

Respondeo primò. Nationale Concilium, quod sub uno Patriarcha, vel Primate ex Archiepiscopis & Episcopis integræ nationis congregatur, pro sola & tota natione: Concilium metropoliticum seu provinciale, quod sub Archiepiscopo seu Metropolitano ex Episcopis Suffraganeis congregatur, pro sola & tota provincia: Diœcesanum, quod sub uno Episcopo seu Ordinario ex Prælatis, Pastoribus, Rectoribus Ecclesiarum, & Superioribus Regularium congregatur, pro tota & sola Diœcesi habet authoritatem ferendi leges: cùm enim hæc potestas conveniat Episcopis Clero non congregato, quantò magis conveniet cum unanimi Cleri consensu & acceptatione? Specialiter tamen statutum est per c. *nullus Primas* 9. q. 3. ne quis Primas, vel Metropolitanus leges ferat pro tota natione, aut provincia, nisi in nationali, aut provinciali Concilio de consensu suorum comprovincialium.

19. Respondeo secundò. Legatus, & Nuncius Apostolicus possunt leges ferre pro tota provincia, ad quam mittuntur, quia in illa habent jurisdictionem ordinariam, per *c. ult. de offic. Legati.* Et *c. 2. de offic. Legati in 6.*

20. Respondeo tertiò. Cardinales nullam potestatem habent in Ecclesia ferendi leges, nisi respectu suarum Ecclesiarum, in quibus exercent jurisdictionem Episcopalem: vel enim hæc potestas ipsis conveniret jure Divino vel Pontificio? Non divino, cùm nec ipsum Collegium Cardinalium sit juris Divini; non Pontificio, quia oppositum statuitur in *Clement. ne Romani. de elect.*

21. Respondeo quartò. Sede vacante Capitulo Cathedrali eadem competit potestas ferendi leges respectu subditorum, quam habet illius Ecclesiæ Episcopus, quæ tamdiu obligabunt, donec à Summo Pontif. vel successore revocentur, quia Capitulum Sede vacante succedit Episcopo in omni jurisdictione tam voluntaria, quàm contentiosa, exceptis casibus in jure prohibitis, per *c. unicum de majorit. & obed. in 6.*

22. Respondeo quintò. Abbatibus, non autem Abbatissis competit potestas legislativa: quia illi habent jurisdictionem spiritualem & ordinariam in suos Religiosos. Unde etiam Prælati Ecclesiæ in SS. Canonibus appellantur *c. decernimus, de Judic.* At fœminæ jurisdictionis spiritualis & Ecclesiasticæ, jure ordinario non sunt capaces, unde nec possunt imponere præcepta spiritualia, sed tantùm civilia, tanquam matresfamiliâs œconomicam potestatem habentes. Ita cum S. D. in 4. d. 19. q. 1. a. 1. quæstiunc. 3. ad 4. controvers. 2. cum pluribus citatis.

ARTICULUS II.

Quænam sit legis humanæ materia?

SUMMARIA.

1. *Lex humana versatur circa omnes virtutum actus, non tamen omnes præcipit.*
2. *Quadruplex modus actûs interni.*
3. *Actus purè internus nullâ humanâ lege potest directè præcipi.*
4. *Ecclesia intendit spirituale bonum subditorum, ut humano modo procurandum.*
5. *Objectiones.*
6. *Solvuntur.*
7. *Actus internus per accidens externo conjunctus non cadit sub præceptum.*
8. *Impletur præceptum, etiamsi intentio & finis operantis sit malus.*
9. *Non requiritur signata & reflexa intentio præceptum implendi.*
10. *Requiritur tamen ut opus voluntariè ponatur.*
11. *Dicta procedunt in præceptis affirmativis.*

§. I.

§. I.

An actus interni sint legis humanæ materia?

1. SUppono: Legem humanam circa omnium quidem virtutum actus versari; non tamen omnes virtutum actus præcipere, uti nec omnes oppositorum vitiorum actus prohibere posse. *Ratio primi est:* quòd nulla sit virtus, cujus actus ad bonum commune vel mediatè, vel immediatè ordinari non possint. *Ratio secundi* est: quia aliqua virtutum opera tam sunt ardua, ut præstet esse opera consilii, quàm præcepti, neque eorundem observatio toti communitati foret expediens, ut est perpetua virginitas, paupertas, abstinentia, &c. *Ratio tertii* est: quia omnium malorum prohibitio plus incommodi, quàm commodi afferret Reipublicæ, cùm plerumque in communitate major sit numerus imperfectorum: unde prudentia subinde dictat, permittenda esse mala minora, ut evitentur majora. Ubi tamen rectè advertit P. Engel tit. 2. §. 2. n. 11. hanc permissionem non esse approbativam, quo modo actiones honestæ, vel indifferentes, tanquam bono communi utiles positivè permittuntur, sed tantùm pœnæ dissimulativam, quâ positiva prohibitio & pœnalis coërcitio negativè intermittitur. Quæstio potissimùm vertitur, an materia legum humanarum possint esse non tantùm actus liberi externi, qui sunt extra controversiam, sed etiam interni?

2. Ubi nota. Actum internum quatuor modis se habere posse. Primò, ut sit planè internus, velut est mentalis oratio: secundò, ut per se conjungatur cum actu externo, vel infallibiliter inferatur ex ipso, veluti ex actu externo liberè posito infertur voluntas tanquam causa ipsius. Tertiò, ut conjungatur cum opere externo ex vi legis divinæ, vel naturalis, talem actum internum ad moralem substantiam operis illius requirentis, sicuti ex vi legis divinæ ad substantiam confessionis sacramentalis requiritur internus dolor tanquam pars ipsius, & ad Sacramenti administrationem intentio Ministri, quamvis utraque actio externa materialiter spectata sine illis actibus internis fieri posset. Quartò, ut actus internus prorsus per accidens & disparatè se habeat ad substantiam operis externi, ut est intentio orandi, communicandi, &c. in satisfactionem pro peccatis, vel ex fine vanæ gloriæ, &c. Quibus positis sit

3. CONCLUSIO PRIMA. *Nulla lex humana, sive Ecclesiastica, sive civilis potest directè præcipere, vel prohibere actum purè internum.* Ita com. cum S. D. q. 91. a. 4. in c. & q. 100. a. 9. Constat ex utroque jure: nam in *c. Tua nos, de simonia*; Innocentius III. dicit: *Nobis datum est de manifestis tantummodo judicare.* Et l. 18. *ff. de pœnis* habetur: *Cogitationis pœnam nemo patitur.* Et ratio est primò. Lex humana debet esse proportionata humanæ communitati, quatenus per actus sensibiles inter se communicant membra ipsius: sed membra communitatis inter se, & cum Superioribus communicant per actus sensibiles; & actus merè spirituales potiùs angelicæ, quàm humanæ societati conveniunt: ergo & lex humana [idem dixeris de præcepto] debet versari circa actus sensibiles & externos. Secundò. De quo humana potestas non potest cognoscere & judicare, de illo quoque non potest legem condere: sed de actibus internis humana potestas non potest cognoscere & judicare, ut certum est, & dicitur 1. Reg. 16. *Homines vident ea, quæ parent, DEUS autem intuetur cor*: ergo potestas humana non potest de actibus merè internis legem condere. Major probatur: quia potestatis legislativæ partes sunt vis directiva, & coactiva: coactiva autem & punitiva judicium requirit.

Neque refert, quòd potestas Ecclesiastica intendat spirituale bonum & salutem subditorum: 4.
intendit enim illam ut humano modo, & per actus, quibus membra Ecclesiæ inter se communicant, procurandam. Unde licèt Christus potuisset Ecclesiæ dare potestatem præcipiendi actus internos, quo casu vel sibi reservâsset judicium & punitionem transgressionis, vel pœna latæ sententiæ per modum legis transgressoribus potuisset imponi, tamen secundùm præsentem providentiam id factum non fuisse praxis Ecclesiæ testatur.

Opponés primò l. Divus. ff. de sicariis. *In maleficiis voluntas spectatur, non exitus.* Et l. 5.
quisquis C. ad l. Jul. Majestatis: *Eâdem severitate voluntatem sceleris, quâ effectum puniri jura voluerunt.* Secundò. Leges humanæ statuunt de actibus occultis, v. g. de hæresi occulta: ergo etiam de internis. Tertiò. Ecclesia remittit interiores culpas per absolutionem sacramentalem. Quartò. Reservat peccata merè interna. Quintò. Dispensat in votis solâ mente emissis. Sextò. In Concilio Toletano 1. dicitur anathema non solùm dicentibus, sed etiam credentibus contrarium fidei Catholicæ. Septimò. In *c. commissa* § *caterùm*; *de elect. in 6.* privatur fructibus beneficii, qui illud recepit absque intentione intra annum suscipiendi Sacerdotium, &c.

6. Respondeo ad 1. Ibidem per ly *voluntatem* intelligi conatum corporeum, & intentionem externè manifestatam. 6.

Ad 2. nego consequentiam. Nam actus interni sunt per se tales, ut homo de iis judicare non possit: sed actus externi in occulto commissi cùm simpliciter humanæ noscibilitati subjiciantur, tantùm per accidens, nimirum defectu sufficientis testimonii judicii humani rigorem effugiunt.

Ad 3. Respondeo. Absolutionem sacramentalem pertinere ad forum internum, in quo Sacerdos se gerit tanquam minister Christi, & attendit propriam & particularem cujusque salutem.

Ad 4. eadem dari potest responsio, quòd reservatio sit ordinata ad forum pœnitentiæ, cui etiam interna peccata subjiciuntur. Deinde reservare, nec est præcipere, nec prohibere aliquem actum, sed potestatem absolvendi restringere, & in ordine ad aliquem actum internum denegare.

Ad 5. Respond. Dispensationem votorum tantùm esse actum voluntariæ jurisdictionis, cui se vovens per externam manifestationem submisit.

Ad 6. Respond. *anathema dici* in Conciliis idem esse, ac hæreticum declarari, atque hoc ipso ab Ecclesiæ communione sejunctum.

Ad 7. Respond. primò. Ibidem directè præcipi susceptionem Sacerdotii, & indirectè intentionem illud recipiendi. Secundò dici potest, concessionem beneficii esse conditionatam, nimirum sub conditione habendi intentionem Sacerdotii intra annum recipiendi: in cujus proinde conditionis defectu etiam dominium fructuum non acquiritur.

7. CONCLUSIO SECUNDA. *Quandocunque actus internus per se connectitur cum externo, vel ad ipsius valorem & moralem substantiam ex lege Divina, aut naturali requiritur, toties indirectè præcipitur à lege humana etiam actus internus.* Ita Suar. Reding, Layman, & comm. Ratio est: Quâ lege præcipitur aliquis actus, eâdem præcipiuntur omnia requisita ad talem actum legitimè & verè ponendum: ergo si actus internus pertinet ad veritatem operis, quatenus à lege intenti, etiam actus internus indirectè cadit sub præceptum. Unde non satisfacit præcepto confessionis, qui negligit internum dolorem; neque communionis, qui Corpus Domini sacrilegè accipit: cùm vera sacramentalis confessio internum dolorem, vera Communio munditiem conscientiæ ex divina lege requirant.

8. CONCLUSIO TERTIA. *Actus internus tantùm per accidens conjunctus cum externo per legem humanam præcipi, aut prohiberi non potest? quia talis actus internus non innotescit ex vi actûs externi, adeóq; humanæ noscibilitati & judicio non subjicitur.*

§ II.

Corollaria.

9. COlliges primò. Si quis impleat opus præceptum, ex specie sua bonum vel indifferens, satisfacere præcepto, quantumvis habeat malum finem, & intentionem discordantem ab intentione legislatoris, ita ut aliquâ vitiosâ circumstantiâ destruat moralem operis honestatem. Unde satisfacit Ecclesiastico præcepto audiendi Sacrum, qui illud audit ex fine vanæ gloriæ. Ratio est: quòd finis & intentio legislatoris non cadit sub præcepto, siquidem modus agendi ex proposito virtutis & honestatis omnino est intrinsecus & latens. Ita Sotus, Navar. Castropal. & Commun.

Colliges secundò. Satisfieri præcepto, si opus præceptum quoad substantiam voluntariè impleatur, quantumvis non habeatur expressa voluntas, & intentio satisfaciendi præcepto: quia lex non plus præcipit, quàm voluntariam operis executionem: sed hæc habetur absque signata & reflexa intentione obediendi præcepto, quæ planè mentalis est, & interna, nec pertinet ad substantiam operis præcepti. Unde si die festivo audires Sacrum ad satisfaciendum voto, cum animo alterum Sacrum audiendi ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ, tamen satisfecisti præcepto Ecclesiæ, tametsi alterum Sacrum non audias. 10.

Colliges tertiò. Nihilominus requiri voluntatem & intentionem saltem exercitam ipsius operis ponendi, quod sub præceptum cadit: quia non satisfit præcepto, nisi ponendo illam substantiam & quidditatem actûs, quæ sub præceptum cadit: sed sub præceptum cadunt actus humani liberi morales, qui absque aliquâ intentione & voluntate operis tales esse non possunt: ergo sinè aliqua operis intentione & voluntate præcepto non satisfit. Unde qui prorsus involuntariè interesset Sacro, non satisfaceret præcepto illud audiendi, neque in ebrietate recitans aliquam orationem, præceptò vel votò debitam, satisfaceret suæ obligationi. Ita communiter tradunt DD. 11.

Colliges quartò. Necessitatem prædictam intentionis esse in præceptis affirmativis: quia præcepta negativa pro objecto non habent actum moralem & humanum, sed solâ omissione implentur. Unde præceptum abstinendi à carnibus impleres solâ non comestione carnium, nullâ licèt accedente intentione abstinendi, aut præcepto obediendi. Castrop. in præf. p. 17. n. 4. Reding q. 16. controver. 3. n. 5. 12.

ARTICULUS III.

Quæ pertineant ad formam legis humanæ.

SUMMARIA.

1. *Forma legis interna & externa.*
2. *Ratio legis non est forma intrinseca legis humanæ.*
3. *Promulgatio debet esse solemnis & publica.*
4. *Non necessariò fit per scripturam.*
5. *Prævia consultatio non est de ratione legis.*
6. *Leges requirunt verba significativa obligationis.*
7. *Ad valorem legis Imperialis requiritur promulgatio in singulis provinciis;*
8. *Non ad valorem aliarum legum.*
9. *Controversia de legibus Pontificiis.*
10. *Leges Pontificiæ non necessariò requirunt publicationem in partibus.*
11. *Solvuntur objectiones.*
12. *Aliquando ex privilegio, vel consuetudine requiritur publicatio in partibus.*
13. *Ad obligationem requiritur bimestre tempus, nisi aliud exprimatur.*
14. *Solvuntur objectiones.*
15. *Quid sentiendum de Pontificiis damnationibus sententiarum?*
16. *Ad nullius legis Ecclesiasticæ valorem per se requiritur acceptatio populi.*
17. *Neque ad valorem legis Civilis.*
18. *Exponitur axioma Gratiani.*

§. I.

Requisita Generalia.

A Legis materia ad ejus formam transgredimur, quæ vel est intrinseca, vel extrinseca. Intrinseca est juxta sup. dicta imperium legislatoris, quod præsuppositivè includit intentionem & voluntatem subditos obligandi, quæ si absit, legis substantia non subsistit, quantumvis omnia alia 1.

alia requisita externa ponerentur; quemadmodum in simili sublatâ intentione se obligandi neque votum, neque contractus subsistit. Forma externa sunt solemnitates extrinsecæ, præcipuè circa promulgationem, ad legis valorem requisitæ. De his

2. Quæres primò. An ratio legis, sit forma intrinseca legis humanæ?

Respondeo negativè cum *Suarez* l. 3. c. 20. & dico, habere se per modum motivi & principii tenentis se ex parte objecti, quo nempe voluntas Superioris movetur adferendam legem. Ratio est: quia stante ratione legis fieri potest, ut Superior nolit legem condere, adeòque ratio legis ab ipsa lege separari potest; non verò potest Superior habere efficax imperium, signo exteriori sese insinuans in animos subditorum, quin hoc ipso adsit legis substantia: unde hoc quidem legis formam constituit, non verò ratio legis. Sic in aliis quoque humanis actibus & moralibus quibusdam compositis evenire cernimus, ut ratio actûs non constituat actum formaliter, e. g ratio contrahendi non constituit contractum, nec ratio vovendi votum &c.

3. Quæres secundò. An promulgatio legis debeat esse solennis & publica?

Respond. affirmativè; nam lex est regula communis & publica, quæ ad totam communitatem publicâ authoritate dirigitur: unde Imperator in *l. leges sacratissimæ. C. de legibus. Leges sacratissimæ intelligi ab hominibus debent, ut universi præscripto earum manifestiùs intellecto, prohibita declinent.* Ad quod tamen non requiritur, ut in omnium & singulorum aures vel oculos insinuetur, sed ut juxta consuetudinem locorum modo quodam publico, vel scripto, vel voce præconis intimetur, ut majori parti communitatis sufficienter innotescere, & ad aures singulorum decursu temporis diffundi possit. per *c. 1. de postulat. Prælator.* ubi *Sum.* Pont. dicit: *Nec sit necessarium, cùm constitutio solenniter editur, aut publicè promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum, vel litteras inculcare; sed id solum sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, qui noverit eam solenniter editam, aut publicè promulgatam.* Sed

4. Quæres tertiò. An promulgatio necessariò per scripturam fieri debeat?

Respondeo negativè, cum communi Theologorum & Canonistarum. Atque ita habetur expressum c. *institutionis* 28. q. 1. *Institutionis nostræ decreta, sive quæ scripto decrevimus, sive quæ in nostra præsentia videntur esse disposita, nolumus ex quavis occasione convelli ac irritari.* Et in §. *Sed & quod constitutum est. Instit. de jure nat. gent. & civ. Quodcunque ergo Imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto præcepit, legem esse constat.*

Dices: Lex humana dividitur in scriptam & non scriptam, ubi nomine legis non scriptæ intelligitur consuetudo; juxta §. *sine scripto.* l. c. ibi: *sine scripto jus venit, quod usus approbavit.* Et in c. *Jus generale.* dist. 1. dicitur; *Lex est constitutio scripta*: ergo omnis alia lex debet esse scripta.

Respond. Illam divisionem fieri per hoc, quod & frequentiùs & convenientiùs, non quod necessariò fit; cùm enim lex sit regula publica & stabilis pro tota communitate, difficulter obtineret suum effectum solâ præconis proclamatione, nisi etiam in scriptum & tabulas redacta omnium oculis objiceretur.

Quæres quartò. An ad legis Civilis valorem requiratur prævia consultatio Principis cum suis proceribus? 5.

Respondeo negativè, nisi speciale statutum alicujus regni, vel provinciæ potestatem legislativam Principis limitet ad suffragia statuum, vel procerum: quamvis enim sit de decentia, ejusmodi consultationem præmitti, cùm tamen vis legislativa in solo Principe resideat, idcirco à sola ipsius voluntate, non ab aliorum suffragiis dependet.

Quæres quintò. An & quænam verborum expressio ad legis valorem requiratur? 6.

Respondeo. Ad legis valorem requiruntur verba obligatoriam Superioris voluntatem exprimentia, qualia esse solent, *præcipio, jubeo, impero, veto, prohibeo, interdico.* Ita *Suar.* loc. cit. n. 15. cum communi. Ratio est: De substantia legis est, ut sit subditis debitè promulgata sub ratione legis, tanquam regulæ obligantis, & distinctæ à puro consilio, & admonitione: sed ejusmodi promulgatio non fit nisi per verba, eaque exprimentia imperium, & mandatum; sine his quippe potiùs censebitur habere rationem consilii, quàm legis, vel præcepti, cùm in dubiis benignior interpretatio sit facienda.

§. II.

Quantitas promulgationis ad leges Civiles requisita.

Quantitas promulgationis consideratur vel ex parte locorum, vel ex parte temporis, & sic 7.

Quæres sextò. In quibus locis leges Civiles promulgari debeant, vel quantus temporis lapsus requiratur, ut subditos obligent?

Respondeo primò. Lex Imperialis, ut habeat vim obligandi, promulgari debet in singulis provinciis imperio subjectis, neque obligat ante lapsum duorum mensium à facta publicatione. Ita habetur in Nov. 66. & ex illa docent Jurisperiti communiter. Quod ob paritatem rationis & æquitatis naturalis, in qua fundatur Imperatoria constitutio, meritò extenditur ad aliorum Regum & Monarcharum leges, qui regna & provincias gubernant diversis moribus & legibus, priusquam ejusmodi sceptro unirentur, institutas: veluti & praxis regnorum confirmat: de regno Galliæ testatur Augustinus à V. M. in præs. disp. 1. q. 4.

Respondeo secundò. Ad efficaciam obligatoriam legis humanæ in regnis & provinciis imperio non subjectis per se sufficit, ut promulgetur in metropoli, nisi ipsemet legislator certum modum obligationi præfixerit, vel aliud particularis consuetudo obtineat. Tunc enim lex accipit efficaciam obligatoriam, quando nihil ipsi deest ex omnibus sive de jure naturæ, sive positivo requisitis: sed legi in metropoli promulgatæ nihil deest: ergo. Minor prob. nam requisita 8.

naturalia sunt actus legis, & voluntas obligandi in legislatore, ac publica intimatio: sed hæc omnia adsunt, neque ex jure positivo aliquid obstare supponitur: ergo. Unde ejusmodi lex statim suos sortitur effectus, ut nimirum subditi illâ obligentur, cùm in ipsorum notitiam venerit, & actus per legem irritati sint invalidi.

§. III.

Quantitas promulgationis requisita ad leges Pontificias.

9 Certum est, leges Episcopales ad sui valorem non requirere majorem solennitatem, quàm ut in Ecclesia matrice promulgentur, quo facto statim incipiunt obligare diœcesanos, ad quorum notitiam pervenerunt. De Pontificiis igitur & universalibus constitutionibus, quibus tota Ecclesia obligatur,

Quæres primò. An constitutiones Pontificiæ Romæ promulgatæ habeant vim obligandi in totâ Ecclesia sine ulteriori publicatione? De hoc diversa sunt Authorum placita: nam primò necessariam esse promulgationem in singulis provinciis & Episcopatibus, & lapsum saltem duorum mensium, ut leges Pontificiæ obligare censeantur, sentit Medina 1. 2. q. 90. a. 4: utrumque negat *Suarez* l. 4. c. 15. Azor to. 1. l. 5. c 3. q 3. cum Vasq. Sylv. Menochio, aliisque: Salmanticenses hîc cap. 1. punct 2. quamvis admittant, ad obligationem inducendam sufficere promulgationem in curia, tamen tempus bimestre requirunt à facta publicatione quam sententiam tenent Menoch. de arbitr. l. 2. casu 185. n. 19. Diana, Tabiena, Miranda. Valent. to. 2. disp. 7. q. 5. p. 5. Soto l. 5. de Just. q. 1. a. 4.

10. Respondeo & dico primò. Leges Pontificiæ Romæ promulgatæ probabiliùs habent vim obligandi pro tota Ecclesia absque ulteriori publicatione, nisi aliud exprimatur, vel alicubi privilegium, aut consuetudo sit in contrarium, aut ipsa lex aliud exprimat. Ita Palaus Tr. 3. disp. 1. p. 11. *Suarez* l. 3. c. 16. aliique quos referunt & sequuntur Salmant. citati. Ratio est primò. Si requireretur major promulgatio, id vel esset ex natura rei, vel ex jure positivo: non ex natura rei, quia natura legis nonnisi authenticam & solemnem promulgationem exigit, quæ tractu temporis singulis possit innotescere: unde leges regiæ & diœcesanæ per se nonnisi in curia & Ecclesia matrice exigunt promulgari. Non etiam ex jure positivo: hoc enim esset constitutio Novellæ *66.* sed illa tantùm disponit in terris & provinciis Imperii.

Nec refert: quod in cap. 1. de novi op. nuntiat. dicatur: *Quemadmodum leges non dedignantur sacros Canones imitari, ita SS statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur.* Ex quo inferunt aliqui: cùm ergo SS. Canones de modo ferendi leges nihil statuerint, juris civilis constitutio observanda erit. Nam Respond. negando consequentiam. Juxta communem quippe interpretationem sensus illius capit. est, quòd in causis, judiciis & sententiis particularibus, ubi Canonicæ leges deficiunt; non autem in ipso exercitio potestatis legislativæ servandæ sint leges Civiles, per imitationem & congruitatem, non per obligationem & necessitatem, ut bene exponunt Salmant. hîc *c.* 1. *puncto* 2. *n.* 88.

Accedit secundò praxis Curiæ Romanæ, ubi causæ ex toto orbe illuc devolutæ judicantur secundùm Bullas Romæ publicatas, quantumvis nec sint insertæ corpori juris, nec in partibus publicatæ, quod absque injustitia fieri non posset, si illarum publicatio in partibus ad earum obligationem & valorem foret necessaria. Bulla quoque Cœnæ Domini, aliæque Bullario contentæ per solam publicationem Romæ factam obligare censentur.

Tertiò. Frustrà *S*ummi Pontiff. volentes suas leges publicari in partibus & singulis Episcopatibus, illam suam voluntatem specialiter exprimerent, & significarent, si esset conditio essentialis & per se necessaria: atqui specialiter exprimunt: ut patet ex *c.* 13. *de pœnit. & remiss.* & bulla Pii V. de obligatione Concilii Trid.

Dices tamen primò. Jus Civile solet observari ab Ecclesia circa materias, in quibus nihil speciale determinatum est à Jure Canonico: sed circa modum promulgandi leges Ecclesiasticas nihil est specialiter determinatum à Jure Canonico: ergo. Major constat ex *cap.* 1. *de novi op. denunt.* ubi dicitur: *Quemadmodum leges non dedignantur SS. Canones imitari, ita SS. statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur.* Minor etiam videtur certa, cùm nihil clari juris à SS. Canonibus de modo promulgandi possit afferri.

*S*ecundò est consentaneum æquitati naturali, ne leges priùs obligent, quàm debitè veniant in notitiam subditorum, ne ignorantes peccati arguantur, & periculum animarum causetur. arg. c. *cùm infirmitas de pœnit.* Sed leges Romæ publicatæ non possunt moraliter venire in notitiam remotarum & ultramontanarum regionum & provinciarum sine speciali promulgatione; ergo.

Tertiò constat experientiâ, quòd Bullæ Romæ promulgatæ etiam promulgentur in partibus, quod frustrà fieret, si promulgatio Romæ facta ad obligationem sufficeret.

Quartò in *c.* 13. *de pœnit. & remiss.* decernitur, quòd constitutio, quâ Medici incurrunt pœnam excommunicationis, nisi infirmos, ad quos fuêre vocati, ante omnia inducant ad *S.* confessionem &c. non priùs obliget, quàm priùs fuerit à Prælatis locorum promulgata: ergo hoc ipsum propter identitatem rationis erit extendendum ad alias constitutiones arg l. 12. & 13. ff de LL. sicut & nos constitutionem Novellæ *66.* ob eandem causam ad alias leges Imperatorias extendimus. Et sanè si leges Imperatoriæ propter vastitatem Imperii exigunt promulgationem in singulis provinciis, cur non & leges Ecclesiasticæ, cùm Ecclesia sit longè magis per totũ orbem dilatata.

Respondeo ad 1. Solet ab Ecclesia observari jus Civile in modo ferendi leges, & per eas fideles obligandi, nego; in causis & judiciis forensibus, ubi Canonicæ leges deficiunt, concedo: hoc enim & non plus ex cit. c. 1. eruitur, aliàs certè etiam duorum mensium tempus, quod per eandem authenticam præscribitur, ad Ecclesiasticæ legis obligationem requireretur, quod tamen est contra praxin Curiæ Romanæ.

Ad

Ad 2. nego minor. Siquidem Catholici Principes & Metropolitani Romæ habent suos Legatos & Agentes, per quos omnia, quæ Romæ emanant, iisdem communicantur, unde & ipsi suis subditis communicare possunt.

Ad 3. Respondeo. Illam promulgationem non esse de necessitate simpliciter sed ad meliùs esse, ut nempe leges, quæ per promulgationem Romæ factam acceperunt virtutem intensivam obligandi totam Ecclesiam, etiam extensivam seu diffusivam obligandi efficaciam per ignorantiæ remotionem in ultramontanis partibus sortiantur, quæ tamdiu impeditur, quamdiu lex invincibiliter ignoratur.

Ad 4. Respondeo primò negando suppositum consequentis, quòd sit identitas rationis inter hanc aliasque Pontificias constitutiones, cùm enim Summus Pont. causam & rationem requisitæ publicationis per Prælatos locorum non expresserit, gratìs dicitur inter hanc aliasque constitutiones esse rationem identitatis; quam Curiæ Romanæ contraria praxis evertit.

Respondeo secundò negando antec. non enim ibi Pontifex suspendit obligationem suæ constitutionis usque ad publicationem, sed tantummodo executionem gravis pœnæ, nempe exclusionem ab ingressu Ecclesiæ. Verba sunt: *Si quis autem medicorum hujus nostræ constitutionis, postquam per Prælatos locorum fuerit publicata, transgressor extitit, tamdiu ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit competenter.*

Ubi vides, publicationem Prælatorum non requiri, quasi ante ipsam medicus non possit esse transgressor constitutionis, sed ne possit ad evitandam pœnam censuræ Ecclesiasticæ legis ignorantiam allegare. Quæ ratio non ubique militat. Paritas objecta de legibus Imperatoriis nihil evincit, primò, quia [ut habet Clariss. P. Robertus König l. 1. tit. 2. §. 9. n. 20.] Novellæ 66. extensio ad alias leges Imperatorias non tantùm habet pro causa rationem paritatis, sed præcipuè verba ipsius rubricæ, ac tituli, quæ sunt generalia pro omnibus legibus: *Ut factæ novæ constitutiones post insinuationes earum post duos menses valeant.* est autem receptum dogma apud Juristas, quòd quando rubrica perfectum sensum reddit, habeat authoritatem textûs in his, in quibus nigro, seu textui non repugnat.

Insuper in tota Ecclesia magna est circa mores, & Ecclesiasticas observationes conformitas, quæ non habetur in diversis provinciis, regnis, nationibus Imperio Romano subjectis: unde non est tanta ratio in singulis Episcopatibus universales Ecclesiæ leges promulgandi, quanta est diversis provinciis promulgandi leges imperiales.

12 Dixi tamen notanter in conclusione: *nisi alicubi privilegium, vel consuetudo sit in contrarium:* nam haberi à Rege Hispaniæ, authores Hispani; à Rege Galliæ, authores Galli testantur, simile privilegium, quo Pontificia diplomata non solùm absque publicatione in ipsorum ditionibus facta non obligant; sed neque sine Regio consensu publicari possunt. Pariter videtur esse consuetudo nostræ Germaniæ, vel, ut loquitur Layman l. 1. tract. 4. c. 2. benigna interpretatio, ut Pontificiæ Bullæ præsertim irritatoriæ, abrogatoriæ, censuras Ecclesiasticas, & jurisdictionem fori pœnitentialis concernentes, &c. ante publicationem in diœcesibus factam obligare non censeantur, uti nec Tridentinum [extra materiam fidei] obligare cernimus in iis partibus, ubi non est promulgatum.

Respondeo & Dico secundò. Quando lex Canonica vel Civilis nullum tempus pro inducenda obligatione determinat, nullam neque respectu præsentium in curia, neque respectu absentium & distantium parit obligationem ante lapsum duorum mensium à facta publicatione. Ita Salmantic. hîc cap. 1. punct. 2. cum Authoribus sup. allegatis. Ratio est: quia factâ publicatione requiritur aliquod tempus, quo lex publicata moraliter venire possit in notitiam subditorum & per communicationem in toto corpore communitatis divulgari. Ut habetur *c. 1. de concess. preb. in 6.* estque jure naturæ requisitum ex sententia S. D. 1. 2. q 90. a. 4. ad 2. sed quando in lege non assignatur determinatum tempus, quo lex humano modo ad subditorum aures perveniat, illud taxandum est juxta æstimationem & arbitrium prudentum: si ergo prudentum arbitrio tale tempus jam fuerit taxatum, & terminus positus; etiam ejusmodi taxationi & determinationi standum erit. Atqui in *auth. ut fa ta novæ constitutiones collat. 5.* prudentissimorum virorum judicio pro legibus imperialibus determinatum est tempus duorum mensium à facta publicatione, quanquam minimè ignorarent, quòd lex citiùs in præsentium, quàm distantium notitiam perveniret: ergo juxta hanc prudentum æstimationem tempus obligationis mensurandum erit. 13.

Roboratur nostra sententia ex Bulla Pii IV. *sicut ad sacrorum.* Ubi ad propositam quæstionem, ex quo tempore cœperint obligare decreta Tridentini ad jus positivum pertinentia, respondet: *Quia jure etiam communi sancitum est, ut constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant, æquum nobis & justum visum est, prædicta decreta a Calendis Maji proximè præteriti omnes obligare cœpisse.* Quibus verbis Summus Pontifex dispositionem juris communis de requisito temporis tractu ad legis obligationem approbat, justam & æquam esse declarat, etiam pro legibus Ecclesiasticis.

Dices primò. Eorundem Jurisperitorum judicio prudenter requiritur publicatio in singulis provinciis, nec illa tamen est necessaria in legibus Canonicis, aut terris Imperio non subjectis: ergo neque temporis determinatio ab iisdem facta ad obligationem inducendam observanda erit. 14.

Secundò. Causa debitè applicata, & positis omnibus requisitis ad agendum, operatur suum effectum: sed lex in Curia promulgata jam est debitè applicata respectu præsentium, habetque omnia requisita necessaria ad pariendam obligationem: ergo non est cur non dicatur subditos præsentes obligare.

Respond. ad 1. Discrimen esse, quòd ad cujuscunque humanæ legis obligationem inducendam ex natura rei requiritur aliquis tractus temporis,

 quem

quem si lex ipsa non exprimat, hoc ipso præsumitur tacitè illum requirere, qui prudentum judicio pro sufficiente agnoscitur: atqui ad obligationem inducendam ex natura rei non requiritur publicatio in omnibus provinciis subjectis, cùm modus leges in Curia promulgatas divulgandi aliis viis obtineri possit.

Ad 2. nego min. nam ut efficacia obligatoria quam lex per promulgationem formaliter obtinet, operetur suum effectum in subditis, per modum conditionis requirit notitiam in majori parte communitatis, quæ non habetur statim post promulgationem præsentibus factam.

15. Quæres octavò. Utrum Bullæ Pontificiæ, quibus aliquæ sententiæ Authorum tanquam scandalosæ, & temerariæ damnantur, & practicari prohibentur, obligent ante publicationem in diœcesibus factam, dummodo aliàs sufficienter innotescant?

Respond. affirmativè: Nam ejusmodi Bullæ Apostolicæ non tantùm sunt præceptivæ, sed etiam declaratoriæ veritatis, neque statuunt aliquod jus novum, sed, quid sit juris Divini, vel naturalis, exponunt, & roborant. Atqui fideles tenentur se conformare Summi Pontificis definitivæ declarationi, independenter à facta speciali publicatione, quotiescunque aliquid è Cathedra definit atque declarat tanquam viva fidei & morum regula: siquidem [ut specialiter dicetur in Tract. de fide] Sum. Pont. è cathedra loquens non potest errare, sive proponat credenda, sive agenda: cùm enim Ecclesia DEI æquè indigeat morum sanctitate, quàm fidei unitate, tam esset absurdum, si caput Ecclesiæ approbaret turpia pro honestis, vel damnaret honesta pro turpibus, quàm si approbaret falsa pro veris, vel damnaret vera pro falsis: sicut ergo factâ Romæ solemni canonizatione alicujus Sancti, teneor ipsū habere pro Sancto, quamprimum mihi illa canonizatio sufficienter innotescit, etiam non factâ promulgatione in partibus, sic teneor illam opinionem habere pro falsâ, quam Sum. Pont. veluti falsam, scandalosam &c. publicè ex cathedra declaravit, quantumvis nulla specialis promulgatio in partibus accesserit.

§. IV.

An requiratur acceptatio populi?

16. Respondeo & dico primò. Nec leges Pontificiæ nec alterius Ecclesiasticæ valor dependet ab acceptatione populi. *Suarez* l. 4. c. 16. cum communi. Et ratio primi est, quòd Summus Pontif. plenariam potestatem legislativam acceperit immediatè à Christo per illa verba: *Pasce oves meas. Quodcunque ligaveris super terram* &c. Unde in exercitio hujus potestatis non ipse à populi consensu pendere, sed populus ad legem acceptandam ab ipso obligari potest. Ratio secundi est, quòd neque Prælati Ecclesiastici à populo, sed immediatè à Summo Pont. vel Episcopis, & mediatè à Christo potestatem leges ferendi acceperint: unde à populi acceptatione in illa non dependent.

17. Respondeo, & dico secundò. Neque leges civiles summorum Magistratuum à populi acceptatione dependent: Nam primò: In ejus potestate non est legem acceptare, vel rejicere, qui tam in foro externo, quàm interno tenetur legi obedire: sed populus tenetur obedire legi justæ & rationabili: ergo. Secundò. Si obligatio legis penderet ab acceptatione subditorum, tunc potestas legislativa magis esset in populo & subditis, quàm in Principe & legislatore: quia ille habet authoritatem legislativam, à quo dependet, ut lex obliget & executioni mandetur: sed hoc penderet à populo: ergo. Tertiò. Si populus transtulit in Principem absolutam potestatem gubernandi, & leges ferendi, tunc etiam se abdicavit omni illâ potestate: ergo illa potestas non ampliùs dependet à placito populi. Quartò. Si Principi legem justam condenti populus justè posset resistere, utrinque daretur bellum justum: sed hoc est absurdum: ergo.

18. Nec obstat primò textus Gratiani ex D. Augustino c. *istis* §. *leges. dist.* 4. *leges instituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm moribus utentium comprobantur:* sensus enim est, leges firmari per usum & acceptationem populi firmitate facti, non juris, & secundùm perfectionem accidentalem, quam lex ab exercitio & usu subditorum accipit, ne vigor ex ipsius non usu, vel contraria consuetudine enervetur.

Nec obstat secundò, quòd multæ leges etiam Ecclesiasticæ dicantur non esse receptæ: Nam sensus non est, quòd arbitrio populi legum obligatio fuerit excussa, earumque valor ablatus; sed quòd, cùm continerent notabile gravamen, neque de Legislatore prudenter præsumeretur, quòd grave onus populo voluerit imponere, illæ leges in provinciis, aut diœcesibus non fuerint promulgatæ, & sic cum tacita coñiventia & consensu Legislatoris earundem executione suspensâ, contra ipsas denique præscriptum fuerit.

Quo sensu etiam interpretandus est textus *c. 6. de Clericis conjugatis*, ubi Sum. Pont. pro sufficienti causa Græcos Sacerdotes excusante à voto continentiæ agnoscit, *quòd Orientalis Ecclesia votum continentiæ non admiserit.*

Ubi tamen observandum, in pluribus regnis eâ conditione habenas regni Principibus à populo delatas fuisse, ut ipsorum leges & statuta nonnisi addito populi consensu obligarent, quo casu omnino ad legis valorem populi consensus requiritur, prout in regno Arragoniæ & Lusitaniæ practicari testantur Palaus, Granado, & alii. Rectè tamen advertunt Salmanticenses, tunc non esse dependentiam Principis à populo in acceptanda lege condita, sed in ipsa lege condenda, eò quòd populus in translatione suæ potestatis mixturam à Monarchico, & Aristocratico, vel Democratico statu elegerit.

DISPU-

DISPUTATIO XXXV.

DE Obligatione legis:

ad q. 96.

PRæcipuus legis effectus seu proprietas est, subditos obligare ad sui executionem & obedientiam, prout ipsum legis nomen à ligando dictum significat. Ubi certum est, lege naturali & divinâ induci obligationem in conscientia, ita ut ejus transgressores in gravi materia peccati mortalis gehennæ reatum incurrant. Dubium est, an eadem sit vis legis humanæ, ut sub reatu peccati transgressorem obliget in conscientia. Ubi recolenda est divisio legis humanæ sup. exposita in præceptivam, pœnalem, mixtam &c.

ARTICULUS I.

An leges humanæ obligent in conscientia?

SUMMARIA.

1. *Lex humana obligat in conscientia.*
2. *Depellitur objectio.*
3. *Obligatio legis vel est ad actum, vel ad pœnam.*
4. *Leges pœnales vel disjunctive mixtæ non obligant ad actum determinatè.*
5. *Item si intentio obligandi ad actum non satis exprimitur.*
6. *Sanctiones, quæ nolunt subditos gravare in conscientia, non sunt propriè leges.*
7. *Solvuntur objectiones.*
8. *Leges tributorum obligant in conscientia.*
9. *Multæ Regulæ SS. Ordinum non obligant ad actum.*
10. *Possunt tamen obligare indirectè, & per accidens.*

§. I.

Statuitur affirmativa.

1. CONCLUSIO PRIMA. *Lex humana tam Civilis, quàm Ecclesiastica potest obligare subditum in conscientia.* S. D. q. 96. a. 4. estque tam certa, ut plures Authores asserant esse de fide: nam Lucæ 10. dicitur; *Qui vos audit, me audit.* Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non enim est potestas, nisi a DEO: quæ autem sunt, a DEO ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt,* &c. *Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam,* &c. Act. 15. Apostoli Ecclesiis imposuerunt præceptum abstinendi à sanguine & suffocato, quod ibidem vocatur necessarium, non aliâ de causâ, quàm quia obligans in conscientia. Accedit Ecclesiæ praxis, quâ fideles sese obligatos agnoscunt ad servanda præcepta Ecclesiæ de jejunio, Sacro diebus festivis audiendo, &c.

Probatur etiam ratione. Qui legis æternæ & naturalis obligationem determinat ad novam materiam, in qua antea non obligabat, ille causat novam obligationem in conscientia: sed quælibet lex humana justa & rationabilis facit, ut aliqua materia de novo cadat sub universalitate illius legis & præcepti tam Divini, quàm naturalis, quòd potestati legitimè præcipienti sit obediendum: ergo. Adde, quòd absque obligatione in conscientia potestas legislativa utplurimum foret inutilis, & inefficax, neque bono communi consuleretur, dum vi, vel fraude pœnas impositas plerique effugerent.

Dices. Judex inferior nil potest in foro judicis superioris; sed forum conscientiæ pertinet ad DEUM, unde dicitur forum poli: ergo potestas humana non potest inducere obligationem in conscientia. Respondeo: Nil potest in foro Superioris, nisi ad hocipsum potestatem acceperit à judice superiori, concedo; secus, nego. Sed, ut dictum, Legislator humanus hanc potestatem habet à DEO, à cujus æterna lege quælibet lex justa derivatur. 2.

CONCLUSIO. *Quælibet lex humana, si verè habeat rationem legis, obligat in conscientia, vel ad actum de quo primò disponit, vel ad subeundam pœnam, quam adjicit.* Ita Sotus l. 1. q. 6. a. 3. Suar. l. 3. c. 20. cum communi. Ratio est: quia licèt pendeat à voluntate legislatoris, ut lex naturæ jubens superiori legitimè præcipienti parendum esse, applicetur, vel non applicetur determinatæ materiæ; non tamen pendet ex ejus intentione, ut illa semel applicata non obliget: sed per quamcunque justam legem applicatur prædicta lex naturæ ad determinatam materiam, & quidem ad actum, si lex sit præceptiva, vel mixta copulativè; ad pœnam, si sit pœnalis; ad alterutrum, si sit mixta disjunctivè. Ergo datâ quacunque lege humanâ semper est obligatio in conscientia vel ad actum, de quo lex primò disponit, vel ad pœnam. Unde 3.

Inferes ex dictis primò. Leges purè pœnales, & disjunctivè mixtas non obligare ad actum, quia pendet à voluntate legislatoris, ut obligationem naturalem applicet vel ad actum, vel ad pœnam: sed in lege purè pœnali eandem applicat tantùm ad pœnam; in lege disjunctivè mixta indeter- 4.

[Dom]ino cit.] in fronte Prologi S. Reg. S. P. Benedictus, postquam dixit: *Ausculta ô fili præcepta Magistri*, subjunxit: *& admonitionem pii Patris libenter excipe.* Atqui neque ordinationes & statuta, neque admonitiones & consilia per se obligant sub peccato, cùm non habeant vim præcepti. *Unde stultum esset putare*, [inquit S. D. cit.] *quòd Monachus frangens silentium post Completorium peccaret mortaliter, nisi fortè faceret hoc contra præceptum Prælati, vel ex contemptu Regulæ*: ergo illa solùm, quæ in Regula continentur per modum præcepti, obligant sub peccato. Subsumtum probatur ex citato S. D. Si Regula extra materiam voti haberet rationem præcepti, tunc Monachus illam transgrediens in gravi materia, peccaret mortaliter; siquidem præceptum in materia gravi obligat sub culpa mortali: sed non peccat mortaliter: nam, ut habet *D. Tho. in init. prææalleg. art. 10. Nihil est peccatum mortale Monacho, vel Religioso cuicunque per se loquendo, quod non sit peccatum mortale contrarium ei, ad quod se obligavit votô Professionis.*

Confirmatur primò. Si extra materiam votorum Regula haberet rationem præcepti, tunc maximè in præscripta abstinentia à carnibus tanquam gravi materia: sed in hac non habet rationem præcepti, uti rursus agnoscit expressè D. Tho. ita loquens loc. cit. *Abstinere à carnibus non ponitur in Regula B. Benedicti ut præceptum, sed ut statutum quoddam.* Confirmatur secundò: *In obscuris minimum est sequendum.* h. e. cùm est dubium de voluntate obligandi, benignior est interpretatio facienda juxta præcitatam Reg. Juris in 6: sed non liquet, utrum Regula S. P. Benedicti extra materiam votorum sit potiùs præceptiva, quàm purè ordinativa & statutoria: ergo potiùs præsumi debet, esse directivam, quàm præceptivam.

Dixi tamen primò, *per se loquendo*, & *ex vi Regulæ*, quia per accidens, & ex directa vel indirecta oppositione cum aliquo voto Professionis fieri potest, ut Benedictinus in transgressione Regulæ peccet venialiter, vel mortaliter. Et sic primò peccabit mortaliter, si transgrediatur Regulare statutum in gravi materia à Superiore præceptum in virtute Sanctæ obedientiæ: vel si transgrediatur ex contemptu formali vel virtuali Regularium statutorum, tunc enim peccat contra statum Religiosum, & votum conversionis morum secundùm Regulam, quo voto etsi Religiosus non se obligat ad facienda omnia, quæ præscribuntur in Regula [hoc enim esset onus importabile] obligat se tamen ad habendam voluntatem suos mores ad normam Regulæ conformandi, cui voluntati directè contrariatur formalis voluntas Regulæ se non subjiciendi. Secundò peccat Religiosus Benedictinus venialiter, quoties-cunque statutum Regulare sine aliqua rationabili causa & altioris virtutis dictamine transgreditur; tum quia talis transgressio est actus otiosus & hoc ipso inordinatus; tum quia remotè saltem disponit ad contemptum Regulæ, sicque remotè & indirectè adversatur voto Conversionis morum secundùm Regulam. 10.

Dixi secundò. *Habere in plerisque rationem legis pœnalis, vel &c.* in eo quippe assimilatur legi pœnali, quòd pro transgressionibus & culpis Regularibus pœnas & expiationes præscribat, quas si Superior transgressori imponat, iste urgente obedientiæ voto subire tenebitur.

ARTICULUS II.

Quando & quomodo obligent leges pœnales ad subeundam pœnam?

SUMMARIA.

1. *Alia pœna latæ, alia ferendæ sententiæ.*
2. *Aliqua pœna positive, aliqua negative.*
3. *Quænam leges pœnales obligent ante Judicis sententiam?*
4. *Pœnæ privantes jure jam acquiri cœpto non obligant ante sententiam declaratoriam criminis.*
5. *Quomodo post sententiam Judicis teneatur reus subire pœnam?*
6. *Inferior judex non potest remittere pœnam lege taxatam.*

§. I.

Quid sentiendum de lege illativa pœnæ spiritualis, & privativa juris acquirendi?

1\. NOtandum primò. Pœnam lege statutam aliam dici *ferendæ*, aliam *latæ sententiæ*. Pœna ferendæ sententiæ est, cùm transgressor obligatur à lege ad sustinendam pœnam post judicis sententiam, quæ sententia dupliciter se habere potest; ut vel sit declaratoria tam criminis quàm pœnæ, vel solùm sit declaratoria criminis. Pœna latæ sententiæ est, quam lex infert, & ad quam obligat, non exspectatâ judicis sententiâ. Pœna latæ sententiæ colligitur ex verbis legis, si dicat, *pœnam ipso facto, ipso jure incurrat*: Pœna ferendæ sententiæ colligitur, si verba legis loquantur in tempore futuro, modo imperativo, v. g. *suspendatur, excommunicabitur*; aut sint comminatoria, sub pœna *interdicti, excommunicationis, &c.* tunc enim nisi jungantur illæ voces [*ipso facto incurrendæ*] lex censetur statuere pœnam ferendæ sententiæ.

Notandum secundò. In ipsis pœnis aliquas dici positivas, quæ ad sui executionem indigent ulteriori actione, ut solutio pecuniæ, fossio metalli, &c: aliquam privativam, quæ nimirum privat aliqua re, fructu, jure, vel quærendo, vel quæsito, sine ulteriori actione, ut Censuræ Ecclesiasticæ, privatio vocis activæ & passivæ &c: aliquæ pœnæ sunt conditionales, quia non tam sunt pœnæ, quàm carentia beneficii, quòd legislator non nisi sub certa conditione dare voluit. Sic Clericus beneficiatus habitum non deferens privatur privilegio fori, quia privilegium datur sub conditione habitum deferendi. His positis, cùm certum sit, pœnas ferendæ sententiæ non obligare ante judicis senten- 2.

riam, superest quæstio de pœnis latæ sententiæ. Unde fit

3. CONCLUSIO PRIMA. *Leges pœnales, quæ inferunt pœnas spirituales excommunicationis, suspensionis, &c. ipso facto incurrendas, vel privant jure acquirendo, redduntq; transgressorem inhabilem ad aliquod jus vel actum, vel imponunt pœnam conditionalem, obligant ante judicis sententiam.* Ita Salmantic. hîc c. 2. punct. 3. cum communi DD. & quoad pœnas spirituales constat *ex c. non dubium de sent. excomm. c. 2. de Cler. non ordinato ministr.* Sic etiam incurritur Canonicum impedimentum matrimonii ex crimine; sic beneficiariis non recitantibus officium divinum imponitur restitutio fructuum pro rata *in Conc. Lateran. I. can.* 10. & non residentibus in suis Ecclesiis in Trid. *sess* 23. *de reform. c.* 1. *Sic per c. licèt de elect. in 6.* habens beneficium curatum illo privatur, si intra annum non ordinetur Presbyter &c.

Quoad censuras Ecclesiasticas ratio est, quòd cùm lex dicat, delinquentem ipso facto incurrere ejusmodi pœnas, illæque utplurimum sint medicinales, & non excedant suavitatem & æquitatem humanam, ideo censendum est, quòd legislator velit uti suâ potestate ad illas infligendas, non exspectatâ judicis sententiâ. Quoad pœnas inhabilitantes & conditionales ratio est: quia cùm Ecclesia & Respublica sit domina suorum bonorum, justè potest habilitatem ad illa percipienda alligare certis conditionibus, quibus non impletis hoc ipso cessabit habilitas ad illa percipienda, sicuti si testator Bertæ fecisset legatum percipiendum sub conditione, si castè vivat, hoc ipso quòd non verificaretur conditio, etiam ipsa privaretur legato. Ita rursus in pœnam certi delicti potest eidem alligare inhabilitatem ad aliqua jura, bona, vel fructus à legis transgressoribus incurrendam. Unde positâ transgressione, delicto, crimine, eo ipso cessabit habilitas.

§. II.

Quid de lege privativa juris acquisiti?

4. CONCLUSIO SECUNDA. *Pœnæ temporales consistentes in privatione juris jam acquisiti, vel quod acquiri cœptum est, non obligant ante judicis sententiam saltem declaratoriam criminis, quamvis verba legis significent pœnam latæ sententiæ.* Ita Layman l. 1. tr. 4. c. 15. cum pluribus aliis. Quorum ratio est, quòd lex non debet esse nimis rigida, sed humano modo observabilis: sed est ab hominum natura & moribus alienum, ut quis seipsum spoliare debeat rebus jam possessis, aut juribus acquisitis. Et Confirmatur ex *c. cùm secundùm leges. de hæreticis in 6.* ubi licèt hæretici priventur ipso jure bonis à se possessis à die commissi criminis, tamen non tenentur bona tradere ante judicis sententiam. Quod ad alias quoque leges pœnales [præter sup. n. 3 expressas] quascunque probabiliter extendunt Salmanticenses unà cum Sanch. & Covarr. à se citatis, quia in rigoribus & obligationibus benignior est interpretatio facienda: cùm ergo lex dicens: *Ipso facto, nullâ aliâ declaratione exspectatâ,* commodè possit exponi de declaratione novæ pœnæ à judice impositæ, non negatâ declaratione criminis, huic interpretationi inhærendum erit.

CONCLUSIO TERTIA. *Quamvis nemo teneatur* (1) *ante judicis sententiam subire pœnam graviter corporis afflictivam, ut est exilium, carcer, &c. post judicis tamen sententiam* (2) *reus tenetur per seipsum exequi pœnam honestam non nimis acerbam:* (3) *ad gravissimam verò & infamem pœnam tenetur saltem indirectè cooperari, quatenus ad ejus executionem est necessarium & conveniens.* Ita comm. 5.

Ratio primi modò indicata est, quia talis executio propriâ sponte suscepta nimis acerba, & ab humanis moribus est aliena. Ratio secundi est: quòd quisque tenetur obedire Superiori justa & possibilia præcipienti: unde tenetur reus solvere mulctam pecuniariam, intrare carcerem, abire in exilium &c. Ratio tertii est, quia reus tenetur justæ judicis sententiæ non resistere: sed si aliquando nollet indirectè cooperari ad pœnam à judice inflictam, tunc ipsi resisteret, e. g. si fuit damnatus ad furcam nollet scalam ascendere, damnatus ad mutilationem nollet manum porrigere, &c. ergo tenetur indirectè cooperari.

Quæres etiam, num possit judex reo pœnam remittere in lege taxatam? Respondeo, si est supremus, potest; nam potest vel propriam legem abrogare, vel in illa dispensare: quamvis id sine legitima causa faciendo peccet vel venialiter, quando nullum inde grave damnum in Rempublicam redundat; vel mortaliter, si redundat. Cæterùm in superiori judice sufficere causam benignitatis, intercessionem alicujus Magnatis, gratificationem præteritorum obsequiorum, docent cum aliis Suar. l. 5. c. 11. n. 9. & Palao tr. 3. disp. 2. p. 5. Si verò non est supremus judex, non potest illam pœnam remittere, vel majorem imponere. Unde etiam tenebitur ad restitutionem excessûs, si punierit ultra pœnam ex lege debitam. Non verò teneri ad restitutionem, si pœnam pecuniariam minuat, vel omnino remittat, rectè docet Greg. Martin. q. 96. a 4. dub. 14. quia cùm ante sententiam judicis nullus ad talia bona jus acquisiverit, non est peccatum violativum justitiæ commutativæ, sed legalis: quamvìs ex alio capite possit oriri obligatio restitutionis erga rempublicam, si nimirum ex remissione pœnæ respublica damnum patiatur, quod judex ex officio per pœnæ inflictionem avertere debuisset. 6.

ARTICULUS III.

De obligatione legis irritantis, & in præsumptione fundatæ.

SUMMARIA.

1. *Datur lex irritatoria.*
2. *Duplex modus irritandi actum.*
3. *Aliquando actus irritatur civiliter, aliquando etiam naturaliter.*

4. *Lex*

4. *Lex reddens actum illicitum, non hoc ipso facit invalidum.*
5. *Lex irritatoria alia pœnalis, alia purè irritatoria.*
6. *Lex irritatoria non semper obligat ad omissionem actûs invalidati.*
7. *Lex irritatoria obligat, ne ex tali actu quærantur fructus & effectus.*
8. *Irritatio pœnalis sæpe sortitur effectum primùm post judicis sententiam.*
9. *Lex purè irritatoria habet effectum ante judicis sententiam.*
10. *Præsumptio alia periculi, alia facti.*
11. *Etiamsi præsumptio juris in particulari casu fallat, non obest legi.*
12. *Demonstratur exemplis.*
13. *Leges in præsumptione facti fundatæ non obligant, si fallat præsumptio.*
14. *Corollaria.*

§. I.

Prænotanda.

1. NOtandum primò. Intuitu boni publici posse per humanam legem adimi liberam potestatem ad faciendum aliquem actum; ita ut talis actus pro invalido habeatur: libertas quippe sive potestas homini competens ad quosdam actus jure naturæ non imperatos, sed duntaxat permissos, lege humana limitari, vel adimi potest, prout communi bono expediens visum fuerit, veluti contingit in impedimentis matrimonii, & contractu pupilli, ubi pupillus ad contrahendum, & certæ personæ inhabiles redduntur ad matrimonium; & ejusmodi lex vocatur irritatoria.

2. Notandum secundò. Actum à lege dupliciter irritari posse: primò, ut lex decernat actum à judice irritandum, quod fit, cùm verba irritatoria ponuntur in futuro, vel imperativo: e. g. *rescindatur, infirmetur* &c. cujus exemplum habetur in l. 2. & 5. C. de *rescind. vend.* & hoc casu effectus ex ejusmodi actu consequentes solùm causantur à die datæ sententiæ. *Secundò*, ut lex per semetipsam actum irritet, prout fit à Tridentino, cùm matrimonium sine parocho & testibus clàm contractum declarat nullum; cùm Religiosa professio facta ante expletum probationis annum declaratur nulla: quæ irritatio colligitur ex verbis de præsenti, quibus actus non tantùm prohibetur, sed etiam irritatur, v. g. actus *sit ipsò jure nullus, ipso facto irritus*, &c. nuda quippe prohibitio actum solummodo reddit illicitum, non etiam invalidum, per *c. ad Apostolicam. de Regular.* Ubi Innocentius III. dicit: *Multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent firmitatem.*

3. Notandum tertiò. Actum à lege aliquando tantùm *civiliter*, aliquando etiam *naturaliter* irritari. *Civiliter* tantùm irritatur, quando tollitur omnis obligatio & actio, quæ ex illo actu oriri posset in foro externo, acsi actus foret naturaliter nullus: quantumvis in foro conscientiæ nihilominus remaneat validitas, & obligatio naturalis cum effectibus, ex ejusmodi actu, vel contractu oriundis: quo modo in jure invalidatur lusus alearum, & in multorum sententia testamentum carens debitis solemnitatibus. *Naturaliter* etiam invalidatur actus, quando ipsius valor ita per legem destituitur, ut neque in foro conscientiæ aliquam obligationem & effectum possit parere, velut est irritatio matrimonii cum impedimento dirimente contracti, professionis emissæ ante completum 16. ætatis annum, &c.

Notandum quartò. Non eo ipso, quòd lex actum aliquem prohibeat & reddat illicitum, eundem etiam irritare & invalidum reddere; sed hoc esse specialiter exprimendum per clausulam irritantem: nam rationes illiciti & invalidi sunt à se mutuò separabiles: unde in *c. ad Apostolicam de Regularibus*, dicitur: *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent.* Sicut matrimonium cum simplici voto castitatis contractum licèt sit illicitum, est tamen validum. 4

Nec obstat in contrarium l. *non dubium. C. de leg. & Constitut. Principum.* *Ea, quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solùm inutilia, sed pro infectis etiam habeantur &c.* Et *l. 6 C. de pactis.* *Pacta, quæ contra leges constitutionesq; , vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est.* Nam Respondeo, plus ex his non inferri aut significari, quàm actus contra legem factos esse annullandos per judicis sententiam, juxta *c vides. dist* 10. ibi: *Quicquid contra legem accipitur, per legem dissolvi meretur.* Item, ejusmodi actus dicuntur *infecti*, inquantum post declaratoriam judicis sententiam habendi sunt pro nullis non tantùm à tempore latæ sententiæ, sed etiam criminis vel transgressionis commissæ, ut tradunt Molina to. 1. de Just. tract. 2. disp. 88. Salas disp. 16. sect. 8. Suar. l. 5. c. 28. n. 7.

Notandum quintò. Inter leges irritantes aliam esse pœnalem, aliam verò purè irritativam. Pœnalis est, quando irritatio statuitur in odium transgressoris, quemadmodum lex irritans matrimonium ob uxoricidium, vel adulterium cum promissione futuri conjugii, & collationem beneficii ob simoniam commissam: Alia est purè irritativa, quæ non necessariò supponit actum malum, sed potiùs intendit favorem boni communis, aut privati: ut quando irritantur testamenta facta sine certa solennitate, professio emissa ante completos 16. annos, contractus pupillorum &c. Quibus positis sit 5.

§. II.

Resolutio de lege irritante.

CONCLUSIO PRIMA. *Lex purè irritatoria non obligat in conscientia ad omissionem actûs invalidati, nisi cùm vel à legislatore expressè intenditur, vel suppositâ ejusmodi irritatione, actus specialem induit turpitudinem.* Ita Suar. l. 5. c. 20. Aug. à V. M. disp 4. q. 4. 6.

Ratio primi est: quia legislator generalem & naturalem obligationem ad sibi præcipienti parendum potest determinare vel ad actûs omissionem, vel ad irritationem, vel ad alterutrum disjunctivè, prout in simili dictum est de lege pœnali: nisi igitur de ipsius intentione expressè constet, præsumitur id, quod est minus & favorabilius, nempe quòd solùm voluerit irritare actum, non etiam facere illicitum: cùm esse illicitum & invali-

invalidum sint rationes ab invicem mutuò separabiles.

Secunda pars patet in contrahente matrimonium cum impedimento dirimente: ubi in contractu per legem invalidato specialis resultat deformitas, quòd nempe materia incapax substernatur formæ sacramentali, & subeatur proximum periculum fornicationis. Ita docent Suar. l. 5. c. 20. & August à V. M. d. 4. q. 4.

7. CONCLUSIO SECUNDA. *Omnis lex irritatoria in eo genere, in quo irritat, obligat subditum in conscientia, ne quærat fructus vel effectus ex tali actu, quos alioquin haberet, si legis irritatio non obsisteret.* Ita Authores citati.

Ratio est. Quâ ratione lex irritans actum invalidat, eâdem obligat, ne quis utatur illo actu tanquam valido: sed qui quærit, & percipit fructus ex illo actu ut valido sequi solitos, ille utitur actu tanquam valido: ergo lex irritans actum in eo genere & ratione, quâ irritat, obligat, ne quis ex illo actu fructus, vel effectus quærat, qui aliàs ex ipso provenirent, si in suo valore persisteret. Unde vel actus irritatur à lege dependenter à sententia Judicis; & tunc potest quis ante sententiam judicis fructus ex illo actu tanquam valido percipere: obligabitur tamen in conscientia, partim ut post latam sententiam à fructibus ex illo actu percipiendis abstineat; partim ne alium, cujus interest, ab actione civili & processu ad irritationem impediat. Vel secundò lex est ipso facto irritans, & tunc vel tantùm civiliter, vel tantùm naturaliter. Si tantùm civiliter, & in foro externo, erit tantùm obligatio conscientiæ, ne quis media civilia & in foro externo apponat, ad fructum ex tali actu percipiendum: deinde ne impediat illum, cujus interest, à civili actione, effectuum ex actu civiliter irrito consequentium, impeditivâ: cùm enim civilis irritatio auferat potestatem civilem, pariter vetat media civilia ad sustinendum valorem actûs. Si verò lex est simpliciter, adeòque & naturaliter irritans, tunc obligaberis in conscientia abstinere ab omnibus mediis tam naturalibus, quàm civilibus ad tales fructus percipiendos, hoc ipso quòd per illam irritationem aufertur omnis potestas tam civilis, quàm naturalis ad sustinendum valorem illius actûs.

8. CONCLUSIO TERTIA. *Quando irritatio legis est pœnalis, supponens alicujus actûs substantiam, tunc actum non facit irritum, sed irritandum per Judicis sententiam,* (2) *nisi cùm actus sit incapax irritationis per judicis sententiam, quo casu statim ac ponitur, redditur invalidus.* Ita Suar. l. 5. c. 32. Sanch. de matrim. l. 3. disp. 4. n. 9. Palaus tr. 3. disp. 2. punct. 10. & 19. Salmantic. hic c. 2. punct. 5. n. 101. 102.

Ratio primi est: quia irritatio pœnalis sequitur conditiones legis pœnalis: sed ista ordinariè, nisi aliud expressè statuatur, non obligat nisi post judicis sententiam: ergo & ista irritatio pœnalis. Unde si lex aliqua irritet contractum venditionis mercium aliquarum, de quibus gabella non fuerit soluta, manebit contractus in suo robore, donec à judice rescindatur; quia pœna hujus legis propriè intendit jus quæsitum tollere.

Ratio secundi est: quia irritatio legis, quantumvis sit pœnalis, debet habere effectum, vel cùm ipse actus ponitur, vel post ipsius positionem per sententiam judicis: atqui hoc secundo modo habere non potest, ut supponitur; ergo in ipsa positione actûs reddit ipsum invalidum: atque ita contingit in matrimonio contracto ab uxoricida, vel adultero cum promissione matrimonii futuri.

CONCLUSIO QUARTA. *Lex purè irritatoria, ubi irritatio vel antecedit, vel comitatur actum, statim sortitur effectum, & actum reddit invalidum absque sententia judicis, ut in testamento absque debitâ solennitate, matrimonio clandestino, professione ante 16. annum ætatis,* &c. *tunc enim lex præscribit formam actui, quâ non servatâ ipso jure sit nullus.* Ita Salmantic. loc. cit. 9.

§. III.

Resolutio de lege in præsumptione fundata.

Nota ex dictis, Præsumptionem, in qua lex fundatur, aliam dici *præsumptionem juris*, vel *periculi*, aliam dici *præsumptionem facti*. Illa est, quæ non fundatur in aliquibus indiciis, sed in judicio moraliter certo, quòd ex tali actu vel contractu non quidem in omni particulari casu, sed tamen regulariter & utplurimum fraus, vel damnum eveniat, ideoque per illam non præsumitur aliquod factum, sed periculum fraudis, vel damni. Præsumptio facti, & propriè talis, est, quæ fundatur in judicio ex certis indiciis definiente, factum hoc & hoc modo se habere. Unde & lex in tali præsumptione fundata est conditionata, si videlicet factum ita se habeat, sicut à legislatore, vel præcipiente [nam quæ de lege hîc dicuntur, eadem de præcepto velim intelligas] judicatur. Quo posito sit 10.

CONCLUSIO QUINTA. *Lex fundata in præsumptione juris habet suum effectum, etiamsi falsificetur præsumpta fraus, vel damnum in aliquo casu particulari.* 11.

Ratio est: quia cùm finis & motivum principale legislatoris subsistit, manet legis obligatio; sed etiamsi præsumptio falsificetur in uno alterove particulari casu, adhuc tamen motivum principale legislatoris subsistit: nempe bonum Reipubl., periculum moraliter certum, & evitatio incommodorum, scandalorum &c. quæ utplurimùm evenire solent: ergo manet legis obligatio. Ideo lex irritans votum solenne ante annos pubertatis emissum, fundata in præsumptione, quòd ante illam ætatem desit judicii requisita maturitas, ideque gravia scandala oriantur, etiam in illo locum habet, cui sufficiens judicium non deficit: præsumptio quippe legis non est de judicii defectu in singulis, sed in plerisque; & de scandalis quæ exinde oriuntur.

Confirmatur exemplis: Lex Tridentini, quâ irritantur matrimonia clandestina, innititur præsumptioni fallaciarum, quæ ejusmodi matrimoniis misceri solent; nec ideo amittit robur, quantumvis in casu particulari nulla intercedat fallacia. Lex irritans professionem ante completum 16., & matrimonialem contractum ex parte maris ante 14. annum, & ex parte fœminæ ante 12. ætatis annum, præsumit defectum sufficientis judicii & pru-

& prudentiæ ante illum annum ætatis, nec tamen suo frustratur effectu, si in casu particulari oppositum inveniatur. Lex irritans testamenta sine substantiali solennitate facta, tenet, tametsi in casu aliquo absit fraus quam præsumit: & lex irritans contractus pupillares absque authoritate tutorum initos, retinet suum vigorem, tametsi in aliquo casu nullum pupillo damnum immineat, in cujus præsumptione illa fundatur.

13. CONCLUSIO SEXTA. *Leges & præcepta in præsumptione facti fundata non obligant in conscientia, quando fallit præsumptio.* Ita Suar. l. 3. c. 23. Sotus de Just. l. 1. q. 6. a. 4. Palaus tract. 3. disp. 1. punct. 14. cum communi.

Ratio est primò: Præsumptio legis vel ideo est falsa, quia lex præsumit aliquem actum esse licitum, qui tamen jure naturali, vel divino est illicitus; vel quia lex præcipit aliquem actum licitum, sed tamen propter præsumptum aliquod factum, quod à parte rei non invenitur. Si primo modo præsumptio est falsa, per se clarum est, quòd tunc lex humana vigorem legis amittat, cùm nulla possit dari obligatio ad peccandum, legisque Divinæ & naturalis vinculum longè fortiùs stringat, quàm ullius legis humanæ. Et patet ex *c. inquisitioni, de sent. excomm.* ubi præcipitur, quòd si quis sciens se invalidè contraxisse matrimonium, per sententiam judicis sub pœna excommunicationis cogatur ad cohabitandum, & utendum matrimonio, debeat potiùs sententiam excommunicationis humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. Si secundo modo, rursus nulla est legis obligatio, hæc quippe non intendit obligare, quando fallit præsumptio, eò quòd recta ratio dictet, veritatem falsæ præsumptioni debere præferri, *c. veritatem. dist.* 8. ideoque in foro externo admittitur probatio contra præsumptionem.

Ratio est secundò. Deficiente motivo & intentione obligandi, nulla est legis obligatio: sed si præsumptio facti est falsa, deficit motivum & intentio obligandi: ergo tunc nulla est legis obligatio. Minor probatur. In lege conditionata, deficiente conditione etiam deficit legis motivum, & intentio obligandi: sed lex in facti præsumptione fundata, est saltem tacitè conditionata, si nimirum veritas facti ita se habeat, sicut præsumitur: ergo fallente hâc conditione deficit legis motivum & intentio obligandi.

Ex quibus deduces primò: Illum, qui per judicis sententiam condemnatur solvere pecunias 14.
alteri, qui per falsos testes probavit, ipsum esse debitorem, non teneri solvere; & si cogatur, posse uti occultâ compensatione, si sciat, se non esse debitorem. Secundò. Illum, qui scit se alterius bona malâ fide, & sine legitimo titulo possidere, non posse illa titulo præscriptionis retinere, si altera pars in probanda mala fide deficiat, quia lex præscriptionis præsumit bonam fidem, & legitimum titulum possidentis. Ita Salmantic. loc. cit. cum DD. à se citatis.

ARTICULUS IV.

Quanta sit legis humanæ obligatio?

SUMMARIA.

1. *Potest lex humana inducere obligationem sub mortali.*
2. *Transgressio legis ex contemptu est peccatum mortale.*
3. *Ideo proponens committere omnia venialia peccaret mortaliter.*
4. *Obligatio colligenda ex verbis legis.*
5. *Gravitas obligationis bene colligitur ex gravitate pœnæ adjectæ.*
6. *Non potest dari gravis obligatio in materia levi.*
7. *Ad eruendam gravem obligationem consideranda est gravitas materiæ.*
8. *Unde attendenda gravitas, vel levitas materiæ?*
9. *Sententiæ negantis dari levem obligationem in gravi materia primum & secundum fundamentum discutitur.*
10. *Responsio contrariæ partis examinatur.*
11. *Alia & vera responsio.*
12. *Tertia ratio à paritate levis materiæ petita dissolvitur.*
13. 14. 15. *Sententiæ affirmantis rationes ponderantur.*
16. *Resolutio pro parte affirmante cum distinctione.*
17. *Disparitas inter gravem & levem materiam.*
18. *Si exprimeretur gravis obligatio in materia manifestè levi, foret levis obligatio.*
19. *Lex humana per se ordinariè non obligat cum vitæ discrimine.*
20. *Subinde tamen per accidens;*
21. *Et aliquando per se.*

§. I.

Gravitas obligationis ex gravitate materiæ.

Quod lex humana possit inducere obligationem sub mortali, jam ex præmissis constare potest: idque probat primò authoritas S. Script. ubi præceptum de abstinendo à suffocatis Act. 15. vocatur *necessarium.* Matth. 15. dicitur: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Rom. 13. *Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Ratio sæpius indicata est, quòd obligatio manans ex lege æterna DEI & naturali potest esse gravis & sub mortali, si materiæ gravitas patiatur: sed efficacia obligandi in lege humana dimanat ex lege æterna DEI, & naturali, quâ jubemur obedire potestatibus superioribus: ergo. 1.

Certum est ex S. D. 2. 2. q. 105. a. 1. & 186. a. 9. & comm. DD. Toties committi mortale peccatum, quoties fit transgressio legis ex perfecto & formali contemptu illius, quamvis fiat in materia levi. Ratio est: quia per verum ac formalem contemptum læditur graviter charitas, & gravis infertur injuria legislatori. Cæterùm formalis & perfectus contemptus legis non censetur 2.

setur esse, quando quis in particulari casu non vult parere Superiori, eò quòd res ipsa in se sit levis, vel cùm passione, aut consuetudine inducitur ad transgressionem præcepti: sed cùm ex malitia præcepto adversatur, ut nempe contrario actu vel omissione actûs præcepti ostendat, se nolle subjici suo legitimo Superiori.

3. Ex quo infero, illum, qui proponeret, omnia peccata venialia committere, non venialiter, sed mortaliter peccaturum: nam esto, quòd omnia venialia simul sumpta non constituant in seipsis peccatum mortale; cùm tamen ejusmodi propositum non posset concipi, ex motivo delectabilitatis repertæ in objectis omnium peccatorum venialium, sed ex pura malitia & libidine transgrediendi præceptum divinum, quo venialia prohibentur, ejusmodi propositum gravem contemptum Divinæ authoritatis, & læsionem charitatis in se includeret, ut taceam, cumulum omnium peccatorum venialium in se claudere proximas occasiones etiam peccandi mortaliter, sub mortali prohibitas.

4. Certum est secundò, obligationem legis dependere ex voluntate legislatoris, qui si utatur verbis non solùm voluntatem, sed etiam præceptum significantibus, ut *jubeo*, *impero*, *præcipio*, *prohibeo*, *nemini liceat*, &c. tametsi nullam faciat expressam mentionem obligationis in conscientia, nihilominus obligare censebitur. Quandonam verò hæc obligatio sit gravis, aut levis, est quæstio difficilioris indaginis, quæ Authores in diversas spargit sententias. De quo

5. Certum est tertiò. Nisi constet ex tenore legis, ipsam esse purè pœnalem, tunc ex gravitate pœnæ adjunctæ transgressioni præcepti rectè colligi gravitatem obligationis. Ita Suar. l. 3. c. 26. & Clariss. D. Clerle in qq. selectis q. 3. n. 13. cum pluribus citatis. Ratio est primò: quia de legislatore præsumi debet, quòd legem prudenter condiderit: atqui levi culpæ prudenter non adjicitur gravis pœna, sed culpæ gravi: ergo si gravis pœna adjiciatur delicto, non potest præsumi quòd sub levi culpa sit obligatio. Secundò: quia secundùm S. August. l. 2. de bapt. c. 6. in statera legis antiquæ divinæ, ex adjectione gravis pœnæ rectè colligebatur gravitas culpæ & transgressionis, cùm lex dicebat: *Peribit anima illa de populo suo*: ergo similiter ex gravitate pœnæ à lege humana impositæ rectè colligitur gravitas obligationis.

6. Certum est quartò. Quantitatem & gravitatem obligationis non dependere à sola intentione legislatoris, sed etiam à quantitate materiæ, cui applicatur obligatio: nam gravis obligatio necessariò requirit gravitatem materiæ; ita ut non sit in potestate legislatoris humani obligare sub mortali in materia levi: nam primò fundamentum hujus obligationis est materiæ capacitas: atqui materia levis est incapax gravis obligationis: ergo illi gravis obligatio non potest imponi. Secundò, quia ejusmodi lex seu præceptum foret irrationabile & injustum: irrationabile, quia pro re levi obligaret ad pœnam æternam; & necessitatem consequendæ salutis ac conservandæ Divinæ amicitiæ in re levi constitueret: Esset injustum, quia *alligaret onera gravia & importabilia*, Matth. 23. Tertiò: quia neque lex naturalis, neque Divina in re levi graviter obligant. Quartò: quia talis lex non esset in ædificationem, sed destructionem, venenum boni communis, non antidotum. Quintò. Quis toleret à Principe pœnam mortis imponi pro levi transgressione? quantò ergo iniquiùs imponitur per gravem obligationem reatus pœnæ æternæ? Quæ objici possunt, in decursu diluentur.

Certum est quintò. Si legislator suam intentionem graviter vel leviter obligandi sufficienter non explicet, considerandam esse quantitatem materiæ, ita ut leges humanæ in gravi materia graviter, in levi leviter obligent: quia in omni lege requiritur aliquod determinativũ, quo in particulari determinetur, an obligatio legi intrinseca, simulque imbibita lex naturæ, quâ jubemur obedire Superioribus justa præcipientibus, sit gravis & sub peccato mortali; an levis, & sub peccato veniali. Cùm ergo in hac hypothesi nullum aliud adsit determinativum, recurrendum est ad gravitatem materiæ. Præterea legislator humanus, nisi aliud exprimat, præsumitur efficaciam legis admensurare capacitati materiæ: sed materia est capax gravis obligationis. 7.

Dices: In dubio benignior interpretatio est facienda: ergo si non constet de mente legislatoris, potiùs præsumendum est, leviter voluisse obligare, quàm graviter.

Respondeo negando suppositum: non enim hoc casu est propriè dubium de voluntate graviter obligandi: voluntas quippe absolute obligandi non supponit pro voluntate obligandi secundùm quid, qualis est obligatio sub veniali; sed pro voluntate obligandi simpliciter. Causa quoque sufficienter applicata in materia capaci, operatur effectum, quantum potest, nisi aliunde ipsius activitas limitetur: atqui lex applicatur materiæ capaci gravis obligationis, neque limitatur à voluntate legislatoris, cui soli subest ipsius activitas: ergo producit moralem suum effectum obligationis, quantum potest; adeòque graviter obligat.

Cæterùm levitas aut gravitas materiæ non semper attenditur penès intrinseca prædicata rei, quæ sub præceptum cadit: potest enim in ipsa legis materia alia reperiri gravitas vel levitas materialis, alia formalis. Materialis est, quæ accipitur ex latitudine proprii generis & objecti, sub quo materia præcepta vel prohibita continetur, e.g. comestio pomi intra genus comestionis, mixtio aquæ modicissimæ cum vino in calice, intra genus mixtionis; brevis frequentatio alicujus personæ in genere familiaritatis & conversationis sunt levis materia. Formalis est, quæ sumitur ex habitudine, connexione, & necessitate ad virtutem, vel finem à legislatore per se intentum: cùm enim materia præcepta à legislatore assumatur tanquam medium ad obtinendum finem à se intentum: idcirco, sicut bonitas mediorum formaliter est respectiva per ordinem & habitudinem ad finem; sic etiam gravitas & levitas materiæ formaliter desumenda est per ordinem ad finem à legislatore intentum, ut proinde materia, in se gravis materialiter, fieri possit levis formaliter, 8.

ter, eò quòd non habeat magnam & necessariam connexionem cum fine à legislatore per se intento. Ut si in aliqua Religione sit præceptum jejunandi in certis profestis, vicissim quoque materia levis fieri possit gravis formaliter ob magnam connexionem cum fine per se intento: unde comestio pomi prohibita Adamo non erat levis materia, quia abstinentia ab illo pomo erat imperata in protestationem debitæ subjectionis ad voluntatem Divinam, quo modo erat materia gravis formaliter. In sacrificio Missæ infusio aquæ non est levis materia, quia ordinatur ad tremendum Sacrificium & Sacramentum Corporis Christi, mysticamque significationem ipsius: Frequentatio alicujus domûs vel personæ non est levis materia, quando prohibetur ad evitandum grave peccatum, vel scandalum, cujus probabile periculum vel proxima occasio exinde incurritur.

Porrò triplex est finis præcipuus & ultimatus legislatoris humani, ut observant Salmantic. hîc c. 2. p. 2. n. 24. Ecclesia per suas leges & canones præcipuè intendit salutem animarum. Prælati Regulares per se primò intendunt observantiam votorum & studium perfectionis. Magistratus politicus pacem, bonam conservationem & communem tranquillitatem Reipublicæ. Ideo præcepta valde necessaria ad virtutem charitatis, Religionis, justitiæ, votorumque observantiam, plerumque supponuntur habere gravem materiam, quæ verò non valde necessariò, sed remotè, & ad melius esse conducunt, censentur habere materiam levem.

§. II.

Possitne in gravi materia dari levis obligatio.

His positis adhuc dubitatur, possitne legislator humanus in materia gravi inducere obligationem levem sub culpa veniali, si illud sufficienter exprimat? Et quidem negativam tenent Tapia, Montesin. Bellarmin. Reginaldus, Azor, Vasquez, Becanus apud Salmantic. loc. cit. n. 19. Theologi S. Galli sect. 3. q. 1. & Augustinus à V. M. quam tenui in Thesib. de legibus c. 5. §. 4. Et ratio est primò. Non est in potestate legislatoris humani restringere obligationem juris naturalis: sed ex hypothesi, quòd legislator humanus prohibeat vel imperet materiam gravem, lex naturalis, quæ jubet obedire Superioribus justa præcipientibus, concomitanter obligat in materia gravi: ergo legislator humanus non potest restringere obligationem juris naturalis: atqui ista in materia gravi est gravis: ergo non potest ab humano legislatore impediri quò minùs sit obligatio gravis in materia gravi.

Sed huic argumento à contraria parte occurritur: Esto, obligationem remotè radicari in lege naturæ, proxima tamen causa ipsius est voluntas præcipientis in materia ex se indifferente, & capaci vel nullius, vel gravis, vel levis obligationis. Sicut ergo lex naturalis nullo modo obligat, v.g. ad abstinendum à carnibus, quando legislator non vult obligare ad abstinendum, ita nec graviter obligabit, quando Superior non vult graviter, sed tantùm leviter obligare: non enim lex naturalis graviter obligat ad parendum Superioribus graviter non obligantibus. In forma igitur distinguitur major. Non est in potestate legislatoris humani restringere obligationem juris naturalis immediatè influentem, & independenter à voluntate præcipientis, concedo majorem; tantùm remotè & mediatè influentem, ac dependenter ab intentione præcipientis, nego majorem: Et sic distinctâ minore, negatur consequentia.

Ratio est secundò. Radix malitiæ mortalis, aut venialis non est voluntas Legislatoris, sed natura objecti, quæ si dicat gravem repugnantiam cum charitate & lege, fundat mortalem; si levem, fundat venialem malitiam. Unde nec Divina voluntas, quamvis liberrima in ferendis legibus, potest esse causa, ut in materia gravi potiùs sit levis, quàm gravis obligatio: quia gravitas vel levitas malitiæ formaliter provenit ex gravi vel levi repugnantia cum recta ratione: sed transgressio Legis Divinæ in gravi materia habet gravem repugnantiam cum recta ratione: ergo transgressio legis Divinæ in gravi materia hoc ipso non potest prohiberi sub veniali peccato tantùm.

Huic argumento obviat Clariss. D. Clete loc. 10. cit. negando, quòd in materia indifferente radix malitiæ mortalis, aut venialis unicè fundetur in natura objecti, sed tantùm quòd habeat capacitatem gravis repugnantiæ cum lege & recta ratione, quòd autem actu graviter repugnet, id pendere ex arbitrio Legislatoris, quia materia indifferens ex objecto non est mala, nisi quia prohibita.

Verùm non enervat vim argumenti responsio: quia tametsi antecedenter ad obligationem materia legis sit indifferens, ut recipiat obligationem, vel non: non tamen est indifferens consequenter, ut recipiat gravem, vel levem obligationem, quia obligatio recipitur juxta modum objecti, quod cùm sit materia gravis, fit etiam obligatio gravis. Unde consequenter ad positam legis obligationem in materia gravi, eo ipso est obligatio gravis. Idque roboratur hâc ratione. Proxima radix malitiæ in transgressione legis est ipsius inordinatio & repugnantia objectiva cum lege, sed positâ obligatione in materia gravi non potest non resultare gravis inordinatio objectiva contra legem & rectam rationem: ergo eoipso quòd imponatur materiæ gravi obligatio, exinde resultat proxima radix gravis malitiæ, & consequenter est obligatio sub mortali. Si respondeas: Minorem esse veram, positâ gravi obligatione, non autem positâ non gravi, respondes per id quod est in quæstione: quid enim aliud controvertitur, quàm utrùm sit in potestate Legislatoris in materia gravi levem obligationem imponere? Neque placet, quod admittit Suar. cit. c. 27. n. 10. *In his, quæ tantùm sunt mala, quia prohibita, rationem peccati mortalis, aut venialis remotè pendere à voluntate hominis, inquantum à voluntate hominis pendet ponere, vel non ponere præceptum prohibens, & ponere tale, vel tale præceptum:* etsi enim obligatio ad aliquem actum ponendum, vel omittendum pendeat à voluntate hominis tanquam causâ, ipsa tamen inordinatio & repugnantia objectiva cum recta ratione, quæ reperitur in materia prohibita, estque radix proxima

xima formalis malitiæ mortalis, aut venialis, non pendet neq; remotè ab hominis præcipientis voluntate, sed connaturaliter consequitur & resultat in materia prohibita, positâ prohibitione solùm tanquam conditione, non verò tanquam causâ. Aliàs concedendum erit, rationem malitiæ mortalis & venialis remotè pendere à Divina voluntate, quia nisi esset Divina lex, nullum esset peccatum, ut probavimus in Tract. de pecc. personali. Sic pariter peccabilitas hominis dependeret à voluntate Divina; quia à DEI voluntate dependet creare vel non creare hominem, quâ creatione suppositâ necessarium est hominem esse peccabilem, ut dictum in Tract. de Ang.

11. Ideo respondetur ad argumentum, permisso primo membro antecedentis, distinguendo alterum: Radix malitiæ mortalis aut venialis est natura objecti &c. ita tamen, ut in materia extrinsecè tantùm & ideo mala, quia prohibita, habeat latitudinem & capacitatem majoris vel minoris inordinationis dependenter ab intentione Legislatoris, concedo; ut non habeat talem capacitatem, nego.

Unde, inquis, habet istam capacitatem? Ex eo, inquam, quia materia indifferens, quantumcunque in suo genere & materialiter gravis, ut est perpetua abstinentia à carnibus, si per aliquam legem præcipiatur, induit rationem medii ad finem à Legislatore intentum, unde si Legislator judicet, se meliùs assequi finem v. g. perfectionis & charitatis, non constituendo abstinentiam in ratione medii necessarii ad finem intentum per gravem obligationem, sed tantùm assumendo ut medium rationabile, & statûs Religiosi perfectioni valde accommodum per levem obligationem, abstinentia à carnibus non erit ampliùs materia gravis formaliter & in ratione medii, neque ipsius violatio continebit gravem, sed levem inordinationem & declinationem à charitate & amicitia Divina; quo modo vix unquam contingit alicujus statuti & regulæ voluntaria transgressio absque causa rationabili, quæ non sit culpa venialis.

12. Ratio deducitur tertiò ex paritate levis materiæ: Non potest Legislator imponere gravem obligationem in materia levi juxta priùs dicta; ergo neque levem obligationem in materia gravi: æquè enim est improportio inter levem materiam & gravem obligationem, quàm inter materiam gravem & levem obligationem; & sicut materia levis parit levem, sic materia gravis parit gravem deordinationem & repugnantiam cum recta ratione.

Respondetur communiter, in eo esse disparitatem, quòd materia parva non habeat capacitatem gravis obligationis, habeat autem gravis materia capacitatem etiam levis obligationis. Contra tamen datam responsionem militat, quòd etiam materia parva potest cadere sub gravem obligationem, uti patet in exemplis suprà positis de pomo Adami &c. Si dicas: tunc non esse materiam parvam formaliter; idem ego dicam de materia gravi non esse gravem formaliter. Ideoque

Respondeo secundò distinguendo consequens: ergo non potest Legislator imponere levem obligationem in materia formaliter & actualiter gravi, concedo; in materia tantùm materialiter & potentialiter gravi, nego conseq: formalem enim gravitatem non habet ab intrinseco & ex natura rei, sed ab extrinseco, & ab intentione Legislatoris, illam connectente cum suo fine vel ut medium necessarium, vel ut medium non necessarium, illud per gravem, istud per levem obligationem, & sic erit materia formaliter vel gravis, vel levis.

Pro sententia affirmante, quam tenent Suarez & Salmantic. citati, item Magnif. P. Petschacher & Clariss. D. Cletle ll. cc. cum communiori, posse à Legislatore in gravem materiam induci levem obligationem, militant plures rationes. Primò adducitur praxis variarum Religionum, quarum regulæ & statuta etiam in gravi materia, ut est abstinentia perpetua à carnibus apud PP. Carmelitas Discalc. frequenter tantùm obligant sub veniali. Communis tamen est responsio. Regulas in isto casu non esse propriè præceptivas, sed simpliciter directivas, quæ tamen ratione adjunctæ negligentiæ vix unquam sine veniali peccato deliberatè violantur. 13.

Neque urget, quod replicant Salmantic. ejusmodi statuta fieri ab habente jurisdictionem & potestatem præceptivam, & esse confirmata à Sede Apostolica. Nam potestas præceptiva non infert præceptum, nisi exprimatur, & confirmatio Sedis Apostolicæ præcisè non imponit novam obligationem, sed tribuit solummodo robur authoritatis, juxta statum, in quo Regulæ reperiuntur. Vel meliùs responderi potest secundò. In tali casu, si præcepto leviter obligante constet, materiam præceptam non esse gravem formaliter, sed tantùm materialiter, modo primùm exposito.

Ratio est secundò. Nulla est repugnantia neque ex parte materiæ, neque ex parte præcipientis, ut materia gravis & de se indifferens recipiat levem obligationem: ergo illam potest recipere. Antec. quoad 1. partem probatur: Materia gravis ideo est indifferens, quia ab intrinseco non exigit esse prohibita sub gravi obligatione, imò nullo modo petit esse prohibita, vel præcepta: ergo sicuti non repugnat ipsi, nullo modo esse prohibitam, sic etiam non repugnat, non esse prohibitam sub gravi obligatione: ergo potest esse prohibita sub minori & levi obligatione. Quoad secundam partem probatur: Quia causa moralis libera non habet necessitatem explicandi totam activitatem, quam potest: sed Legislator est causa moralis & libera obligationis per suam voluntatem: ergo non habet necessitatem explicandi totam virtutem obligatoriam: ideo primò potest omnino cohibere virtutem obligatoriam, proponendo materiam gravem solùm per modum consilii: potest secundò obligationem derivare ad solam pœnam, vel disjunctivè ad actum, vel pœnam: potest tertiò gravem materiam prohibere vel præcipere sub pœna levi, cujus omissio tantùm sit venialis, quamvis potuisset prohibere sub pœna gravi: cur ergo non etiam sub levi culpa? 14.

Respondet prior sententia, esse repugnantiam ex parte utriusque: ex parte materiæ, quia illa licitè

licèt antecedenter ad legem sit indifferens, suppositâ tamen obligatione legis connaturaliter parit gravem inordinationem objectivam, aliàs esset, & non esset gravis materia. Item ex parte præcipientis, quia suppositâ per ejus præceptum applicatione legis naturalis ad materiam gravem, non est in ejus manu, ut impediat, quin resultet gravis deordinatio & repugnantia ad rectam rationem. Ad 1. partis probat. in contrarium distinguitur anteced. Materia gravis est indifferens, quia ab intrinseco non exigit esse prohibita sub gravi obligatione, antecedenter ad præceptum, concedo; consequenter, nego. Ad 2. partis probationem distinguitur major: non habet necessitatem explicandi totam activitatem in iis quæ simpliciter dependent ab ejus voluntate, concedo; quæ non simpliciter dependent, nego. Quamvis igitur pendeat ab intentione ferentis legem, ut obligatio applicetur huic determinatæ materiæ; semel tamen applicata recipitur ad modum recipientis, unde in materia gravi parit gravem obligationem, in levi levem. Unde adductæ instantiæ nihil evincunt. Non prima, quia in illo casu nulla obligatio applicatur materiæ, quod est in potestate obligantis: non autem est in potestate limitare magnitudinem obligationis. Neque secunda, quia rursus est in potestate præcipientis huic, vel illi materiæ, actui vel pœnæ applicare obligationem. Non tertia, quia pœna tanquam aliquod bonum potest esse effectus dependens à voluntate præcipientis, quem proinde potest moderari: at culpa aliena non potest esse effectus dependens à voluntate Legislatoris: cùm habeat solùm causam deficientem, adeòque nec gravitas vel levitas ipsius potest taxari à Legislatore.

15. Contra prædictas tamen responsiones proponitur Ratio ulterior tertiò. Effectus moralis non potest poni sine consensu voluntatis: sed cùm Legislator in gravi materia vult leviter obligare, nullus adest consensus ipsius, ut oriatur gravis obligatio; imò non vult graviter obligare: ergo neque potest oriri gravis obligatio: Vel ergo oritur levis tantùm obligatio, vel nulla. Non nulla, quia Legislator intendit obligare, idque potest; quis enim ligat liberam voluntatem præcipientis, cùm materia quoque capax gravis obligationis, non ideo efficiatur incapax levis obligationis? ergo oritur levis tantum obligatio.

16. Huic posteriori tanquam probabiliori sententiæ assentior. Adverto tamen, ex hypothesi, quòd Legislator leviter obliget in materia gravi, tunc materiam non esse gravem formaliter & in ratione medii, sed tantùm materialiter & in esse rei. Quo sensu primæ sententiæ fundamenta subsistunt: Posterior verò sententia loquitur de materia gravi materialiter & in esse rei. Ratio hujus est, quòd materia indifferens accipiat rationem medii à libera subordinatione præcipientis ad finem per se intentum: si ergo per levem obligationem velit hanc materiam non esse medium necessarium ad obtinendum suum finem, eo ipso non erit materia formaliter gravis; sin verò per gravem obligationem velit esse necessariò connexam, erit formaliter gravis.

Colliges primò. Inter gravem & levem materiam hanc esse disparitatem, quòd etiamsi levis materia per extrinsecam connexionem cum fine operantis possit aliquando gravitatem formalem induere, hæc tamen non præsumitur, nisi illam Legislator sufficienter significet: econtra nisi Legislator exprimat se nolle graviter obligare in materia materialiter gravi, semper præsumitur graviter obligare, siquidem talis materia habet intrinsecam capacitatem, ut assumatur pro medio necessario ad conservationem amicitiæ Divinæ, vel alterius finis per se intenti, quam ab intrinseco non habet materia levis. 17.

Colliges secundò. Posito quòd Legislator exprimeret, gravem obligationem circa materiam manifestè levem, v. g. levitatem in risu, somnolentiam voluntariam tempore meditandi, non fore obligationem gravem, sed levem; quia tunc impeditâ gravitate obligationis, cujus materia non est capax, non ideo impeditur omnis & levis obligatio, cujus mataria est capax, adeòque saltem erit levis obligatio sub veniali peccato. 18.

§. III.

An, & quando sit obligatio legis humanæ cum periculo vitæ?

Quæstioni propositæ satisfacimus triplici assertione. 19.

CONCLUSIO PRIMA. *Lex humana secluso scandalo & contemptu per se ordinariè non obligat, quando ex ejus observatione imminet periculum mortis, vel alterius gravis damni, e. g. morbi, infamiæ, &c.* Ita communis DD.

Ratio est primò. Lex Divina & naturalis non semper obligat cum vitæ periculo, ergo multò minùs lex humana. Antec. quoad legem naturalem patet; quia nemo tenetur reddere depositum, restituere famam, tenere naturale secretum, quando exinde probabiliter mors imminet. De Divina lege constat ex 1. Reg. 21: ubi David famis necessitate coactus comedit panes propositionis alioquin Laicis interdictos. Secundò *in c. consilium de observ. jejun.* declaratur, quòd lex humana in gravi necessitate non obliget. Tertiò. Legis obligatio est propter bonum commune: sed sæpe magis confert ad bonum commune, ne pars communitatis mortem, aut aliud grave malum patiatur, quàm ut lex observetur: ergo lex in tali periculo ad sui observationem sæpe non obligat.

CONCLUSIO SECUNDA. *Lex humana subinde per accidens obligat sub discrimine vitæ, aut alterius gravis damni.* Est communis DD. 20.

Ratio est: Lex humana tunc ita obligat, quando ex ejus transgressione sequitur, aut cum illa connectitur alterius præcepti naturalis vel divini gravis transgressio: sed hoc quandoque contingit, ut si ex comestione carnis die Veneris inter Catholicos dares grave scandalum, aut contemptus Religionis Summive Pontificis apud hæreticos oriretur, deberes sub mortali abstinere non obstante periculo gravis morbi, vel mortis ipsius.

CONCLUSIO TERTIA. *Lex humana etiam per se obligat cum vitæ & gravis damni discrimine,* 21.

[2.] *quotiescunque boni communis magis interest observatio legis, quam vita subditi.*

Ratio 1. partis est: Potestas Legislativa ordinatur ad conservationem totius communitatis: sed aliquando nequit conservari tota communitas, nisi pars exponatur periculo vitæ pro bono totius, veluti cùm in bello milites, cùm tempore pestis medici ad curanda corpora, Sacerdotes ad ministranda Sacramenta exponuntur: ergo lex hoc potest præcipere.

Secunda pars, quæ explicat, undénam dignosci possit, quando lex humana obliget cum vitæ discrimine, probatur: Cùm finis primarius legis sit bonum commune, tamdiu viget legis obligatio, quamdiu ipsius observatio est necessaria pro bono communi; sed in casu, quo boni communis magìs interest observatio legis, quàm vita subditi, legis observatio est necessaria pro bono communi, non obstante vitæ periculo: ergo etiam hoc non obstante viget ipsius obligatio.

Hinc optimè colligit Magnif. P. Perschacher discrimen inter legem Divinam, & humanam; quòd cùm lex Divina non obligat cum vitæ aut alterius gravis boni dispendio, id tribuendum sit Divinæ benignitati, temperantis usum suæ supremæ potestatis & dominii in nostram vitam & corpora: cùm verò lex humana non obligat cum ejusmodi dispendio, id sit adscribendum defectui potestatis, quia legislator humanus ab authore naturæ mediante communitate non accepit potestatem disponendi de vita & bonis subditorum nisi in ordine ad salutem, & bonum communitatis.

ARTICULUS V.

Quinam obligentur lege humanâ?

SUMMARIA.

1. *Alia vis legis directiva, alia coactiva.*
2. *In statu Aristocratico quilibet ex Optimatibus directè obligatur.*
3. *In materia dedecente statum Principis, ipse non obligatur suâ lege.*
4. *Neque obligatur suâ lege quoad vim coactivam.*
5. *Tenetur Princeps lege, quæ tantùm est sua quoad modum.*
6. *Tenetur suâ lege per accidens ratione scandali, vel pacti.*
7. *Princeps quoad vim directivam tenetur suis legibus.*
8. *Non directè.* 9. *Sed indirectè.*
10. *Quomodo teneatur Princeps lege irritatoriâ?*
11. *Obligatio Principis non est ex sola decentia naturali.*
12. *Transgrediendo suam legem in gravi materia peccat mortaliter contra illam virtutem, ad quam materia præcepta pertinet.*
13. *Objectiones solvuntur.*
14. *Indirecta obligatio Principis non nascitur ex pacto.*
15. *Princeps per se non obligatur lege municipali.*
16. *Ecclesiastica personæ neque directè, neque quoad vim coactivam obligantur per leges civiles.*
17. *Neque obligantur legibus suum statum dedecentibus.*
18. *Clerici indirectè obligantur legibus civilibus commune concernentibus.*
19. *Argumentum oppositum diluitur.*
20. *Infantes & amentes non obligantur humanis legibus.*
21. *Pueri post usum rationis subjiciuntur legibus humanis juxta ætatis capacitatem.*
22. *Et incurrunt censuras annexas.*
23. *Præsentia subditi alia physica, alia moralis.*
24. *Subditus etiam moraliter absens non tenetur lege sui territorii.*
25. *Disparitas inter legem & præceptum.*
26. *Non obest, tametsi subditus excedat territorio ad evitandam obligationem legis.*
27. 28. *Corollaria practica.*
29. *Peregrinus per animum permanendi in aliquo loco acquirit ibi domicilium, & tenetur legibus loci.*
30. *Advenæ volentes longo tempore habitare subjiciuntur loci legibus.*
31. *Peregrini transeuntes tenentur legibus communibus:*
32. *Et necessariis ad conservationem boni publici:*
33. *Iisq; quibus præscribitur forma contractibus.*
34. *Legibus particularibus non tenentur.*
35. *Solvuntur Objectiones.*
36. *Vagi subjiciuntur legibus loci.*

§. I.

An Princeps teneatur suis Legibus?

NOta, vim & efficaciam legis esse duplicem, directivam, & coactivam. Illa est, quæ obligationem inducit in conscientia; ista, quæ transgressorem pœnâ impositâ coercet, eique reddit obnoxium. Rursus: obligatio in conscientia potest à vi directiva provenire vel directè, vel indirectè. Directè, si causa obligandi sit ipsa lex & voluntas Legislatoris; indirectè, si lex & voluntas Legislatoris tantùm sit occasio, ut obligatio aliunde resultet. E. g. subditi directè obligantur lege territorii, quia subjiciuntur jurisdictioni Principis legem ferentis; non subditus jurans se servaturum leges territorii, indirectè obligatur, quia lex est ipsi occasio, ut juramento ligetur. Hoc posito 1.

Certum est primò, quòd, in statu Aristocratico, ubi Optimates dominantur, & in statu Democratico, ubi summa potestas est penès cœtum populi, quilibet ex Optimatibus, & ex populo directè obligetur publicatis legibus, quæ in priori statu senatûsconsulta, in posteriori plebiscita vocantur; quia quilibet ex Optimatibus & popularibus est verus subditus respectu totius cœtûs, tum optimatum in statu Aristocratico, tum populi in statu Democratico, adeòque directè obli- 2.

gari potest. Igitur quæstio procedit de Legislatore Monarchico, h. e. Principe Ecclesiastico, vel sæculari, de quo

3. Certum est secundò. Si lex contineat materiam subditis propriam, cujus observatio dedecet dignitatem & statum Principis, tunc eundem suâ lege nullatenus obligari, ut si lex jubeat, ne quis gladiatus incedat, &c. Unde rursus procedit quæstio in materia Principi civibusque communi, ut si sit lex de servando jejunio, certo rerum pretio, &c.

4. Certum est tertiò. Principem non obligari suâ lege quoad vim coactivam, quia cogere, & pœnas infligere est actus extrinsecus à Superiore procedens: sed Princeps Monarchicus non habet se superiorem: ergo. Igitur loquendo solùm de efficacia & vi legis directiva:

5. Certum est quartò. Principem teneri suâ lege, quæ tantùm est humana quoad modum, & quandam materialem determinationem; est verò Divina vel naturalis quoad substantiam: huic enim non minùs ipse subjicitur, quàm subditi. Sic suppositâ lege taxante valorem monetæ, vel pretium rerum, jure naturali princeps obligatur servare ejusmodi pretium in contractibus. Suppositâ determinatione juris Divini, quo S. Communio præcipitur, ad tempus Paschale, etiam Sum. Pontifex obligatur, &c.

6. Certum est quintò. Principem legislatorem, quoad vim directivam obligari posse per accidens, nimirum ratione scandali, vel pacti intervenientis, si videlicet pacto se obliget erga suos subditos, eâve conditione principatum suscipiat, quòd nullam velit legem ferre, nisi quam ipsemet observet. Ulteriùs ergo quæritur: An etiam per se Princeps obligetur suâ lege quoad vim directivam? De quo triplex potissimùm est sententia. Prima negat, Principem directè, vel indirectè quoad vim directivam obligari suis legibus, quam tenent Salas disp. 14. sect. 2. Azor l. 5. c. 11. Sangallenses sect. 3. q. 2. Suarez l. cit. aliique censent, obligari directè; communior sententia quam docent Salmantic. agnoscit in Superiori obligationem, sed indirectam, in cujus tamen sententiæ explicatione non omnes conveniunt.

7. CONCLUSIO. *Princeps Legislator quoad vim directivam tenetur suis legibus in materia communi, & accommodata tam Principi, quàm subditis.* Ita Reding. a. 3. controv. 3. conformiter ad mentem S. Doct. q. 96. a. 5. ad 3.

Prima pars probatur: nam primò Christus Matth. 23. reprehendit Prælatos, qui multa jubent, & non faciunt. *Alligant*, inquit, *onera, & digito suo nolunt illa movere.* Secundò. in c. *Cùm omnes.* de constitut quod D. Th. adducit loc. cit. dicitur: *cùm, quod quisque juris in alterum statuit, ipse eodem uti debeat, & Sapientis* (Catonis) *dicat authoritas: Patere legem, quam tu ipse tuleris, &c. In c. justum dist. 9. Justum est Principem legibus obtemperare suis: tunc enim jura sua ab omnibus custodienda existimet, quando & ipse illis reverentiam prabet.* Et ne ista consilii tantùm causâ dicta existimentur, ibidem subjungitur: *Principes legibus teneri suis, nec in se posse damnare jura, quæ in subjectis constituunt, justa est enim vocis authoritas eorum, si, quod populis prohibent, sibi licere non patiantur.* Unde D. Ambros. ep. 32. ad Valentin. Imp. *Cùm præscripsisti aliis, præscripsisti etiam tibi, leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat.* In l. *digna vox. C. de legibus. Digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri, &c.* Denique D. Th. loc. cit. *quantum ad DEI judicium* [h. e. in foro conscientiæ] *princeps non est solutus à lege, quantum ad vim directivam ejus.*

CONCLUSIO SECUNDA. *Hæc obligatio in Principe non provenit directè à propria ipsius lege.* 8.

Ratio est primò. Lex principis, prout habet vim directè obligandi, est ipsius imperium politicum versùs subditos: sed Princeps non est respectu sui ipsius Superior aut subditus; ergo lex respectu ipsius Principis non habet rationem legis directè obligantis. Secundò. Directa obligatio pendet ex voluntate & intentione Principis: sed Princeps in condenda & publicanda lege intendit alios, non seipsum obstringere; ergo. Nihilominus sit

CONCLUSIO TERTIA. *Princeps indirectè tenetur suis legibus.* 9.

Ratio est: Principem indirectè obligari suâ lege, aliud nihil est, quàm ipsum directè obligari à lege naturali, ut se conformet suis subditis in observantia suæ legis, ex hypothesi, quòd illam rationabiliter tulerit: sed ita obligatur: ergo. Minor probatur: nam lex naturæ obligat Principem ad procurationem boni communis: sed hoc maximè pendet à bono exemplo Principis, & conformitate omnium membrorum: nam ut D. Aug. l. 3. confess. c. 8. *turpis est omnis pars suo universo non congruens*: ergo ex suppositione legis rationabiliter promulgatæ, ex consequenti lex naturæ Principem obligat ad observantiam suæ legis. Cùm itaque dicitur Princeps esse *solutus legibus*, & esse supra leges, id intelligendum est de potestate directa, & coactiva, non autem de potestate indirecta; item in hoc sensu, quòd leges ex rationabili causa mutare, abrogare, & in iis dispensare possit, non verò quòd sit ab omni obligatione immunis. ut habet S. D. loc. cit. Ita docent præter citatos clarissimus D. Clerle Jurispr. Fundam. l. 1. Tit. 11. §. 5. & Clariss. P. König. Jur. Can. l. 1. Tit. 2.

Colliges ex dictis primò. Principem indirectè obligari per legem irritatoriam, in quantum illa inducit obligationem omittendi actum: nam hîc militat eadem ratio, quæ in aliis legibus: inquantum verò tollit valorem actûs, sic veriùs non obligatur: cùm enim princeps possit in lege dispensare, præsumendum erit, quòd in tali casu & puncto secum dispensare voluerit, si contra legem egerit. 10.

Colliges secundò. Contra Salmanticenses, pluresque alios, prædictam obligationem non oriri ex sola honestate & decentia naturali, ut Princeps se conformet suis subditis, ne illas suis subditis reddat suspectas, duras & odiosas; sed etiam quia dictat lex DEI æterna & naturalis, ut Princeps in materia virtutis, quam pro bono communi necessariam determinaverit, ipse hoc agat exemplativè, quod subditi agunt subjectivè: non enim minùs ipse lege naturæ obligatur suô exemplô, 11.

exemplò, quàm suâ lege prospicere bono publico; si ergo judicet necessarium, suâ lege determinare subditis observantiam certæ virtutis, v. g. jejunii, vel abstinentiæ intra motivum & virtutem temperantiæ; apertionem horreorum ad sublevationem pauperum, ex motivo & virtute misericordiæ, observantiam alicujus festi, recitationem Breviarii, frequentationem Sacramenti, &c. ex motivo & virtute Religionis, quod subditi tenentur facere subjectivè, h. e. vi subjectionis, quâ obligantur obedire Superiori præcipienti, Princeps tenetur facere exemplativè, h. e. ex ratione capitis, quâ non minùs tenetur suô exemplô prospicere bono publico, quàm subditi suô obsequiô. Ex quo ulteriùs

12. Colliges tertiò. Principem transgrediendo suas leges in gravi materia, non tantùm peccare venialiter contra honestatem & decentiam conformitatis cum reliquis membris Reipubl. sed etiam mortaliter contra illam ipsam virtutem, cujus materiam suo præcepto observandam determinat. E. g. si tulerit legem propter necessitatem patriæ, ne frumentum efferatur, ne arma, vel equi hostibus vendantur, peccabit contra pietatem in patriam, frumentum efferendo, & arma vendendo, &c. nam suppositâ determinatione certæ materiæ sub motivo alicujus virtutis, non minùs Princeps obligatur lege & dictamine naturali, per conscientiam imperante: *Patere legem, quam ipse tuleris*; quàm subditi, lege & dictamine naturali: *Obediendum est Superiori justa imperanti*: sed isti sic obligantur, ut peccent contra virtutem, sub cujus motivo materia per legem determinatur: ergo & Princeps suæ legi contrariando hoc modo peccabit.

13. Sed opponunt Theologi S. Galli primò. Neque ex moralibus principiis per se notis, neque ex ulla positiva lege constat, Principem obligari in conscientia ad servandas leges proprias: ergo gratìs asseritur. Secundò sequeretur legislatorem strictiori jure obligari ad servandas suas leges, quàm obligantur subditi: illi quippe humano solùm vinculo stringuntur facilè dispensabili, ille verò tenetur adamantino vinculo legis naturalis, vel divinæ: quod est absurdum.

Respond. ad 1. ex lege tam Civili quàm Canonica, & authoritate Angelici Doctoris, quas n. 7. adduximus, sufficienter constare, dari legem æternam & naturalem, quâ Princeps tenetur, in materia sibi & subditis communi, ea agere per modum capitis, quæ subditi agunt tanquam membra inferiora Reipublicæ.

Ad 2. Respondeo primò. Non esse tantum absurdum, ut Adversariis apparet, quòd graviùs in judicio DEI imputetur Principi transgressio suæ legis, quàm subdito; cùm Principum transgressiones sint suapte natura scandalosæ, & perniciosæ bono publico, cùm *magnis animos subeant authoribus*. Neque est hoc scandalum per accidens, sed quasi per se conjunctum, si Princeps legem à se rationabiliter latam primus non servet. Respond. secundò negando antec. nam in hoc est paritas inter Principem & subditos, quòd utramque partem stringat legis naturalis obligatio: hâc tamen differentiâ, quòd subditos obliget radicaliter & remotè, mediante nimirum voluntate & lege Principis; Principem verò proximè, sed tamen ex hypothesi legis à Principe rationabiliter latæ. Quâ proinde remotâ per dispensationem, etiam cessabit influxus legis naturalis.

14. Colliges quartò. Obligationem indictam Legislatoris non nasci ex virtuali pacto inito inter Rempubl. & Principem, eâ conditione accipiendi potestatem ferendi leges, ut iis & ipse foret obstrictus: Neque ex pacto & conditione sub quâ DEUS potestatem legislatori dedit ferendi leges universales, ut scilicet, ita exigente necessitate boni communis totiusque corporis, etiam Princeps tanquam Reipubl. caput obligaretur. Nam primum quidem minimè subsistit: tum quia id pactum gratìs & sine fundamento fingitur: tum quia non erat in potestate Reipubl. Principem absolvendi ab ista obligatione: tum quia fallit in legibus Summi Pontif. qui suam jurisdictionem immediatè habet à DEO. Secundum quoque, quod Suarez affirmat cit. c. 35. n. 11. non stat solido fundamento: cùm enim fatente Suarez necessitas boni communis exigat hanc obligationem, quid opus est aliquo pacto speciali & libero DEI? cùm lex naturæ dictet, *Patere legem, quam tulisti*, adstipulante communi consensu legum & Sapientum; è quibus Aristoteles 3. Polit. c. 7. docet, *Legem debere in Republica dominari*; & Josephus. l. 17. antiq. c. 10. Tyranni characterem in Herode agnovit, quod esset *juris Dominus, sed iræ servus*.

Colliges quintò. Per se loquendo Principem non obligari lege municipali, remoto videlicet periculo scandali, vel injustitiâ & inæqualitate in contractibus: nam Princeps obligatur tanquam caput & membrum Reipubl: est autem caput non tantùm respectu hujus civitatis, & provinciæ, sed respectu plurium. Ita Haunold. Palaus, Suarez l. cit. & P. Perschacher q. 4. a. 11. 15.

§. II.

An Clerici teneantur Legibus Civilibus?

Suppono primò. Clericos & Regulares neque vi coactivâ legum civilium, [2] neque directivâ directè obligari: uterque enim modus obligandi supponit in obligante jus & potestatem supra personam obligatam, quæ nulla est in magistratu civili supra personas ecclesiasticas, utpote in eminentiori statu, & gradu vitæ constitutas, uti constat ex *c. Ecclesia* de constitut. ubi dicitur: Quòd *Laicis super Ecclesiis & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas: quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi* &c. Et Concil. Later. Sess. 9. *Cùm à jure tam Divino, quàm humano laicis nulla potestas in Ecclesiasticas personas attributa sit*. 16.

Suppono secundò. Quando leges civiles disponunt de personis, aut rebus Ecclesiasticis vel de materia & objecto statum Ecclesiasticum dedecente, neque directè, neque indirectè extendi ad personas Ecclesiasticas; tunc quippe legum valori quoad Ecclesiasticos resistit tam jus Divinum, quàm Canonicum, quòd Ecclesiasticum statum supra laicalem evexit. Igitur quæstio est, de legibus Civilibus, quæ ad communem Reipublicæ felicitatem ordinantur, statui Ecclesiastico 17.

ftico non indecoræ, neque ipsius immunitati noxiæ. De quo fit

18. CONCLUSIO. *Clerici obligantur ejusmodi prædictis legibus (2) indirectè, inquantum obligatio easdem servandi partim à jure naturæ, partim à Pontificio dimanat: quales leges sunt, quæ prohibent noctu arma portari, bombardas in civitate explodi, merces extrahi, & accedi loca contagiosa, &c.* Ita quoad 1. p. omnes: quoad 2. p. Azor, Vasquez, Engel, Clariss. D. Doctor Cletle loc. cit. aliique.

Primæ partis ratio est; quia Clerici sunt veri cives & membra Reipubl. adeòque obligantur ut etiam ex sua parte concurrant ad ejusdem communem felicitatem: sed absque conformitate inter membra communitatis in servandis legibus totam communitatem concernentibus nequit obtineri salus publica: ergo ad hanc conformitatem servandam etiam Clerici tenentur. Secundò. per *Reg. 55. juris in 6. qui sentit commodum, etiam debet sentire onus*: Cum igitur Clerici sentiant commoda Reipublicæ, æquum est, ut etiam sentiant communia onera ipsorum statui, & immunitati non repugnantia. Tertiò. Quia Ecclesia leges Civiles non respuit, sed potiùs admittit per *c. 1. de novi op. nuntiat.*

Ratio 2. p. est: nam primò lex naturæ dictat, ut membra concurrant ad conservationem totius corporis, néve cives impediant bonam gubernationem Reipubl. sed ista conservatio & bona gubernatio necessariò requirit conformationem membrorum & civium: ergo cùm Clerici sint membra & cives Reipubl. necessariò tenentur se conformare aliis civibus, sub prædicta limitatione. Ex quo ruit fundamentum à Clariss. D. P. Petschacher oppositum, quòd lex naturalis de servanda conformitate ad summum obliget solùm sub veniali, cùm solùm sit honestatis & decentiæ, adeòque gravis obligatio Clericorum ad servandas leges civiles ex jure naturæ nequeat derivari: Nam Respondeo: Quando conformitas est necessaria ad bonum statum & felicitatem publicam, ejus obligationem non esse tantùm decentiæ, sed etiam necessitatis, prout primùm de obligatione Principis in simili dictum. Secundò ex Jure quoque Pontificio hæc obligatio derivatur: cùm enim Sum. Pontif. approbet, quòd Clerici fiant partes & membra Reipubl. & passim in corpore Juris Canonici approbet leges civiles immunitati Ecclesiasticæ non adversas, ut c. 1. *de novi op. nunt. c. 28. de privil. c. 12. in fin. de Arbitr. c. de capitulis 9. dist. 10.* &c. etiam ex Summi Pontif. voluntate Clerici ejusmodi legibus obligantur.

19. Contrarium sentit, & opponit Clariss. P. Illsung de Legibus c. 2. §. 3. n. 28. Legislator civilis habet directam potestatem legislativam in omnia membra Reipubl. sed Clerici sunt membra Reipubl: ergo gubernator Civilis habet in ipsos directam potestatem legislativam: ergo directè, non indirectè obligantur, præsertim cùm nulla sit lex Divina vel humana, quæ Clericos eximat à directa jurisdictione in rebus civilibus.

Resp. dist. maj: in omnia membra Reipubl. sibi subdita, & non privilegiata, concedo; non subdita & privilegiata, ut sunt Clerici, nego maj. & sic distinctâ minore, nego consequentiam. privilegiata verò Clericalis statûs exemptio patet ex allegatis textibus, iisque plurimis.

§. III.

An & quomodo legibus teneantur infantes, pueri, amentes, ebrii?

CONCLUSIO PRIMA. *Infantes & perpetuò amentes non obligantur humanis legibus.* Ita omnes. 20.

Et ratio est manifesta: quia lex est rationalis regula humanorum actuum: ergo ubi non est capacitas rationis, & humanorum actuum, ibi non est subjectum legis: ideoque ejusmodi personis in Quadragesima licitè apponuntur carnes: Unde tamen non sequitur, quòd ad blasphemias, ad verbera infligenda aliave opera ex se intrinsecè mala amentes licitè instigentur: nam quia instigator ad similes actus utitur amentibus tanquam instrumentis, idcirco ipsi tanquam causæ principali operum deformitas imputatur.

Dixi primò, *perpetuò amentes*; nam si tantùm per intervallum delirent, non desinunt lege obligari, quantumvis legis transgressio, quæ tempore amentiæ contingit, ob impeditum rationis usum in culpam ipsis nequeat imputari, ideoque tantùm sit materialis, non autem formalis transgressio.

Dixi secundò, *humanis legibus*; nam sub lege naturali, quæ cùm ortum trahat cum ipsa natura intellectuali rationis capaci, etiam pueri ante completum septennium, à quo primùm leges humanæ obligare incipiunt, & amentes sub lege naturali comprehenduntur, ut advertit Magnif. P. Petschacher loc. cit. Ex quo fit, ut si malitia suppleat ætatem, etiam infantes seu pueri ante completum septennium contra legem naturæ peccare possint: & qui amentes instigat ad actus intrinsecè malos, peccet cooperando ad actus verè prohibitos: quamvis per accidens amentibus in culpam non imputentur.

Postquam pueri pervenerunt ad usum rationis, 21. qui post septennium adesse præsumitur, subjiciuntur non tantùm divinis, sed etiam humanis legibus, quatenus præcepta materia congruit ipsorum ætati, quia lex est generale mandatum, quod omnes obligat, qui sunt capaces obligationis: sed pueri cùm pervenerunt ad annos discretionis, sunt capaces obligationis, unde in *c. omnis utriusque sexûs, de pœnit. & remiss.* omnibus fidelibus, cùm *ad annos discretionis pervenerint*, præceptum annuæ confessionis imponitur: ergo tunc humanis legibus obligantur. Dixi, quatenus ætati congruit; nam præcepto paschalis communionis, & jejunii non statim adstringuntur, quia hæc eorundem ætati non congruunt. Ita Palaus tr. 3. disp. 1. puncto. 24. Layman tr. 4. c. 10. n. 4. & alii.

Inferes ex dictis. Pueros post annos discretionis incurrere censuras & pœnas, delictis à se commissis impositas. Ita Haunold tr. 1. c. 1. conr. ult. §. 5. Suar., & DD. communiter: quia *in c. ult. de sent. excomm.* Ubi pueri percussores Clerici ab Episcopo jubentur absolvi, Sum. Pontifex supponit pueros incurrisse excommunicationem canonis: *Si quis suadente 17. q. 4.* quamvis nullibi jura directè statuant, quòd pueri pœnam excommunicationis incurrant. Unde nec est ratio pueros eximendi ab iis pœnis & censuris 22.

 latæ

latæ sententiæ, ut contra Palaum advertit Magnif. P. Petschacher loc. cit.

§. IV.

Quomodo obligentur subditi existentes extra territorium?

23 NOtandum: Subditum dupliciter posse territorio esse præsentem; physicè, h. e. secundùm suam personam, & moraliter, h. e. secundùm aliquam suam actionem, omissionem, vel damnum à se causatum intra territorium. Quo posito sit

24. CONCLUSIO PRIMA. *Subditus tam physicè, quam moraliter constitutus extra suum territorium non tenetur lege sui territorii.* Suar. l. 3. c. 32. cum communi. Constat ex *c. 2. de constitut. in 6.* & *l. ult. ff. de jurisd.* Ubi dicitur: *Extra territorium jus dicenti non paretur impunè.* Ratio est: quia cessante causâ subjectionis cessat legis obligatio: sed extra territorium cessat causa subjectionis: ergo. Minor probatur: Causa subjectionis erga hunc vel illum legislatorem est territorium (h. e. districtus alicujus jurisdictioni subjectus) nam acquisitione vel mutatione territorii acquiritur, vel mutatur subjectio: sed hæc causa cessat extra territorium: ergo. Ideo qui extra territorium, in quo furtum est affectum pœnâ excommunicationis, furatur, censuram excommunicationis non incurrit, ut dicitur in cit. *c. animarum.*

25. Dixi, *tam physicè, quàm moraliter*; nam si sit præsens moraliter, & si absit secundùm suam personam, legibus territorii sui subjacebit: obligatio quippe legum tangit personas propter operationes, intra territorium exercendas, vel omittendas: unde si persona secundùm possessionem & actionem, vel omissionem aliquam sit præsens, illa præsentia ad obligationem contrahendam sufficiens erit: aliàs quippe malè consultum foret bono publico, quod sæpe plus nocumenti patitur à causis moralibus, quàm physicis. Ideo Parochus extra diœcesin vagans, si omittat agere, quæ ipsi ex officio parochiali incumbunt, peccabit contra leges diœcesanas, ab Episcopo puniendus, nam omissionis culpa & effectus intra territorium consummantur. Sic obligant statuta prohibentia exercitium mercaturæ extra territorium, quia damnum quod ab ejusmodi exercitio Respublica patitur, intra territorium peragitur.

26. Dices: Præceptum comitatur personam etiam è territorio discedentem: ergo lex quoque obstringit personam extra territorium constitutam. Respondeo negando consequentiam: quia præceptum primariò respicit privatam utilitatem subditi, cui expedit ubique terrarum posse obligari: Lex verò per se respicit publicam utilitatem territorii, cujus haud interest, quid subditi extra illud agant pro suo arbitrio.

27. Colliges ex dictis primò. Etiamsi quis eâ intentione transiret ad aliud territorium, ut se eximeret à lege jejunii, effugere reservationem casuum, quæ viget intra suum territorium, posse securè comedere carnes, absolvi à casibus reservatis, &c. quia utitur jure suo: nec verè agit in fraudem legis, *quia nullus videtur dolo facere, qui jure suo utitur*, per *Reg. 55. ff. de Reg. Jur.* uti docent Palao, Sanchez, Salmantic. aliique. Sed etiamne valebit matrimonium sine Parocho & testibus contractum ab eo, qui ex industria & hoc ipso fine extra territorium abiit in terras, ubi Decreta Tridentini Concilii non sunt promulgata? Affirmant Th. Sanch. l. 3. de matrimonio, disp. 18. n. 29. & Pontius l. 5. de matr. c. 9. Negativa tamen præferenda est; nam & Congregatio Cardinalium interpretationi Concilii Tridentini præposita, & Urbanus VIII. in speciali rescripto & Brevi Apostolico ad Archiepiscopum Coloniensem dato 14. Augusti anno 1627. hujusmodi matrimonia ceu fraude contracta invalida esse declarârunt, ut refert *Lugo in respons. moral. l. 1. dub. 37.*

Colliges secundò. Si Cajus Salisburgi existens in festo S. Virgilii, quod est sub præcepto pro solâ civitate, non verò pro diœcesi, cogitet à prandio discedere extra civitatem, obligari ad Sacrum audiendum, & ad abstinendum ab opere servili, pro solo matutino tempore, quo adhuc existit Salisburgi, non autem pro tempore vespertino, quo existit in loco immuni hujus obligationis. Ratio est: quia præceptum servandi dies festos est duplex; unum, quo præcipitur auditio Sacri, alterum, quo præcipitur abstinentia ab opere servili. Obligatio prioris præcepti extenditur ad solum tempus matutinam, eoque finitur: Cùm igitur toto illo tempore Cajus existat Salisburgi, ubi urget obligatio, etiam Cajus tenebitur audire Sacrum. Alterius verò præcepti obligatio urget divisibiliter pro qualibet parte notabili totius diei. Cùm ergo Cajus mediam diei partem in loco obligationi subjecto, alteram verò in loco non subjecto transigat, in priori quidem parte tenebitur, in altera verò non tenebitur abstinere ab opere servili. Sed quid si adhuc matutino tempore Cajus discederet ab aliquo loco, ubi est dies festivus, ad locum ubi non est festivus, essetne nihilominus obligatus ad Sacrum audiendum? Respondeo, esse distinguendum: Vel enim Sacrum unicâ determinatâ horâ celebratur, uti fit in parochiis, vel plura invicem succedunt, uti plerumque fit in civitatibus & Ecclesiis collegiatis. Si primum: Communis est DD. sententia, quòd lex obliget ante discessum: quia lex affirmativa obligans pro determinato tempore, pariter obligat ad præveniendum impedimentum illius obligationis: sed in hoc casu lex obligat pro determinato tempore, v. g. horâ sextâ, & discessus est certum impedimentum legem implendi: ergo Cajus obligabitur ad audiendum Sacrum pro illo determinato tempore. Si secundum: attendendum est, ex mente Haunoldi hîc tr. 1. controv. 6. an Cajus ingrediatur alienum territorium tempore, quo legem audiendi Sacrum implere posset, vel tempore, quo domi existens ampliùs implere non posset. Si secundum, tenebitur ante discessum implere legem, quia impedimentum supervenit adhuc obligato & existenti in proprio territorio; Si primum, non tenebitur audire sacrum, quia tempore discessûs vel egressûs è territorio nondum habet proximam obligationem implendi legem. Est tamen etiam multorum probabilis sententia, in hoc casu absolutè deobligantium ab implenda lege, eò quòd impotentia

tentia illam implendi adveniat obligatione jam extinctâ per ingressum alterius territorii. Ita D. Petschacher loc. cit.

29. Colliges tertiò. Quid dicendum, si è loco ubi urget lex jejunii, cogites transire ad locum ubi non est ejusmodi præceptum. E. g. sit Salisburgi dies jejunii, si vesperi cogites venire Hallam, ubi non est dies jejunii, poteris manè horâ septimâ Salisburgi sumere jentaculum, quia jejunii obligatio completur tempore vespertino, pro quo tempore scis te fore deobligatum. Non tamen licebit Salisburgi comedere carnes, quia præceptum abstinentiæ obligat pro qualibet hora diei divisibiliter. Sed quid si è loco ubi non est lex jejunii, v. g. Hallâ transeas Salisburgum, ubi est lex jejunii? teneberisne Salisburgi servare jejunium? Respond. cum distinctione: Vel enim Hallæ jejunium fregisti per duplicem refectionem, vel comestionem carnium, vel non? si primum, non tenebris jejunare, quia observatio jejunii facta est impossibilis. Si secundum, teneberis ob præsentem obligationem. Ita Sanch. Less. Suar. Petschacher, aliique.

§. V.

Quomodo obligentur peregrini, advenæ, vagi?

30. Certum est primò. Quamprimum peregrinus accessit aliquem locum animo ibidem perpetuò manendi, statim subjici legibus illius loci, quia jam ibidem nactus est domicilium, per *l. domicilium. ff. ad municipalem*, *& l. 7. C. De incol.* 30.

Certum est secundò, idem dicendum de advenis, qui animo ad longum tempus habitandi morantur in loco alieno: Ita studiosi ad Academias commigrantes tenentur legibus & consuetudinibus illius loci, quia ibidem quasi domicilium figunt, quod Layman probabiliter extendit etiam ad illos, qui animo alicujus negotii tractandi sibi fixam habitationem ad aliquot menses vel septimanas alicubi conducunt. Quod tamen nolim extendas ad illas leges, quibus præscribuntur onera propriè dictam subjectionem supponentia; tunc quippe non nisi subditos propriè tales onerant. Sic studiosi, aliæve id genus personæ non tenentur suscipere tutelas, aliáve Reip. munera subire, cùm non veniant in censum subditorum propriè talium, neque in loco studiorum domicilium propriè dictum obtineant. l. 2. & 3. C. De incol. ut observat D. Cletle loc. cit. n. 19.

31. Certum est tertiò. Advenas & peregrinos, quamvis tantùm ad breve tempus hospitaturi, vel transituri, teneri nihilominus legibus communibus & generalibus, à quibus in sua patria forent immunes. E. g. civis Mediolanensis extra patriam proficiscens primis 4. diebus Quadragesimæ tenetur ad jejunium, à quo Mediolani esset absolutus. Layman l. 1. tr. 4. c. 12. cum aliis. Ratio est, quòd consuetudines & privilegia ejusmodi communibus legibus, quibus omnes obligantur, derogantia, sunt localia, & hoc ipso ad loci terminos restringenda, quòd à jure communi exorbitent.

32. Certum est quartò. Peregrinos & advenas teneri illis legibus municipalibus & particularibus extra domicilium, quarum observantia tam respectu advenarum, quàm incolarum necessaria est ad conservationem, & cavenda damna boni publici: nam potestas legislativa data est ab authore naturæ in finem conservandi communis boni. Si igitur istud dependeat ab obligatione tam advenarum, quàm incolarum, lex æquè advenas obstringet, ac incolas. Unde etiam pro solis advenis leges ferri videmus; ne v. g. inferant hujus generis libros, merces, arma, &c.

Certum est quintò. Teneri advenam ad servandas conditiones & solennitates contractui præscriptas in illo loco, ubi contrahit: quia ratione contractûs ibidem sortitur forum. *c. fin. de foro compet. l. 19. §. 1. & 2. ff. de Jud.* Restat igitur dubium primò. An peregrini teneantur particularibus legibus locorum, quæ transeunt, extra casus jam recensitos? Affirmativam propugnant Palao, Navarrus, Salas, Suarez l. 3. c. 33. n. 33. Contra quos 33.

Respondeo. Advenæ & peregrini in alieno territorio constituti non animo habitandi, sed ad breve tempus hospitandi, vel transeundi, non obligantur legibus & statutis particularibus illi loco propriis: sic studiosus Salisburgensis Diœcesin Passaviensem transiens [remoto scandalo] non tenetur in festo S. Gregorii audire Sacrum: & Sacerdos Latinus transiens per Ecclesiam Græcam, & vice versâ Græcus per Latinam, potest pro suo libitu vel in azymo, vel infermentato consecrare, seque vel suæ, vel illius per quam transit, Ecclesiæ ritibus conformare, Layman l. cit. Engel tit. 2. §. 3. Sanchez l. 3. de Matr. Disp. 18. Lessius l. 4. c. 2. dub. 7. Haunoldus tr. 1. de Just. c. 1. controv. 6. Clariss. D. Cletle l. 1. fundam. Jurisp. tit. 2. §. 3. n. 23. Et ratio est primò, quòd, ut quis obligetur legibus alicujus loci, debet subjici illius juridictioni, ibidemque forum acquirere: sed peregrinus ob brevem hospitii moram non subjicitur Jurisdictioni alieni loci, neque forum ibidem acquirit: vel enim ex *c. ult. de foro competenti*, acquiret forum ratione domicilii, vel ratione contractûs, vel delicti: sed nihil horum supponitur: ergo. 34.

Ratio est secundò. In dubio præferenda est pars benignior: l. 9. l. 56. & 192. ff. de Reg. Jur. sed dubium est, utrum particularibus territorii legibus adstringantur advenæ: ergo sentiendum est, illos neutiquam obligari; præsertim cùm nullo jure exprimatur ejusmodi obligatio, neque publici boni necessitas requirat ejusmodi obligationem, si scandalum absit: nam in periculo scandali erit obligatio juris naturalis, ut advenæ sese incolis conforment.

Objicies primò authoritatem D. Ambrosii relatam *in c. illa, dist. 12. Cùm Romam venero, Sabbatum jejuno; cùm Mediolani sum, non jejuno: sic & tu ad quamcunque Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalo, neque quenquam tibi.* Ex quo, inquit Glossa ibidem, trivialis ille versus initium duxit: 35.

Si fueris Romæ Romano vivito more,
Si fueris alibi, vivito sicut ibi.

Secundò. Advena punitur, ubicunque deliquit, per *authent. qua in provinc. ubi de criminibus*

bus agi oporteat: ergo subjicitur jurisdictioni & legibus illius loci. Tertiò. Sequeretur, peregrinos esse omnino exleges, non enim obligantur proprii territorii legibus, ut ante dictum, nec legibus illius ad quod veniunt: ergo nullis: atqui hoc est contra rectam gubernationem. Quartò. Qui sentit commodum, debet etiam sentire onus, sed peregrini sentiunt commodum, in quantum sunt soluti propriis legibus: ergo etiam debent sentire onus, ut sint ligati legibus alienis. Quintò. Advenæ tenentur se conformare consuetudini & legibus loci in celebrandis contractibus: ergo & in cæteris.

Respondeo ad 1. Ibidem contineri consilium, non præceptum; vel esse accipienda verba in casu scandali, quod supponere videtur Ambrosius, vel certè si commoratio fiat per notabilem partem anni. Ad 2. Resp. Ratione delicti à peregrino acquiri forum: at nos loquimur extra casum delicti. *Ad 3. nego sequelam*: nam inprimis obligatur legibus generalibus, & communibus suæ patriæ, secundò etiam particularibus & municipalibus, quando specialem reipubl. utilitatem, & pacificam exterorum cum incolis communicationem concernunt, e. g. ut solvant vectigalia, frumentum non extrahant, &c. tunc enim magistratus sub hac conditione peregrinis transitum videtur concedere, ut & ipsi leges pro boni communis conservatione introductas observent. Ad 4. Resp. Illi axiomati locum esse, quando onus habet quandam connexionem cum commodo, sicuti beneficiarius meritò sentit onus obligationis ad recitandas horas Canonicas, quia etiam sentit commodum beneficii; non autem cùm onus & commodum sunt disparata, ut hic contingit. Ad. 5. Resp. quòd etiam per contractum peregrinus sortiatur forum in loco, in quo contrahit, ideoque legibus loci subjicitur *l. si fundus. ff. de evict.*

Dubium est secundò, An vagi, hoc est, qui nullibi certam sedem, & domicilium habent, teneantur legibus illius loci, ad quem veniunt? 36.
Respondeo. Quamvis Lessius l. 4. de Just. c. 2. dub. 7. n. 49. Jo. Sanch. Sairus, Layman tr. 4. c. 12. n. 6. ea, quæ de peregrinis diximus, probabiliter extendant etiam ad vagos, communior tamen & probabilior est sententia, vagos à peregrinis distinguentium, & legibus locorum ad quæ deveniunt, subjicientium; cùm enim sit rectæ gubernationi dissentaneum, ut aliquis nullis legibus particularibus sit adstrictus, ipsique alibi nullum habeant fixum domicilium, ideo solâ præsentaneâ habitatione sibi domicilium comparant, ratione cujus præsentis loci legibus subjiciuntur: quod etiam communis consulto comprobat, quâ vagi puniri solent in loco, ubi comprehenduntur, etiam ratione delicti in alio territorio commissi.

DISPUTATIO XXXVI.

DE Interpretatione, cessatione, & mutatione legis humanæ. ad q. 103.

HActenus vigorem legis inspeximus; nunc quibus modis temperari, aut omninò enervari & cessare possit, inquirimus: Legis quippe vigor & obligatio vel cessat universim, vel pro casu particulari. Universim cessat vel per cessationem causæ finalis, vel per legis abrogationem, quæ rursus fit vel ab ipso Legislatore, vel à contraria consuetudine. Pro casu verò particulari vigor legis infringitur aut temperatur partim interpretatione & epiikia, partim dispensatione. Nunc de singulis.

ARTICULUS I.

De cessatione & abrogatione legis.

SUMMARIA.

1. *Leges humanæ mutabiles.*
2. *Finis legis alius extrinsecus, alius intrinsecus.*
3. *Potest cessare adæquatè, vel inadæquatè, contrariè, vel negativè.*
4. *Fine adæquato legis cessante, cessat legis obligatio.*
5. *Non si cesset inadæquatè.*
6. *Cessante fine legis negativè in particulari, non cessat legis obligatio.*
7. *Tollitur obligatio, fine cessante contrariè.*
8. *Quid abrogatio, derogatio?*
9. *Legislator potest abrogare legem.*
10. *Item Successor, vel Superior ipsius.*
11. *Non inferior, per se loquendo.*
12. *Abrogatio legis sine justa causa est valida, quamvis illicita.*

§. I.

Cessatio legis intrinseca ex cessatione finis.

CUm res humanæ, circa quas lex humana occupatur, sint mutabiles, ipsas quoque leges 1.
mutationibus subjectas esse necesse est, prout indicatur Esther c. 16. ubi Artaxerxes seu Assuerus ita scribens introducitur: *Nec putare debetis, si diversa jubemus, ex animi nostri venire levitate, sed*

sed pro qualitate & necessitate temporum, ut Reip. poscit utilitas, ferre sententiam, &c. Hanc mutationem aliquando ab intrinseco fieri posse jam suprà indicatum est. Fit ab intrinseco, cùm desinit finis intrinsecus & adæquata ratio legis, ut si lex incipiat fieri manifestè nociva, vel impeditiva majoris boni, vel ad finem intentum inutilis. Fit ab extrinseco, quando lex vel à Legislatore, vel à contraria consuetudine abrogatur.

2. Porrò finis legis alius est intrinsecus, qui est honestas ipsius rei præceptæ; alius extrinsecus, qui est honestas à Legislatore intenta, & distincta ab honestate materiæ præceptæ. Finis intrinsecus reperitur, quotiescunque lex cadit super actum alicujus virtutis; sic in lege jejunii finis intrinsecus est honestas temperantiæ, in lege Sacri audiendi, recitandi Breviarii, honestas Religionis. Finis extrinsecus est aliquando conjunctus cum fine intrinseco, ut in præmissis exemplis honestas actuum intenditur à Legislatore ad bonum commune, DEUM placandum, avertendas calamitates, &c. aliquando non est conjunctus, uti cùm materia præcepta vel prohibita est actus indifferens, v. g. ingressus alicujus domûs, gestatio armorum &c.

3. Rursus finis legis potest cessare adæquatè, vel inadæquatè, idque vel ex parte motivi, vel ex parte subjecti. Ex parte motivi cessat lex adæquatè, quando cessat tota ratio & causa, propter quam Legislator judicavit materiam legis esse expedientem bono publico. Cessat inadæquatè, si concurrentibus ad unum finem totalem pluribus particularibus motivis, unum quidem cesset, non tamen cessante altero. Ex parte subjecti, finis legis cessat adæquatè, quando ratio legis cessat pro tota communitate; inadæquatè, quando cessat tantùm pro una vel altera parte, & persona communitatis in particulari. Tandem finis & ratio legis in casu particulari potest cessare, vel positivè & contrariè, vel negativè. Contrariè, quando propter mutationem circumstantiarum materia legis in casu particulari fit iniqua, impossibilis, vel nimis ardua & difficilis. Negativè cessat, quando ratio legis respectu particularis casûs & personæ non militat. Quibus prænotatis sit

4. CONCLUSIO PRIMA. *Legis causâ finali adæquatâ universaliter cessante, sive sit intrinseca, sive extrinseca, cessat legis obligatio.* Ita D. Th. 1. 2. q. 103. a. 4. ad 3. Suar de LL. l. 6. c. 9. cum communi DD. Ratio est primò, Lex obligat, inquantum ejus materia judicatur expediens & necessaria pro bono publico: sed cessante in universum causâ finali legis adæquatâ tam ex parte motivi, quàm ex parte subjecti, materia præcepta jam non judicatur expediens, vel necessaria pro bono publico: ergo tunc non ampliùs obligat.

Secundò à paritate voti: Cessante adæquatâ causâ voti cessat ejus obligatio; Unde si voto te obligâsti ad abstinendum ingressu alicujus domûs, ubi ex fœmina ibidem commorante imminebat periculum fornicationis, cessabit obligatio, si illa locum mutaverit: ergo idem dicendum de obligatione legis in casu quo cessat adæquatus finis ipsius; nam sicut intentio voventis erat alligata ad evitationem peccati, sic intentio Legislatoris erat adstricta ad utilitatem vel necessitatem boni publici; unde sicut in uno casu tollitur intentio voventis, sic in altero intentio Legislatoris.

Patet exemplis. Lex primitivæ Ecclesiæ præcipiebat abstinere ab immolatis, sanguine, & suffocatis, cujus motivum erat, ut Judæi ab iis abhorrentes tantò faciliùs in fide & religione cum Gentilibus jungerentur. Quâ ratione successu temporis cessante, antiquata fuit illa lex abstinentiæ. Item: Lex prohibens commercia cum inquilinis alterius provinciæ, vel regni, ob intercedentes utrinque inimicitias & bella, exspirat redintegratâ pace & amicitiâ &c.

Dixi tamen primò. *Causâ finali adæquatâ* &c. 5. Nam si solùm cesset particulare motivum, non ideo legis vigor obtunditur. Ita Israëlitæ, quantumvis aliâ viâ fuissent ab originali peccato mundati, nihilominus tenebantur lege circumcisionis, quia finis ipsius non erat solùm peccati originalis extinctio, & justificatio, sed etiam distinctio à Gentilibus.

Dixi secundò. *Fine legis sive intrinseco, sive extrinseco*: Nam finis intrinsecus legis non aliter cessat, nisi quando propter mutationem circumstantiarum illud fit illicitum, quod priùs erat honestum, & materia determinatæ virtutis: sed in hoc casu cessat legis obligatio: Ut primò redditio mutui, vel depositi est actus justitiæ jure naturæ debitus; si verò redundet in damnum boni communis, ut fieri potest tempore belli, si videlicet hosti Reipubl. reddas pecuniam debitam; tempore contagionis, si depositum ex loco infecto mittas ad non infectum, cessat intrinsecus finis legis, qui erat honestas justitiæ ut subordinata bono communi patriæ. Similiter jure naturæ teneris obedire Superiori legitimo: qui tamen si propter aliquod crimen v. g. lapsum in hæresin à suo supremo Principe, vel Summo Pontifice declaretur excidisse suo jure & dignitate, cessat intrinseca ratio & obligatio legis: ubi tamen non tam cessat obligatio legis, quàm suspenditur pro certo casu determinato, ut cum Suare rectè advertit Reding n. 8. Finis verò extrinsecus legis tunc adæquatè desinit, quando materia præcepta, quæ de se fuerat indifferens, fit inutilis ad finem à Legislatore intentum: quo casu non ampliùs comprehenditur sub intentione Legislatoris, quæ solùm attingebat hanc materiam, in quantum deserviebat ad finem intentum: ergo perditâ hâc extrinsecâ relatione non est ampliùs obligans. e. g. prohibetur tempore belli invectio frumenti in alienam & hostilem provinciam, quia cederet in detrimentum Reipubl., restitutâ pace cessat obligatio, si invectio & venditio frumenti cedat in manifestam utilitatem Reipubl.

CONCLUSIO SECUNDA. *Si finis legis in particulari cesset solùm negativè, non cessat legis obligatio.* 6. Ita Salmantic. cit. Reding n 12. juxta doctrinam D. Th. 2. 2. q. 154. a. 2. & 3, & tenent Sotus, Salas, Layman tr. 4. c. 21. aliique plurimi contra Granad. Henriq. Dianam & plures alios.

Ratio est: Remanente fine legis in communi, non tollitur adæquata ratio legis in particulari: sed quando ratio legis non militat pro aliquo casu particulari, non ideo tollitur adæquata ratio legis

legis in communi: ergo neque tunc tollitur adæquata ratio legis in particulari; & consequenter non tollitur obligatio. E.g. sit lex, quæ prohibet noctu arma ferre, finis ipsius non est evitatio cujuslibet rixæ in particulari, sed periculum rixarum & tumultuum, qui ex gestatione nocturna armorum evenire solent: lex quippe per se respicit bonum commune omnium, non singulorum; unde tametsi in particulari casu ex gestatione armorum non foret periculum rixæ, non ideo cessat periculum in communi, quod adæquatè intenditur. Ideo & simplex fornicatio semper est lethale peccatum propter damnum prolis, quia licèt in aliquo casu particulari educationi prolis satis provideri possit, communiter tamen non providetur, neque ex hoc evitatur periculum damni in communi: lex autem non respicit casus particulares, sed ea quæ communiter contingunt. *l. jura. ff. de legibus.*

7. Dixi, *si finis cesset negative*; nam si cesset positivè, seu contrariè, certum est, respectu personæ etiam particularis cessare legem: non enim aliter cessat finis legis contrariè & positivè, nisi cùm materia & objectum legis propter mutationem circumstantiarum fit illicitum, impossibile, aut nimis difficile; unde si hoc fiat respectu totius communitatis vel majoris partis, lex generaliter cessabit; si respectu unius, vel alterius membri tantùm, cessabit particulariter.

§. II.

Cessatio legis extrinseca per abrogationem.

8. Lex potest cessare vel in totum, vel quoad partem. Si in totum enervatur vis legis & obligatio, dicitur abrogatio; si quoad partem, dicitur derogatio; arg. l. 102. *ff. de V. S.* Unde quæ de abrogatione dicimus, proportionaliter intelligenda sunt etiam de derogatione: de qua quæritur primò, quisnam legem abrogare possit? Secundò. An non tantùm ad licitam, sed etiam ad validam legis abrogationem requiratur justa causa abrogandi?

9. CONCLUSIO PRIMA. *Legem potest abrogare Legislator, ejusq; in officio Successor, vel in jurisdictione Superior.*

Ratio 1. p. est primò, quia omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur c. 1. de R. I. sed obligatio legis nascitur ex voluntate Legislatoris: ergo sublatâ voluntate obligandi ex parte Legislatoris etiam cessat obligatio legis. Secundò. Contingit, ut mutatis rerum, temporumque circumstantiis lex non amplius appareat utilis, aut conveniens bono communi, quæ antea talis videbatur: ergo necessarium est, ut in Republica detur authoritas, quæ per ejusmodi legum mutationem bono communi possit prospicere.

Dices: Hoc ipso, quòd lex fiat inutilis, aut nociva, per seipsam ab intrinseco desinit: ergo non opus est authoritate extrinsecâ abrogationis.

Resp. Antecedens esse verum, quando legis nocivitas, vel inutilitas ita est manifesta, ut quilibet de illa judicare, seque sine altioris authoritatis accessu legis obligationi subducere possit: quia tamen non semper legis inutilitas ita est manifesta, sæpe etiam ratio commerciorum & contractuum non permittit, ut sine Superioris authoritate quilibet possit jugum legis excutere, veluti patet in legibus monetæ valorem concernentibus, propterea Principis quoque authoritas accedat oportet.

Ratio secundæ & tertiæ partis est: quia voluntas successoris æquivalet in jurisdictione voluntati antecessoris: voluntas verò superioris etiam prævalet: unde quod in jurisdictione licuit antecessori, vel inferiori, etiam fas est successori, vel superiori. Ex quo pariter 10.

Colliges: Inferiorem non posse abrogare legem superioris, eò quòd voluntas inferioris nullum habeat jus & eminentiam supra voluntatem superioris; nisi fortè ex privilegio, vel præscripta consuetudine: de quibus infrà *arg. c. 4. dist. 21. c. 16. de major. & obed.* 11.

CONCLUSIO SECUNDA. *Abrogatio legis à superiore ordinario sine justa causa est quidem illicita, sed tamen valida: ab inferiore Legislatore facta est etiam invalida.* 12.

Ratio 1. p. est; Legislator peccat agendo contra exigentiam boni publici: sed mutare & abrogare leges sine rationabili causa, est contra exigentiam boni publici; aut enim lex abrogata fuit utilis, aut inutilis Reipublicæ; si inutilis, jam erat rationabilis causa abrogandi; si utilis, ergo sine rationabili causa illam abrogans agit contra rationem statûs & boni publici. Ratio 2. p. est; quia sublatâ adæquatâ causâ, à qua effectus dependet tam in fieri, quàm conservari, tollitur etiam ipse effectus; atqui obligatio legis dependet à voluntate Legislatoris, tanquam causa adæquata: ergo sublatâ hâc voluntate peribit obligatio legis; & consequenter abrogatio erit valida.

Cæterùm, quia leges etiam in totum abrogantur per præscriptam consuetudinem, ideo sit

ARTICULUS II.

De consuetudine.

SUMMARIA.

1. *Consuetudo alia facti, alia juris.*
2. *Consuetudo dividitur in secundùm legem, præter legem, contra legem.*
3. *Potest introduci consuetudo habens vim legis.*
4. *Primò requiritur actuum frequentia.*
5. *Secundò voluntas inducendi obligationem.*
6. *Tertiò tacitus consensus Superioris.*
7. *Hinc nulla datur consuetudo contra immunitatem Ecclesiasticam.*
8. *Consensus Principis alius personalis, alius legalis.*
9. *Quartò requiritur notabilis temporis diuturnitas.*

10. *Quintò,*

10. *Quintò. Ut consuetudo sit rationabilis.*
11. *Lex abrogatur per consuetudinem.*
12. *Objicitur irrationabilitas actuum contra legem obligantem.*
13. *Sententia docens consuetudinem introduci per actus formaliter peccaminosos rejicitur.*
14. *Argumenta contraria solvuntur.*

§. I.

Requisita ad introducendam consuetudinem.

1. NOtandum, Consuetudinem dividi primò in consuetudinem facti & juris. Illa ex D. Th. in 1. d. 23. q. 1. a. 4. *est frequentia operandi liberè eodem modo.* Ista, quæ ex præcedenti oritur, definitur ab Isidoro in c. *consuetudo.* 5. dist. 1. *jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex.* Quæ tamen definitio cùm neque diuturnitatem & tacitum populi consensum, potissima consuetudinis requisita, explicet, neque consuetudini contra legem conveniat, rectiùs alii ex *§. sine scripto* 9. *Instit. de jure nat. gent. & civ. & l. de quibus. ff. de legibus* definiunt consuetudinem, quod sit *jus diuturnis moribus, & tacito populi consensu introductum.* Solet etiam appellari *jus non scriptum*; non, quasi omne aliud in scripturam necessariò redigatur, sed quia omne aliud jus legale Magistratûs potestatem legislativam habentis expressâ sanctione statuitur.

2. Dividitur præterea consuetudo in consuetudinem secundùm legem, præter legem, & contra legem. Ubi rursus consuetudo secundùm legem minùs propriè pro consuetudine facti, non juris accipitur; cùm non significet jus novum moribus introductum, sed solùm observantiam & executionem legis scriptæ: habet tamen & ipsa suos effectus & vires, tum ut legem obscuriorem declaret, unde optima legum interpres appellatur: tum ut illam firmiorem, & à contraria consuetudine securiorem efficiat, quo sensu Gratianus dixit, *leges firmari, cùm moribus utentium comprobantur. c. in istis.* 3. *dist.* 4. consuetudo præter & contra legem majoris sunt efficaciæ, de quibus sit

3. CONCLUSIO. *Potest in communitate introduci consuetudo, quæ habeat vim legis.* S. D. q. 97. a. 3. Suar. l. 7. c. 14. aliique omnes. Constat primò ex *l. de quibus & seqq. ff. de legibus. §. sive scripto. Instit. de jure naturali.* Et secundò *ratione expressâ l. cit. de quibus.* Potest communitas per mutuum consensum majoris partis, & ipsius Principis sese obligare ad aliquid observandum: sed ille consensus populi potest sufficienter moribus & factis declarari, sicut & consensus Principis per taciturnitatem ipsius: ergo potest propriis factis & moribus communitas aliquod jus & obligationem inducere. Cæterùm ad novæ legis & juris consuetudinarii introductionem quinque conditiones sunt requisitæ.

4. Requiritur primò actuum frequentia publica, libera, non interrupta. Frequentia ex *l. 1. C. quæ sit longa consuetudo.* Nam consuetudo vocatur, quòd in communi sit usu. *c. 5. dist. 1.* sed unus actus non probat communem usum. Quotnam verò actus ad inducendam consuetudinem requirantur, nec jura determinant, nec facilè determinari potest. Tanta saltem frequentia requiritur, quanta ad manifestandum firmum populi consensum prudentum judiciò sufficit. *Publica* requiritur, nam jus consuetudinarium cùm aliâ promulgatione non egeat, per actus notorios publicæ & communis regulæ rationem sortiri debet. *Libera* sit oportet, quia communem & tacitum populi consensum indicat: unde etiam actus vi vel gravi metu extorti, probabiliter ad inducendam consuetudinem non sufficiunt, licèt enim tales actus non sint simpliciter involuntarii, non tamen videntur sufficere ad significandum liberum populi consensum, & animum inducendi jus legale, cùm ipsa populi renitentia potiùs significet animum faciendi oppositum. Non *interrupta* sit necesse est, ut nempe communitas offerente se occasione semper operetur eodem modo, aliàs legitimè præscribi aut uniformem, stabilemque populi consensum significare non poterit, si vel tota communitas, vel major pars ipsius actum contrarium interponat.

Requiritur secundò in frequentatione actuum [quo nomine etiam comprehendimus omissiones] saltem interpretativa voluntas inducendi jus vel obligationem. Suar. l. 7. c. 14 Layman cit. c. 24. ubi distinguendum est inter consuetudinem, quæ tendit ad liberandum, & quæ tendit ad obligandum. Consuetudo tendens ad liberandum à legis obligatione inducitur per omissiones, vel actus legi contrarios, & in iis requiritur voluntas abrogandi obligationem legis, seu inducendi jus contra legem. Consuetudo tendens ad obligandum, seu inducendum novum jus præter legem, requirit voluntatem obligandi, & includit tacitum judicium populi existimantis, talem obligationem esse sibi convenientem. *Actus enim agentium non operantur ultra intentionem eorum. c. fin. de præbend.* Unde ut jus, vel obligatio inducatur, etiam intentio saltem implicita & interpretativa requiritur. Qua de causa multi actus publicè frequentati, nullam tamen legis necessitatem inducunt, quia ex mera devotione peraguntur: ut Salutatio Angelica ad ternum campanæ pulsum, aspersio aquæ benedictæ in ingressu Ecclesiæ, &c. Signa aliqua obligationis intentæ, vel inductæ tradit Suarez cit: Si res ex se difficilis nihilominus à plerisque è communitate servetur, si sit bono communi valde expediens: si populus malè sentiat de contrà agentibus: si Superiores in transgressores severiùs animadvertant, &c. In dubio tamen, an consuetudo ex animo se obligandi sit introducta, pro devotione & gratuito affectu potiùs præsumendum erit: non enim lex præsumitur, nisi probetur, & nisi manifestè constet, nemo præsumitur sibiipsi velle onus imponere. Palaus, Suarez, Salmanticenses, aliique communiter. 5.

Requiritur tertiò: Tacitus saltem consensus illius magistratûs, penès quem est potestas ferendi leges, si illa non sit penès communitatem: ex *l. de quibus. l. sed & ea. ff. de legibus* & tradit D. Th. q. 97. a. 3. ad 3 & DD. commun. Ratio est: quia æquè jus non scriptum, quàm scriptum à potestate legislativa descendit: ergo, si ista non est penès communitatem sed magistratum, illius quoque authoritas interponi debet: sed hoc fit 6.

per consensum saltem tacitum, qualis est tolerantia Principis, cùm facilè posset consuetudinem impedire, eive resistere: ergo.

7. Hinc infero cum Salmanticensibus, nullam posse dari consuetudinem, quæ adversùs immunitatem Ecclesiasticam prævaleat, tametsi sit immemorialis; siquidem Summus Pontifex quotannis in Bulla Cœnæ ejusmodi consuetudinem ceu corruptelam damnat, & improbat. Neque refert, quòd Summus Pontif. sciat, in multis locis contrarium practicari; nam multa, quæ per patientiam tolerantur (ut evitentur majora mala) non hoc ipso comprobantur, præsertim dum contraria protestatio singulis annis renovatur, per *c. cùm jam dudum. de prabendis. c. denique, dist.* 4.

8. Porrò prædictus consensus Principis, sive magistratûs dividitur in *personalem*, *& legalem* seu *generalem*. *Personalis* est, qui provenit à persona Principis, consuetudinis notitiam in specie habentis, eamque vel expressè vel tacitè applicantis. *Legalis* seu generalis est consensus in jure communi generaliter expressus pro omni consuetudine legitimè introducta: qualis à Superiore Ecclesiastico habetur in c. *finali. de consuetud.* & à Civili *in l. de quibus. ff. de legibus* dicente: *Rectissimè etiam illud receptum est, ut leges non solùm suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.* Prior consensus adeòque & specifica notitia consuetudinis requiritur, quando nondum adest tempus ad præscribendum sufficiens: tunc enim ad inducendum jus aliunde robur habere non potest. Legalis verò consensus ad consuetudinem tam præter, quàm contra legem sufficit, quando expletus est temporis lapsus ad præscriptionem requisitus; cùm jura plùs non requirant, quàm ut consuetudo sit rationabilis, & legitimè præscripta. Unde

9. Requiritur quartò notabilis temporis diuturnitas: sed quanta illa? Variant Authores. Et quidem si consuetudo introducatur sciente & connivente Principe, verisimile est juxta priùs dicta, minorem temporis tractum, & illum quidem sufficere, ex quo prudenter colligi potest, Principem in novi juris introductionem, vel propriæ legis abrogationem consentire. Verùm quia & hoc nimis incertum est, ideo regulariter ad consuetudinem tam præter, quàm contra legem requiritur decennium: Nam jura ad introductionem consuetudinis requirunt longum tempus: sed eadem jura continuatum decennium reputant longum tempus. *l. ult. C. de prascript.* §. 1. *instit. de usucapion.* Ergo illud regulariter ad consuetudinem requiritur. Quia tamen adversùs Ecclesiam nonnisi post quadraginta annos præscribitur, *c. de quarta. c. ad aures. de præscript.* ideo ad inducendam consuetudinem adversùs leges Ecclesiasticas quadraginta annos requirunt Layman tr. 4. c. 24. n. 5. Suar. l. 6. c. 8. Alii verò non minùs probabiliter cum Haunoldo etiam ad consuetudinem præscribendam contra leges Canonicas decennium sufficere affirmant; tum quia consuetudinis præscriptio non est rigorosè sed tantùm quasi præscriptio; tum quia consuetudo contra legem Ecclesiasticam non infert aliquod damnum in bona & dominia Ecclesiæ, cui præcavendo longius tempus ad præscribendum contra Ecclesiam jura requirunt.

Requiritur quintò. Ut consuetudo sit rationabilis per *c. ult. de consuetud.* ibi; *licèt longævæ consuetudinis non sit vilis authoritas; non tamen est usque adeò valitura, ut juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta.* Cùm enim consuetudo vim legis à potestate legislativa accipiat; ideo sicut ista ad actum leges ferendi prudens & rationabile judicium supponit, sic etiam consuetudo requirit. Nec tamen, ut consuetudo sit rationabilis, oportet, ut semper positivè conferat ad boni communis utilitatem [quod est esse rationabilem positivè] sed sufficit, si publicæ utilitati non adversetur, [quod est esse rationabilem negativè] ut observat P. Engel l. 1. t. 4. §. 4. neque juri Divino & naturali repugnet, neque sit jure Canonico reprobata; nam si lex ipsa obsistat consuetudini inducendæ, eamque corruptelam esse declaret, veluti *in c. quod super his. de consanguinit. & affinit.*, non poterit præsumi consensus legalis Principis, ut tradit Aug. à V. M. disp. 5. q. 10. quamvis clausulæ reprobativæ consuetudinis tam in præteritum, quàm in futurum e. g. *nullâ imposterum valiturâ consuetudine*, non impediant, quò minùs variatis circumstantiis ex nova rationabili causa consuetudo legi contraria introduci possit; cùm illæ ipsæ clausulæ juris humani & positivi efficaciam, contra quam rationabilis consuetudo admittitur, non excedant: veluti cum Panormit. tradunt P. Engel l. c. n. 15. & Reverendiss. D. Rup. Kimpfler parte 4. §. 1. n. 4. in Thes. de consuetud. 10.

§. II.

Quomodo possit introduci consuetudo contra legem?

EX præmissis facilè deducitur, posse legem abrogari per consuetudinem: nam potest lex abrogari per consensum & voluntatem legislatoris: sed consuetudo contra legem habet efficaciam ex incluso consensu & voluntate legislatoris: ergo potest legem contrariam abrogare, dummodo habeat requisita primùm exposita. 11.

Verùm hic non levis difficultas insurgit: Nam ut introducatur consuetudo juris, debet esse rationabilis: sed contra legem sub peccato obligantem consuetudo non potest esse rationabilis; ex actibus quippe peccaminosis & contra legem, adeòque & rectam rationem commissis non potest conflari rationabilis consuetudo & bonâ fide præscripta; atqui talis est consuetudo quæ contra legem inducitur: ergo. *Respondent* graves Authores, Suarez l. 7. c. 1. Palaus disp. 3. punct. 2. §. 1. Haunold *de 1. & 1. to. 1. c. 3. contr. 2.* & nuper Clariss. D. Clerle *in assert. juridicis. assert.* 3. p. 8. posse introduci consuetudinem contra legem per actus etiam illicitos & formaliter peccaminosos, quæ tamen erit rationabilis, inquantum non est contra legem naturalem vel divinam, neque affert incommodum bono publico. Moventur primò: quia consuetudo contra legem introducitur vel per actus formaliter, vel non 12.

forma-

formaliter peccaminosos. Non secundum: ergo primum. Minor probatur: Consuetudo non introducitur contra legem, nisi cum scientia legis contrariæ & animo abjiciendi illam, atque jus contrarium inducendi: sed hoc non fit nisi per actus vel omissiones formaliter peccaminosas: ergo. *Secundò.* Ad inducendam consuetudinem præter legem, requiritur ex parte introducentium animus introducendi obligationem legis, & ideo quidem, quia actus ex errore gesti non præbent sufficiens argumentum liberi & voluntarii consensûs in obligationem legis: ergo ex eodem capite ad inducendam consuetudinem contra legem requiritur animus se deobligandi à lege, quod non fit nisi per actus vel omissiones scienter & malâ fide contra legem exercitas: nam actus bonâ fide eliciti supponunt ignorantiam obligationis, & erroneam opinionem, quòd antecessores ex justa causa legem non servârint.

13. His tamen non obstantibus adhæreo sententiæ Laymanni l. 1. Theol. mor. tr. 4. c. 24. P. Engel Colleg. Juris C. tit. 4. *de consuet.* §. 4. Reverendiss. D. Ruperti Kimpfler in *Disp. de consuetud.* part. 2. §. 4. n. 9. p. 17. per actus formaliter malos, & peccaminosos consuetudinem non introduci: neque illos actus in introductione consuetudinis esse computandos. Nam primò jus consuetudinarium cùm sit regula legitima humanorum actuum moraliter bona, honesta, recta, rationabilis, non potest consurgere ex causa formaliter inhonesta, & à recta ratione devia, quales sunt omnes actus formaliter mali & peccaminosi. Secundò, neque potest indicare rationabilem consensum, sed potiùs corruptelam, quod contra rectam rationem in contumeliam Creatoris committitur. Tertiò, neque potest legislator in ejusmodi actus vel personaliter vel legaliter consentire. Quartò, neque debent subditi ex transgressione legis præmium & exemptionem à vinculo legis reportare, *arg. c. fin. de præscript.* Quintò, neque capio, quomodo dici possit consuetudo legitimè præscripta [esto non sit adæquatâ paritas cum præscriptione contra bona & dominia] cui neque lex, neque bona fides suffragatur: neque enim solus temporis tractus sufficit, ut aliquid sit legitimè præscriptum.

14. Debet igitur consuetudo in triplici statu considerari. Primus est quasi dispositivus, quo populus malâ fide scienter & peccaminosè contra legem operatur; ubi licèt consuetudinis præscriptio nondum incipiat defectu rationabilitatis & bonæ fidei, fiunt tamen quasi dispositiones, ut successores de consuetudine jam præscripta, & sufficienti consensu tum populi, tum legislatoris bonâ fide præsumere & licitè contra legem operari possint, qui est status secundus consuetudinis in fieri, quo nempe consuetudo lapsu temporis decennalis introducitur, & tertius est status ipsius in facto esse, quo consuetudo per actus non jam formaliter, sed materialiter tantùm contra legem elicitos legitimè præscripta, legis contrariæ obligationem extinguit.

Unde jam ad 1. argumentum in contrarium Respondeo, consuetudinem introduci per actus non formaliter peccaminosos, sed tantùm materialiter, & cum ignorantia obligationis contra legem elicitos. Probationem distinguo dupliciter: Consuetudo introducitur contra legem cum scientia legis contrariæ, & animo abjiciendi illam materialiter [h. e. faciendi id quod à parte rei est lege prohibitum, cum inculpabili tamen ignorantia obligationis] concedo, formaliter, nego: & sic dist. min. nego consequentiam. Secundò: Introducitur cum animo abjiciendi etiam formaliter, tanquam per actus quasi remotè dispositivos, instar conditionis sine qua non, concedo; tanquam per actus proximè causativos, nego conseq. Ad 2. nego conseq. & paritatem; quia non tam facilè præsumi potest liber consensus populi ad imponendam sibi obligationem, quàm ad amovendam. Quia igitur in introductione consuetudinis præter legem agitur de imponenda obligatione, actus ignoranter eliciti non præbent sufficiens argumentum consensûs liberi; quia verò in consuetudine contra legem agitur de favore, de obligatione, libertate, ad quam populus suopte genio inclinat, sufficiens argumentum consensûs præbent actus cum scientia quidem legis, sed tamen cum probabili ignorantia obligationis eliciti: quæ quidem probabilis ignorantia consuetudini contra leges est propria, & necessaria, ut per illam rationabilis causa saltem putativa contra leges agendi detur, & actuum malitia bonæ fidei adminiculò abstergatur, prout tradit cit. Clariss. Kimpfler p. 43. n. 3.

ARTICULUS III.

De legum interpretatione, & epikia.

SUMMARIA.

1. *Definitio & divisio interpretationis.*
2. *Interpretationem doctrinalem patitur etiam lex Divina, & naturalis.*
3. *Divisio interpretationis doctrinalis.*
4. *Extensiva interpretatio alia comprehensiva ob identitatem rationis:*
5. *Alia purè extensiva, ob paritatem rationis.*
6. *Quid interpretatio restrictiva, & epikia?*
7. *Datur epikia.*
8. *Etiam in lege Divina & naturali.*
9. *Excipiuntur leges irritantes.*

§. I.

De legum interpretatione, & epikia.

INterpretatio est explicatio verborum legis, ordinata ad concipiendum verum legis sensum & significationem à legislatore intentam. Est triplex juxta glossam in *l. 37. ff. de LL. Authentica*, quæ est ab ipso Principe & legislatore, ejusque Successore vel Superiore, non autem ab inferiore, nisi ad hoc ipsum à Superiore potestatem acceperit, habet authoritatem & efficaciam legis, 1.

per *c. inter alia, de sent. excomm.* ibi: *unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat.* & *L. ult. C. de leg. Definimus autem, omnem Imperatorum legum interpretationem, sive in precibus, sive in judiciis, sive alio quocunque modo factam, ratam & indubitatam haberi, &c.*

Altera est interpretatio *usualis*, quæ sumitur ab usu & consuetudine moribus receptâ: nam optima legum interpres est consuetudo. *c. cùm dilectus. de consuetud.* Imò & ipsa consuetudo legitimè præscripta habet vim legis juxta priùs dicta.

Tertia demum dicitur interpretatio *doctrinalis*, seu *scholastica*, quæ nimirum à Doctoribus traditur: & hæc per se loquendo non inducit obligationem, sed probabilitatem.

2. Interpretatio doctrinalis locum obtinet non solùm in lege humana, sed etiam divina & naturali, quando præcepta legis dubium, vel obscurum sensum præ se ferunt. Ad illam reducitur interpretatio consuetudinis non præscriptæ, item interpretatio judicialis facta à judicibus inferioribus, nec non interpretatio facta ab ipso Legislatore, tanquam à Doctore privato, & opinativè scribente.

3. Interpretatio doctrinalis rursum dividitur in declarativam, extensivam, & restrictivam. *Declarativa* est congrua dubiorum, vel obscurorum verborum expositio, quæ ut rectè instituatur, observandæ sunt sequentes regulæ: Primò investiganda est mens & intentio Legislatoris, quam habuit, dum legem conderet; hæc quippe est anima legis; ideoque si de hac constet, illi adhærendum est, quicquid aliud verba sonare videantur: nam ut dicitur *l. 17. ff. de LL. scire leges non est earum verba tenere, sed vim & potestatem. Et l. non dubium. eod. In legem committit, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem.* Et eleganter D. Hilarius l. 4. de Trinit. *Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei debet esse sermo subjectus.* Ita post Suarez l. 6. c. 1. Sanchez, Layman, Salmantic. hîc punct. 3. n. 24.

Secundò. Attendenda est legis ratio. quæ plerumque in proœmio, & initio legis ponitur, quia exinde potissimùm finis & intentio Legislatoris elucet: præsertim, si ratio legis comparetur cum aliis legibus: debet quippe præsumi mens Legislatoris sibi suisque legibus consona, si nulla sit justa & sufficiens oppositio, quam in legibus, quantum fieri potest, vitari oportet.

Tertiò. Attendenda est verborum proprietas, sive lex sit favorabilis, sive odiosa, prout docet Layman tr. 4. c. 18. Palao tr. 3. disp. 5. p. 3. §. 3. aliàs quippe nulla foret legibus firmitas, sed omnes forent illusioni & confusioni obnoxiæ. Igitur per se loquendo talis præsumitur fuisse Legislatoris intentio, qualem verba in proprio sensu, & communi usu accepta significant. Quòd si verba admittant duplicem sensum, naturalem [h. e. qui communi hominum impositione & acceptione convenit] simul & civilem [h. e. qui est proprius arti politicæ, & convenit rebus per fictionem juris] distinguunt præcitati DD. Vel enim lex est odiosa, vel favorabilis; si odiosa, sive dein præceptiva, sive pœnalis, restringi debet, adeòque verba in proprio & naturali sensu accipienda: unde leges latæ de filiis, de filiis legitimis sunt intelligendæ, non de legitimatis per favorem Principis. Si verò lex sit favorabilis, etiam sensus civilis admittitur; juxta regulam jur. *favores sunt ampliandi*, & sic sub nomine filii venit etiam adoptatus, legitimatus, nepos: sub nomine nobilis, non solùm qui talis est jure sanguinis, sed etiam beneficio Principis. Dixi tamen *per se loquendo*, quia, ut communiter notant DD. si ex proprio sensu legis aliqua sequeretur iniquitas, aut damnum innocentis, vel lex redderetur inutilis & illusoria, à proprio sensu etiam ad improprium declinandum foret: quia, ut dicitur in c. *secundò requiris.* 41. *de appellat. Verba intentioni deserviant, & non intentio verbis.* Non potest autem præsumi de Legislatore, quòd in lege condenda iniquitatem intenderit.

Extensiva legis interpretatio dividitur in comprehensivam, & merè extensivam. Comprehensiva est, quâ lex extenditur ad personam vel casum verbis quidem non expressum, mente tamen Legislatoris comprehensum ob adæquatam rationis identitatem: quæ secundùm communem DD. nominatim Layman tr. 4. c. 18. Suar. l. 6. c. 3. n. 16. Pyrhing l. 1. Tit. 11. de constitut. n. 112. Clariss. P. König ibid. §. 12. n. 27. locum habet in lege non tantùm favorabili, sed etiam odiosa, & præceptiva. Hujus probationem suppeditat ultima Reg. I. in 6. quòd possit esse sub mente legis id, quod non comprehenditur sub verbis legis: quod aliud esse non potest, quàm id, in quo currit adæquata ratio Legislatoris, motiva ad ferendam legem: cùm prudenter præsumi possit, voluisse Legislatorem suâ lege comprehendere omnes casus, in quibus ipsius adæquata ratio reperitur, nisi de contrario aliunde constet. Et sic primò præsumitur extensio comprehensiva esse de mente Legislatoris in correlativis, ubi, quod disponitur de uno, dispositum censetur de altero: ita si vir eximitur ab obligatione reddendi debitum uxori adulteræ, etiam uxor deobligabitur respectu mariti adulteri: ita licèt in *c. illis. de sponsalibus.* dicatur, quòd sponsa liberetur ab obligatione sponsalium propter absentiam sponsi sine sua licentia factam; tamen ob adæquatam rationis identitatem dicendum erit, etiam sponsum deobligari propter absentiam sponsæ factam sine sua licentia. Secundò in æquiparatis, subordinatis, & connexis; ideo, cui lex concedit facere testamentum, etiam concedit facere codicillum; cui prohibet codicillum, à fortiori prohibet testamentum. Cui conceditur usus carnium, etiam conceditur usus lacticiniorum; & concesso principali concedi censetur accessorium. Nec referr, quòd lex agat de persona vel casu particulari, dummodo non velit ad illum restringere legis decisionem: sic decisiones Pontificum & Imperatorum Corpori Juris insertæ obligant in communi, & casus particulares continent tanquam exempla legis declaratoria, non limitantia, aut restrictiva. 4.

Dixi tamen primò, ob adæquatam *identitatem rationis*, nam si identitas sit inadæquata, casus sub lege comprehendi non censetur, neque si tantùm sit paritas vel similitudo rationis, quia tunc currit

rit altera juris Regula, quod si *Legislator idem fieri voluisset, poterat exprimere. c. 2. de Translat. Episcopi.* ergo si non expressit, ejusmodi casus in lege non comprehenditur, juxta illud Gloss. *in l. 15. ff. de LL. Exceptio a regula firmat regulam in contrarium.*

Dixi Secundò. *Locum habere in lege etiam praeceptiva*: nam in lege pœnali non datur extensio comprehensiva ad casus non expressos, neque quoad pœnam, neque quoad vinculum obligationis, tametsi videatur esse rationis identitas, nam leges odiosæ sunt restringendæ. Et *l. 42. ff. de pœnis. Interpretatione legum pœnæ molliendæ potiùs, quam exasperandæ.* Ratio quoque est: quia tota vis obligandi tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, dependet à voluntate Legislatoris; si ergo ipse noluit legem extendi ad alium casum quoad pœnam, verisimile est, etiam noluisse extendi quoad culpam & obligationem: siquidem pœna infligitur propter culpam: ideo quamvis in jure æquiparentur consulentes, mandantes, facientes; si tamen excommunicatio lata sit adversùs facientes, non extenditur ad consulentes. Irregularitas lata contra rebaptizantes non extenditur ad iterantes Sacramentum Ordinis, vel Confirmationis, quamvis nulla appareat diversitas rationis. Ita Layman tract. 4. c. 18. n. 2. & 9. Sanch. l. 10. de matrim. disp. 4. Salmantic. loc. cit. n. 40.

5. Interpretatio merè extensiva est, per quam dispositio legis ob paritatem, vel similitudinem rationis extenditur ad personam, vel casum, neque verbis, neque mente Legislatoris comprehensum. Huic nulla est vis & efficacia extra judicium & in foro conscientiæ, quia ad hoc lex non obligat, quod est extra intentionem Legislatoris: sed quod neque verbis neque mente Legislatoris continetur, est extra ejus intentionem: ergo ad id extensio legis non obligat. Extra judicium, inquam, quia in judicio ad decisionem causarum forensium etiam huic extensioni est locus: cùm enim nequeant omnes casus legibus comprehendi, prudentia dictat, ut in casu non expresso procedatur ad normam expressi, per *l. 13. ff de LL.* imò Judices quoque obligari, ut deficiente legum evidentiâ, jus dicant secundùm similia, probabiliter docet Haunold. de Jure & Just. tr. 1. c. 5. controv. 2. n. 284.

6. Restrictiva interpretatio est, quâ interpretamur aliquem casum particularem propter certas circumstantias sub lege & intentione Legislatoris non contineri, eaque peculiari nomine dicitur epikia. Sit igitur

§. II.
Epikia.

HÆc ab Aristotele l. 5. Ethic. & Doctore Angel. ibidem l. 16. describitur, quòd sit *emendatio legis, quâ parte deficit propter universalitatem. Sive benigna interpretatio & restrictio legis secundùm æquum & bonum*, eo sensu, quem in fine præced. §. diximus.

7. Datur itaque Epikia: quia leges feruntur universaliter cum reflexione, quid in pluribus, non quid in singulis casibus particularibus contingere possit, & soleat. Ideoque nonnunquam opus est exceptione alicujus casûs & personæ particularis, cùm æquitas naturalis dictat, legis universalitatem & Legislatoris intentionem ad ejusmodi casum se non extendere: quâ ratione personæ debiles, & magno labore fatigatæ excusantur à lege jejunii. Neque sic præjudicium infertur potestati legislativæ, cùm præsumatur Legislator in simili casu eadem fuisse dicturus, ut colligitur ex *l. nulla juris. ff. de leg.* ubi habetur: *Nulla juris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut, quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem.*

Cæterùm, ut detur locus epikiæ, non necesse est, ut legis observatio in particulari casu efficiatur iniqua & damnosa bono publico, sicuti si in obsessa civitate esset præceptum, ne portæ aperirentur, liceret tamen illas aperire civibus ab hoste ad civitatem compulsis, quia tunc præcepti observatio esset iniqua & damnosa ipsi civitati; sed sufficit, quòd sit valde onerosa, & difficilis observatu: cùm enim jugum Christi sit suave, & onus leve, lex quoque debet esse suavis, ut humano modo & sine magna difficultate possit servari. Unde si casus occurrat magnô incommodô vestitus, præsumi potest, quòd Legislator illum sub rigore legis noluerit comprehendere. Sic communiter excusatur mulier ab auditione Sacri, si inde honoris, sanitatis, rei familiaris jacturam aut damnum metuat. Suar. l. 6. c. 7. Palaus tr. 3. disp. 5. punct. 3. Imò quotiescunque moraliter constat, & prudenter præsumitur, quòd Legislator noluerit aliquem casum comprehendere, quantumvìs verba legis sint generalia, licitum erit oppositum operari, juxta ea, quæ tradit Suar. cit. n. 6.

Neque excipitur ab epikia lex Divina & naturalis, nisi cùm prohibent actus intrinsecè malos, qui per nullam circumstantiam à malitia depurari possunt, ut sunt mendacium, fornicatio; nam ab istarum etiam legum universalitate plures casus singulares possunt deficere. Sic jure naturali prohibetur occisio hominis, quem tamen justè occido, si mihi necem injustè intentet. Secretum servare, extremè indigenti subvenire, sunt juris naturalis, dantur tamen casus, in quibus istæ leges non obligant. David per epikiam urgente famis necessitate judicavit sibi licitum comedere panes propositionis, aliquin lege divinâ vetitos; & Machabæi, licitum esse die Sabbathi hosti resistere. 8.

Excipiuntur tamen leges irritantes, & quæ formas substantiales actibus præscribunt; in his quippe, secundùm communiorem DD. sententiam epikia contra verba & formam legis non admittitur, eò quòd rigor istarum legum & forma opposita actibus, vel contractibus, concernat bonum publicum, nisi aliter mens Legislatoris colligi possit. Ideo non obstante quâcunque necessitate irritum est matrimonium sine parocho & testibus contractum, neque valent testamenta, contractus aliique actus sine præscripta forma celebrati, extra casus specialiter exceptos. ut tradit Layman de leg. c. 19. n. 2. Barb. ad Concil. Trid. Sess 24. c. 1. Sanch. de matr. l. 3. disp. 17. P Engel Tit. II. §. 4. n. 78. P. König ibid. §. 12. in fine. 9.

ARTI-

ARTICULUS IV.

De dispensatione legis humanæ.

SUMMARIA.

1. *Definitio dispensationis.*
2. *Datur potestas dispensandi.*
3. *Dividitur dispensatio in particularem & totalem.*
4. *In tacitam & expressam.*
5. *In directam & indirectam.*
6. *Dispensatio est strictæ interpretationis, non potestas dispensandi.*
7. *Superior sine justa causa validè quidem, sed non licitè dispensat.*
8. *Inferior & delegatus invalidè.*
9. *Variæ causæ, ut inferior dispenset in lege Superioris.*
10. *Quæ potestas dispensandi est ordinaria.*
11. *Corollaria.*
12. *Potest Prælatus secum dispensare indirectè.*
13. *Potest dispensare cum vagis.*
14. *Cum forensibus secundùm theoriam probabiliter non potest.*
15. *Secundùm praxin potest.*

§. I.

Quid & quotuplex sit dispensatio?

1. D*Ispensatio est relaxatio legis pro aliquo, vel pluribus personis, aut casibus facta ab habente legitimam potestatem, manente vigore legis ex parte materiæ.* Dicitùr primò, *relaxatio legis*; quia formalis effectus ipsius est, eximere subditum à vinculo, & rigore legis, ideoque à D. August. relato in c. *ipsa pietas.* 23. q. 4. vocatur *vulnus contra integritatem severitatis.* Secundò, *pro aliquo, vel pluribus*; quia si sit pro omni persona, & casu, non erit dispensatio, sed abrogatio legis. Tertiò, *ab habente legitimam potestatem*; quia est actus jurisdictionis, ex quo distinguitur ab interpretatione & epikia. Quartò, *manente vigore legis ex parte materiæ*; hoc quippe ablato, & mutatâ materiâ, legis obligatio non ampliùs ad illum casum extenditur, vel per epikiam ad illum se non extendere declaratur.

2. Dari potestatem justè & licitè dispensandi in lege humana, docet D.Th. q. 97. a. 4. & demonstrat praxis quotidiana: insuper suadet ratio: nam datur potestas legem totam abrogandi quoad omnes: ergo etiam eandem remittendi quoad aliquos. *Sed neque leges, neque senatusconsulta ita scribi possunt, ut omnes casus, & qui quandoque inciderent, comprehendantur, sed sufficit, ea, quæ plerumque accidunt, contineri. l. 10. ff. de leg.* unde variæ dari possunt causæ rationabiles unum alterumve à generali legis vinculo eximendi: ut, aliqua legem servandi difficultas, non tamen adeò magna vel evidens, ut quis per seipsum epikiâ uti possit, vel dignitas personæ, ejusve erga Rempubl. merita & obsequia, quorum intuitu æquum est eandem à communibus oneribus eximi, ut habetur in c. *de multa. de præbendis.*

3. Dispensatio dividitur primò in *particularem & totalem.* Totalis est, quæ obligationem legis ex toto; particularis, quæ illam tantùm ex parte relaxat: ut si dispensetur tam quoad obligationem culpæ quàm pœnæ, erit totalis; si tantùm quoad obligationem pœnæ remanente obligatione culpæ, erit particularis dispensatio.

Secundò dividitur in *tacitam* & *expressam.* Tacita est, quæ signis obscurioribus; expressa verò, quæ signis evidentibus exhibetur, putà per verba sufficienter significantia voluntatem dispensandi, quæ non sunt in jure determinata, neque necessariò dantur in scripto, nisi id jure expressè statuatur. Tacitæ dispensationis exemplum habes, si Prælatus sciens te lege impeditum, aliquid injungat, vel concedat, quod incompossibile sit cum lege: e. g. si sciens te irregularem, concedat dimissoriales ad suscipiendos SS. Ordines, vel beneficium conferat, censetur tacitè dispensare in irregularitate, eò quòd non possit prudenter præsumi, velle Superiorem, ut subditus agat contra legem. Gordon. l. 2. q. 13. n. 4. Palao disp. 6. punct. 12. Sanch. l. 8. de matrim. disp. 4. à n. 2. Meritò tamen communi DD. calculô removetur à dispensatione tacita præsumpta voluntas, vel ratihabitio superioris de futuro, quia dispensatio à lege deobligans est voluntas Superioris præsens, vel antecedens actum, non quæ tantùm esset, vel erit. Sic ut aliquis in vetito gradu cum consanguinea legitimè contrahat, non sufficit quòd præsumat à Pontifice obtinendam dispensationem &c. Ita Salmantic. c. 5. punct. 2. n. 12. 4.

Tertiò. Dividitur in *directam* seu *immediatam*, & in *indirectam* seu *mediatam.* Directa est, quâ dispensat Prælatus cum subditis; indirecta, quâ secum ipse dispensat: idque duobus modis contingit; primò quando cum tota communitate dispensans v. g. in lege jejunii, vel festi, hoc ipso à lege naturali ad observantiam suæ legis non ampliùs obligatur. Secundò, quando dat alteri, v. g. Confessario facultatem dispensandi cum sua persona. 5.

§. II.

Quibus, & cum quibus conveniat potestas dispensandi?

ALiud est dispensatio, aliud potestas dispensandi. Illa tanquam vulnus legis, eoque odiosa restringi debet, *quæ enim à jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda* per *Reg.* 28. potestas verò dispensandi, tanquam concessa in favorem dispensantis ampliari gaudet. Potestas dispensandi alia est ordinaria, alia delegata. Ordinaria competit Legislatori, ejusque Successori, aut utriusque Superiori; delegata convenit inferioribus, qui illam sibi à Superioribus commissam accipiunt. Ratio est clara: quia dispensare est actus jurisdictionis voluntariæ, quo tollitur legis obligatio: ergo ordinaria potestas dispensandi competit habentibus jurisdictionem ordinariam; delegata habentibus delegatam. 6.

Unde

7. Unde infero, Superiorem in suâ lege etiam sine justa causa cum subditis validè dispensare posse: quia cùm valor & efficacia legis pendeat ex voluntate Legislatoris; ideo sicut illam sine justa causa, ut priùs dictum, in totum validè auferre, sic pariter restringere, & in illa dispensare potest: atque hoc modo dispensatus suâ dispensatione licitè uti poterit, nisi fortè per accidens inde scandalum, vel damnum tertii sequatur, cujus causam vitare tenetur. Ita Suar. l. 6. c. 19. Layman, aliique. Ipsa tamen dispensatio, tanquam imprudenter, & absque boni publici consideratione facta, non carebit peccato, & quidem ex genere suo lethali, nisi per materiæ parvitatem excusetur; siquidem intra suam speciem admittit materiæ gravitatem, seu grave damnum boni communis ad lethale peccatum sufficiens. Ita Reding q. 17. a. 2. controv. 3. n. 6. citans Covarruv. & Rodriq.

8. At si Judex delegatus & inferior sine expressa vel tacita licentia Superioris sine causa dispenset in lege Ordinarii & Superioris, invalidè dispensat, per *c. ad Monasterium. 4. de statu Monachorum.* tunc enim delegatus excedit limites suæ potestatis, cùm Ordinarius non præsumatur ipsi dedisse potestatem dispensandi nisi sub conditione justæ causæ: Inferior quoque Judex præcisâ omni Superioris licentiâ nihil potest in lege Superioris.

9. Dantur nihilominus variæ causæ, propter quas Prælatus inferior in lege superioris ex tacita vel expressa concessione dispensare potest. Ita dispensant primò Episcopi in irregularitatibus occultis, exceptâ bigamiâ & homicidio voluntario, per concessionem Trid. Sess. 24. c. 6. Secundò in negotiis exigui ponderis & momenti & quæ frequenter occurrere solent, ut dispensatio in jejunio, festo, &c. Ita Haunold. hîc. c. 6. controv. 1. Palao, Gonet. Salmantic. & DD. communiter. Tertiò in dubio an casus indigeat dispensatione Superioris. Quartò dum urget dispensandi necessitas, & nimis difficilis est recursus ad Superiorem, &c. tunc enim per epikiam Episcopis tacitè & virtualiter est concessa facultas dispensandi, quæ etiam alicubi per consuetudinem potest esse præscripta.

10. Hæc porrò potestas dispensandi in legibus Superioris de jure tacitè, vel expressè, sive de consuetudine Prælatis inferioribus concessa, non est delegata, sed ordinaria. Suar. l. 6. c. 15. Sanch. l. 2. *de matrim. disp.* 40. n. 4. quia nimirum est annexa dignitati & officio, ideoque & transit in successores, & aliis delegari potest.

11. Colliges primò Episcopum posse dispensare in irregularitate cum corpore vitiatis, si defectus non sit valde magnus, ut inde scandalum timeri possit. Ita Haunold. cit. n. 312. Secundò in votis non reservatis. Vota porrò reservata Summo Pontifici recensentur: Votum Religionis, perpetuæ castitatis, peregrinationis in terram sanctam, ad limina Apostolorum, & ad D. Jacobum Compostellam. Ita Magnif. D. Petschacher, q. 7. §. 4. qui ulteriùs observat ex Suarez, Haunoldo, Palao, votum Religionis esse summo Pontifici reservatum quoad genus, non quoad speciem: Unde potest Episcopus dispensare, ut vovens ingredi Religionem strictiorem, ingrediatur laxiorem. Tertiò in irregularitatibus & suspensionibus ex occulto delicto provenientibus [exceptis, quæ oriuntur ex homicidio voluntario, causisque ad forum contentiosum deductis] aliisque quibuscunque casibus occultis, ex Trid. Sess. 24. c. 6. de Reform.

Potest non tantùm Prælatus Superior indirectè secum dispensare modo prædicto sup. §. n. 5. sed etiam inferior [nisi à superiore prohibeatur] quando accepit potestatem dispensandi pro tota communitate; quæ tamen dispensatio non est actus jurisdictionis, respectu suiipsius, sed simplex exceptio à lege facta in virtute Prælati Superioris, qui cùm dat inferiori expressam vel tacitam facultatem cum subditis dispensandi, hoc ipso non vult inferiorem Prælatum esse deterioris conditionis: neque illum vult diutiùs obligatum lege, nisi quamdiu ipse se non voluerit esse exemptum. 12.

Prætetea, suppositis fundamentis superioris doctrinæ, loci Ordinarius potest dispensare cum vagis, siquidem ipsi per præsentaneam habitationem forum non tantùm conscientiæ, sed etiam externum sortiuntur; non item cum forensibus & peregrinis alibi habentibus domicilium, prout declaravit S. Congregatio Concil. Trid. Sess. 24. c. 6. n. 4. & 5. & refertur apud Garziam de benefic. p. 2. c. 10. n. 139. dicentem, forenses & peregrinos posse absolui ab Ordinario loci, quà transeunt, non autem dispensari. Et quidem licèt majori parte anni ibidem commorari decreverint, tamen Ordinarium non posse cum forensibus dispensare in votis v. g., & juramentis, exinde videtur evinci, quia nec potest illos Ordinare absque licentia proprii sui Ordinarii ex *c. cùm nullus de temp. Ord. in 6.* Ita Reding. l. c. controv. 2. n. 6. 13.

Et hæc quidem theoricè vera. Pro praxi tamen observandum primò, Superiorem loci cum forensibus diuturno tempore commorantibus posse dispensare in legibus sui territorii: nam qui potestatem habet ligandi, etiam habet potestatem solvendi: sed ex dictis Superior territorii potest ligare suis legibus advenas ad longum tempus commorantes: ergo etiam per dispensationem potest solvere à vinculo suarum legum. 14.

Secundò videtur consuetudine introductum, ut Ordinarius loci dispensare possit cum advenis sive permanenter, sive transeunter in territorio commorantibus in legibus communibus, seu Pontificiis. Ita quippe testatur hodierna praxis, quâ in jejunii & festorum observantia dispensatur cum mercatoribus solùm transeunter in nundinis commorantibus. Et videtur ejusmodi potestas esse concessa Superiori loci à supremo Principe, ut suum territorium debito modo possit gubernare, ut docet Haunold. cit. n. 316. Et cit. P. Petschacher §. 6. Plura de his recurrent infrà de privilegiis, quæ cùm persæpe legi communi derogent, ita de ipsis quoque quæstiones scitu dignas & necessarias subnectimus.

DISPUTATIO XXXVII.

DE Natura, essentia & causis privilegii in genere.

AD calcem tractatûs de Legibus, disputandum est de privilegiis, quippe pertinentibus ad modos, quibus legi juriq; communi derogari solet. Priusquam tamen de privilegiis certo hominum generi concessis in particulari discurramus, præmittimus unam, alteramque Disputationem de privilegiis in communi, & primò quidem examinamus privilegii naturam, definitionem, & divisionem: exinde illius causas extrinsecas, & proprietates inspicimus.

ARTICULUS I.

Quid sit privilegium?

SUMMARIA.

1. *Privilegii definitio.*
2. *In quo privilegium cum lege conveniat?*
3. *In quo a lege differat?*
4. *Cur dicatur* Lex privata?
5. *Cur* speciale beneficium concedens?
6. *Differentia privilegii à gratia Principis.*
7. *Ejus differentia a dispensatione & rescripto.*
8. *Leges pœnales pro tuenda quorundam immunitate non sunt privilegia.*
9. *Non obest privilegio, quòd sit insertum juri communi.*
10. *Nova concessio gratiæ, jam priùs jure communi obtentæ, aliquo sensu est privilegium.*
11. *Duplex effectus privilegii.*
12. *Privilegium debet esse notificatum privilegiato, & ab illo acceptatum.*
13. *Debet etiam esse sufficienter manifestatum iis, qui obligantur, ne impediant*
14. *Rationabilis causa est aliquando de valore privilegii.*
15. *Absolutè non requiritur ad valorem privilegii contra jus clausula derogans juri communi.*
16. *Requiritur tamen, si juris communis clausula resistat privilegio.*
17. *Saltem quoad privilegia antecedentia.*
18. *Ad valorem privilegii contra consuetudinem & jus particulare requiritur clausula derogans.*
19. *Diversæ gratiæ ad sui valorem scripturam exigunt.*
20. *Gratia Pontificia ante expeditionem litterarum dicitur informis quoad judicium externum, non quoad forum conscientiæ.*

§. I.

Definitio privilegii.

1. REcepta privilegii definitio est ex Isidoro c. *privilegia. dist* 3. & c. *Abbati de V. S.* est *lex privata speciale beneficium concedens.*

2. Dicitur primò *Lex*, non univocè, quasi omnes legis conditiones participet, sed minùs propriè, & secundùm quid: quia quoad modum aliquem legis naturam imitatur, & adumbrat. Primò: quia ex parte formæ requirit voluntatem Superioris concedentis, à qua ipsius vis & vigor adinstar legis dependet. Secundò: quia pro forma extrinseca requirit signum, quo Principis voluntas privilegiato manifestetur, sive illud consistat in viva voce, sive in scripto. Tertiò: quia materia privilegii debet esse honesta, & rationabilis juri Divino, vel naturali non adversans. Quartò: quia privilegium, etsi non exigat, admittit tamen perpetuitatem, quæ legi est propria.

Differt tamen privilegium à lege primò: quia non ligat privilegiatum ad utendum suo privilegio, uti econtrà lex stringit subditum: & tametsi tertius teneatur non impedire privilegiatum ab usu sui privilegii, illa tamen obligatio directè non oritur ex privilegio, cujus objectum est favor privilegiato concessus; sed ex ipso jure naturæ quemlibet obligante, ne alium in jure quæsito impediat. Differt secundò: quia lex ad sui valorem requirit causam justam & rationabilem, non item privilegium, quamvis ad licitam ejus concessionem aliqua causa rationabilis [quales sunt bonum etiam privatum privilegiati, ejus scientiæ, virtutis, bonorum remuneratio, &c. juxta Salmantic. c. 1. p. 1. n. 6.] requiratur. Tertiò: quia lex fertur pro tota communitate, habetque pro fine intrinseco bonum commune, adeò, ut illo ablato totus vigor legis concidat: at privilegium respicit particulare bonum privilegiati. Unde 3.

Dicitur secundò. Lex *privata:* partim quia concedit aliquod privatum, hoc est, particulare beneficium, partim quia illud concedit non omnibus, sed privatis & particularibus. Neque refert, quòd privilegia dentur etiam integris communitatibus, v. g. Clericis, Religiosis, Studiosis, militibus &c. nam & isti accipiunt privilegia, prout sunt pars alicujus superioris communitatis, à qua in usu privilegiorum secernuntur. 4.

Dicitur

5. Dicitur tertiò: *speciale beneficium concedens*, nam de ratione privilegii est, ut ejus materia sit favorabilis, utque per illud concedatur facultas aliquid agendi, vel non agendi, recipiendi, vel non recipiendi, quæ de jure communi non competebat.

6. Ex his deduces primò. Privilegium differre à gratia & beneficio Principis, tanquam speciem à genere, & inclusum ab includente: nam omne quidem privilegium est favor, gratia, beneficium Principis; at non omnis gratia est privilegium; uti patet in collatione alicujus beneficii Ecclesiastici, absolutione à censura, dispensatione, &c.

7. Deduces secundò. Privilegium differre à dispensatione & rescripto; ab illa, quòd ista semper sit contra legem, legis vulnus, & relaxatio, neque sit naturâ suâ stabilis & permanens; At privilegium possit etiam esse præter legem, & suâpte naturâ stabilitatem amet & permanentiam, esto non semper sit perpetuum. A rescripto differt, partim quia rescriptum etiam continet gratias & beneficia Principis, quæ non sunt privilegium; partim quia rescriptum semper datur in scripto; cùm privilegium dari possit etiam vivæ vocis oraculò.

8. Deduces tertiò. Leges pœnales, quibus cavetur inimunitati quarundam personarum, non esse privilegia: quia directè non favoris concessionem, sed onerosam aliquorum obligationem concernunt.

9. Deduces quartò. Favores certo personarum generi in jure communi concessos, non ideo amittere naturam privilegii; cùm nihilominus contineant specialem gratiam aliis eodem jure communi non concessam.

10 Deduces quintò Novam concessionem alicujus gratiæ jam antea à jure communi concessæ, eatenus dici posse privilegium, novumque favorem tribuere, in quantum suppositâ tali concessione tenentur Superiores privilegiatum speciali assistentiâ in usu sui privilegii defendere, & per simplicem revocationem juris communis ejusmodi gratia concessa revocata non censetur, nisi fiat specialis ipsius mentio, ut habent Suarez, Salas, Haunoldus, Petschacher, &c.

11. Deduces sextò Privilegium potissimùm duplicem operari effectum: unum directum respectu privilegiati, nempe jus utendi suo privilegio; alium indirectum respectu aliorum, qui est obligatio ejusmodi privilegio non obsistendi.

§. II.

Requisita substantialia ad privilegium.

Dictum fuit in priori §. ad valorem privilegii ex parte formæ requiri voluntatem privilegiantis, seu habentis potestatem conferendi privilegium; ex parte verò materiæ, ut res concessa sit materia honesta, Juri Divino & naturali non repugnans, sitque favorabilis privilegiato. Ulteriùs

Quæres primò. An ad valorem privilegii requiratur, ut sit suo modo publicatum, seu intimatum, & acceptatum à privilegiato?

12. Respondeo. Ut Privilegium tribuat privilegiato jus exercendi actus per privilegium concessos, oportet, ut sit ipsi notificatum, & acceptatum. Ita videtur supponi in *c.* 1. *de concess. præbend.* & habet Glossa in *c. quia cunctis.* Suarez lib. 8. c. 25. n. 15. Sanch. l. 1. de matr. disp. 6. n. 10. Reding q. 18. a. 2. controv. 1. n. 2.

Ratio est primò: quia privilegium est quædam liberalis donatio; sed ista non habet effectum, priusquam sit notificata & acceptata à donatario: ergo nec illa. Unde secundò: Libertas non acquiritur per rescriptum manumissionis, donec servus sciat & acceptet *l. qui absenti. ff. de acquir. possess.* Neque tertiò legitimitas per authent. *quibus modis naturales* &c. §. *illud tamen.* Et quartò, quamdiu quis ignorat, se habere jurisdictionem, non tenet actus; neque enim actus jurisdictionis conceditur ignoranti: *L. hæc autem.* §. *non defendi. ff. ex quibus causis in possess.*

Quæres secundò. An etiam privilegium debeat esse aliis publicatum, qui obligantur, ne privilegio contraveniant? 13.

Respondeo. Ut privilegium pariat secundarium & indirectum effectum obligandi alios in conscientia, ne privilegii usum impediant, sufficit, ut tantam habeant illius privilegii notitiam, quanta requiritur ad moralem ejus certitudinem, vel fidem prudenter habendam: hoc ipso quippe jus naturale incipit obligare, ne privilegiatus in jure quæsito impediatur. Ut verò etiam obliget in foro externo, requiritur illius manifestatio per ostensionem instrumenti, vel testes legitimos, qui de concessione privilegii, aut publico ipsius usu fidem faciant. Suar. cit. c. 24. n. 10.

Quæres tertiò. An aliquando ad valorem privilegii justa & rationabilis causa requiratur?

Respondeo. Etsi juxta priùs dicta defectus justæ & rationabilis causæ privilegii concessionem non reddat invalidam, sed duntaxat illicitam; cùm nempe materia privilegii penitùs subest jurisdictioni concedentis, si tamen privilegium detur in bonis, quæ non omnimodè, sed tantùm secundùm rationabilem dispensationem Principi subjiciuntur, ad ejus valorem etiam rationabilem causam requiri, uti contingit in concessione Indulgentiarum ex meritis Christi & Sanctorum, in quibus summus Pontifex disponit Christi nomine, quæ proinde si fieret sine justa & rationabili causa [quod tamen difficulter præsumi potest] Christus illam ratam non haberet. Reding, cit. n. 10. 14.

Quæres quartò. An ad valorem privilegii contra jus requiratur clausula expressè derogans Juri communi?

Respondeo negativè; si privilegium non possit habere effectum, nisi derogando juri communi, & nisi jus commune sit qualificatum per clausulam resistentem privilegio, nempe *non obstantibus quibuscunque privilegiis in contrarium.* 15.

Ratio primæ partis est: quia Princeps non præsumitur ignorare jus commune, *c.* 1. *de constitut. in* 6., aut velle concessionem inutilem facere. Ideoque dans privilegium, in actu exercito juri communi derogat: & constat ex *C. in his, de privilegiis.* ubi rejicitur quædam interpretatio privilegii, per quam istud inutile reddebatur.

Ratio 2. partis est: quia si nudò privilegiò derogaretur juri communi qualificato per clausulam 16.

lam resistentem privilegio, illa clausula foret inanis & nullius roboris, adeòque ut privilegium juri communi prævaleat, necesse erit adjungi clausulam derogatoriam: *Non obstante quâcunque lege in contrarium*, uti tradunt Suarez c. 14. n. 16. Palao n. 10. aliique.

17. Quam tamen doctrinam non improbabiliter limitari posse ad privilegia legem clausulatam tantùm antecedentia, quippe quæ per talem clausulam revocata censentur, non autem ad consequentia, quippe quæ nullum aliàs effectum producerent, tenent Salmantic. cit. n. 9.

18. Quæres quintò. An ad valorem privilegii contra consuetudinem, vel legem particularem requiratur clausula derogans: *Non obstante quâcunque consuetudine, vel statuto in contrarium*?

Respondeo affirmativè. Quia Princeps non præsumitur leges particulares aut consuetudines scire. per *c. 1. de constit. in 6.* unde requiritur expressa clausula significans voluntatem derogandi etiam consuetudini, vel statuto particulari. Ita Authores citati.

19. Quæres sextò. An aliquando scriptura sit necessaria ad valorem privilegii.

Respondeo. Etsi juxta superiùs dicta regulariter non sit necessaria scriptura ad valorem privilegii, siquidem iste dependet à voluntate concedentis, quæ non minùs vivâ voce, quàm scripto potest innotescere; tamen ad quasdam gratias (potiùs quàm privilegia) per specialem exceptionem scripturam esse necessariam, prout est facultas non residendi in beneficiis curam animarum habentibus; & facultas ingrediendi intra septa Monasterii Monialium: per Tridentinum Sess. 25. de Reform. c. 1. & c. 5. Palao p. 3. §. 1. ubi plura refert exempla ejusmodi gratiarum.

Dices. Ante expeditionem litterarum gratia censetur informis, ut colligitur ex Reg. Cancell. 25.: ergo, ut sit perfectum & consummatum privilegium, requirit scripturam.

Respondeo. Gratiam à Summo Pontifice concessam dici informem in ordine ad judicium & forum externum, ubi deest ipsi perfectio sufficiens ad ferendum judicium; non autem in ordine ad forum internum conscientiæ, ubi gratia vivâ voce concessa jam est perfecta & formata, ut jus impetranti acquirat. ex *c. si probè de rescriptis in 6.* c. *fin. de concess. præbend. in 6.* Palao loco cit. n. 2. qui etiam observat, gratias ab aliis Principibus concessas non tantùm in foro conscientiæ, sed etiam externo suffragari, si per testes sufficienter probentur, cùm nullo jure cautum sit oppositum, uti tenet Mascardus de probat. conclus. 845. n. 11. 20.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit privilegium?

SUMMARIA.

1. *Exponitur divisio privilegii in reale, & personale.*
2. *Res, cui privilegium annectitur, alia corporea, alia incorporea.*
3. *Exempla privilegiorum realium.*
4. *Pleraque privilegia Regularium sunt realia.*
5. *In dubio unde discernendum, sitne privilegium reale, vel personale?*
6. *Privilegium causæ piæ concessum in dubio habendum est pro reali.*
7. *Divisio privilegii in contra, vel ultra jus.*
8. *In gratiosum, & remuneratorium.*
9. *In perpetuum & temporale.*
10. *In affirmativum, & negativum.*
11. *In commune & singulare.*
12. *In favorabile & odiosum.*
13. *In scriptum, & non scriptum.*
14. *In privilegium pro foro conscientiæ tantùm, & pro foro externo.*
15. *Licet aliquando privilegio dato pro foro pœnitentiali uti extra Sacramentum pœnit Pentiæ.*
16. *Quid sit privilegium adinstar?*
17. *Exponitur clausula Motûs proprii.*
18. *Quandonam tollat vitium subreptionis?*
19. *Quid sit & operetur clausula ex certa scientia, & de plenitudine potestatis?*
20. *Exponitur clausula: quatenus SS. Canonibus & Decretis, &c.*

§. I.

Divisio privilegii in reale & personale.

1. Multæ sunt privilegiorum divisiones & species, quarum potiores hoc articulo exponimus: & inprimis divisionem privilegii in reale, & personale. ex *c. privilegia. ff. de Regul. Juris.* & *c. mandata. de præsumpt.* Nam licet omne privilegium personam respiciat, quippe quæ sola est ipsius capax: aliud tamen confertur personæ ratione & intuitu ipsius individuæ personæ; aliud verò intuitu rei, quæ personæ annectitur, puta, loci, officii, dignitatis, alteriusve qualitatis, &c. prius dicitur personale, posterius reale. Personale sequitur personam, & cum ea exspirat *c. privilegium de R. I in 6.* Reale sequitur rem, & transit ad omnes, in quibus res invenitur. *l. Imperatores. ff. de publicanis.*

Porrò res, cui privilegium annectitur, alia est corporea, ut Ecclesia, Monasterium, &c. Alia incorporea, ut Episcopatus, Doctoratus, Clericatus, Monachatus, &c. Unde omne privilegium alicui communitati concessum est reale, & perpetuum. Reale, quia tametsi singula communitatis membra, & individuæ illius personæ privilegio gaudeant; ideo tamen gaudent, non quia sunt singulares personæ, sed quia sunt affectæ qualitate totius communitatis: Perpetuum est: quia communitas & certum genus hominum in communi durat perpetuò, & fictione juris habetur quasi pro persona perpetua. *l. proponebatur 76. ff. de judiciis.* Suarez l. 8. c. 3. Pal. p. 2. §. 1. 2.

Unde colliges primò, privilegium concessum filiisfamilias, ne mutuò; fœminis, ne fidejussione obligentur; privilegium militum in faciendis testamentis sine solemnitatibus; restitutionis in integrum concessum minorennibus Reipubl. causâ absentibus, esse privilegia realia, quia conceduntur 3.

duntur ejusmodi personis quatenus affectis aliqua communi qualitate certi generis hominum perpetuò duraturi. Suarez, Haunold, cum communi.

4 Colliges secundò. Ferè omnia privilegia concessa Regularibus esse realia; quia conceduntur toti alicui Religioni, Provinciæ, Ecclesiæ, etiamsi concedantur pro certis membris communitatis v. g. Confessariis, Concionatoribus, Lectoribus &c. nam & his conceduntur intuitu communitatis, & quatenus sunt membra ipsius, ideoque sunt perpetua, & transeunt de persona in personam. Bordon. tr. 2. resolut. 52. Salmanticenses l. c. n. 19.

5. Sed quid si dubitetur, utrùm privilegium sit reale, an personale?

Respondeo: inprimis attendendam esse formam verborum, quæ si dirigantur potiùs in officium, conditionem, & dignitatem personæ, erit reale; si verò ad individuam personam, ipsam nominando, erit privilegium personale; e. g. si in privilegio dicatur, Tibi Archiepiscope Salisburgensis, Tibi Rector Universitatis &c. erit signum realis privilegii. Si dicatur, Tibi Francisco, Joanni, &c. erit personale.

Secundò. Si significetur privilegium concedi ob speciales qualitates personæ, v. g. ob *scientiam, prudentiam, sanctitatem, merita tua in mittendis subsidiis* &c. erit personale; si verò exprimatur perpetuitas, & propogatio in hæredes v. g. *in perpetuum*, vel materia concessa sit talis, quæ etiam Successoribus concedi soleat, erit privilegium reale. Tertiò. Si neque ex his satis liqueat, attendendum est, an privilegium sit *odiosum*, quia nempe, vel juri communi, vel alterius tertii adversum, vel an sit *favorabile*, continens meram gratiam citra alterius præjudicium. Si primum, judicandum est esse personale, quia, quæ à jure exorbitant, non debent trahi in consequentiam, suntque strictioris interpretationis *c. odia* 15. & *quæ à jure* 28. *de R. I. in 6.* Si secundum, judicari debet esse reale, quia decet concessum à Principe beneficium esse mansurum. *c.* 16. *de R. I. in 6.* & *l.* 3. *ff. de Constit. Principum* dicitur, beneficium Principis quàm plenissimè interpretari debere. Ita Sanchez, Suar. Palao cit. Engel l. 5. Tit. 33 n. 4. Salmanticenses n. 20.

6. Si privilegium in tali dubio foret in favorem Religionis, vel causæ piæ expeditum, tametsi juri communi derogaretur, nihilominus habendum est pro privilegio reali, & latè interpretandum: quia summa ratio est, quod pro Religione facit. *l. si persona. ff. de relig. & sumpt.* Si demum possidenti privilegium ut reale, oriatur dubium, sitne reale, an personale? meritò poterit illud habere pro reali, eò quòd in dubio melior sit conditio possidentis. Salmanticens. ibidem n. 21.

§. II.

Exponuntur aliæ complures divisiones privilegii.

7. Communissima divisio privilegii est in privilegium *contra* jus, & *ultra, vel præter jus*. Contra jus, quo juri communi derogatur, estque proinde strictæ interpretationis, ut exemptio à decimis solvendis &c. Ultra jus, cujus actus vel materia non est quidem jure prohibita, sed tamen nonnisi certis personis concessa, ut potestas dispensandi, absolvendi à reservatis &c.

Dividitur tertiò: in *gratiosum* & *remuneratorium*. Gratiosum est, quod etsi non excludat omnem respectum ad merita privilegiati, ceu causam impulsivam; datur tamen ex pura gratia, & non per modum præmii, vel satisfactionis pro obsequiis, aut meritis præstitis. Remuneratorium est, quod datur in compensationem pro meritis exhibitis, ideoque in sua concessione requirit specialem mentionem meritorum, e. g. *ob hæc & illa merita concedimus tibi præsens privilegium* &c. Quò reducitur altera divisio in privilegium *purum* & *conventionale* illud sine, istud verò datur cum conditione, vel obligatione alicujus operis onerosi. Remuneratoria [qualia esse omnia privilegia Regularibus in communi concessa ex Summ. Pontif. Bullis ostendunt & docent Rodriq. qq Reg. to. 1. q. 6. a. 6. Bordon. to. 2. resolut. 52. n. 26. Peyrinis to. 3. c. 4. n. 24. aliique communiter] & maximè conventionalia sunt plerumque perpetua adinstar contractuum, & non nisi ex urgentissima causa bonum publicum concernente revocantur. Engel l. 5. Tit. 35. n. 5. 8.

Ex his colligitur quarta divisio privilegii in *perpetuum* & *temporale*. Perpetuum est, quod ex vi concessionis, & rei cui conceditur, potens est perpetuò durare. Temporale, quod ex vi concessionis tempore limitato finitur: idque tripliciter fieri potest: primò ex parte concedentis, si nempe concedatur duntaxat pro ejus vita, vel pro alio tempore limitato, siquidem existentia & duratio privilegii à concedentis intentione dependet. Secundò ex parte privilegiati, si nempe concedatur soli personæ, cum qua extinguitur per *c. privilegia de R. I. in 6.* Tertiò ex parte ipsius privilegii, si detur sub tali conditione, quæ tractu temporis finitur, aut suâpte naturâ nequit perpetuò durare, ut ex Haunoldo Magnif. P. Petschacher cit. §. 2. 9.

Quintò privilegium dividitur in *affirmativum* & *negativum*. Affirmativum est, quo conceditur facultas aliquid faciendi; negativum, quo conceditur facultas aliquid omittendi. Affirmativum potest ex se esse præter, vel contra jus; quippe & actio concessa per privilegium potest esse contra vel præter jus; contrà, ut facultas die jejunii comedendi carnes; præter jus, ut facultas eligendi Confessarium &c. Negativum semper est contra jus vel certum, vel saltem dubium, quia aliàs per illud nihil concederetur, cùm quilibet possit omittere, quæ agere non tenetur. 10.

Sextò dividitur privilegium in *commune* & *singulare*. Commune est, quod directè & immediatè in bonum commune conceditur, ideoque per se primò pro aliqua communitate expeditur, tametsi mediatè cedat in bonum singulorum, qui sunt membra illius communitatis, ut est privilegium fori concessum Clericis. Cui privilegio nemo particularis renuntiare potest *c. si diligenti, de foro competenti. c. si contingat de sentent. excommunicat.* Nemo quippe renuntiare potest, quod sibi directè non conceditur. Singulare est, quod 11.

quod ob commodum singularis personæ conceditur, ideoque ad singulares personas quà tales dirigitur, ut privilegia Bullæ Cruciatæ, idque à privilegiato renuntiari potest. per *c. ad Apostolicam. de regular. l. si quis in conscribendo. C. de pactis.* tum quia non decet beneficium invito concedi; tum quia privilegiatus efficitur Dominus privilegii in suum favorem concessi, nisi illud cedat in alterius favorem, neque utriusque simul favor ab invicem separari possit; in qua hypothesi absque alterius consensu renuntiare non potest, quemadmodum uxor sine mariti consensu Senatusconsulto Vellejano non potest renuntiare. Suar. l. 8. c. 6. Salmanticens. n. 25.

12. Septimò dividitur in *favorabile* & *odiosum*. Illud est, quod in nullius gravamen redundat, sive sit ultra, sive contra jus, ut privilegium faciendi testamentum sine solemnitatibus, celebrandi Missam tempore interdicti, &c. Odiosum est, quod ita favet privilegiato, ut tertio gravamen aut nocumentum inferat, ut privilegium non solvendi decimas, exemptionis à jurisdictione, &c. Ubi tamen advertunt Salmanticens. cit. n. 28. quando per privilegium principaliter favor intenditur, tametsi per accidens & ex consequenti sequatur alterius damnum, privilegium esse simpliciter favorabile, & latæ interpretationis, sicut est privilegium canonis concessum Ecclesiasticis, quantumvis percutientibus sit odiosum. Et ita sentiunt Sanchez, Tamburinus, Azor, Palao, Laymann, Suarez, quos vide apud prædictos Salmanticenses.

13. Octavò dividitur in *scriptum* & *non scriptum*. Scriptum est, quod per scripturam conceditur, sive illa sit corpori Juris inserta, sive alio modo authentica, eaque requiritur pro foro externo: nam in foro conscientiæ non requiri patet ex dictis. Non scriptum, vel est oretenus à Superiore concessum, & dicitur *vivæ vocis oraculo*, vel per consuetudinem, legitimámve præscriptionem introductum: Cui hoc est speciale, quòd si privilegia rescripto Principis revocentur, privilegia tamen per consuetudinem obtenta, nisi illorum specialis fiat expressio, revocata non censeantur. Haunold n. 170. Palao n. 3. Suarez l. 8. c. 7.

14. Nonò dividitur in privilegium *pro foro conscientiæ tantùm*, & *pro foro externo*, ubi privilegium pro foro conscientiæ est, quod solùm prodest, ut quis salvâ conscientiâ illo uti possit, non verò ut quis exteriùs, & in foro contentioso pro privilegiato agnoscatur. Pro foro externo est, quod non tantùm prodest in conscientia, sed etiam in judicio externo: qualia sunt omnia privilegia Regularium, ut constat ex Bullis Summ. Pontiff. & tradunt Bordon. to. 2. resolut. 52. Salmanticenses hic n. 32.

15. Dubium est, an si privilegium concedatur pro foro pœnitentiali, liceat illo uti extra Sacramentum pœnitentiæ? Multi probabiliter negant: nihilominus probabilis etiam est illorum sententia, qui distinguunt: Vel actus concessus in privilegio, est absolutio à malo culpæ, quod non nisi per sacramentalem absolutionem tollitur; & tunc privilegium extra Sacramentum pœnitentiæ exerceri non potest, ut per se patet: Vel est à malo pœnæ, ut sunt pœnitentia, censura, excommunicatio &c. quæ extra Sacramentum Pœnitentiæ imponi & auferri solent: & tunc datur exercitium privilegii etiam extra forum sacramentale: quia cùm talis absolutio sit verè pœnitentialis, datur in foro conscientiæ pœnitentiali, licèt non sit in foro sacramentali, quod strictè appellatur pœnitentiale. Ita cum Sylvest. Rossella, Tabiena docet Suarez cit. c. 6. n. 15. Palao tract. 3. disp. 4. p. 2. §. 5.

§. III.

Exponuntur quædam Clausulæ privilegiorum.

Solent aliquando Pontifices concedere privi- 16.
legium ad similitudinem & exemplum alterius, quod vocatur privilegium *adinstar*, & duplici modo concedi potest: primò, nihil exprimendo de punctis contentis in privilegio: ut si dicatur, *concedo tibi privilegium, quod Petro concessi.* Et tunc ad valorem privilegii requiritur, ut privilegium, quod tanquam exemplar supponitur, ab initio habuerit effectum & valorem. Secundò, ut expressè in privilegio exponat beneficium, quod concedit, e. g. concedo tibi facultatem carnes comedendi, sicuti concessi Petro: & tunc privilegium concessum non irritatur, tametsi Petri privilegium ab initio fuisset nullum: quia tunc in concessione privilegii particula ad similitudinem non apponitur ut conditio, sed tantùm exempli gratiâ. Ita Suar. c. 15. Palao p. 2. §. 8. Garc. tract. 8. diff. 1. qui addunt, privilegium *adinstar*, tametsi tantùm generaliter & absque explicatione materiæ concessum, non vitiari, si privilegium exemplare ab initio validum, postea fuerit amissum, diminutum, vel renuntiatum, quia non in conservari, sed in fieri tantùm dependet à privilegio exemplari. Ex quo rectè inferunt Salmant. n. 39. Siqua Religio extingueretur, non ideo extinctum iri illa privilegia, quæ adinstar illius, & per communicationem alteri Religioni fuissent concessa. Sed de communicatione privilegiorum infrà ex instituto.

Clausula *ex motu proprio* facit differre privile- 17.
gium ab eo, quod conceditur *ad instantiam partis:* istud enim habet pro suo motivo petitionem, vel instantiam privilegiati, seu alterius ipsius partes gerentis, aliàs non concedendum. Quod verò conceditur ex motu proprio, datur à Principe solùm à se moto independenter à qualibet petitione; licèt fortè petitio præcesserit; non enim datur, quia petitum, sed sicut petitum est. Porrò nunquam præsumitur gratia concedi ex motu proprio, nisi hæc clausula exprimatur: quia continet in se exclusionem, & negationem universalem omnis alterius motivi, quæ non nisi ex terminis illam exprimentibus constare, aut probari potest, ut constat ex *c. si motu proprio. de præbendis in 6.* & tenent Sanch. l. 8. de matrim. disp. 1. n. 6. Suar. c. 12. n. 6. Laymann l. 1. tra. 4. c. 23. n. 8. Palao tract. 3. d. 4. p. 2. §. 6.

Effectus motûs proprii est, quòd tollat vitium 18.
subreptionis, si istud proveniat ex taciturnitate veritatis, quæ explicanda fuisset, sive nulla præcesserit supplicatio, ut habent DD. communiter

ex cit.

ex cit. *c. si motu proprio*, sive præcesserit supplicatio, sed defectuosa. & non omnem exprimens veritatem, quæ si fuisset cognita, privilegium à Principe concessum non fuisset: quia per clausulam *ex motu proprio* censetur Princeps supplere velle defectum ex parte informationis diminutæ. Ita Palao & Sanch. citati. Salmant. n. 41.

Erit tamen privilegium ex motu proprio invalidum, si huic causam dedit error causæ finalis, ut si falsa causa exprimatur in supplicatione; non enim Princeps intendit concedere privilegium, nisi subsistente causâ. à qua finaliter movetur. Rursus invalidatur motus proprius, si concedatur inhabili, non priùs obtentâ dispensatione: vel si sit contra consuetudinem, ac legem particularem. Ita Suarez cit. c. 12. n. 14. Menoch. l. 2. de arbitr. centur. 3. casu 201. n. 80. Sanchez, Palao, Laymann citati.

19. Clausulæ *ex certa scientia*, *& plenitudine potestatis*, addi solent in confirmatione privilegii jam antè concessi, eumque habent effectum, ut novum addant robur, valorem & solemnitatem privilegio, si illud fortè imminutum, revocatum, vel alio modo fuisset extinctum; quod non efficit confirmatio privilegii expedita *in forma communi*; hæc enim relinquit privilegium in antiquo suo statu, utpote non supponens Pontificem de negotio plenè informatum: cùm econtra in confirmatione ex certa scientia Sum. Pont. præsumatur procedere ex plena notitia negotii.

Dixi. *Si illud fortè imminutum*, &c. nam si privilegium, quod confirmatur, ab initio fuit invalidum, subreptitium, per sequentem confirmationem ejusmodi clausulis munitam non convalidatur, nisi expressè inseratur. *Non obstante falsitate*, *& subreptione*.

Clausula adjuncta in confirmatione, vel communicatione privilegiorum: *quatenus SS Canonibus & Decretis Concilii Tridentini non adversantur*, accipienda est collectivè, ita, ut sub nomine SS. Canonum non veniant inserti in Corpore Juris, sed in ipso Concilio Tridentino, uti cum Barbosa in Tract. de Clauf. 124. n. 2. docet Reding de privilegiis q. 18. a. 2. controv. 3. n. 8. Si verò habeatur clausula: *Dummodo decretis Concilii Tridentini contraria non sint*; illa solùm excepta censentur, quæ decretis Tridentini specialiter, & per clausulam, *non obstantibus privilegiis*, sunt contraria, cætera verò in suo vigore relicta censentur, uti est privilegium suscipiendi SS. Ordines extra tempora, quod per Trident. Sess. 23. de Reformatione c. 8. non est sublatum, probant Emmanuel Rodriq Reg. qq. to. 1. q. 8. n. 6. & 7. Palao n. 9. Petschacher a. 2. in fine. 20.

Plures alias Rescriptorum clausulas, earumque effectus vide apud Canonistas ad Tit. de Rescriptis, quò pertinent, & Salmantic. hîc c. 1. p. 4.

ARTICULUS III.
De Interpretatione privilegii.

SUMMARIA.

1. *Regula pro facienda interpretatione privilegiorum.*
2. *Quis habeat facultatem privilegia doctrinaliter, vel authentice interpretandi.*
3. *Privilegium contra jus commune regulariter est strictæ interpretationis.*
4. *Uti & privilegium contra specialem consuetudinem, & jus particulare.*
5. *Excipiuntur primò privilegia in favorem causæ piæ.*
6. *Secundò inserta corpori Juris.*
7. *Tertiò privilegia ex motu proprio, vel ex certa scientia.*
8. *Privilegium contra jus tertii strictè interpretandum.*
9. *Nisi per talem interpretationem redderetur inutile.*
10. *Privilegium nemini præjudiciosum est amplæ interpretationis.*
11. *Potestas dispensandi indefinitè concessa est amplæ interpretationis.*
12. *Diversitas inter actum & potestatem dispensandi.*
13. *Potestas Episcopis per Tridentinum concessa est latæ interpretationis.*
14. *Potestas eligendi Confessarium aliquando lata;*
15. *Aliquando est stricta interpretationis.*
16. *Privilegia Religiosorum ordinariè sunt amplæ interpretationis.*

§. I.
A quo & quomodo facienda privilegii interpretatio?

Cùm privilegium sit quædam privata lex, & in pluribus legem imitetur, ideo multa, quæ priùs de Legum interpretatione dixi, etiam privilegiis sunt accommodanda. Ideoque primò: Tunc solùm datur interpretatio privilegii, quando verba & tenor privilegii intentionem privilegiantis non satis dilucidè proponit. Secundò: Sicuti lex est interpretanda, ne reddatur inutilis. *l. non dubium C. de LL.* sic & privilegium nec dici potest privilegium, quod nihil operatur, nihilque concedit præter id, quod prius jure concessum est. *c. si Papa. de privileg. in 6. c. Ab. 25. de V. S.* Tertiò: Ubi lex non distinguit, neque nos debemus distinguere. *l. non distinguimus. ff. de rescriptis arbitr. c. quia circa. 22 de Privilegiis.* Idem dicendum de privilegio. Quartò. Sicut lex non includit, ad quod mens & ratio Authoris se non extendit. *l. cùm prætor. §. dolo ff. de legatis*, sic verba privilegii sunt interpretanda juxta intentionem concedentis. Et quintò, cùm concedens præsumatur se conformare ad mentem & petitionem supplicantis *l. si præses. ff. de pœnis c. cùm dilectos § cæterùm de fide instrumentorum*, ideo privilegia mensuram interpretationis etiam accipiunt à mente & precibus supplicantis. Suarez, & Palao citati. Sextò inspicienda materia & motiva concessionis, item pro- 1.

prooemium, in quo plerumque intentio Principis exponitur, si fieri possit, consulendus Princeps; demum attendenda proprietas verborum juxta stylum concedentis; nempe si privilegium est Pontificium, juxta stylum curiæ Romanæ; si Cæsareum, juxta stylum Curiæ Cæsareæ. Sanchez, Haunold, Palao, aliique.

2. Causa efficiens interpretationis doctrinalis [suppono ex priori Tractatu aliam esse interpretationem doctrinalem, aliam authenticam] possunt esse viri docti exponentes privilegia secundùm jura, & regulas Juris. Authenticæ verò nemo nisi Princeps, qui dedit privilegium; ejus quippe est juridicè & authenticè interpretari actum, cujus est condere actum. *l. sacratissima. C. de L.L.* unde privilegia à Sum. Pontif concessa, inferiores Prælati non possunt judicialiter interpretari. Salmanticens. hic cum pluribus à se relatis.

Generalibus tamen Religionum, & respectivè Provincialibus dubia privilegia non tantùm doctrinaliter, sed etiam juridicè & authenticè interpretari, concessum esse, ex concessione à Julio II. facta Generali Ordinis Prædicatorum, probant Salmanticenses ibidem num. 75. ubi etiam potestatem limitandi, restringendi, imò etiam pro suis subditis tollendi usum privilegiorum ab Apostolica sede promanantium è Summ. Pontiff. Leonis X. Clementis IV. & Gregorii XIII. concessionibus probant Miranda to. 2. q. 43. a. 4. Lezana to. 1. c. 18. Suarez de Relig. to. 4. tra. 8. l. 2. c. 22. aliique.

§. II.

Quænam privilegia requirant amplam, vel strictam interpretationem?

SUppositis, quæ in priori articulo dixi de divisione privilegii in favorabile & odiosum:

3. Dicendum primò: Privilegium contra jus commune est regulariter strictè interpretandum. *per c. sane. & c. porrò. de privilegiis.* Ratio est primò: quia quâ parte derogat juri communi, continet dispensationem, quæ est strictæ interpretationis juxta dicta in præcedentibus. Secundò, quia favor communis boni præpollet favori boni particularis: sed jus commune favet bono communi, uti privilegium bono particulari: ergo. Ideo si illegitimo concedatur privilegium ad Ordines suscipiendos, de minoribus Ordinibus accipiendum esse tradit Palao cum Authoribus à se relatis puncto 10. n. 3.

4. Ex quo infertur, præmissam doctrinam etiam habere locum in privilegio contra specialem consuetudinem, & jus particulare, quando illa juri communi non adversantur: sunt enim instar juris communis, eandemque obtinent efficaciam, adeòque juri specialis privilegii præferri merentur. Dixi tamen, quando juri communi non adversantur: si enim adversantur, tunc privilegiorum lata explicatio favet juri communi, ideoque amplexanda. Salas disp. 20. sect. 10. n. 70. Sanch. l. 8. disp. 1. n. 12. aliique

5. Dixi in assertione, *regulariter*: nam excipitur primò privilegium cedens in favorem Religionis & causæ piæ, tunc enim latè explicandum est, tametsi aliquo modo deroget juri communi, quia summum jus est, quod pro Religione facit *l. sunt personæ. ff. de Religios. & sumpti. fun.* Ideo privilegia concessa Religiosis, militibus, studiosis sunt amplæ interpretationis; interest quippe totius Reipublicæ, Religionis, & boni communis, ut ejusmodi personis faveatur; quâ de causâ licèt privilegium concessum filiis familias contra jus commune strictè sit interpretandum; ita ut solùm de filiis legitimis intelligatur, per *l. ult. C. de his, qui veniam ætat.* accedente tamen favore Religionis & piæ causæ etiam extenditur ad legitimatos, prout docent Suarez l. 8. c. 27. n. 7. Salas disp. 17. sect. 6. Palao cit. n. 5.

Excipitur secundò privilegium insertum juri communi, quia tunc non derogat juri communi, sed ipsius partem constituit. Suar. cit. n. 8. unde Sanch. l. 8. de matrim. c. 27. n. 8. & Henriqu. l. 7 de Indulgent. c. 22. inferunt, privilegia omnia Religiosis in perpetuum concessa esse latè explicanda non tantùm propter favorem Religionis, de quo priùs, sed etiam propter perpetuitatem, per quam reputantur, ac si forent corpori juris inserta. 6.

Excipitur tertiò privilegium ex motu proprio, vel certâ scientiâ concessum, quod latam petit explicationem, quantumvìs juri communi adversetur, tunc quippe est proprium Principis beneficium, ad cujus honoris & authoritatis favorem pertinet, ut ipsius liberalitas latè explicetur. Suarez cit. n. 8. Sanchez n. 5. & 6. aliique. 7.

Dicendum secundò. Privilegium derogans particulari juri alterius strictam requirit interpretationem, quantum patitur verborum proprietas: quia non præsumitur Princeps velle derogare ejusmodi juri quæsito, nisi illud expresserit. ex *l. 2. §. 1. ff ne quid in loco publico. c. licèt in corrigendo de offic. ordin. c. ex tuarum. de authorit. & usu pallii.* & communi DD. unde infertur privilegium concessum ad plura beneficia obtinenda esse interpretandum de beneficiis non curatis, quia cùm ferè semper deroget non tantùm juri communi, sed etiam juri tertii, strictè est explicandum, nisi aliud exprimatur. Sanch. l. 9. disp. 2. n. 3. 8.

Excipitur, si privilegium per strictiorem interpretationem redderetur inutile: non enim voluntas Principis frustrari debet, juxta dicta in priori §. n. 1. 9.

Dicendum tertiò. Privilegium, quod in nullius cedit præjudicium, est amplè interpretandum; nam & est purum beneficium Principis, quod latam petit explicationem. *l. beneficium. ff. de constitut. Princ.* & favores sunt ampliandi. *ex R. l. 15. in 6.* 10.

§. III.

Corollaria.

INferes ex dictis primò: potestatem dispensandi & absolvendi à reservatis concessam sine expressione personæ dispensandæ, vel absolvendæ esse latè interpretandum; tum quia talis concessio maximè conducit ad sublevandas multorum necessitates, neque refragatur juri communi; tum quia in nullius cedit præjudicium; si enim aliquod

aliquod esset, tunc esset judicis ordinarii: sed hujus præjudicium non est, cùm delegatio ab ipsomet procedat, ejusque nomine exerceatur. Ita communis.

Dixi notanter, *sine expressione* &c. nam si detur pro determinata persona, sive sit in favorem dispensaturi, sive dispensandi, strictè interpretandam esse, probabiliùs docent Suarez l. 6. de LL. c. 17. n 7. Sayr. to. 1. c. 11. n. 8. Palao hîc puncto 11. n. 5. tunc enim facultas dispensandi censetur virtualiter esse inchoata dispensatio, quæ est strictæ interpretationis.

12. Sed, inquis: Cùm dispensatio sit strictæ interpretationis, cur non & facultas dispensandi, cùm potentia & facultas sit propter actum? Respondeo, dispensationem in particulari esse vulnus legis, ideoque strictè interpretandam; non verò dispensationem in communi, sub qua multæ continentur bono communi, rectæque gubernationi necessariæ. Unde cùm potestas dispensandi absolutè data non respiciat aliquam dispensationem determinatè, sed indeterminatè quamcunque utilem & necessariam pro bono communi, ideo est beneficium Reipubl. bonoq. e communi necessarium, ac proficuum, estque non minùs amplæ interpretationis, quàm potestas ordinaria dispensandi. Hinc

13. Inferes secundò. Potestatem Episcopis concessam in Trid. Sess. 24. c. 6. de reform. esse latè interpretandam, quia est facultas data indefinitè pro bono communi Ecclesiæ, atque inclusa in corpore Juris. Palao n. 6. cum Sanch. aliisque.

14. Inferes tertiò. Potestatem eligendi Confessarium, qui absolvat à reservatis, vel dispenset in votis, aliisque canonicis impedimentis, concessam per Jubilæum, vel Bullam Cruciatæ, esse latè interpretandam ex duplici causa; primò, quia datur ad bonum commune Ecclesiæ, & subveniendum publicis ipsius necessitatibus, adeòque continet favorem Religionis, & piæ causæ. Secundò, quia datur ad obtinendam efficaciùs Indulgentiam & remissionem peccatorum, quæ est purus favor, nec in juris communis, nec in ullius alterius cedens præjudicium. Ita Suar. l. 6. de Voto c. 16. n. 3. Palao cit. n. 7. Petschacher de Leg. q. 8. a. 6.

Inferes quartò. Potestatem alicui in particulari, & in bonum privatum ipsius concessam, eligendi Confessarium, qui ipsum absolvat à censuris, & casibus reservatis, esse strictè interpretandam, quia continet exceptionem à jure communi, quo omnes alii tenentur pro absolutione accedere judicem superiorem, neque ampliùs militat favor boni communis, religionis & piæ causæ. Ita AA. citati. 15.

Inferes quintò. Privilegia Religionum alicui S. Ordini, Provinciæ, Monasterio sive directè sive per communicationem concessa regulariter habere latam interpretationem: quia sunt purus favor, & beneficium Principis, & quidem favor religionis & piæ causæ, quo nulli infertur injuria, aut præjudicium à Summo Pontifice, uti habet in terminis D. Thomas in 4. dist. 17. q. 3. a 3. quæstiunc. 5. ad 1. & in opusc. 19. contra impugnatores Religion. c. 4. prope finem, & tenent Palaus tract. 3. disp. 4. puncto 10. n. 6. Azor 1. parte l. 5. c. 23. q. 2. Laymann l. 1. tract. 4. c. 23. n. 6. Bordon. to. 2. resolut. 32. Salmantic. hîc puncto 6. n. 86. aliique complures. 16.

ARTICULUS IV.

De extensione & communicatione privilegiorum.

SUMMARIA.

1. *Privilegium non extenditur nisi ad casus formaliter, aut virtualiter expressos.*
2. *Similitudo, aut paritas rationis, non sufficit ad extensionem.*
3. *Objectiones solvuntur.*
4. *Quid sit, & quot modis fiat communicatio privilegiorum?*
5. *Per communicationem non tribuitur usus, sed jus utendi.*
6. *Potest extendi ad privilegia concedenda.*
7. *Clausula restringens quandoque impedit communicationem*
8. *Effectus communicationis.*
9. *Omnes Religiosi Ordines probabiliter communicant in privilegiis.*
10. *Etiam in concedendis.*
11. *An privilegium uni Ordini vel loco concessum extendatur ad omnes?*
12. *Ratio in contrarium.*
13. *Resolutio cum limitatione.*
14. *Concessa Officialibus unius ordinis ratione officii communicantur Officialibus alterius Ordinis.*
15. *Privilegia Prælatorum non sunt communicata inferioribus.*
16. *Privilegia alicujus Religionis statui adversantia illi non communicantur.*
17. *Privilegia derogantia juri tertii non communicantur.*
18. *In communicatione non comprehenduntur gratiæ prævio examine Cardinalium particulariter concessa.*
19. *Privilegia Societatis Jesu communicantur sine dependentia a Generali Ordinis.*

§. I.

De extensione privilegiorum.

Dicendum primò. *Privilegium non extenditur, nisi ad casus & personas formaliter, aut virtualiter in privilegio expressos.* Ratio est, quod privilegium unicè dependeat à voluntate privilegiantis, quæ non nisi verborum expressione fit manifesta. Unde communiter dicitur, privilegia tantum valere, quantum sonant. Dixi tamen *formaliter & virtualiter*: nam illa dicin us exprimi virtualiter, sine quibus privilegium inutile redderetur, nullumque commodum afferret privilegiato; cùm igitur Princeps in privilegio inten- 1.

intendat commodum & favorem privilegiati, etiam illa, sine quibus commodum non subsistit, expressisse censetur. Ideo privilegium concessum Sacerdoti celebrandi tempore interdicti, censetur etiam concessum ministro, sine quo non celebraret; concessum Domino etiam censetur concessum servo, sine quo Sacrum non accederet.

Dices. Privilegium nobilitatis concessum marito vel patri, etiam extenditur ad uxorem & liberos, nec tamen mariti nomine uxor, nec patris nomine comprehenduntur filii. Respondeo cum Palao punct. 12. n. 2. Hanc extensionem non fieri ex vi privilegii, quo maritus & pater nobilitantur, sed ex distincta juris dispositione, quâ uxor & liberi admittuntur in participationem nobilitatis, quoties illâ maritus & pater decorantur.

2. Dicendum secundò. Privilegium non extenditur ad alios in privilegio non expressos propter similitudinem, paritatem, vel majoritatem rationis Suarez l. 8. c. 28. n. 11. Palao, Petschacher citati.

Ratio inprimis est eadem, quæ priùs; quia privilegium dependet à voluntate concedentis; si ergo uni potiùs concedatur, quàm alteri, non est causa illud ad alterum extendendi. Præterea privilegium est lex privata & particularis, quâ Princeps beneficium alicui ex speciali ratione concedit: ergo tametsi sit eadem, vel efficacior ratio in alio, non tamen bene infertur, quòd eidem Princeps beneficium conferre voluerit. Tandem si valeret ista extensio, nihil esset in privilegiis solidum & firmum, multique etiam invito Principe privilegio gauderent. Ita AA. citati.

3. Objic. primò *c. per venerabilem, qui filii sint legitimi:* ubi Pontifex argumento à majori ad minus probare videtur, dispensationem concessam illegitimo ad actus spirituales etiam extendi ad temporales.

Secundò in *c. ex parte tua. 22. de decimis*, privilegium concessum Abbati percipiendi decimas de laboribus terræ suarum parochiarum extenditur ad novalia. Tertiò. Privilegium dispensandi in votis etiam extenditur ad vota jurata, & facultas concessa beneficiato ad percipiendos fructus in absentia, causâ studii Theologici, etiam extenditur ad absentiam causâ studii Juris Canonici.

Respondeo ad 1. illam probationem non esse ipsius Pontificis Innocentii III. sed partis sollicitantis dispensationem pro filiis illegitimis. Ad 2. Respondeo, quia novalia pertinebant ad terram Abbatis, de cujus frugibus concedebantur decimæ, idcirco hæc non est extensio, sed tantùm latior privilegii interpretatio. Ad 3. eadem est responsio, quia vota jurata per accessionem voti non extrahuntur à ratione voti; unde in dispensatione voti sufficienter comprehensa intelliguntur.

§. II.

Quomodo tribuatur privilegium per communicationem?

4. Communicari privilegium, est, jus per privilegium concessum uni, etiam concedi alteri, quod tripliciter fieri posse rectè advertit Palaò citatus. Primò per applicationem ejusdem privilegii ad plura subjecta æquè principaliter sine nova concessione: quemadmodum privilegium concessum Religiosis existentibus tempore concessionis, successivè extenditur & applicatur ad alios, qui fiunt membra Religionis. Secundò per extensionem ad aliqua subjecta secundariò & accessoriè: sicuti privilegium concessum domino, secundariò, & accessoriè extenditur ad servum ipsius. Utriusque privilegii hæc est affectio, ut illo aucto, vel diminuto respectu illius, cui primò aut principaliter est concessum, etiam auctum & diminutum censeatur respectu illorum, ad quos extenditur. Tertiò propriè privilegium communicatur per novam concessionem, quando privilegium ejusdem rationis conceditur ad imitationem alterius jam priùs alteri subjecto concessi; idque reipsâ parùm differt à privilegio *adinstar*, antea exposito. Hinc

Inferes primò, per communicationem privilegiorum non communicari usum privilegii, sed jus illo utendi: unde licèt unus non utatur privilegio per communicationem pluribus concesso, nullum exinde præjudicium generatur aliis talis privilegii communicationem habentibus, ut habet Panormitanus in *c. cùm accessissent de constit.* & Sylvester *verbo privilegium* §. 11. 5.

Inferes secundò. Quamvis absolutè communicatio privilegiorum non extendatur ad concedenda de futuro, sed solùm complectatur concessa juxta statum, in quo privilegium tempore communicationis invenitur; tamen si hanc concedentis intentionem verba exprimant, etiam extendi ad concedenda de futuro, prout de facto omnes Religiones gaudere communicatione privilegiorum tam concessorum, quàm concedendorum docent Pellizar. tract. 8. c. 1. n. 42. Joannes à Cruce l. 2. c. 4. conclus. 3. Reding controvers. 3. n. 2. 6.

Inferes tertiò. Si in ipsa communicatione privilegiorum addatur clausula restringens: *Ne censeantur aliis communicata, qui privilegio communicationis gaudent*: tunc non censeri privilegium aliis communicatum, nisi per specialem clausulam ejusmodi prohibitioni derogetur: quia privilegia operantur juxta intentionem concedentis verbis expressam: atqui per talem clausulam sufficienter declaratur, non fuisse intentionem Principis, hæc aut illa privilegia in specie sub generali communicatione privilegiorum comprehendi. Et suffragatur illud vulgatum: *generi per speciem derogari, & sub generali clausula non venire, quæ Princeps non esset in specie verisimiliter concessurus.* Petschacher q. ultima, a. 1. §. 13. 7.

Inferes quartò. Effectum communicationis esse primò, quòd privilegium communicatum fiat æquè proprium illi, cui communicatur, quàm cui erat originariè concessum, ita ut illo quilibet independenter ab altero uti possit, & si fortè contingat, uni ipsorum privilegium restringi, vel omnino auferri, non ideo alteri sit restrictum, vel ablatum, sed is, cui fuit communicatum, illo secundùm statum, quem habebat tempore communicationis, uti possit: quia licèt privilegium communicatum in ipsa concessione & communicatione 8.

catione suam efficaciam obtineat juxta modum, limitationem, & restrictionem, quâ fuit originariè concessum, cùm sit privilegium adinstar, neque communicari possit, quod non præexistit: tamen in facto esse, & in conservari non ampliùs dependet à privilegio originariè concesso, unde tametsi integer Ordo extingueretur, qui privilegio originariè gaudebat; nihilominùs alius Ordo habens communicationem, nullum privilegii detrimentum pateretur.

§. III.

De Communicatione Privilegiorum inter Religiosos.

9. Dubitatur primò. An omnes Religiones Mendicantium & non Mendicantium communicent in privilegiis? hoc est, an, sicut Religioni conceditur privilegium, illud etiam aliis Religionibus censeatur concessum?

Respondeo primò. Probabile est, omnes Religiones etiam non mendicantes communicare in privilegiis. Ita Joannes de Cruce loc. cit. concl. 1. Salmantic. c. 1. de privileg. punct. 7. n. 90. Pellizar. cit. n. 41. Petrus ab Ang. in spec. privileg. disp. 2. sect. 1. Rodriq. to. 3. q. 10. a. 1. Tamburinus to. 1. disp. 17. q. 1. n. 12. Lezana to. 1. c. 3. n. 17. Miranda to. 2. q. 46. a. 5. quorum fundamentum est. Si Summi Pontifices variis Ordinibus Mendicantium dederunt communicationem privilegiorum, aliis Ordinibus tam Mendicantium, quàm non Mendicantium concessorum; ac rursus eandem communicationem tribuerunt Religiosis non mendicantibus, tunc rectè infertur, quòd omnes Religiones tam mendicantium, quàm non mendicantium acceperint ejusmodi communicationem privilegiorum: atqui Summi Pontifices ejusmodi communicationem tribuerunt, prout ostendunt præcitati AA. ex plurimis Bullis Summ. Pontificum, Ordinumque Bullariis, quæ videre est apud eosdem.

10. Dubitatur secundò. An Religiones habeant communicationem in privilegiis tantùm concessis, vel etiam in concedendis, quando Pontifex in concessione communicationis non facit specialem mentionem etiam de privilegiis futuris & concedendis?

Negativam tenent Basilius V. privileg. n. 11. Suar. c. 16. n. 8. Palao tract. 3. disp. 4. p. 2. §. 9. n. 7. Affirmativam non minùs probabiliter tuentur Emmanuel Rodriq. qq. reg. to. 3. q. 10. a. 1. Miranda to. 2. q. 46. a. 5. Hier. Garcia tract. 8. diff. 1. dub. 4. n. 3. Salmantic. cit. n. 98. Ratio est: Quælibet Religio communicat cum aliis Religionibus in privilegiis concessis: sed sunt plures Religiones quibus concessa est participatio & communicatio in privilegiis etiam concedendis, prout Leo X. concessit Dominicanis & Minoribus, Clemens VII. Carmelitis, Gregorius XIII. Cistercienfibus, Paulus V. Societati: ergo Religio communicans cum altera in privilegiis concessis, etiam communicat in concedendis.

11. Dubitatur tertiò. An privilegium uni Ordini vel Monasterio concessum, per communicationem extendatur ad totum Ordinem, vel alias Religiones? Affirmativam cum pluribus amplectitur Joannes de la Cruz l. 2. c. 4. conclus. 3. ex ea ratione, quia Clemens VIII. in Bulla 21. & 22., gratias & privilegia concessa Monasterio montis Serrati communicavit toti Ordini S. Benedicti, sicut de privilegiis concessis Monasterio Vallisoletano D. Ben. testantur Salmantic. citati n. 108. & de Monasteriis Minimorum, ac Prædicatorum affirmat præcitatus de la Cruz. Cùm igitur summi Pontifices Ordinibus præcipuè Mendicantium amplissimam facultatem tribuerint communicandi privilegia quibusvis Congregationibus, Societatibus, piisque locis concessa, videntur privilegia uni Monasterio concessa, ad integros, imò ad omnes SS. Ordines per communicationem extendenda.

Verùm, ut optimè advertunt Salmanticenses 12. loco citato, hæc sententia in tanta amplitudine accepta non potest subsistere, tanquam aliena à mente Summorum Pontiff. nimiopere exorbitans à jure communi, & parens multarum confusionum; quis enim credat, privilegia concessa alicui Conventui in partibus Infidelium propter inopiam SS. ministrorum, etiam concessa aliis Provinciis inter medios fideles absque simili difficultate constitutis, aut privilegia & indulgentias concessas alicui monasterio propter aliquam celebrem peregrinationem, corpus alicujus Sancti, miraculosam Imaginem &c. per communicationem extendendas esse ad alia monasteria, & pia loca, ubi ejusmodi motiva deficiunt?

Respondeo igitur. Privilegia & gratiæ uni 13. loco concessæ tunc per communicationem extenduntur etiam ad alia Monasteria, & Religiones, quando motivum concedendi est idem, simile vel æquivalens in omnibus, ut titulus Religionis, doctrinæ &c., secus si motivum sit alicui loco singulare, & quasi personale. Suarez de leg. l. 8. c. 28. Lezana to. 2. c. 1. n. 52. Salmantic. cit. n. 115. Secunda pars liquet ex difficultatibus primùm numero præcedenti oppositis. Prior pars assertionis infertur ex amplissima concessione communicationis facta per Summ. Pontiff. & num. 11. exposita, quæ sub modò dicta limitatione sufficientem sortitur effectum.

§. IV.

Corollaria.

Colliges primò: Privilegia concessa Generali Præsidenti, Abbati, Provinciali, Confessariis, Concionatoribus, Doctoribus, Lectoribus unius Ordinis censeri communicata Generali, Abbati, &c. alterius Ordinis, supposito, quòd propter superioritatem, aut ministerium conceduntur, quod & aliis Ordinibus est commune. Similiter Indulgentiæ concessæ uni Religioni pro festis sui Ordinis, censentur communicatæ aliis Religionibus pro suis festis & Patronis, non obstante, quòd plurium Sanctorum festa in uno, quàm in alio ordine celebrentur, sic declaravit & concessit Ordini Prædicatorum Jul. 2. Bull. 18. & Sixtus IV. Bull. 33. apud de la Cruz citatum n. 2. 14.

Colliges secundò. Privilegia Prælatis concessa non communicari inferioribus; e g. quæ dantur Provinciali non censentur communicata Priori, 15.

Priori, quæ Priori, non sunt communicata Conventuali, quia superioritas, propter quam concessa fuisse suppono, non reperitur in inferioribus: Unde nec privilegia concessa Abbati Cassinensi, tanquam Patri & Abbati Abbatum, ob singularem & characteristicam proprietatem ipsi soli competentem, ad alios Abbates extendi possunt. Privilegia tamen Religiosis in commune concessa, etiam concessa sunt Superioribus; neque enim per prælationem desinunt esse Religiosi, sed in favorabilibus cum subditis Religiosis participant.

16. Colliges tertiò. Privilegia alicujus Religionis statui, statutis, legibusque adversantia illi non communicari: nam prout opponuntur regulis & legibus, sunt odiosa & restringi debent, & quod in favorem conceditur, non debet detorqueri in odium; neque potest præsumi de universali Pastore, quòd intendat regularem observantiam relaxare. Pellizar. cum communi. Et ita licèt Mendicantes per communicationem habeant privilegia non Mendicantium, non tamen possunt celebrare Divina in Pontificalibus, quia hoc repugnat ipsorum statui, sicuti nec privilegia Ordinibus Militaribus concessa aliis Religiosis communicantur.

17. Colliges quartò. Non esse locum communicationi in privilegiis, quæ dantur alicui Ordini contra jus tertii: quia per generalem concessionem sine clausulis derogantibus non censetur Princeps derogare velle alterius juri quæsito. Unde licèt Dominicani habeant privilegium non solvendi quartam funeralem, non sequitur, quòd alii Religiosi per communicationem gaudeant eodem privilegio, quia est contra jus Ecclesiarum parochialium, pro qua sententia duas declarationes Cardinalium allegat Barbosa. de offic. & potest. P. c. 25. n. 9.

18. Colliges quintò. Sub communicatione privilegiorum non comprehendi illas gratias, quæ per Brevia particularia præcedente examine & decreto alicujus Congregationis alicui monasterio, vel Religioni conceduntur; quia computantur inter illa, quæ rarò & difficulter conceduntur, sapiuntque propterea naturam singularium gratiarum: qualis est facultas celebrandi de aliquo Sancto, reducendi numerum Missarum, alienandi bona, &c. Ita Lezana to. 3. V. Missa n. 51. Petrus ab Ang. disp. 2. sect. 2. n. 17. aliique.

19. Colliges sextò. Illam restrictionem, quâ Gregorius XIII. voluit, ne Religiosi Societatis Jesu suis, aut aliorum communicatis privilegiis uterentur, nisi in quantum sunt ab ipsorum Generali communicata, non obesse aliis Religionibus, quin communicatis privilegiis Soc. Jesu etiam independenter à suo Generali uti possint: quia illa restrictio non est privilegii, sed usûs, in quo voluit S. Pontif. Religiosos Societatis à suo Generali dependere, eò quòd hoc sit proprium statui Societatis, ut tota ipsius gubernatio à primo Capite dependeat. Unde in Bulla dicitur: *propter instituti ipsius ab aliis Religionibus diversitatem.* Quæ ratio cùm non militet in aliis Religionibus, & aliàs non onera & odia, sed favores communicentur, non est ratio, cur ejusmodi restrictio ad alios Ordines extendi debeat. Ita Palao tract. 3. disp. 4. p. 2. §. 9. n. 4. cum Pellizar. Rodriq. aliisque plurimis.

ARTICULUS V.

De causa efficiente & subjectiva privilegiorum.

SUMMARIA.

1. *Legislator est causa efficiens privilegii.*
2. *Confertur subditis & non subditis.*
3. *Desertores Religionum & expulsi privantur privilegiis.*
4. *Illimitato privilegio licet uti ubique.*
5. *Item si nulli juri adversetur.*
6. *Item tametsi adversetur juri communi.*
7. *Non licet uti privilegio contra leges municipales, quibus etiam peregrini ligantur.*
8. *Licet uti privilegio contra pariter privilegiatum.*
9. *Regulæ in privilegiis inæqualibus observandæ.*
10. *Exponitur axioma juris: Privilegiatus non gaudet privilegio contra pariter privilegiatum.*
11. *Quandonam sufficiat privilegium à superiore Principe contra præceptum Principis inferioris particulare.*

§. I.

A quo, & cui privilegium concedi possit?

1. Quæres primò. Quis possit privilegium concedere? Respondeo. Privilegium concedere potest solus Legislator. Nam vel privilegium est contra jus, adeòque includit dispensationem & derogationem legis: & hoc clarum est soli Legislatori competere, aut est præter jus commune, vel municipale, & tunc saltem obligat subditos, ne privilegiatum impediant in usu sui privilegii, quem esse indirectum effectum privilegii initio dictum est: sed etiam istud nemo potest nisi Legislator. Atque ita docent Suarez l. 8. c. 8. n. 1. Salas disp. 17. sect. 3. Palao tract. 3. disp. 4. p. 4. n. 1. Potest igitur Pontifex & Imperator concedere privilegium derogans juri communi, Episcopus legi Diœcesanæ: omnes tamen in materia sibi subjecta, in qua subditos obligare possunt.

Quæres secundò. Cuinam possit concedi privilegium? Respondeo, si privilegium est dispensativum legis, tunc solùm confertur subditis, ut patet ex dictis, soli quippe subditi lege stringuntur. Si privilegium est purè concessivum favoris, etiam conferri potest non subditis: non enim privilegiatus obligatur ad usum sui privilegii, sed illud accipit per modum liberæ donationis, & sic Princeps potest forensibus concedere facul-

tatem

tatem è suo regno extrahendi arma, frumentum, merces, quas alioquin subditis extra provinciam vendere non liceret. Ita Palao loc. cit. aliique.

3. Quæres tertiò: Quibus personis usus privilegiorum alicui S. Ordini concessorum sit interdictus? Respondeo. Privantur usu privilegiorum S. Ordini concessorum apostatæ, & desertores Religionis, qui habitum dimittunt prætextu Professionis nulliter emissæ: nec non, qui ex Ordine legitimè sunt ejecti. Prior pars constat ex Tridentino Sess. 25. de Regular. c. 19. sic statuente. *Quòd si antea habitum spontè dimiserit, tanquam apostata puniatur; interim verò nullo privilegio suæ Religionis utatur.*

Altera pars, quam cum Suare & Pellizario tradit Reding l. cit. controv. 49., ex eo probatur; quòd ejusmodi ejecti nullis renentur ampliùs observantiis regularibus: adeòque nec frui debeant commodis & privilegiis Religionis, cùm juxta vulgatam Juris regulam, non sentiens onus neque commodum sentire, debeat: Sic neque Clericus ab ordine Clericali depositus, ampliùs gaudet privilegio fori, vel Canonis.

§. II.

Quomodo aliquis privilegio uti possit aut debeat?

4. Quæres quartò. An quis possit uti privilegio extra territorium concedentis?

Certum est primò. Posse te uti privilegio illimitatè concesso, in omni loco contento sub territorio concedentis; uti econtrà non potes in omni eo loco uti, si privilegii concessio limitetur ad determinatum locum: quia potestas utendi privilegio pendet à voluntate & intentione privilegiantis; unde si illa nihil limitet, poteris uti illimitatè; si quid limitet, debebis uti limitatè.

5. Certum est secundò. Si privilegii usus neque juri communi, neque particulari alicujus loci adversetur, posse te ubique locorum illo liberè uti: nam sicut privilegium concessum absque determinatione temporis est perpetuum, ita & concessum absque determinatione loci deservit pro omni loco: neque sequitur locum, sed personam, si sit personale; vel qualitatem personæ, si sit reale: ideo dispensatus ab Episcopo à jejunio, abstinentia carnium, irregularitate, &c. ubivis locorum potest uti suo privilegio.

6. Certum est tertiò. Si privilegium sit contra jus commune, licitum esse ipsius usum extra territorium concedentis, quia jus commune non est magìs uni, quàm alteri loco affixum. Unde simpliciter solutus à vinculo juris communis, solutus est pro omni loco. His suppositis ad quæsitum

7. Respondeo. Si privilegium adversetur legibus municipalibus & particularibus locorum, quibus etiam peregrini & forenses adstringuntur [quales dari suppono ex priùs dictis in Tractatu de LL.] non potes illo uti in tali loco extra territorium concedentis; quia concessor privilegii vel non voluit per generalem illius concessionem, vel si sit Legislator inferior, aut æqualis conditionis cum Principe loci, non potuit te absolvere à jurisdictione Principis aut Magistratûs illius loci, per quem transis. Unde tametsi generali concessione à Principe tuo habeas privilegium gestandi arma, si tamen venias ad locum, ubi speciali lege propter bonum commune vetitum est gestare, vel inferre arma, teneberis abstinere ab armis, uti fit in Universitate Lovaniensi, & nostra Juvaviensi. Si verò leges municipales & particulares tuo privilegio contrariæ sint ejus conditionis, ut illis peregrini transeuntes non stringantur [ut itidem suppono ex dictis in hoc Tractatu de LL.] poteris uti privilegio, si absit scandalum, quia tunc non es subjectus jurisdictioni illius loci, quà transis. Ita Magnif. P. Petschacher cit. a. 5.

Quæres quintò: An liceat uti privilegio adversùs alium æqualiter privilegiatum? 8.

Nota. Concursum privilegiatorum contingere aliquando in privilegiis æqualibus: uti si duo monasteria habeant jus non solvendi decimas; aliquando in privilegiis oppositis, ut si habeas privilegium ab omnibus in tuo territorio existentibus accipiendi decimas; alius verò habeat privilegium nullas decimas solvendi. Quo posito

Respondeo primò: Licet uti privilegio adversùs alium æqualiter privilegiatum. Suarez citat. c. 23. n. 3. Palao loc. cit. Pelliz. n. 78. Reding controv. 4. n. 13. & desumitur ex *L. ult. ff. ex quibus causis majores.* Ratio est, quia cùm privilegia sint æqualia, non est major ratio, cur unus utatur suo privilegio, quàm alius. Ideo si duo Monasteria vicina habeant privilegium non solvendi decimas, neutrum poterit ab altero decimas exigere. Et Clericus tenetur servare privilegium Canonis respectu alterius Clerici.

Respondeo secundò. In privilegiis inæqualibus aut oppositis sequentes regulæ ex Pellizario n. 78. observari possunt. *Primò*: in privilegiis imparibus majus præfertur minori. Secundò dupliciter privilegiatus præfertur simpliciter privilegiato. Tertiò: quando ex una parte agitur de damno vitando; ex altera parte de lucro acquirendo, præferendus est, qui agit de damno vitando. Quartò: Habens privilegium speciale, præfertur habenti privilegium generale; quia generi derogatur per speciem ex *R. I.* 34. ita *Petrus* habens privilegium speciale non solvendi decimas, præfertur Joanni habenti privilegium generale exigendi decimas. Quintò: *Privilegium*, cui assistit jus commune, præfertur alteri non habenti assistentiam juris; juxta Covarr. pract. qq. c. 7. §. 6. Sextò: Antiquius privilegium prævalet recentiori, quia *Princeps* non censetur velle alterius juri quæsito derogare, nisi exprimat. Unde sicui Monasterio competat privilegium, ne qua fabrica intra mille passus ædificetur, & aliud monasterium habeat privilegium intra totidem passus ædificandi, attendendum est, quodnam ex his privilegiis sit antiquius; & ab antiquiori standum. 9.

Oppones vulgatum axioma Juris: *Privilegiatus non gaudet privilegio adversùs pariter privilegiatum*: ergo in concursu duorum privilegiorum non datur usus privilegii contra pariter privilegiatum. Respondeo cum Magnif. *P. Petschacher* loc. cit. illud axioma intelligendum esse, 10.

esse, quòd privilegiatus non gaudeat privilegio contra fortiùs privilegiatum: quia, ut advertit Palao n. 3. fortius privilegium subintelligitur exceptum in opposito debiliori; unde nec propriè sunt opposita.

11. Quæres sextò. An, ut possis agere contra particulare præceptum alicujus loci, sufficiat ut habeas privilegium dispensationis à Principe superiore, vel supremo? v. g. an, ut excuseris à particulari jejunio Diœcesano ab Episcopo indicto, aut introducto, sufficiat privilegium simpliciter non jejunandi, impetratum à Summo Pontifice? Videri potest, quòd non; quia ut antecedenter dictum, non præsumitur per generalem privilegii concessionem voluisse supremus Princeps derogare legi particulari, nisi exprimat. Nihilominus censeo cum Salmanticensibus, & Salas de Leg. disp. 17. sect. 10. n. 56: Habentem à summo Pontifice privilegium absolutum non jejunandi, etiam non teneri ad jejunia diœcesana; quia non præsumitur in ejusmodi præcepto Episcopus voluisse fortiorem obligationem inducere, quàm sit illa, quæ ab ipsis Apostolis est derivata & accepta: sed præceptum non jejunandi in Quadragesima, & feriis sextis est ab ipsis Apostolis acceptum & derivatum: ergo cùm per absolutum privilegium non jejunandi aliquis à tam urgenti & sacra obligatione sit solutus, meritò etiam ab Episcopali lege absolutus à fortiori censebitur.

Ad rationem dubitandi respondent Salmantic. Non præsumi, quòd in generali concessione dispensetur in lege vel præcepto particulari, quando materia præcepti particularis non frequenter solet cadere sub jure communi: atqui materia jejunii majori ex parte cadit sub jure communi, & quidem sub fortiori & sacratiori obligatione: adeòque factâ dispensatione circa materiam jejunii absolutè, circa jejunium quadragesimale, Vigiliarum, 4. temporum, &c. censebitur etiam facta circa jejunium particulare, nisi fortè tale jejunium in casu extraordinario & causâ publici boni, avertendæ calamitatis, &c. sit introductum; ad quem casum mens Sum. Pontificis sese extendere utique non præsumitur.

DISPUTATIO XXXVIII.

DE Cessatione privilegiorum.

PRivilegia variis modis cessare & amitti possunt, quorum aliqui considerantur ex parte ipsius privilegii, ut est tempus, conditio, & causa finalis ipsius: alii ex parte concedentis, ut est mors, & revocatio concedentis: alii ex parte privilegiati, quales sunt, non usus, abusus, renuntiatio. Nunc de singulis agendum.

ARTICULUS I.

De modis, quibus cessant privilegia ex parte ipsius privilegii.

SUMMARIA.

1. *Privilegium exspirat post præscriptum temporis terminum.*
2. *Privilegium in materia favorabili non finitur unico actu.*
3. *Finitur in materia odiosa.*
4. *Privilegium conditionatum cessat ablatâ conditione.*
5. *Deficiente causâ finali ante privilegium integrè concessum, cessat privilegium.*
6. *Sufficit causam existere tempore concessionis, quando solo concedentis actu perficitur.*
7. *Cessat privilegium, cùm ipsius usus fit illicitus.*
8. *Cùm privilegium in executione pendet à mandatario, causa debet existere etiam tempore executionis.*
9. *Suspenditur privilegium cessante causâ, quæ habet aliquem temporis tractum.*
10. *Nisi cùm causa ex sua natura stabiliter inhæret.*

§. I.

Lapsus temporis.

1. CUm privilegium dependeat ab intentione & voluntate concedentis, certum est, exspirare privilegium, quando ex verbis ipsius sufficienter colligitur, illud pro determinato tempore, quod nunc præteriit, fuisse concessum. Igitur

Quæritur primò. An privilegium sine clausula ad certum tempus limitante concessum (quales sunt, *pro hac vice*, *semel in vita*, *in anno*, *in mortis articulo*, &c.) lapsu temporis vel unico actu exspiret?

Respondeo primò. Privilegium absolutè concessum non finitur unico actu in materia favorabili, nisi ex circumstantiis & materia subjecta aliud inferatur, quia est favor Principis, qui amplam exigit interpretationem, & comparatur liberali donationi, quæ suâpte naturâ perennat. 2.
Ideo dispensatus ad obtinendum beneficium, potest uno dimisso aliud acquirere: dispensatus in voto castitatis potest mortuâ conjuge aliam ducere, dispensatus in recitatione Breviarii, in jejunio &c. semper potest uti dispensatione &c.

Dixi primò: *in materia favorabili:* nam excipiuntur dispensationes in materiis odiosis, quæ 3.
restringuntur ad unum & primum actum, ut tradit Felinus in *c. 1. de treuga & pace.* Unde securitas

ritas veniendi bannito data intelligenda est pro prima vice ex Bartol. in *l. 1. ff. ad Legem Jul.* Dispensatio ad duo beneficia curata intelligitur de duobus primis. ex *c. nam potest.* §. 1. *de prabend. in 6.*

Dixi secundò: *nisi ex circumstantiis*, &c. nam aliquando datur dispensatio pro uno solùm actu, ut si quis petierit dispensationem in voto castitatis ad contrahendum matrimonium cum fœmina à se deflorata, illâ mortuâ non potest aliam ducere; siquidem illa determinata persona pertinet ad causam finalem privilegii. Item, dispensatus ad contrahendum cum consanguinea, tantùm censetur dispensatus pro una.

4. Respondeo secundò. Privilegium conditionatè concessum, sublatâ conditione cessat: quia hæc est natura omnis concessionis, gratiæ, donationis, obligationis. Ubi tamen advertas velim, conditionem triplici modo habere se posse. Primò ex parte ipsius concessionis, ut si Princeps dicat: *Concedo tibi privilegium, si Episcopus consentiat*: quo modo privilegium à conditione & consensu Episcopi dependet in fieri, non autem in conservari: unde si Episcopus primitùs non consentiat, nullum erit privilegium: si verò consenserit, perennabit privilegium, etiamsi Episcopus ex postfacto dissentiat. Secundò ex parte ipsius privilegii, ut si dicat: *Concedo tibi privilegium, quamdiu Episcopus consenserit*, quo casu privilegium dependet à conditione tam in fieri, quàm in conservari: ita ut, quandocunque Episcopus dissenserit, etiam privilegium exspiret. Tertiò conditio potest pertinere ad solum usum privilegii, uti si Pontifex dicat: *Concedo tibi facultatem sub mytra celebrandi, consentiente Episcopo*: vel *quoties Episcopus consenserit*: & tunc deficiente conditione non deficit privilegium quoad substantiam, sed tantùm quoad usum & exercitium, qui usus suspenditur, quousque conditio & consensus reparetur. Salmantic. tr. 18. c. 2. n. 4.

§. II.

Quando cessante causâ finali cesset privilegium?

5. Sermo est non de causa quacunque impulsiva, sed de causa finali & motiva, quâ Princeps movetur ad tribuendum privilegium. Ubi

Certum est primò apud DD. si, antequam privilegium integrè sit concessum, totaliter cesset causa finalis, privilegium non subsistere: actus enim non operantur ultra intentionem agentium: cùm igitur privilegiantis vel dispensantis intentio sit dare privilegium propter hanc determinatam causam, si illa deficiat, etiam deficit intentio, & consequenter concessio privilegii.

6. Certum est secundò. Si privilegium vel dispensatio perficiatur, & sortiatur effectum solo actu concedentis, ita, ut nullum habeat, aut requirat successivum tractum temporis, sufficere, quòd causa existat tempore ipsius concessionis, uti fit, cùm Summ. Pontifex dispensat in voto, excommunicatione, irregularitate, &c. Unde tametsi ex postfacto mutetur rerum status, non tamen redit obligatio voti, irregularitas, excommunicatio, &c. prout docet Menoch. l. 4. de præsumpt. 189. n. 197. cum Suarez, Sanchez, Palao, & communi, conformiter ad regulam Juris in 6: *Factum legitimè, retractari non debere, licèt casus postea eveniat, quo non potuerit inchoari.*

Certum est tertiò. Quandocunque per cessationem causæ finalis, aut mutationem circumstantiarum usus privilegii fit illicitus, toties usum privilegii amitti vel suspendi, donec iterum fiat licitus: quia non potest dari privilegium ad illicitum. 7.

Quæritur ergo primò. An, si privilegium, vel dispensatio ex sola Principis voluntate non integrum sortiatur effectum, sed pendeat ab executione, Ordinario aut Confessario commissa, sufficiat causam extitisse, quando privilegium vel dispensatio fuit impetrata, quantumvis tempore executionis non ampliùs existat? Respondeo. In hoc casu probabiliùs requiritur ad valorem privilegii, ut causa existat, non solùm quando conceditur, & v. g. Romæ dispensatio ad matrimonium contrahendum impetratur, sed etiam quando expeditur à Confessario, vel Ordinario: quia ante executionem nondum est propriè dispensatio, sed mandatum dispensandi: atqui mandatum cessat, cessante causâ finali ex *c. si pauper. de præbend. in 6.* Major colligitur ex ipsis verbi indulti, quæ ita poni solent: *Si preces veritati nitantur, cum illo dispenses.* Ita Covarr. 4. Decret. 2. p. c. 6. §. 9 Sanch. l. 8. disp. 30. n. 12. Palao p. 15 n. 2. Reding n. 12. aliique. 8.

Quæres secundò. An cessante causâ cesset privilegium, quando usus & causa privilegii requirunt successivum temporis tractum? 9.

Notandum. Materiam privilegii, vel dispensationis aliquando esse individuam, quæ nullum requirit tractum temporis, ut si dispensetur ad contrahendum matrimonium propter legitimationem prolis; aliquando verò esse dividuam, h. e. quòd causa & usus privilegii non simul existat, sed secundùm diversas & successivas partes temporis, ut si dispensetur in recitatione Breviarii propter nimias occupationes, in observantia jejunii propter periculum infirmitatis; tam causæ dispensandi, quæ sunt nimiæ occupationes, & periculum infirmitatis, quàm materia nempe recitatio Breviarii, observatio jejunii, successionem plurium dierum, hebdomadarum, mensium, &c. admittunt. Quo posito

Respondeo. Privilegium aut dispensatio ex causa, & in materia dividua, quæ non integrè existit tempore concessionis, regulariter cessat, vel suspenditur, cessante causâ: unde dispensatus in jejunio propter periculum infirmitatis, cessante illo periculo tenetur ad jejunandum, donec illud periculum redeat. Et ratio est: quia Princeps non præsumitur largiùs indulgere privilegium, nisi quantùm est necessarium ad obtinendum finem propter quem petitur: sed fine cessante non est ampliùs necessarium privilegium ad illum finem, uti patet ex terminis. Sed neque ad dispensandum in jejunio pro hoc mense movetur Princeps à morbo dubio alterius sequentis, sed hujus mensis præsentis, unde si sequenti mense cesset periculum morbi, ad illum mensem intentio dispensantis non extenditur. Ita Palao cit. n. 6. Reding n. 11.

Dixi,

10. Dixi, *regulariter*: nam si causa concedendi privilegium, per se loquendo radicatur in communi hominum conditione, aut ex ejus suspensione nasci potest incommodum moraliter æquale illi, quod per privilegium evitari intenditur, tunc privilegium non cessat, cessante causâ, tametsi illa tractum temporis admittat: ideo cessante periculo & tentatione incontinentiæ, non tamen cessat dispensatio obtenta ad matrimonium contrahendum propter periculum incontinentiæ; quia periculum per se loquendo est stabile, ejusque cessatio per accidens evenit. Dispensans autem censetur intentionem suam conformare causæ stabili, & juxta statum, quem per se loquendo & in pluribus obtinere solet. Ita cum Haunoldo Magnif. P. Petschacher a. 7. §. 2.

ARTICULUS II.

De modis, quibus cessant privilegia ex parte concedentis.

SUMMARIA.

1. *Gratia dividitur in factam & faciendam.*
2. *Gratia tota consistens in concessionis actu, est facta.*
3. *Item gratia consistens in concessione facultatis in favorem tertii indeterminatè.*
4. *Si determinatè, est gratia facienda.*
5. *Gratia facta illimitatè non exspirat morte concedentis; exspirat facta limitatè.*
6. *Sententia opposita probabiliter defenditur.*
7. *Gratia directè data privilegiato est gratia facta, etsi requirat cooperationem delegati.*
8. *Ad gratiam factam non requiritur acceptatio.*
9. *Privilegium cum clausula* ad beneplacitum, *probabiliter exspirat morte concedentis.*
10. *Pariformiter sentiendum de exspiratione privilegii per mortem, & cessationem jurisdictionis.*
11. *Privilegium concessum ad annum non exspirat per mortem privilegiantis intra annum.*
12. *Privilegium gratuitò delegativum alicujus actûs revocari potest sine causa validè, sed non licitè.*
13. *Privilegium concessivum alicujus juris, vel dominii sine causa validè non revocatur.*
14. *Privilegium onerosum & remunerativum sine causa validè non revocantur.*
15. *Dispensationes ad contrahendum matrimonium in gradibus prohibitis ad revocationem requirunt causam & compensationem.*
16. *Inferior sine causa invalidè revocat dispensationem in lege Superioris.*
17. *Nec potest Superior validè revocare privilegium ab inferiori concessum.*
18. *Ad expressam revocationem absolutè sufficit clausula generalis.*
19. *Variæ exceptiones.*
20. *Revocatio privilegii requirit publicationem.*

§. I.

Quomodo cessent privilegia per mortem privilegiantis?

1. NOtandum. Privilegium seu gratiam, distingui in *factam*, hoc est, completam, & in *faciendam* hoc est inchoatam, sed nondum completam; Item aliam esse gratiam, quæ illum solum concernit, cui confertur; aliam esse, quæ etiam concernit tertium, in cujus favorem confertur. Primi generis est, v. g. dispensatio alicui facta in jejunio, voto, eligendo Confessario &c. Secundi generis concessio facultatis ad alium dispensandum, absolvendum, &c.

Quæres igitur primò. Quandonam censeri debeat gratia facta, vel facienda? Respondeo primò. Gratia privilegii tota consistens in prima concessione, ut est dispensatio in voto, in lege jejunii &c. & non in concessione alicujus facultatis, neque cum respectu ad tertium est gratia facta. Ita communis DD. apud Suarez l. 8. c. 31. Laymann l. 1. trac 4. c. 23. aliosque. 2.

Respondeo secundò. Gratia privilegii consistens in concessione facultatis exercendæ in favorem tertii indefinitè, & sine determinatione certæ personæ, est gratia facta. Ita pariter communis DD. in *c. si cui de præbendis in 6.* Et ratio est; quando alicui conceditur, & delegatur facultas, ut illâ liberè uti possit erga quemcunque voluerit, gratia primariò fit ipsi delegato, adeòque est gratia facta; sed ita se res habet in præsenti: ergo est gratia facta. 3.

Respondeo tertiò. Ex opposito, si facultas delegata sit in favorem determinatæ & nominatæ personæ, sive sit liberè, sive necessariò, & cum obligatione exercenda, non est gratia facta, sed facienda. Ratio est: quòd tunc favor non fiat ipsi delegato, sed determinatæ & designatæ personæ, respectu cujus primùm debet in actum reduci, & ita colligitur ex *cap. si cui* citat. & mox referendo. 4.

Quæres secundò. Quænam ex his gratiis seu privilegiis exspiret morte concedentis? 5.

Respondeo. Privilegium & gratia jam facta illimitatè, non exspirat morte concedentis, tametsi res sit integra: exspirat verò gratia facienda, si res sit integra, hoc est, si gratia nondum sit in exercitium deducta, vel applicata tertiæ personæ. Ita Suar. Haunold, Petschacher, aliique.

Prima pars habetur in *c. si super gratia. de offic. & pot. Jud. delegati. in 6* ibi, *sicut ipsa gratia* (*licèt nondum sit in ejus executione processum*) *morte non perimitur concedentis.* Utraque verò pars habetur expressa in *c. si cui de præbend. in 6.* ita habente: *Si cui* [*nullâ factâ personarum expressione*] *sit gratiose concessa facultas, ut authoritate Apostolicâ possit aliquibus personis idoneis in certa Ecclesia providere, vel beneficia* [*quorum collatio est ad sedem Apostolicam legitimè devoluta*] *conferre* &c. *non exspirat etiam re integrâ per obitum concedentis.* Causa additur: quia *hujusmodi concessionem, cùm specialem gratiam contineat, decet esse mansuram.* Subjungitur: *Secus si super provisione certa persona facienda sit data potestas eidem,*

dem, non ob suam, sed ejus, cui provideri mandatur, gratiam, vel favorem: illa quidem exspirat omnino, si concedens re integrâ moriatur.

6. Nihilominus Sanchez de matrim. l. 8. d. 8. n. 80. & Palao p. 16. §. 4. n. 6. satis probabile censent, quamlibet facultatem datam alicui ad effectum causandum in alio, esse gratiam factam illi, cui data est talis facultas, licèt speciali intentione ad alium referatur: ideoque non perire morte concedentis, exceptâ materiâ beneficiorum, de qua exponunt *cap. sicut nulla*, præallegatum, & fori contentiosi, de qua agitur *l. inter causas 26. ff. mandati. c. gratum. c. relatum de offic. deleg.* quam sententiam in foro pœnitentiæ amplectuntur Suarez, & Haunoldus cum aliis, ita ut facultas absolvendi concessa, sive dirigatur ad Confessarium, sive ad determinatum pœnitentem, semper habenda sit pro gratia facta, propter favorem judicii pœnitentialis, quod magis est gratiæ, quàm justitiæ.

7. Inferes ex dictis primò. Privilegium, quo per verba directè alloquentia privilegiato conceditur aliquis favor, esse gratiam factam, non faciendam, nec proinde exspirare morte concedentis, quantumvis ipsius executio sine alterius delegati cooperatione obtineri non possit: ut si privilegium dicat: *Concedimus tibi facultatem suscipiendi Ordines à quocunque, vel ab hoc determinato Episcopo, eligendi Confessarium* &c. quia tunc facultas non directè fertur ad delegatum, qui se habet per modum accessorii; sed ad privilegiatum, in quo cùm concedens suam gratiam velit esse firmam, & factam, ex consequenti vult etiam esse talem in delegato, prout expressum videtur in cit. *c. si super gratia. de off. deleg. in 6.* & tenent præter Palao cit. Suarez, Haunoldus, Petschacher, q. ult. a. 7. §. 3. aliique.

8. Quæres tertiò. Utrùm requiratur acceptatio privilegiati, ad hoc, ut censeatur gratia facta, quæ morte privilegiantis non exspiret?

Respondeo cum communi negativè: nam gratiam absolutè factam decet esse mansuram, neque exspirat illa morte concedentis ex *c. si super gratia.* cit. & habet se instar donationis, quæ tametsi ante acceptationem revocari possit, non tamen abrumpitur morte donantis: ideo & privilegium absolutè concessum etiam post mortem privilegiantis acceptari potest. Ita AA. citati.

9. Quæres quartò. An privilegium concessum cum clausula *ad beneplacitum meum*, vel, *quamdiu voluero*, exspiret morte concedentis?

Respondeo, probabiliùs exspirare: quia per mortem desinit omnis voluntas & beneplacitum, à quo tamen tale privilegium dependet in conservari. Ita communior, quam tenet Palao §. 5. n. 4. qui tamen etiam oppositam censet esse probabilem, eò quòd istæ clausulæ, interpretatione per usum & consuetudinem Ordinariorum approbatâ videantur æquivalere huic, *donec revocavero, vel aliter ordinavero*: privilegia autem & gratiæ sub hac clausula collatæ, uti cùm Ordinarii tribuunt Religiosis facultatem Sacramenta administrandi, non exspirant morte concedentis.

10. Inferes ex dictis primò. Quemadmodum privilegia & gratiæ exspirant morte concedentis; ita pariter exspirare finitâ jurisdictione concedentis, prout colligitur ex præcitatis Canon. *si super gratia*, &, *si cui nulla*, quia quo modo privilegia dependent in fieri & conservari à voluntate & vita, ita à jurisdictione concedentis.

Inferes secundò. Si gratia privilegii fuerit concessa ad tempus limitatum, v. g. ad annum, non propterea exspirare, si concedens intra illum annum moriatur: nam illâ limitatio non facit, quòd gratia potiùs sit facienda, quàm facta; unde si aliunde non evincatur, quòd gratia sit facienda, habebit suum effectum intra illius temporis limitationem non obstante morte concedentis. Ita Palao citatus. 11.

§. II.

Quomodo cessent privilegia per revocationem?

PRivilegium hoc loco sub triplici differentia considerari potest: primò potest esse purè gratuitum instar liberalis donationis; secundò onerosum, quando nimirum datur sub onere alicujus actûs præstandi, vel pecuniæ solvendæ. Tertiò remuneratorium, cùm datur in præmium meritorum à privilegiario præstitorum.

Quæres igitur primò: An privilegium gratuitum sine rationabili causa à Principe revocari possit? 12.

Respondeo primò. Si per privilegium tantummodo confirmatur alicujus actûs delegatio sine translatione alicujus juris, aut dominii, tunc revocari posse validè, sed non licitè: validè, quia tale privilegium habetur tanquam precariò concessum, ideoque revocationi obnoxium: non licitè, quia sine rationabili causa mutare voluntatem, & alium privare commodo, ad minùs est actus otiosus, imprudens, occasio murmurationum, ab animi levitate procedens: ergo saltem erit actus venialiter malus.

Respondeo secundò. Si per privilegium alteri jus, aut dominium acquiritur, non potest à Principe validè revocari sine causa. Ita Felinus *in c. novit. de judic.* Sanch. l. 8. de matrim. disp. 33. n. 2. quia Princeps non nisi ex dominio alto potest subditos privare re suâ: sed actus dominii alti ad sui valorem requirit causam publicæ utilitatis; ergo. 13.

Quæres secundò. Possitne validè revocari sine causa privilegium onerosum, aut remuneratorium? Respondeo ad utrumque probabiliter negativè. Et quidem ratio primi est; quòd Princeps teneatur servare pacta, etiam facta cum subditis: sed in privilegio oneroso includitur pactum: ergo nisi publicæ utilitatis ratio aliud suadeat, Princeps illi privilegio stare tenetur, uti tradunt Suarez c. 37. n. 5. Palao p. 11. §. 2. cum plurimis ibidem relatis. Ratio secundi est, quia privilegium remuneratorium aut datur ex justitia, aut ex gratitudine; si ex justitia, parit in privilegiato jus rigorosum, & ad sui mutationem non tantùm causam, sed etiam compensationem requirit, prout sentiunt DD. communiter. Si ex gratitudine, tunc etiam privilegium transit in contractum, eò quòd propter privilegium privilegiatus cedat prætensione suorum meritorum, quæ est pretio æstimabilis, prout tradit Palao lo- 14.

de transact.] est status Clericalis, seu Clericatus; hâc quippe deputantur in *sortem Domini*, unde Clerico nomen in *c.* 1. *dist.* 21. Si per deputationem, puta indumentum habitûs religiosi & receptionem solemnis Professionis, est Monachatus, seu status Regularis & Religiosus: Omnes quippe Regulares sub hoc nomine comprehenduntur. Unde patet, omnem quidem Clericum, vel Regularem esse personam Ecclesiasticam, non autem omnem personam Ecclesiasticam, esse Clericalem, cùm detur bona illatio à specie ad genus, non item à genere ad speciem.

4. Cæterùm dixi in definitione statûs Ecclesiastici, *per Ecclesiasticum Ministrum.* Cùm enim nemo det, quod non habet, nemo etiam potest in statu Ecclesiastico quempiam collocare, qui non ipse sit in eodem gradu constitutus: ut est Episcopus respectu Clericorum ordinandorum, & Superior Regularis respectu statûs Regularis.

5. Ex quo intelliges primò; Eremitas, qui de licentia Episcopi, vel Superioris Regularis ejus Ordinis gestant habitum Religiosum, & sub ejus obedientia à sæcularibus curis segregati vitæ solitariæ exercitiis vacant, esse personas Ecclesiasticas contentas nomine Monachorum, eorumque privilegiis gaudere; non autem illos, qui absque Superioris Ecclesiastici Authoritate proprio libitu ejusmodi habitum gestant, vitamque exercent, uti cum Navarro docet Engel l. 5. tit. 39. n. 130. Bordonus de privileg. Cler. c. 1. n. 31.

6. Intelliges secundò, Inter personas Ecclesiasticas computari Ordines militares, quippe Ecclesiasticâ Authoritate deputatos ad DEO serviendum per impugnationem infidelium. Item Moniales, Oblatos, Novitios & Novitias ac Tertiarios Ordinis S. Francisci. Gordon. ibidem. n. 28.

7. Intelliges tertiò. Cùm agitur de privilegiis, nomine Clericorum venire omnes Religiosos utriusque sexûs, non tantùm Professos, sed etiam Novitios, ita ut dicta de privilegiis Clericorum etiam sint intelligenda de Religiosis, quantumvis in odiosis non veniant nomine Clericorum: favores quippe sunt ampliandi, odia restringenda. Ita omnes cum Navar. Layman, Diana.

§. II.

Origo statûs Ecclesiastici & privilegiorum Clericalium.

Status Ecclesiasticus tam quoad Clericatum, quàm Monachatum, in nova lege à Christo sumpsit originem; Clericatus quidem, nunquid enim ipse est institutus à Patre æterno *Sacerdos in æternum secundùm Ordinem Melchisedech*? Ps. 109. Monachatus verò; quia quamvis sine voto, tria tamen vota Religiosa obedientiæ, paupertatis, & virgineæ castitatis servavit usque ad mortem: cùmque utrumque statum non ab homine sed à DEO *Patre luminum acceperit, a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum.* Jac. 1. v. 17., uterque status est juris Divini. Ipse porrò ceu Summus Sacerdos & Episcopus Caputque Ecclesiæ, Apostolos, tanquam prima in statu Clericali membra instituit, ipsosque in Clericos, Sacerdotes, Episcopos ordinavit, atque ad Divina mysteria populis ministranda deputavit. Neque dubites, eosdem Apostolos etiam statum Religiosum sub Christo Capite fuisse professos, cùm dicerent: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Matth. 19. Ita enim sentit D. Thomas. 2 2 q. 88 a. 4 ad 3 dicens: *Apostoli autem intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quando relictis omnibus secuti sunt eum.* 8.

Duplex est præcipuè privilegium Clericorum: Canonis, & fori. Privilegium Canonis est, quo à jure Canonico seu Ecclesiastico cavetur Clericis, ne à quoquam injuriosè percutiantur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, reservatæ extra articulum mortis, in Concilio Lateranensi, celebrato sub Innocentio II. anno 1139. & refertur in *c. si quis.* 29. 17. *q.* 4. Ex quo pariter constat, hoc privilegium esse juris humani. Privilegium fori est, quo persona Ecclesiastica eximitur à sæculari jurisdictione; tam in civilibus, quàm criminalibus, simulque ab omnibus oneribus personalibus & realibus Laicorum, & vocatur immunitas Ecclesiastica. De qua celebris quæstio est, utrùm sit juris Divini, vel humani? Unde fit 9.

ARTICULUS II.

An privilegium fori, & immunitas Ecclesiastica formaliter sit juris divini?

SUMMARIA.

1. *Munia spiritualia Clericis competunt jure Divino.*
2. *Quicquid Laici obtinent in spiritualibus, habent beneficio Ecclesiæ.*
3. *Immunitas Ecclesiastica originaliter est juris Divini.*
4. *Immunitas Ecclesiastica spectari potest in communi, & in particulari.*
5. *Immunitas Ecclesiastica secundùm se est juris Divini.*
6. *Est ex antiquissimo usu gentium, dictante naturâ, teste Scriptura.*
7. *Instituta in antiquo testamento.*
8. *Non antiquatum*; 9. *sed roboratum in novo.*
10. *Ut agnoscunt Concilia & SS. Canones.*
11. *Adversariorum evasio depellitur.*
12. *Fundamentum ex ratione.*
13. *Extenditur immunitas juris Divini etiam ad bona Ecclesiasticorum.*
14. 15. 16. *Rationes pro hac sententia.*
17. *Immunitas Ecclesiastica quoad applicationem in particulari est juris Pontificii.*
18. *Objectio prima, quòd imunitas Ecclesiastica non sit juris Divini naturalis* 19 *nec positivi.*
20. *Immunitas est juris Divini naturalis, ideoque formaliter invariabilis.*

21. *Est*

10. *Usu contrario labefactatur privilegium quoad illum actum.*
11. *Triplex abusus privilegii.*
12. *Si abusus per modum conditionis dissolutivæ sit insertus privilegio, amittitur privilegium post sententiam declaratoriam abusûs.*
13. *Si abusus sit contra finem privilegii, perit ipsô factô.*
14. *Per abusum regulariter amittitur privilegium post sententiam judicis.*

§. I.

Quomodo cesset privilegium per renuntiationem?

1. Loquimur de renuntiatione non impropriè sumpta, qualis est etiam voluntas non utendi privilegio, sed de propriè accepta, quæ est voluntaria cessio & abdicatio juris ad utendum privilegio, quæ dividitur in expressam & tacitam. De tacita & interpretativa, quæ non distinguitur à non usu vel abusu. §. sequenti; de expressa & formali hoc loco.

Quæres primò: An & quando per renuntiationem amittatur privilegium?

2. Respondeo. Quando privilegium solummodo respicit favorem privilegiati sine præjudicio tertii, tunc per renuntiationem potest amitti privilegium: quia sicut quilibet suâ voluntate potest subire onus & obligationem, quâ priùs non tenebatur, ita potest cedere juri suo, commodo & favori. ex *c. ad Apostolicam. de Regularibus. l. si Judex. ff. de minoribus. l. quod favore. C. de leg.*

3. Unde Inferes. Non validè renuntiari à persona particulari, nec proinde amitti privilegium, quod non in solius renuntiantis personæ, sed etiam in alterius, vel plurium favorem concessum est: quo fit, ut nec Clericus privilegio fori, nec Religiosus privilegiis suæ Religioni, Monasterio, Communitati concessis, nec filiusfamilias sub patria potestate constitutus Senatusconsulto Macedoniano in boni publici, & parentum quoque favorem concesso validè renuntiet. ex *c. si diligenti. de foro competenti. & L. cùm publicum. ff. de pactis.*

4. Dixi notanter in responsione, posse amitti privilegium; nam

Quæres secundò. Utrùm requiratur acceptatio concedentis privilegium ad hoc, ut actu amittatur? Respondeo affirmativè: quia quamdiu concedens privilegium ipsius renuntiationem non acceptat, moraliter & habitualiter perseverat voluntas illud conferendi: sed hâc subsistente privilegiatus semper potest illud sibi appropriare, & priorem voluntatem renuntiandi retractare: quemadmodum & donatarius manente voluntate donantis potest acceptare priùs recusatam donationem, procurator constitutus, qui priùs noluit acceptare mandatum, potest illud acceptare, quandocunque placuerit, si constituens in sua permanserit voluntate; electus, qui noluit consentire electioni, adhuc potest consentire, quamdiu eligentes in sua voluntate perstiterint: beneficiarius repudiatâ priùs collatione præsentatâ beneficii, potest in illud consentire, permanente voluntate conferentis. per *c. licèt de Procuratoribus in 6.* Ita Sánchez, Suarez, Reding, aliique.

Quæres tertiò. An, ut per renuntiationem actu amittatur privilegium odiosum cedens in præjudicium tertii, prærequiratur acceptatio tertii, cujus interest? e. g. an, si renuntias privilegio non solvendi decimas, prærequiratur acceptatio illius, cui de jure forent solvendæ? 5.

Respondeo, ejusmodi renuntiationem semper revocari posse, quamdiu is, in cujus favorem cedit, nondum acceptavit; eò quòd talis renuntiatio æquiparetur donationi, quæ tamdiu est revocabilis, quamdiu non fuit acceptata à donatario. ex gloss. in *c. cùm venissent. Verb. obtuli. de eo, qui mittitur in possessionem.* Sic Suarez. cit. l. 8. c. 33. Castropal. cit. p. 17. n. 6.

§. II.

Quomodo amittatur privilegium per non usum, vel abusum?

Quæres primò. Quomodo amittantur privilegia per non usum?

Respondeo primò. Privilegium, quod in nullius cedit præjudicium, uti est privilegium administrandi Sacramenta, non amittitur solùm per non usum, quantocunque tempore continuetur, sive fuerit, sive non fuerit occasio illo utendi. Suarez, Castropal. aliique. 6.

Ratio est: quia usus est in libera potestate & jure utentis, libera autem omissio non præjudicat juri & potestati. Habetur in *l. unus ex sociis. §. ult. de servit. rust. præd.* Nec obstat in contrarium. *L. 1. ff. de nundinis*, ubi statuitur, privilegia amitti per non usum, quia loquitur de privilegiis cedentibus in aliorum gravamen ac præjudicium. Unde.

Respondeo secundò. Privilegia cedentia in alterius gravamen amittuntur per non usum, quando gravatus adversùs privilegiatum legitimè præscribit. Suarez, Palao citati, aliique: quia actus contra privilegiatum à tertio exercitus inchoat in ipso possessionem, cui si privilegiatus intra tempus præscriptioni præfinitum non contradicat, valebit præscriptio, & perimet privilegium, quemadmodum & juri communi potest derogare. 7.

Inferes ex dictis primò. Etiam privilegia negativa nullum gravantia, v. g. non jejunandi, non recitandi horas Canonicas, &c. non amitti per actum contrarium. Ratio est eadem, quæ de privilegio positivo; cùm liberum sit privilegiato, uti vel non uti suo privilegio: atqui in istis privilegiis non usus consistit in actu contrario. 8.

Inferes secundò. Ad legitimam præscriptionem contra privilegium habens tractum successivum temporis, sufficere unicum actum contrarium non retractatum. Ita Haunold, Palao, Suarez, Peschacher cit. aliique. Ratio est; quia possessio bonâ fide inchoata, & legitimo tempore continuata parit præscriptionem contra jus: sed per unicum actum potest bonâ fide inchoari possessio, eaque quamdiu non retractatur per protestationem, vel alium actum oppositum, moraliter continuatur; ergo si elabatur tempus præscriptioni præfinitum, per unicum actum poterit præ- 9.

novæ Legis Sacerdotium: hoc tamen in illius vicem substituto & in majorem perfectionem evecto, etiam præceptum Ecclesiasticæ immunitatis non antiquari, sed magis perfici, ac roborari oportuit.

9. Probatur secundò authoritate Novi Testamenti. Et primò ex Matth. c. 17. v. 24. ubi cùm Christus Petrum interrògasset: *Reges terræ a quibus accipiunt tributum, vel censum? a filiis suis, an ab alienis?* Petro respondente, *ab alienis*, Christus intulit: *ergo liberi sunt filii.* & mox tantùm ad evitandum scandalum jubet pro ea vice tributum pendi: *ut autem non scandalizemus eos, da pro me, & te &c.* Hic Petrus, in cujus persona repræsentabatur status Ecclesiasticus, [cujus membra rectè dicuntur *filii*, & esse de familia Christi, utpote *in DEI sortem* specialiter assumpti, unde & Clerici dicuntur] liber à solvendo tributo pronunciatur.

Rursus Act. 20. v. 28. Episcopi & Prælati dicuntur per Spiritum S. constituti *Rectores*, adeòque Superiores & Judices Ecclesiarum. Et Petro dictum Jo. 21. 17. *Pasce oves meas.* Quibus verbis ipse supremus, & alii participatâ jurisdictione subordinati pastores supra fideles sunt constituti: ergo eodem ore et jure Divino Episcopi & Prælati sunt Judices personarum ad se pertinentium, & Laici non sunt pastores sed oves respectu Ecclesiasticorum. Quis autem non palpet, [inquit noster P. Engel hoc tit. §. 2.] summam inconvenientiam, ut Pastores regantur & judicentur ab *ovibus*? & ut sæcularis & mundana potestas circa idem objectum sese immisceat in potestatem toto ordine sublimiorem? Cùm & perpetua Ecclesiæ consuetudo, interpres optima, præter SS. Canonum, quos mox referemus, authoritatem hanc Divino jure fundatam jurisdictionum diversitatem confirmet.

10. Probatur tertiò authoritate SS. Canonum & Conciliorum. Nam Leo X. in Concilio Lateranensi sess. 9. dicit: *Et cùm a jure tam Divino, quam humano Laicis nulla potestas in Ecclesiasticas personas attributa sit.* quod ipsum habetur *in c. non minus. de immunit.* & c quanquam 4 de Censib. in 6. his verbis: *Cùm igitur Ecclesiæ Ecclesiasticæq; personæ & res ipsarum non solùm jure humano, quin imò & Divino, a sæcularium personarum exactionibus sint immunes.*

11. Respondent Adversarii To *jure Divino* accipi pro *canonico*, & *jure humano* pro *Civili*. sed huic frigidæ expositioni, alienæ à stylo & consuetudine SS. Canonum obstat primò Concilium Trident. sess 25. cap. 10. dicens: *Personarum Ecclesiasticarum immunitatem DEI ordinatione & canonicis sanctionibus constitutam.* Ubi vides canonicum jus à Divina ordinatione seu jure distinctum. Obstat c. *si Imperator. 11. dist. 96. ubi habetur: Non à legibus publicis, non à potestatibus sæculi, sed a Pontificibus & Sacerdotibus [NB] Omnipotentem DEUM voluisse Clericos & Sacerdotes ordinari, & discuti*, h. e. judicari. *per c. discute 6. 3. q. 6. & c. judicantem 11. 30. q. 5.* Obstat authoritas Constantini M. qui in Concilio Nicæno, cùm ipsi Clericorum accusationes offerrentur, vocatis reis, libellos incendit, & dixit: vos à nemine judicari potestis, *quia solius DEI judicio reservamini. Dii enim vocati estis. Ite, & inter vos causas vestras disponite, quia dignum non est, ut nos judicemus DEOS.* Cujus sententiæ fuerunt ejusdem quoque Successores Valentinianus, Theodosius, Arcadius, *relati in c. in continua. 5. 11. q. 1.*

Quòd porrò Jure Canonico personis Ecclesiasticis cautum sit de Immunitate, constat ex integris titulis Juris *de judic. & de foro compet.* vel maximè verò ex Bulla Cœnæ D. quotannis promulgari solita, in qua censurâ excommunicationis fulminantur omnes Ecclesiasticæ immunitatis violatores.

Probatur quartò ratione. Si Jure Divino institutum est regimen Ecclesiasticum, multò eminentius regimine politico, & ab illo distinctum, tunc etiam jure Divino status Ecclesiasticus non est subjectus jurisdictioni regiminis politici: atqui antecedens est verum: ergo & consequens. Sequela liquet; quia jurisdictio non se extendit ultra limites sui objecti & fori; & potissimùm inferior non potest se intrudere intra limites fori Superioris. Minor ex dictis patet: quia Christus instituit Rectores & Pastores Ecclesiæ; adeòque & regimen Ecclesiasticum, ita ut eodem jure hierarchia & regimen Ecclesiæ sit institutum, quo ipsa Ecclesia, cùm unum sine altero non possit subsistere. 12.

Neque existimes, ista pertinere solummodo ad exemptionem & immunitatem personalem, non item realem. Nam præcitati Canones & Concilia etiam *res* tum Ecclesiarum, tum *personarum Ecclesiasticarum* ab exactionibus jure Divino immunes pronunciant. Unde Azorius to. 1. l. 5. c. 12. q. 1. cùm Recentiores quosdam Theologos pro contraria sententia retulisset; rectè subjecit: *Debet tamen majoris ponderis & firmamenti esse, quod in Jure Canonico decisum legitur, quam quod in contrarium prædicti recentiores Theologi docuerunt: illorum enim authoritas privata est, & solummodò tantum probat, quantùm ratione [nisi jus resistat] convincunt: SS. autem Canonum authoritas publica est, & authentica, a qua non licet sine piaculo recedere.* 13.

Et ratio est primò: quia magis dignum trahit ad se minùs dignum, *c. quòd in dubiis 3. de consecr. Ecclesiæ.* & quæ Religiosis adhærent, religiosa censentur, *L. quæ Religiosis 43. ff. de Rei vindicatione.* Res quoque Clericorum & res Ecclesiasticæ quantùm ad evitandam sæcularium jurisdictionem parificantur; eo quòd hoc ipso persona Clerici traheretur in judicium & sententiam Judicis Laici, si de bonis ipsius in judicio Laicali agi posset, ut docet P. Engel. loc. cit. 14.

Ratio est secundò. Clerici novæ Legis non sunt deterioris conditionis, quàm Sacerdotes & Levitæ antiquæ Legis, quibus omnia solùm in figura contingebant, erantque solùm umbra quædam nostri Sacerdotii: sed illi jure Divino erant in suis bonis immunes ab exactionibus & tributis: ergo & Clerici novæ Legis. Et certè apud profanas quoque & veri Numinis ignaras gentes, non solùm personas sed etiam bona ipsorum fuisse à vectigalibus immunia, testantur Authores primitus allegati. 15.

Ratio est tertiò, Bona Clericorum, præser- 16.
tim

tim prospectu Ecclesiæ acquisita, sunt de patrimonio Christi, atque ex bonis DEO oblatis pro ejus honore, sustentatione Ministrorum, & pauperum: sed ista jure Divino sunt exempta à potestate Laicorum: Nam tributa & exactiones sunt signa ac protestationes subjectionis, ut innuit Apostolus Rom. 13. 6. dicens: *ideo & tributa præstatis.* Sed bona DEO oblata, & ad patrimonium Christi pertinentia, cujus administratio Ecclesiæ competit, non sunt capacia subjectionis erga potestatem laicalem: ergo super illis non possunt imponi tributa, & exactiones. Vide *c. expedit* 13. 12. *q.* 1. *c. cùm ex eo.* 34. *de elect. in* 6.

17. Dixi tamen in conclusione: immunitatem Ecclesiasticam *formaliter secundùm se, & in genere* esse juris Divini; nam quoad executionem & applicationem determinatam in particulari & ad singulare individuum est juris humani Pontificii: e. g. quòd primâ Tonsurâ initiatus, quòd Novitius, quòd Tertiarius &c. inter Ecclesiasticas personas annumeretur & gaudeat fori privilegio, SS. Canonibus Ecclesiæ, & SS. Pontificum dispositioni debet, quibus ejusmodi particularem determinationem ac dispensationem DEUS in pluribus reliquit; uti determinationem diei Dominicæ pro cultu Divino, determinationem Decimarum &c. quod notanter expressit Tridentinum, cùm dixit: Ecclesiasticarum personarum exemptionem *DEI ordinatione, & Ecclesiasticis sanctionibus esse constitutam.* Cujus quidem signum manifestum est, quòd multi extent SS. Canones, quibus in specie definitum est, quibus personis, quibus casibus, & quousque hæc immunitas Ecclesiastica competat, quando mutetur, auferatur, &c.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

18. Objicies primò. Si immunitas Clericorum foret juris Divini, vel foret juris Divini naturalis, vel positivi: neutrum potest dici. Non quòd sit juris Divini naturalis: primò, quia hoc est invariabile: atqui immunitas Ecclesiastica est variabilis, patiturque se restringi ac minui, quod ostendunt complures variationes per SS. Canones expressæ. Secundò: quia natura characteris & status Clericalis non excludit subjectionem ad forum sæculare: neque enim repugnat, eandem personam esse addictam Divino cultui, simulque subditam foro & jurisdictioni Principis sæcularis. Imò tertiò: De facto in primitiva Ecclesia, & posterioribus sæculis non tantùm Paganis sed etiam Catholicis Imperatoribus Clerici paruerunt: Unde & D. Paulus appellavit ad Cæsarem. & constat ex Act. 25. & toto tit. *C. de Sacros. Eccles.* Et quartò: Juris naturalis nullum datur initium; sed privilegium fori initium agnoscit & originem ab Imperatoribus, præsertim Justiniano constit. 83. qui tamen privilegium fori Clericalis tantùm in civilibus concessit; in criminalibus verò sub sæculari potestate reliquit. Quintò: Adhuc Clerici sunt subjecti quandoque potestati Laicali, uti patet in Clerico, qui Minoribus initiatus caret beneficio, juxta Trident. Sess. 23. c. 6. item in causa reconventionis, in causa feudi, in causa gravis delicti, ratione cujus traditur curiæ sæculari.

Quod neque sit de Jure Divino positivo, probatur, quia nullus est assignabilis clarus S. Scripturæ textus, qui non in alium sensum facilè explicari possit. Et quamvis textus Matth. 17. faveat exemptioni D. Petri, tamen nullum est fundamentum, exemptionem Petro ex speciali ipsius prærogativa concessam extendendi ad omnes Ecclesiasticos: Et tametsi dicas, Ecclesiasticos esse de familia Petri, vel Christi, hoc tamen nil probat: nam omnes Christiani & baptizati possunt dici de familia Christi & Petri: siquidem per baptismum intrant in Ecclesiam, cui Petrus præest: ex hoc tamen minimè sequitur, quòd sint exempti à jurisdictione fori sæcularis. 19.

Respondeo. Esse de jure Divino tam naturali, quàm positivo. Ad primam impugnationem distinguo majorem, jus naturale est invariabile, formaliter & intrinsecè, concedo; materialiter & extrinsecè, nego: sed immunitas Ecclesiastica variatur formaliter intrinsecè nego; materialiter extrinsecè, concedo; vel subdistinguo: quoad exercitium seu executionem in particulari concedo, [quod est immunitati materiale;] quoad ipsam immunitatem secundùm se & in communi, nego: ergo immunitas non est juris Divini sed humani, quantùm ad executionem & applicationem in particulari, concedo; quoad ipsam immunitatem secundùm se, nego consequentiam. 20.

Ad 2. nego antecedens, cujus oppositum in nostris fundamentis ostendimus. Et ad tertiam probationem, quæ priori succollat, dico, id totum de facto, non de jure contigisse, sicut si nunc quoque Clerici jurisdictioni seculari parére cogantur, non juri, sed facti violentiæ adscribendum erit. 21.

Appellatio D. Pauli ad Cæsarem nihil probat: quia non appellavit ad Cæsarem tanquam ad suum, sed tanquam ad judicem & Superiorem Officialium Cæsareorum, à quibus injustè vexabatur; actor autem sequitur forum rei, per *c. si Clericus. 5. de foro compet.* Alii dicunt, Paulum appellâsse appellatione naturali, seu facti, non appellatione legali, seu juris: h. e. in defectu alterius auxilii, quo se posset adversùs injuriam tueri, Cæsaris auxilium, qui juvare posset, implorâsse, quod est juris naturalis remedium unicuique concessum.

Ad 4. Respondeo. Immunitatem Ecclesiasticam ab Imperatoribus non accepisse initium, sed robur; eosque non novum jus statuisse, sed jus Divinum declarâsse, ejusque exercitium authoritate legum firmâsse: quod pridem ante Justinianum à Constantino M. præstitum, constat ex §. præcedenti. Si qua porrò huic Clericorum privilegio contraria Principum edicta & constitutiones reperiuntur, tanquam Divino & Canonico juri contrariæ, sunt habenda pro nullis. 22.

Ad 5. Respondeo: Clericum in Minoribus constitutum & beneficio carentem, tunc solùm jurisdictioni fori sæcularis subesse, quando caret requisitis à Tridentino cit. Sess. 23. c. 6. præscriptis: quorum defectu probato non agnoscitur esse è statu Clericali, nec proinde gaudet privilegio 23.

gio Clericali. Ad alterum, quod additur de reconventione & feudo: quicquid sit, an Clericus coram Judice sæculari reconveniri possit, de quo disceptant Authores? Respondeo, utrinque Judicem laicum procedere, tanquam jure Ecclesiastico delegatum, ut colligi potest ex *c. 1. de mut. petit. ex c. caterùm. 5. de judic. & c. verùm. 7. de foro compet. Bordon. de privil. Cleric. c. 2. n. 50.* Adde ex P. Engel l. 3. tit. 49. n. 24. bona feudalia non transire pleno jure ad Clericum, sed Dominum, qui ea concedit, certas sibi conditiones, & jura reservare, ideoque Clericos in istis bonis judicium Domini sæcularis declinare non posse. Nostra verò assertio procedit de bonis allodialibus & patrimonialibus. In causa verò delicti tunc primum Clericus traditur brachio sæculari puniendus, quando à statu Clericali dejectus, & in laicalem redactus, privilegiis quoque Clericalibus est exutus.

24\. Ad alteram partem cornutæ objectionis Respondeo, neque hoc cornu ferire: nam primò tametsi immunitas non esset de jure divino scripto, sufficeret quòd esset de jure Divino tradito & definito, quorum utrumque satis apertè constat ex præallegatis authoritatibus Conciliorum & SS. Canonum. Insuper esse de jure Divino scripto, & ex eo per evidentem consequentiam deduci ex verbis Christi: *ergo sunt liberi, Pasce oves meas,* &c. §. priori ostensum est.

Objicies tamen secundò. Decet ut concives 25. & unius Reip. membra conveniant sub jurisdictione unius capitis, & turpis est omnis pars discordans à suo toto: sed Clerici sunt concives unius Reip. cum sæcularibus, gaudentque communibus favoribus; ergo æquum est, ut etiam subsint jurisdictioni Civili, & in suis bonis portent onera, quæ portant sæculares: nam qui sentit commodum: sentiat etiam onus.

Respondeo distinguendo majorem: si non sunt membra & Cives privilegiati, concedo; si sunt privilegiati non subditi, & habentes proprium forum, nego maj. & sic distinctâ minore, nego consequentiam. Ad hoc porrò, ut non discordent ab aliis membris, & præter commoda etiam onus sentiant, nequaquam necesse est, ut cum aliis civibus habeant eundem judicem & jurisdictionem, sed sufficit, quòd teneantur saltem indirectè se conformare aliis membris in legibus ad communem tranquillitatem pertinentibus, uti priùs dictum Disp. 35. Art. 5. §. 5.

ARTICULUS III.

Quomodo acquiratur, amittatur, & mutetur privilegium fori?

SUMMARIA.

1. *Privilegium fori acquiritur Ordinatione, & collatione habitûs Religiosi.*
2. *Invalida ordinatio non confert privilegium.*
3. *Confert autem illicita.*
4. *Illicitè ordinatus privatur privilegio per sententiam judicis.*
5. *Ordinatus per saltum acquirit privilegium Clericorum.*
6. *Gaudent privilegio Novitii, Moniales, Novitiæ.*
7. *Conditiones à Tridentino præscriptæ tonsuratis, & in Minoribus constitutis, ut gaudeant privil.*
8. *Illæ conditiones collectivè sunt intelligendæ.*
9. *Religiosi non tenentur ad illas conditiones.*
10. *Tenentur verò Clerici scholares excepto servitio Ecclesiæ.*
11. *Servitus Ecclesiæ debet esse spiritualis, quæ non requirit expressum mandatum Episcopi.*
12. *Debet habere moralem perseverantiam.*
13. *Potest contra conditiones Tridentini præscribi.*
14. *Concilia æquiparantur SS. Evangeliis in materia fidei.*
15. *Per clausulam Tridentini derogatur tantùm præteritis contrariis consuetudinibus.*
16. *Immunitas Ecclesiastica nec à S. Pont. nec contrariâ consuetudine tolli potest.*
17. *SS. Canones circa immunitatem nil mutant formaliter, sed tantùm materialiter.*
18. *Clericus non potest renunciare privilegio fori.*
19. *Quanta depositio habitûs sufficiat ad amittendum privilegium fori?*
20. *Ad amittendum privilegium defectu 3. conditionum non prærequiritur trina monitio.*
21. *Prærequiritur tamen sententia declaratoria.*

§. I.

Acquisitio fori.

Privilegium fori acquiritur iis modis, quibus 1. aliqua persona in statum Ecclesiasticum cooptatur: Is modus in genere, ut dixi initio hujus Disputationis, est destinatio personæ ad speciale DEI servitium, quæ si fiat per ordinationem, constituit personam in statu Clericali; si per collationem habitûs Religiosi, constituit in statu Religioso. Cùm igitur privilegium fori acquiratur per assumptionem ad statum Ecclesiasticum, duplex etiam est modus specificus, quo privilegium fori acquiritur. Primus est Ordinatio, quæ incipit à prima Tonsura, quamvis illa non sit nisi præambulum ad SS. Ordines, neque imprimat intrinsecum characterem, ut suo loco dicetur; per primam quippe Tonsuram persona jam discriminatur ab aliis Christianis, atque in sortem Domini assumpta disponitur ad SS. Ordines suscipiendos: ideoque Episcopus post collatam primam Tonsuram, sic Neoclericos alloquitur: *Filii charissimi animadvertere debetis, quòd hodie de foro Ecclesiæ facti estis, & privilegia Clericalia sortiti estis. Cavete igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis,* &c. Secundò, collatio habitus Religiosi facta à Superiore habente potestatem conferendi ejusmodi habitum, per hanc quippe persona specialiter DEO dedicatur, & collocatur in statu Ecclesiastico juxta Auth. post. *l. 12. C. de SS. Eccles. Ingressi Monasteria ipso ingressu se suaq; dedicant DEO.*

2. Quæres primò. An invalidè tonsuratus, vel ordinatus accipiat privilegium fori?

Respondeo negativè: quia privilegium fori præsupponit statum Ecclesiasticum, sed per invalidam tonsurationem, vel ordinationem non acquiritur status Ecclesiasticus & Clericalis: nam nullitas causæ infert nullitatem effectûs: ergo per invalidam tonsurationem vel ordinationem non acquiritur privilegium fori. Donatus p. 4. tr. 2 q. 9.

3. Quæres secundò. An illicitè tonsuratus vel ordinatus acquirat privilegium fori?

Respondeo affirmativè, quamvis per sententiam declaratoriam Judicis Ecclesiastici ejusmodi privilegio privari possit. Probatur ex responso S. Congregationis dato apud Fagnanum ad *c. cùm contingat. de ætate. n.* 118. quo declaratur, quendam Abbatem validè contulisse primam tonsuram, & characterem impressisse [intellige moralem tantùm] cuidam sibi non subdito, adeòque illi privilegia Clericalia contulisse.

4. Nec obstat Trident. c. 10. Sess. 7. de ordinatis ab alieno Episcopo sede vacante ita statuens: *Et sic ordinati si in Minoribus fuerint Ordinibus constituti nullo privilegio Clericali præsertim in criminalibus gaudeant.* Nam τò *non gaudeant* solùm importat pœnam comminatoriam, & privationem privilegii post sententiam Ecclesiastici Judicis, adeòque præsupponit acquisitionem privilegii, prout pluribus declarat Bordonus de privil. Cler. cap. 4. n. 13. 14. 15. & seqq. Ex quibus

5. Inferes: Ordinatum omissâ primâ Tonsurâ, vel per saltum, item ante annos discretionis, seu legitimam ætatem, acquirere privilegia clericalia: quia talis ordinatio valet, & imprimit characterem, ut constat ex *c. un. de Clerico per saltum promoto.* & tradunt DD. ibidem.

6. Quæres tertiò. Utrùm Novitii Religionum etiam militarium; item Moniales tam Professæ, quàm Novitiæ gaudeant privilegiis clericalibus?

Respondeo affirmativè: nam omnes istæ personæ per susceptionem habitûs Religiosi transierunt ad statum Ecclesiasticum, &, cùm favores sint ampliandi, in favorabilibus cum veris Religiosis communicant, esto nondum per Professionem perfectè & ultimatè ingressi sint Religionem.

7. Quæres quartò. An requirantur certæ conditiones, ut aliquis possit gaudere privilegio fori? Respondeo. Pro iis, qui solùm primâ Tonsurâ vel Minoribus Ordinibus sunt initiati, Jure novo Tridentini præscribuntur certæ conditiones, ut possint gaudere privilegio fori [h. e. impeditè frui exercitio sui privilegii] Sess. 23. c. 6. his verbis expressæ: *Nullus primâ Tonsurâ initiatus, aut etiam in Minoribus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. Is etiam privilegio fori non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat; aut Clericalem habitum & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad Majores Ordines suscipiendos versetur.* Ergo solùm Clerico tonsurato, vel in Minoribus constituto (de his enim loquitur Trident. non de iis, qui jam in sacris constituti ad statum laicalem redire non possunt, adeòque etiam non servatis hisce conditionibus manent Clerici) præscriptæ sunt conditiones, ut vel habeat beneficium cui capiendo præfigitur ætas completa 13. annorum, cùm antea septennium suffecerit, vel portet habitum, tonsuram, serviatque Ecclesiæ: cui servituti æquiparatur Seminarium, & studium in Schola, vel Universitate. Unde

Quæres quintò. An illæ tres conditiones habitûs, tonsuræ, servitutis, collectivè vel disjunctivè sint accipiendæ? 8.

Respondeo. Sunt accipiendæ collectivè; id quippe sufficienter exprimitur per vocem copulativam: Unde unâ ex istis deficiente amittitur privilegium fori, ut habet Castropal. p. 2. n. 7. Bordon. c. 6. n. 6. sed

Quæres sextò. An etiam Religiosi Professi, vel Novitii ad retinendum privilegium fori teneantur ad prædictas conditiones? 9.

Respondeo negativè. Nam lex Tridentini est odiosa, utpote Clericos subjiciens novis oneribus, à quibus antehac jure communi erant liberi: ergo non ampliari, sed restringi debet.

Quæres septimò. An Clerici Scholares præter studium, vel Seminarium debeant habere memorata requisita? 10.

Respondeo affirmativè: quia Concilium præter habitum & tonsuram requirit disjunctivè vel servitium Ecclesiæ, vel studium, vel Seminarium: ergo sicuti præter servitium Ecclesiæ necessariò requiritur habitus & tonsura Clericalis; sic etiam præter Seminarium, vel studium. Et sic S. Congreg. declarâsse refert Fagnan. in c. *si quis de foro compet*, n. 19.

Quæres octavò. Qualis & quanta debeat esse servitus Ecclesiæ, ut satisfiat intentioni Tridentini? 11.

Respondeo primò: Servitium à Tridentino requisitum est spirituale, non determinatum ad certam Ecclesiam. Bordon. loc. cit. à n. 20. Requiritur enim tanquam *via ad Majores Ordines suscipiendos*, hoc autem solùm præstat servitium spirituale, id potissimùm quod ex officio sacrorum Ordinum exercetur: quò pertinet etiam cantus in Ecclesia, servitium Missæ, frequentatio processionum, &c.

Hinc primò. Non acquirit privilegium fori, qui servit Ecclesiæ pro Advocato, vel Notario, quia hoc non est servitium spirituale, ut habet Covarruv, l. 2. var. c. 1. Secundò sufficit servitium præstitum Ecclesiæ Regulari etiam non parochiali, quia cùm Tridentinum indeterminatè dicat, *alicui Ecclesiæ inserviat*, non est cur Ecclesiarum limitatio fieri debeat. Unde tertiò, etsi Clericus sine aliquo mandato Episcopi, vel alteri Ecclesiæ quàm Episcopus mandavit, serviat, satisfit Tridentino in ordine ad immunitatem fori: ita quippe respondisse S. Congregationem refert Fagnanus p. 3. ad c. *si quis, de foro compet.* n. 23. Neque refert, quòd Tridentinum velit, ut inserviat Ecclesiæ ex mandato Episcopi; non enim requiritur mandatum expressum, sed sufficit implicitum, quod in ipsa executione & exercitio servitii per Tridentinum requisito includitur.

Respondeo secundò. Ut Clericus satisfaciat 12.

requi-

requisito servitii, sufficit, quòd per aliquot vices illud exerceat, ita ut exinde frequens & perseverans in Ecclesiæ servitio prudenter judicari possit. Unde non est opus, ut singulis festis & Dominicis diebus sacris officiis intersit, dummodo aliquoties id faciat, prout cum Barbosa & Delbene docet Bordonus cit. c. 6. n. 24.

13 Quæres nonò. Utrum contra unam ex istis conditionibus à Tridentino requisitis, præscribi possit per contrariam consuetudinem?

Respondeo affirmativè: nam primò leges Concilii non sunt majoris roboris, quàm leges Pontificiæ: sed contra istas potest induci contraria & rationabilis consuetudo: ergo etiam contra illas. Secundò. Ipsum Concilium Trident. loc. cit. sustulit omnes consuetudines etiam immemoriales, quæ obstabant legibus indicatis in *c. un. de Cleric. conjug. in 6.* sed illæ leges erant Concilii Lateranensis: ergo Concilium agnoscit posse introduci consuetudinem præscriptam contra ipsum Concilium, cùm illæ quoque consuetudines in suo robore perstitissent, nisi à Tridentino abrogatæ fuissent.

14. Nec obest primò, quod Fagnanus opponit, Conciliis œcumenicis deberi reverentiam & observantiam, sicut Sanctis DEI Evangeliis; hoc enim conceditur in his, quæ ad fidem pertinent, in reliquis verò leges Conciliorum humanæ legis naturam sequuntur, ideoque contrariâ consuetudine aboleri possunt.

15. Nec obest secundò clausula derogatoria: *Nemini quoad hoc privilegio, vel consuetudine etiam immemoriali suffragante.* Nam per ejusmodi clausulam præteritas tantùm consuetudines, non etiam futuras abrogari docet Suarez l. 7. de leg. c. 7. & colligitur ex verbo *suffragante*; neque enim consuetudo suffragari poterat, quæ nondum existebat, adeòque tantùm intelligebatur consuetudo præterita, vel existens tempore conditi decreti.

§. II.

Amissio, & mutatio fori.

16. Quæres primò. Utrùm immunitas Ecclesiastica constitutione Summi Pontificis, aut consuetudine contrariâ mutari, aut tolli possit?

Respondeo negativè. Nam humana potestas in lege Divina præsertim naturali formaliter mutare nihil potest: sed immunitas Ecclesiastica, ut dictum, est juris Divini: ergo humanâ potestate Summi Pontificis formaliter mutari aut tolli non potest.

17. Inquis: cur ergo tot reperiuntur Canones, quibus certis personis aufertur privilegium fori & canonis, quando non implent præscriptas conditiones, si immunitas jure Ecclesiastico tolli, aut mutari non potest? Respondeo, hanc mutationem non esse formalem, sed materialem, unde notanter dictum, *formaliter mutari non posse.* Esset formalis mutatio, si à persona Ecclesiastica in sensu composito status Ecclesiastici, & quamdiu illa pro tali agnoscitur, auferretur immunitas. Materialis mutatio est, quæ fit circa ipsam personam, eandem acceptando ad statum Ecclesiasticum, eique applicando privilegium fori. Quod cùm Ecclesia possit facere sub certis conditionibus, quid mirum, si persona quæ iis servatis in statu Ecclesiastico recenseri, & privilegio fori gaudere potuisset, iis non servatis à statu Ecclesiastico & consequenter à privilegio fori excidat?

Colliges: Clericum non posse renunciare privilegio fori, quamdiu manet Clericus: quia non potest juri Divino, Ecclesiastico, totique statûi Ecclesiastico inferre præjudicium, de quo jam aliàs dictum priori Disp. art. 3. §. 1 n. 3. 18.

Quæres secundò. Quanta debeat esse depositio habitûs Clericalis, ut ratione ipsius Clericus perdat privilegium fori? 19.

Certum est, non amitti privilegium, quando habitus deponitur ex certa causa, sive honesta, sive peccaminosâ, cum intentione iterum resumendi; E. g. si Clericus in domo, si in lecto, si laboris, piscationis, lusûs, joci &c. causâ habitum deponat, postea resumpturus in publico.

Respondeo igitur. Quando Clericus ita deponit habitum, ut ex ejus depositione prudenter colligatur, renunciâsse statui Clericali, tunc Clericus amittit privilegium fori. Hoc porrò dupliciter contingit, vel quòd cum depositione habitûs conjungat actum statui Clericali adversantem, ut si ducat uxorem, fiat miles, &c. vel quòd per tam notabile tempus habitum gestare intermittat, ut publicè existimetur Laicus, ad quod Barbosa censet sufficere octo menses, Delbene part. 1. c. 4. dub. 8. in Hispania & Gallia, ait, requiri quadriennium, communior cum Farinacio q. 8. n. 68. Mascardo de General. statutorum interp. concl. 1. annum sufficere existimant.

Quæres tertiò. An, ut Clericus amittat privilegium fori, præter defectum requisitarum conditionum prærequiratur trina admonitio, de qua dicitur in *c. fin. de vita & honest. Clericor. c. contingit 45 de sent. excomm.* 20.

Respondeo negativè, prout Fagnanus refert decisum à S. Congregatione, eò quòd Tridentinum nullâ factâ mentione trinæ monitionis ad amissionem privilegii solummodo requirat neglectum unius ex prædictis conditionibus.

Quæres quartò. An saltem requiratur sententia declaratoria Judicis Ecclesiastici, ut propter omissionem unius ex præscriptis conditionibus Clericus amittat privilegium fori? 21.

Respondeo affirmativè, quia est lex pœnalis & strictæ interpretationis: leges autem pœnales privantes jure quæsito, non obligant ante sententiam judicis, saltem declaratoriam criminis, prout de lege pœnali cum Layman, Castropal. Salmantic. superiùs dixi.



ARTICULUS IV.

De privilegio Canonis.

SUMMARIA.

1. *Exponitur privilegium Canonis.*
2. *Privilegium Canonis perditur à Clerico tonsurato, non servante praescriptas conditiones Tridentini.*
3. *Quinam criminosi gaudeant, vel non gaudeant privilegio canonis?*
4. *Clericus conjugatus cum unica virgine gaudet privil. can. non bigamus.*
5. *Omnes Regulares etiam Novitii & Conversi veniunt in Canone nomine Monachorum.*
6. *Nec excluduntur apostatae, vel ejecti.*
7. *Per vocem* si quis *etiam intelliguntur mandantes, consulentes &c.*
8. *Nisi mandatum fuerit revocatum.*
9. *Percussor Clerici consentientis non evadit censuram.*
10. *Ad incurrendam censuram requiritur actio mortaliter injuriosa, & corporis afflictiva.*
11. *Parvitas externae laesionis aliquando excusat.*
12. *Non semper necessaria est gravis laesio in corpore.*
13. *Variae causae percussorem excusantes à censurâ.*
14. *Triplex differentia in percussione Clerici.*
15. *Absolvere possunt a censura cum diversitate Legatus à Latere, Nuncius, Legatus natus.*
16. *Quibus casibus absolvat Episcopus?*
17. *Regulares absolvuntur a suis Praelatis.*
18. *An etiam percussor Religiosi alterius Ordinis, vel Monasterii?*

§. I.

Quinam gaudeant privilegio Canonis?

1. PRivilegium Canonis, cujus definitionem dedi art. 1. n. 9. continetur in c. *si quis suadente* 29. 16. *q.* 4. his verbis: *Si quis suadente Diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quòd in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui praesentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Ex quo constat, hoc privilegium non esse juris Divini, sed humani, quippe quod originem trahit à Concilio Lateranensi, celebrato sub Innocentio II. anno 1139.

Quaeres primò, An Clericus solùm tonsuratus, aut minoribus initiatus gaudeat privilegio Canonis?

Respondeo affirmativè, si servet tria requisita Tridentini, de quibus art. praeced. tunc enim est verè Clericus & persona Ecclesiastica gaudens privilegio fori, ut habetur ex eod. Trident. &c. *ex litteris* 6. *de transact.* c. *cùm contingat. ij. de aetate*: sed personae Ecclesiasticae & Clericales gaudent privilegio Canonis: ergo & Clericus solùm tonsuratus, aut minoribus Ordinibus initiatus gaudet privilegio Canonis. Sed

2. Quaeres secundò. Quid si non servet unum ex requisitis, v. g. non deferat habitum Clericalem? perdétne privilegium canonis.

Negativam tenet Bordonus citans Gonzal. glos. 5. §. 5. Castropal. Dianam, aliosque, & colligitur ex *c. si verò*, 4. *de sent. excomm.* ubi percutiens Clericum comam nutrientem dicitur incurrisse excommunicationem, si sciebat esse Clericum. Ratio quoque est: quòd Tridentinum non loquatur de privilegio canonis, sed de privilegio fori: nulla est autem dependentia inter privilegium fori & canonis: neque in poenalibus licet facere extensionem ab uno ad aliud.

Affirmativam tuentur Suarez de cens. disp. 14 dub. 15. Bannez 2. 2. q. 12. a. 1. Engel de sent. excomm. § 4. n. 127. quam immeritò improbabilitatis censurâ notat Bordonus loc. cit. Huic subscribo: & Ratio est: Nemo gaudet privilegio Canonis, nisi sit in statu Clericali, vel Monachali: sed Clericus tonsuratus aut in minoribus constitutus non servans requisita Tridentini post sententiam declaratoriam Judicis non ampliùs censetur esse de statu Clericali, sed ad Laicalem redigitur: ergo neque gaudet privilegio Canonis. Quamvis igitur non sit omnimoda & convertibilis connexio inter privilegium fori & canonis, unde non licet ab amissione privilegii canonis inferre amissionem privilegii fori & immunitatis, cùm ista sit de jure Divino, illa de humano: nihilominus ab amisso privilegio fori tanquam à majori ad minus bene infertur amissum privilegium canonis, subtractâ nimirum radice statûs Ecclesiastici, in qua fundatur. *Ad c. si verò.* Respond. ejus dispositionem obtinuisse locum ante Trident. ubi nondum erant necessaria illa requisita: neque supponitur facta judicis declaratio, quam etiam post Tridentinum necessariam esse dixi art. praeced. Ad rationem Bordoni Respond. non fieri extensionem, sed esse sequelam infallibilem propter translationem tonsurati à statu Clericali ad Laicalem, quam etiam agnoscit ipse Bordonus n. 12.

Quaeres tertiò. An gaudeant privilegio canonis Clerici criminosi, & censuris innodati?

Respondeo primò. Gaudent privilegio canonis omnes Clerici quantumvis excommunicati, suspensi, depositi, irregulares, quia effectus censurae non est privare privilegio canonis, & ita censent DD. communiter cum Abb. *in c. Ecclesiae de immun. Eccles.* 3.

Respondeo secundò. Non gaudent privilegio canonis [1] degradati, cùm proprius effectus degradationis sit dejicere à dignitate statûs Ecclesiastici ad statum laicalem, ac degradatum exuere non tantùm privilegio canonis, sed etiam fori. [2] qui se immiscent enormibus delictis. c. *cùm non ab homine*, 14. & *c. perpendimus*, 23. *de sent. excom.* censentur porrò enormia delicta, homicidium, commotio seditionis & belli, aggressiones, furtum, aliaque, quae infamiam pariunt, *cap. infames* 3. *q.* 7. [3] qui dimisso habitu, vel tonsurâ negotiis saecularibus se immiscent

scent, histrioniam exercent, macellarios, tabernarios agunt, & ab Episcopo suo tertiò moniti non emendantur. *c. in audientia*, 25. & *c. contingit*. 45. *de sent. excom.*

4. Quæres quartò. An Clericus conjugatus gaudeat privilegio Canonis?

Respondeo. Clerici conjugati, qui cum unica & virgine contraxerunt, habitum quoque & tonsuram deferunt, atque Ecclesiæ alicui inserviunt, gaudent privilegio canonis & fori per *c. un. de Cler. conjug. in* 6. & Trident. cit. sess. 23. c. 6. Secus dicendum, si fuerint bigami, aut viduas, vel corruptas duxerint, tunc enim ipso jure privantur privilegiis Clericalibus & prohibentur gestare habitum Clericalem. *c. un. de bigamis in* 6. *c. quisquis* 5. *dist.* 84.

5. Quæres quintò. Quinam in c. *si quis* intelligantur nomine Monachorum?

Respondeo: Omnes Ordinum approbatorum Regulares, etiam Novitios, Conversos, seu Laicos, & Moniales, *per c. non dubium* 5. *c. de Monialibus.* 33. *de sent. excom.* Ad quos reducuntur Eremitæ, qui sub obedientia Episcopi vel Prælati vitam religiosam imitantur, quamvis 3. vota substantialia non emittant: tunc enim fiunt personæ Ecclesiasticæ juxta superiùs dicta. Engel citat. cum Sylvestro & Navarro.

6. Quæres sextò. An Religiosi apostatæ, vel ejecti gaudeant privilegio Canonis?

Respondeo affirmativè cum Diana p. 9. tr. 4. resol. 12. Bordono de privileg. Cler. c. 21. n. 48. etiamsi tonsuram & habitum dimiserint, quia privatio privilegiorum Clericalium respectu Religiosorum apostatarum, vel ejectorum nullo jure habetur expressa. & cap. 1. *de apostatis.* quod apostatis à Clericatu præter alias pœnas adimit privilegium Canonis, est strictè interpretandum, neque in odiosis sub nomine Clerici, de quibus illud capitulum loquitur, veniunt Religiosi. uti habet Abbas *in c.* 1. *Ne Clerici, vel Mon.* Insuper privilegium fori & Canonis competit Regularibus Professis ratione Professionis religiosæ, quæ ipsis inseparabiliter adhæret, neque pro lubitu excuti potest.

§. II.

A quibus, & quâ actione incurratur censura excommunicationis inflicta per c. *si quis?*

7. Quæres primò. Quinam intelligantur in Canone per particulam *si quis*?

Respondeo, intelligi quemcunque percussorem utriusque sexûs, doli & censuræ capacem. Quò pertinent etiam mandantes, consulentes, consentientes, ratum habentes & non impedientes, si tenebantur ex officio impedire. Suarez disp. 22. de Censur. sect. 1 Sayr. l. 3. c. 26. Castrop. disp. 3. p. 23 §. 2. nam ut habetur in *c. quanta.* 47. *de sent. excomm.* agentes & consentientes pari pœnâ puniuntur, estque Canon iste favorabilis pro honore statûs Ecclesiastici.

8. Inferes primò. Si mandans aut consulens percussionem seriò revocaverint, & notificaverint revocationem mandatario, non incurrere excommunicationem, quantumvis sequatur percussio, non enim ampliùs influunt moraliter in percussionem, ut docent DD. communiter.

Inferes secundò. Qui Clericum consentientem percutit, incurrere excommunicationem, 9. quia Clericus suo consensu non potuit cedere & derogare favori statûs Ecclesiastici, ac dignitati Ordinis, quem Canon principaliter respicit. Suar. Castrop. cum communi. estque clarè decisum in *c. contingit*; 36. *de sent. excom.*

Quæres secundò. Qualis requiratur actio, ut incurratur pœna Canonis?

Respondeo primò. Requiritur actio in ge- 10. nere injuriæ mortaliter peccaminosa, & corporaliter afflictiva. Dixi *mortaliter peccaminosa*; nam censura excommunicationis supponit culpam mortalem in genere sacrilegii, eaque indicatur per verba: *Suadente diabolo, & violenta manuum injectio.* Dixi secundò, *corporaliter afflictiva*, nam per manuum injectionem significatur externa læsio corporalis, sive immediata, putà manibus, dentibus, pedibus &c. sive mediata, h. e. mediante aliquo instrumento, sclopeto, baculo, ense, scabello &c. sive in ipso corpore, sive in adjacentibus, putà vestibus, equo &c. proximè recepta, non enim ista læsio vel afflictio requirit percussionem, aut physicum contactum corporis, dummodo sit injuriosa corporalis afflictio, quæ etiam contingit, si Clericus aut Religiosus arreptâ veste violenter expellatur, aut trahatur ad aliquem locum, si violenter vestibus exuatur, si in custodia teneatur, si violentâ persecutione adactus in foveam vel fluvium incidat, &c hæc omnia quippe continentur in violenta manuum injectione. P. Engel loc. cit. n. 135. & DD. in *c. nuper*. 29. *de sent. excom.*

Inferes primò. Si percutiens Clericum animo 11. graviter eum lædendi valde levem externam percussionem inferat, non incurrere excommunicationem: quia utique etiam in hac materia datur parvitas materiæ: & excommunicatio tanquam gravis pœna supponit, actionem externam esse mortaliter peccaminosam, non præcisè ratione actûs interni & pravæ voluntatis, sed etiam ratione actûs externi, pro quo fertur, non enim Ecclesia judicat de occultis. Ita Suar. disp. 22. se. 1, Sanch. l. 2. c. 8. n. 7. Sayr. l. 3. c. 27. n. 33. Bordonus cap. 21. n. 49.

Inferes secundò. Qui pulverem, aquam, alia- 12. ve levia spargit in Clericum, qui lædit equum, cui insidet, præcidit habenas &c. incurrere excommunicationem: nam esto per similes actiones non graviter lædatur in corpore, gravem tamen patitur violentiam & injuriam circa suam personam, quam ad incurrendam pœnam Canonis sufficere constat ex *c. nuper* præcitato ibi: *quamvis per eorum factum corporalis læsio non fuerit subsecuta, circa quam violentia sæpius circa Clericos perpetratur.*

Quæres tertiò. Quænam causæ excusent ab 13. incursu censuræ?

Respondeo. Excusantur primò percussores Clerici sese enormitatibus immiscentis *c. cùm non ab homine* 14. *de sent excomm.* quò pertinet si quis violentas manus injiciat in Clericum cum matre, sorore, aut filia turpiter deprehensum. Engel. n. 126. Secundò excusat casus, error, & ignorantia; ut si quid incuriè domo ejectum incidat in Clericum; si percutias Clericum, invincibiliter

existimans esse Laicum: utrobique enim deest voluntarium, sine quo gravis & formalis injuria non subsistit. Sed quid si percutias Cajum Clericum, existimans te percutere Titium Clericum? erisne liber à censura, siquidem illa percussio respectu Titii nulla est, & respectu Caji non est voluntaria. Respondeo. Si casu facta est illa percussio, ut si lapide in Titium misso aberrans, fortuitò percutis Cajum, nulla est excommunicatio; siquidem iste effectus planè præter intentionem sequitur: Si verò sciens Cajum esse Clericum, illum percutis, non evadis censuram, tametsi existimaveris esse Titium; quia tunc error non cadit super circumstantiam & statum Clericalem, sed solummodo circa individuales conditiones Caji: excommunicatio verò lata est super percussores Clerici, non circa percussores Titii, vel Caji ut sic, quò facit textus in l. *eum, qui noctem.* 18. § *si injuria*; *ff. de injuriis.* ubi l. C. dicit: *si injuria mihi fiat ab eo, cui sum ignotus, aut si quis putet me esse Laicum, cùm sim Cajus, prævalet quod principale est, injuriam mihi facere velle, & ideo injuriarum habeo actionem.*

Tertiò, excusatur Magister, vel Præceptor disciplinæ causâ moderate castigans discipulum Clericum. cap. 1. *ex tenore.* 10. *c. cùm voluntate* 54. *de sent. excomm.* quod intelligendum de Clerico in Minoribus constituto. Quartò Prælatus Ecclesiasticus correctionis causâ & ratione officii ac jurisdictionis Clericum, vel Monachum corporali castigatione juxta culpæ gravitatem afficiens, sive per se, sive per aliam personam Clericalem d. c. ex tenore, &c. Quintò excusat ebrietas, quæ aufert sufficientem usum rationis, nisi quis eo fine se inebriâsset, ut tantò animosiùs in Clericum insurgeret. P. Engel cit. n. 142. Sextò excusat defensio vitæ, honoris, pudicitiæ, bonorum, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. ex *c. si verò.* 3. *cit. c. ex tenore* 10. *de sent. excomm.* tunc enim percussio non fit suadente diabolo, sed ex permissu juris naturalis, quo cuivis licet vim vi repellere. Suar. disp. 22. sect. 1. Castrop. disp. 3. de Cens. p. 23. §. 3.

§. III.

De absolutione à censura Canonis.

14. Notandum. Percussionem Clerici, quâ Canonis censura incurritur, esse in triplici differentia: est levis percussio, gravis seu mediocris, & enormis. Levis dicitur non absolutè, quia supponitur esse mortaliter peccaminosa, alioquin non esset capax excommunicationis, sed comparatione cæterarum. Enormis describitur *in c. cùm illorum* 32. *de sent. excomm.* his verbis: *Enormis, utpote si ad mutilationem membri, vel effusionem sanguinis* [*intellige ex vulnere inflicto*] *est processum, aut in Episcopum, aut Abbatem violentas manus injectas, cùm excessus tales & similes nequeant sine scandalo præteriri* Gravis seu mediocris est, quæ de utraque aliquid participat, e. g si copia capillorum evellatur, si colaphô dens frangatur, &c. Erit igitur levis percussio, si simplici Clerico alapam impingas, si verò illa sit tanta, ut exinde nares multum sanguinis effundant, vel vultus tumorem & livorem contrahat, dens excutiatur &c. erit percussio gravis; si percussus velut exanimis concidat, aut periculum vitæ incurrat, erit enormis; Imò sola etiam personæ percussæ circumstantia potest levem percussionem vertere in enormem, e. g. si quis suo Superiori, Prælato, Episcopo, alapam infligeret, eumve capillis traheret. Porrò in dubio, sitne levis, gravis, an enormis percussio, determinatio pertinet ad Episcopum, qui consideratis personæ læsæ, temporis & loci circumstantiis judicabit, an à tali percussione possit absolvere: & in dubio potiùs declarabit, percussionem non esse, quàm esse enormem: *quia in obscuris minimum est sequendum per Reg.* 30. *in* 6. *l. semper* 9. *ff. de R. I. in dubiis quoque magis favendum est reo, quam actori, Reg.* 11. *in* 6. Prælatus quoque in dubio non debet se spoliare suo jure, cùm in dubiis melior sit conditio possidentis suam jurisdictionem. Ita Bordonus c. 21. n. 270. Layman l. 1. tract. 1. c. 5. §. 4. contra Suarez & Castrop. His prænotatis

Quæres primò. Quis possit percussorem à censura excommunicationis absolvere? 15.

Respondeo primò. Præter Summum Pontificem potest absolvere omnes undecunque advenientes, etiamsi percussio sit enormis, *Legatus à Latere* à die discessûs, usque ad diem sui reditûs. *c. ad eminentiam*; 20. & *c. quamvis* 58. *de sent. excomm. Nuncius* verò *Apostolicus*, sive *Legatus missus*, tantùm potest absolvere ab excommunicatione etiam ex enormi percussione contracta subditos existentes in provincia suæ Legationis; *c. excommunicationis* 9. *de offic. Legati. Legati* verò *Nati* circa absolutionem plus non possunt, quàm alii Ordinarii, nisi speciale privilegium à Summo Pontifice obtineant. P. Engel cit. n. 143.

Respondeo secundò. Episcopus absolvit ab 6. excommunicatione [1] quandocunque percussio est levis; *c. pervenit.* 17. *de sent. excomm.* [2] quandocunque adest rationabile impedimentum accedendi Summum Pontificem, vel Legatum ipsius, quod impedimentum vel est perpetuum, vel temporale. Si perpetuum, percutiens simpliciter absolvitur ab Episcopo, præstitâ cautione, *de satisfaciendo mandatis Ecclesiæ, & parti læsæ*; si est impedimentum temporale, insuper requiritur cautio, ut absolutus, cessante impedimento, sedi Apostolicæ se præsentare velit, quod si negligat, ipso jure reincidit in censuram. *c. de cætero* 11. *c. quamvis*; 58. *de sent. excomm.* [3] quandocunque percussio est occulta, tametsi foret enormis, Episcopus potest absolvere subditos, ex Tridentino sess. 24. c. 6. [4] Episcopus potest absolvere mulieres, vel Moniales; *c. mulieres* 6. *c. de monialibus*; 33. *eod.* [5] si percussor sit impubes, tametsi post pubertatem petat absolvi. *c. ult. eod. t.* [6] Si Clerici in commune viventes se invicem percusserint; *c. quoniam.* 9. *de vit. & hon. Cler.* [7] Religiosum, qui Clericum sæcularem non enormiter percusserit; *c. Religioso.* 21. *de sent. excomm. in* 6. [8] Viros magnæ potentiæ, postquam eorum status Summ. Pontif. intimatus fuerit. *cap. mulieres*; 6. *eod.*

Respondeo tertiò. Regulares se invicem 17. percutientes, vel qui ante Religionis ingressum censuram canonis incurrerunt, absolvuntur à Prælato sui Ordinis, vel Monasterii, nisi excessus sit enormis, ut si in Episcopum, vel Abbatem violenta

lenta

lenta manus fuisset injecta, quo casu absolutio Summo Pontif. est reservata; *c. cùm illorum* 32. *c. Canonica.* 50. *eod.* Habent nihilominus Regularium Prælati & Superiores extra jus commune specialia privilegia, per quæ etiam ab enormi percussione sive Religiosi, sive Clerici suos Religiosos possunt absolvere, de quo multa Bordonus de privileg. Cler. c. 21. à n. 327.

18. Quæres secundò. A quo sit absolvendus Religiosus percussor, quando percussus subest alteri Superiori? Videtur dicendum, quòd absolutio sit danda per utriusque Religiosi Prælatum. *ex c. cùm illorum* 32. *de sent. excomm.* ubi dicitur: *Per Abbatem proprium, & ejus, qui passus est injuriam, absolvatur*: quæ tamen ita esse intelligenda docet Molina de I. & Just. tr. 3. disp. 60. n. 5. ut absolutio à censura detur à Superiore percutientis, utpote judice ordinario; supposito tamen consensu & præmissâ satisfactione Prælati alterius, qui est Superior Religiosi percussi, & injuriati; cùm ipse sit actor; & jus habeat persequendi injuriam suo Religioso illatam.

ARTICULUS V.

De privilegiis Religiosorum.

SUMMARIA.

1. *Religiosa Professio tollit omnia peccata quoad culpam & pœnam.*
2. *Testimonia SS. PP. & DD. de Religiosæ Professionis præstantia.*
3. *In susceptione habitûs Religiosi datur plenaria Indulgentia.*
4. *Etiam in renovatione votorum acquiri potest Indulgentia plenaria.*
5. *S. Professio extinguit alia vota.*
6. *Purgat maculas legales, & irregularitatem ad*
7. *Ordines suscipiendos.*
8. *Probabiliter extenditur ad susceptionem habitûs.*
9. *Dissolvit matrimonium ratum.*
10. *Absolvit à patria potestate.*
11. *Facit participes omnium causarum piarum.*
12. *Limitationes pro communicatione privilegiorum.*
13. *An totus Ordo Benedictinus in privilegiis communicet cum aliis Congregationibus & Monasteriis?*
14. *Communicatio Benedictionorum in privilegiis est in jure fundata.*
15. *Privilegia corpori juris inserta, iisq; æquiparata, admittunt extensionem ob identitatem vel paritatem rationis.*
16. *Exempla præcedentis doctrinæ ex Jure.*
17. *Argumentum a paritate PP. Capucinorum.*
18. *Probabilitas extrinseca nostræ doctrinæ ab authoritate DD.*
19. *Ratio reflexa & indirecta communicationis.*
20. *Ordo S. Benedicti indirectè communicat omnia privilegia Mendicantium.*

§. I.

Privilegia & favores communes statui Religioso.

PErsonæ Religiosæ, tanquam selectior pars Christiani gregis, flos Ecclesiastici germinis, singulare decus & ornamentum S. Ecclesiæ, in quibus Evangelicæ perfectionis norma resplendet, à quibus Apostolicæ prædicationis gratiam & S. fidei veritatem innumeræ gentes acceperunt, semper dignæ videbantur Summis Pontificibus, ut ipsas diversis favoribus, gratiis ac privilegiis decorarent: quæ quidem singillatim prosequi non est propositum; ne tamen filialis erga Matrem Religionem observantiæ immemor videar, aut ingratitudinis labem incurram, pauca in communi, & certiora delibo.

Præter Canonis & fori, aliaque Clericorum privilegia etiam Regularibus competentia, de quibus in præcedentibus dictum. Primò non tam privilegium, quàm gratia toti statui Religioso communis & propria est, quòd per Religiosam Professionem seu emissionem votorum conferatur instar Jubilæi perfectissima remissio omnium peccatorum, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam: quæ quidem Indulgentia tametsi fuerit à Sum. Pont. Paulo V. concessa, tamen etiam independenter ab illa concessione est ex natura rei annexa ipsius professionis dignitati, quippè in qua homo omnia sua, suamque voluntatem, quâ nihil habetur præstantius, DEO offert. Ita docent D. Th. 2. 2. q. ult. a. 3. ad 3. Th. Waldens. de Sacr. tit. 9. c. 80. Hieron. Platus de bono stat. Rel. l. 1. c. 15. Layman l. 5. c. 10. Azor, Barthol. à S. Fausto, Gregorius Gisiier, aliique. 1.

In quorum probationem facit primò, quòd in *authent. de Monachis* Imperator affirmat, quòd vitæ Monasticæ ingressus omnem criminum maculam abstergat. Secundò, quòd SS. PP & Doctores tam Asceti, quàm Scholastici Professionem Religiosam *alterum Baptismum* appellent. Sic loquuntur S. Hieron. ep. 25. Petrus Dam. op. 16. c. 8. S. Bern. in Serm. de S. Bened. S. Anselmus c. final. de similit. D. Jo. Damasc. in histor. S. Josaphat. c. 12. *Etenim divinam hanc professionem peccatum propulsare, atque incorruptionis per divinum Baptismum nobis concessæ sociam & opitulatricem esse perspectum habemus.* D. Antonin. in Sum. 3. p. tit 16. c. 3. §. 3. D. Th. lo. cit. Bellarminus, Sanchez, Rodriquez, Hæftenus, aliique. Tertiò ex authenticis Patrum historiis, nominatim apud Rosweydum l. 1. n. 9. ubi quidam vir sanctus dixit: *Virtutem, quam vidi stare super Baptisma, vidi etiam super vestimentum Monachi, quando accepit habitum spiritualem.* Quartò ex ratione Angelici Doctoris in 4. dist. 4. q. 3. a. 2. sic proposita: *Cùm profitens voluntatem suam cæteris rebus chariorem in perpetuam DEI servitutem redigat, jam plenissimè pro omnibus anteacta vitæ delictis satisfecisse censetur: utpote qui id dat, quo nihil majus dare poterat.* 2.

Plenaria hæc peccatorum remissio per Indulgentiam 3.

gentiam Pauli V. etiam concessa est tironibus S. Religionis in prima Religiosi habitûs susceptione, ut est videre apud Gobat, Bonagratia aliosque: qua de causa Tirones laudabili consuetudine per prævian generalem exomologesin ad hanc Indulgentiam lucrandam disponi solent.

4. Insuper ad magnum solatium Religiosorum D. Bernardinus Sen. in Quadrag. tr. 2. ser. 23. a. 1. affirmat, toties prædictam Indulgentiam renovari, quoties seriâ voluntate renovatur sacra Professio. Ejus verba sunt: *Hæc libertas non solùm datur in illa hora, quâ ipsum votum emittitur, sed etiam in omni tempore, quo sibi vovisse placet, & in quo cum hac complacentia votum implet.* Adstipulantur Carthus. in opusc. de profess. mon. Hyac. Casal. in cens. Christ. in monit. ad Relig. n. 4. & probabile agnoscit Laym. loc. cit. Multæ sunt præterea Indulgentiæ plenariæ quas Religiosi consequuntur, modò in primo Sacro, quod Neomystæ offerunt, modò in articulo mortis, modò in principalibus festis sui S. Ordinis, modò in sacra exercitiorum solitudine. Illas studiosè collegit in fasciculo SS. deliciarum R. P. Antonius Maria de Rheita Capuc. & speciatim pro Benedictinorum usu P. Georgius Geisser in privilegiis Ord. S. Benedicti. Notabilis est illa & plena solatii, quâ post suam generalem renovationem Indulgentiarum quoad Religiosos Paulus V. denuo concessit, ut quilibet approbatæ Religionis Professus & Professa Regularis in clausura vivens, & propriam suam Ecclesiam visitans, ibidemque dicendo in diebus stationum 6. *Pater & Ave*, & in fine ad quodlibet, *Gloria Patri* [ut Urbanus VIII. declaravit] devotè ad Pontificis intentionem, S. Matris Ecclesiæ exaltationem, &c. orans, lucrari possit omnes Indulgentias stationum urbis, & orbis, ac si præsens Romæ, & alibi visitaret, &c. Rheita prædictus in fine præfat.

5. Alterum statûs Religiosi privilegium est, quòd per S. professionem aliorum præcedentium votorum obligatio velut absorpta tollatur, non quòd commutata, sed quòd per suimetipsius totalem oblationem, quâ homo simul & semel facit, quantum successivâ votorum impletione facere non potuisset, impleta censeantur, uti communiter docent *DD. in c. scripturæ, de vot. & c. qui post votum; de regul. in 6.* & præter D. Antonin. & Palud. citatos à Sylvest. V. votum. 4. n. 7. tradit noster S. Anselmus l. 3. ep. 33. ad Richard. Mon. sollicitum de adimpletione alicujus voti ante monachalem professionem emissi post plura præmissa, scribens: *certus enim esse debes, quia cùm te totum DEO devovisti, & reddidisti per Professionem monachicam, solvisti omnia vota minora quarumlibet actionum, quæ priùs sine jurejurando, & fidei obligatione promisisti.* Rursus ep. 154. ad Wilhelm. Abbat. *De voto Monachi, de quo nostrum vultis audire consilium, qui antequam ad nostrum Ordinem veniret, vovit, se nunquam ampliùs vinum bibiturum, hoc videtur mihi faciendum, quod fit a majoribus nostri Ordinis, & præcipuè apud Cluniacum. Ut videl. ejusmodi vota, quæ fiunt sine promissione fidei, & sacramento, in voto Monachici Ordinis, in quo homo, quidquid ad se pertinet & se totum DEO offert, judicentur esse completa.*

Tertium privilegium statûs Religiosi est, quòd purget maculas legales, ortas ex actibus civilibus, *per auth. de Mon. coll. 1. & Gloss. ca. 2. de Apost.* Sic primò damnatus crimine furti, perjurii, falsi &c. si Religionem professus fuerit, absolvitur ab infamia, recipi potest in testem, aliosque actus civiles. Secundò, Ingressus Religionem purgatur à macula ingratitudinis, ut ratione ipsius nequeat exhæredari, ut communiter docent Canonistæ in *c. quantumlibet dist. 46. c. non liceat; 19. q. 3.* ubi Gratianus refert verba Justiniani, quibus hoc privilegium concessit, cujus veritatem contra quosdam impugnatores solidè probat P. Engel de privil. & Jurib. Monast. privil. 13. 6.

Sed etiamne status Religiosus purgat maculas Canonicas, nempe irregularitates? Etiam istas per S. Professionem universim tolli censet Sot. in 4. d. 25. q. 1. a. 3. exceptâ illâ, quæ provenit ex bigamia, vel homicidio. Sed dicendum est cum P. Engel loc. cit. priv. 4. illam irregularitatem tolli, quæ oritur ex defectu natalium in ordine ad suscipiendos SS. Ordines tantùm, ita ut illegitimi, quibus alioquin vetita erat susceptio SS. Ordinum *toto t. de filiis presb. non ord., tamen ex c. 1. eod. tit.* Monasterium ingressi habilitentur ad sacros Ordines suscipiendos, eorumque usum; non tamen ad prælaturas, administrationes, & beneficia curata, uti præter cit. Engel tradunt Tambur. de J. Abb. to. 1. disp. 5. q. 14. n. 3. Azor. 1. p. inst. l. 12. c. 5. q. 12. Layman, aliique. Ratio est; quia irregularitates, quæ solum continentur intra sphæram Juris Canonici, sicuti non inducuntur nisi constitutione Canonum, ita non sine illorum authoritate tolluntur: atqui Jure Canonico non significatur tolli alia irregularitas nisi quæ oritur ex defectu natalium, neque per alium respectum, nisi ad susceptionem SS. Ordinum: ergo hoc solùm modo & respectu in Professis irregularitas tollitur. 7.

Nihilominus prædictam ablationem irregularitatis, à Religiosa professione, etiam ad habitûs susceptionem probabiliter extendit, quamvis non pauci DD. stent in oppositum. Sanch. in præcept. Decal. to. 2. l. 5. c. 5. n. 14. ita, ut professione etiam non secutâ, irregularitas tamen ablata censeatur, eò quòd in favorabilibus nomine Monachi vel Religiosi veniant etiam Novitii, neque jura expressè requirant Professionem. 8.

Quartò. Professio Religiosa dissolvit matrimonium ratum quoad vinculum. *c. 2. de convers. conjug.* Trident. sess. 24. can. 6. sed quonam, ais, privilegio, Divino, an humano? sunt, qui cum Paludano & Covarruvia existiment, dissolvi ex natura Professionis, eò quòd ista sit quædam mors civilis & spiritualis. Privilegio Ecclesiastico & Pontificio adscribunt Lessius, *l. 2. de Just. c. 41. dub. 8.* Coninck *de matrim. d. 26. dub. 3.* Medina, Engel, aliique. Præplacent, qui Juri Divino diremptionem matrimonii rati per religiosam Professionem tribuunt: ita quippe observatum fuit ab initio nascentis Ecclesiæ, quod infallibile signum est, quòd Apostoli hunc sanctioris & Religiosæ vitæ favorem ab ipsius Christi ore acceperint, idque indicat Alex. III. in *c. ex publico, de convers. conjug.* dicens, istud deduci *ex interpretatione sacri eloquii.* Atque ita docent Sotus *in 4. dist. 27.* 9.

dist. 27. *q.* 1. *a.* 4. Sanch. *l.* 7. *d.* 26. *n.* 4. Salmantic. *to.* 4. *tr.* 4. *disp.* 1. *d.* 5. §. 2. *n.* 70. sed de hoc ex instituto in Tract. de Matrim.

10 Quintò status Religiosus absolvit Professum à patria potestate. *auth. ingress. & auth. siqua mulier. C. de SS. Eccles.* & glossa ibid. quod tamen intelligendum esse quoad effectus patriæ potestatis Monasterio & Religioni onerosos, non quoad favorabiles, optimè monet P. Engel *privil.* 12.

11 Tandem amplissimum privilegium Religiosorum est, quòd gaudeant privilegiis & participatione omnium piarum causarum fisci, minorennium, nobilium, militum dummodo casus sint Religiosis & Monasteriis applicabiles, prout latè deducit Clarif. P. Engel loc. cit. & Virg. Aluiset sect. 2. De communicatione privilegiorum, quâ gaudent Religiosi, vid. quæ dixi Disp. 37. a. 4.

§. II.

Dubium de privilegiis S. ordinis Benedictini resolvitur.

Quæres primò. An totus Ordo S. Benedicti gaudeat communicatione privilegiorum, aliis Monasteriis, aut integris Congregationibus, putà Cassinensi, Vallisoletanæ, S. Mauri, &c. concessorum?

12 Respondeo juxta limitationem præced. disp. 37. a. 4. propositam, distinguendum esse inter gratias & privilegia: nam vel sunt onerosa, & cedentia in gravamen tertii, ut exemptio à jurisdictione, quæ non communicantur, nisi exprimantur, quia sunt strictæ interpretationis, nec præsumitur Princeps velle alterius juri quæsito derogare, nisi exprimat. Vel secundò habent pro suo motivò specialem prærogativam loco, Monasterio, Congregationi propriam. Vel tertiò restringuntur per clausulas speciales, & exclusivas aliorum locorum, ut sunt multa privilegia Abbati & Monasterio Cassinensi ob prærogativam primatûs in toto S. Ordine concessa eaque utpote cocalia non solùm à toto ordine, sed nec ab ipsa Congregatione Cassinensi participantur: Vel quartò sunt gratiæ exorbitantes, quæ rarò & difficulter, aut nonnisi prævio examine & Decreto S. Congregationis alicui Monasterio, vel Congregationi conceduntur, & nec istæ communicantur, cùm sapiant naturam singularium gratiarum, juxta Tamb. de J. Abb. to. 1. d. 17. q. 2. Lezanam to. 3. V. Missa. n. 21.

13 Vel quintò motivum privilegii est universale, nempe merita, & dignitas S. Ordinis, & tunc valde probabiliter totus S. Ordo Benedictinus in privilegiis cuivis alteri Congregationi, aut Monasterio indultis nemini onerosis communicat. Sequitur ex dictis præcit. disp. 37. a. 4. n. 12. & 13. & ulteriùs Probatur rationibus directis primò, Non est præsumendum, quòd Sum. Pontif. voluerit in communicationem privilegiorum variis Congregationibus & Monasteriis Ord. S. Benedicti concessorum admittere extraneos & alienos Ordines, exclusis domesticis & membris ejusdem S. Ordinis de universa Ecclesia tot sæculis meritissimi: atqui Sum. Pontif. varios extraneos Ordines admisit in commmunicationem privilegiorum Congregationibus Benedictinis concessorum: ergo præsumi non potest, quòd voluerit Benedictinos ipsos ab eorum participatione excludere. Major probatur, quia exclusis domesticis alienos admittere in participationem favorum, non habitâ ratione innumerorum meritorum, pugnante insuper rationis non tantùm identitate sed etiam majoritate, alienum est à justitiæ distributivæ æquitate non minùs, quàm à paternæ pietatis liberalitate; quod de Sum. Pontifice clementissimo ovium Pastore præsumi nequaquam potest, ideo in interpretatione privilegiorum non nuda ipsius verba, sed vel maximè mens ex adductis motivis debet inspici: unde sapienter Philosophus à Lessio citatus, æquitatem, ait, esse *quandam justitiam, & justitiâ legali meliorem.* Et revera; *longè major est Officiorum, quàm juris regula.* Mentem porrò Summ. Pontif. luculenter expressit Sixtus IV. in mari magno Augustinianorum dicens: *Conveniebat, ut, quos par labor, & paria merita conjungunt, paria conjungerent privilegia & favores.* Minorem ex Summ. Pontif. Bullis ostendunt Rodrig. qq. regul. to. 1. q. 55. a. 8. Miranda to. 2. q. 46. a. 5. Tambur. Pellizar. aliique citati à Salmantic. to. 4. tr. 18. de privil. c. 1. p. 7. n. 90.

Probatur secundò. Extensio privilegiorum 14
per communicationem ab una Congregatione vel Monasterio ad totum Ordinem S. Benedicti sub præmissa limitatione est in jure fundata: ergo non est deneganda toti S. Ordini. Antecedens probatur primò. Privilegia faventia Religioni & causæ piæ, recipiunt amplam interpretationem ex juris dispositione; cùm beneficium Principis sit latissimè interpretandum *l. 3. ff. de constit. Princ.* & cum communi DD. docet P. Engel in Coll. Jur. Can. *Tit.* 4. §. 1. *n.* 4. Sed privilegia Religiosis concessa, quæ nemini sunt onerosa, sunt talia: ergo admittunt amplam & latissimam interpretationem: ergo pariter interpretatio, quâ DD. privilegia uni Congregationi & loco concessa judicant esse extendenda, est conformis dispositioni Juris.

Nec refert, quòd juxta sup. dicta, privilegium 15
ordinariè ob paritatem & identitatem rationis non extendatur à persona ad personam, à loco ad locum, &c. nam id obtinet quidem in privilegiis, *quæ sunt extra Corpus Juris,* ea quippe (inquit Engel loc. cit.) *plerumque sunt temporalia, & strictæ interpretationis, nec extenduntur ultra personas, quibus concessa sunt: privilegia verò clausa in Corpore Juris ordinariè sunt perpetua, & recipiunt interpretationem, ac aliquando ex paritate rationis extensionem, sicut ipsæ eges communes,* unde nostra resolutio

Probatur tertiò. Privilegia Corpori Juris inserta iisve in jure æquiparata admittunt extensionem, prout cum communi docent *Suar. de leg. l.* 8. *c.* 27. *n.* 7. *& Haunoldus* de *Jur. & Just. to.* 1. *tr.* 1. *de Leg. c.* 4. *n.* 20. sed privilegia Religiosorum æquiparantur privilegiis Corpori Juris insertis, ut iidem Authores docent: ergo admittunt extensionem ex identitate vel paritate rationis.

16 Probatur quartò. *A privilegio uni causæ piæ concesso, rectè potest deduci argumentum ad aliam similem causam ex communi DD.* inquit cit. P. Engel: sed quis negaverit, privilegia Religiosorum esse concessa in favorem causæ piæ: ergo rectè deducitur ab iis argumentum ad similem, imò non ad similem causam, sed ad membra & partes ejusdem Religionis sub una S. Regula & Institutore intimâ unione moraliter connexas, militantibus iisdem motivis & rationibus. Major variis exemplis roboratur. 1. Privilegia maritis concessa, communicantur uxoribus, quia conjuges constituunt unum morale compositum œconomicum: cur ergo non etiam privilegia concessa Congregationibus, sint communicata cæteris Monasteriis, quæ sub una S. Regula unà cum illis unum S. Ordinis Corp⁹ constituunt. 2. Summi Pontif. privilegio istarum Congregationum, imò & cæterorum Ordinum, ad remunerationem meritorum, conservationem pacis & conformitatis, voluerunt esse communicata Mendicantibus, qui non sunt membra ejusdem Ordinis, cur ergo non Monasteriis, quæ sunt membra ejusdem Ordinis? cùm istud æquè conducat ad promotionem cultûs Divini remuerationem meritorum, conformitatem, &c. 3. Leo X. in Bullâ, *Dudum per nos accepta*, datâ 19. Dec. an. 1519. apud Lud. Mirandam in Man. Præl. to. 1. q. 21. omnia privilegia cuicunque Ordini mendicantium, vel domui ejusd. Ordinis concessa, omnibus & singulis ejusdem Conventibus, Domibus, Ecclesiis, personis &c. juxta cujuslibet capacitatem voluit esse communicata; cur ergo non Benedictinis quoque Monasteriis sint communicata privilegia, quæ ipsorum Congregationibus, aut quibusdam Monasteriis ex communi titulo & causa concessa inveniuntur? 4. Privilegia concessa studiosis Theologiæ, extenduntur ad Studiosos SS. Canonum ut habet Burgos *in c. Canonum. de constit.* 5. Privilegia concessa Ecclesiis, extenduntur ad Hospitalia. 6. Concessa pupillis ad minores. 7. Concessa nuptis, ad Virgines Christo nuptas, eò quòd istud sit matrimonium spirituale. 8. Concessa militibus, ad Clericos & Doctores. 9. Concessa Clericis, Nobilibus, militibus ad Regulares, Viris Regularibus ad Moniales ejusdem Ordinis, &c. ergo multò magis concessa certis Congregationibus & Monasteriis Benedictinis ad omnes Benedictinos: cùm utique major sit connexio inter Benedictinum & Benedictinum, quàm inter Ecclesiam & Hospitale, uxorem & filium, militem & Clericum, &c. prout latè & doctè expendit Georgius Geisser in lib. de Privil. Benedict. q. 1. n. 25.

17 Confirmatur: RR. PP. Capuccini teste P. Bonagratia participant omnia privilegia aliorum Ordinum S. Francisci, quia vivunt sub eadem Regula & Fundatore, quantumvis sint Superioribus & privatis constitutionibus divisi: ergo & Benedictini participant privilegia Benedictinarum Congregationum ob unitatem S. Regulæ & Fundatoris.

Probatur etiam nostra responsio ratione indirectâ, & reflexâ. Illis privilegiis gaudet, & bonâ conscientiâ utitur, fruiturq; S. Ordo Benedictinus, quæ ipsi à gravissimis Doctoribus in publicis voluminibus, Legislatore non contradicente, asseruntur: sed toti Ordini Benedictino per communicationem asseruntur à gravissimis DD. privilegia alicui Congregationi, aut Monasterio concessa sub præmissis limitationibus: ergo iisdem privilegiis totus Ordo gaudet. Minor constat: sic enim è diversis Ordinibus sentiunt & docent Emanuel, & Hieron. Rodrig. Jo. de la Cruz in Comp. pract. l. 2. c. 4. Anton. Diana tract. 2. dub. Regul. resol. 81. Marchin. de sacr. Ord. tract. 1. part. 7. c. 2. & 7. Bonagratia in Summula qq. regul. V. privilegium. n. 402. Franciscus Bonæ spei to 3. Commentar. tt. 3. de leg. disp. 11. dub. 4. n. 37. Tambur. de J. Abb. to. 1. disp. 37. q. 2. & disp. 25. q. 9. Ang. Manriquez cit. à Caramuele in Theol. Reg. disp. 131. a. 1. Miranda to. 1. Manual. q. 46. a. 7. Bassæus in flor. Theol. V. Privilegium. Salmantic. to. 4. Moral. tr. 18. c. 1. puncto. 7. §. 1. 18

Præterea: Juxta Authores modò allegatos, omnes non mendicantes, adeòque & Benedictini gaudent per communicationem privilegiis omnium mendicantium Religionum: sed mendicantes gaudent communicatione omnium privilegiorum cuicunque suorum Conventuum & Domuum concessorum, juxta præallegatam Bullam Leonis X. ergo etiam Benedictini gaudent ejusmodi communicatione. 19

Infero ex dictis: Totum Ordinem S. Benedicti communicare saltem indirectè privilegia omnium Ordinum mendicantium: nam totus Ordo S. Benedicti communicat directè privilegia particularibus Congregationibus concessa; sed inter privilegia Cassinensibus, Vallisoletanis, & recenter ab Urbano VIII. Congregationi S. Mauri in Gallia concessa per Bullam in *supereminenti*, continetur communicatio omnium prorsus privilegiorum, quæcunque fuerunt ulli Regulari Ordini concessa. Ipsas porrò Bullas SS. Pontificum authenticè relatas videre est apud Cornel. Margarin. in Bullario Cassinensi, Rodriquezium, Cherubinum, & Augustinum à V. M. Carmelitam. Cæterùm, quænam privilegia in specie competant tum Regularibus in communi, tum Benedictinis in specie, videri possunt, qui de illis fusè & ex instituto scripserunt. Salmanticenses, Rodriquez, Virginius Aluiset, Augustinus à V. Maria. Georgius Geisser de privilegiis Ord. S. Benedicti, P. Yso Pfavv in Summario privilegiorum, &c. 20

INDEX

INDEX ALPHABETICUS
Rerum & Verborum
TOMI SECUNDI.

A.

Totus

Con-

Dispen-

Finis.

Finis.

Fœdus.

Fortitudo.

Forum.

Fruitio.

G.

Gaudium.

Genus.

Gentiles.

Gratia.

H.

Homo.

Honestas.

I.

Ignis.

Ignorantia.

Quomo-

Malitia

Decre-

Privi-

Probabilitas.

Neque

Professio religiosa.

Promulgatio.

Propositum.

Prudentia.

Pueri.

R.

Ratio.

FINIS.

Errata Tomi Secundi sic corrige.

Ex Tract. De Actibus Humanis.

Pag.	N.	Lin.	ERRATA.	CORRIGE.
1	prol.	2	to.	tex.
2	n.7.	n.&3.	electivè, electiva.	elicitivè, elicitiva.
3	1	1	Quæstio.	Quæstione.
4	10	2	transeuntem, ad extra,	transeuntem ad extra
5	10	14	voluntas eius.	voluntatis eius.
-	12	1	formalem.	finalem.
-	13	3	habet.	habent.
-	-	11	amore affectum.	amore affectivo.
6	1	5	& alius.	& alium.
8	18	15	formale quod.	formale quo.
10	16	ult.	n. 3. 5. 6.	n. 10. a. 4.
12	3	9	præmotæ.	peccaminosæ.
-	6	17	in partem.	in potestatem.
-	7	5	diligunt.	diligit.
-	-	17	imperatum, tunc.	imperatum) tunc.
-	8	3	finis ultimus formalis.	finis ultimus determinatus. sed formalis &c.
-	-	10	est.	&c.
-	-	16	atque.	atqui.
13	11	6	22.	2. 2.
-	14	7	morali.	moraliter.
14	3	17	amissuram.	amissurum.
-	-	18	amet.	amat
17	col.1.	9	finis in communi.	finis: sed à DEO movetur ad volitionem finis in communi:
18	Sumar.	3	substantiæ.	subsistentiæ.
19	col.1.	1	cum Divinæ essentiæ	cum Divina essentia.
-	n.6.	23	R. neg. majorem :	R. neg majorem probationis :
20	2	26	seq. 5.	seq. a.
21	8	38	tam.	quam
-	9	10	quomodo.	hoc modo.
22	14	10	Præmium, ut quod.	Præmium ut quo.
-	-	13	ut quo.	ut quod.
24	6	6	non obtinet.	obtinet.
25	Tit.		objectivæ.	objectæ.
-	n.16.	4	adæquatâ.	adæquatè.
26	col.2.	26	prosecutionem.	possessionem.
-	-	39	aliàs modus.	alias movens.
		46&48.	qui denotatur.	qui denominatur.
		61.66.69.	specialiter.	simpliciter.
27	col.1.	16	denotationes.	denominationes.
-	n.21.	13	non intuitam, sed abstractam.	non intuitivam, sed abstractivam.
	Tit.		Disp VI.	Disp. IV.
28	5	8	secundo ad 3. nego.	secundò, negando.
29	col.2.	1	viam	omnia.
-	n.2.	14	tam proximâ, quàm remotâ.	proximâ, non remotâ.
31	11	7	retractio.	retractatio.
-	13	3	Entitate.	humanitate.
-	14	13	privationes verò non destruerentur.	privationes enim non destruuntur.
32	15	4	dicendum ergo etiam.	ergo etiam.
33	3	10	judicii, nisi.	judicii : sed non fatiat per modum judicii, nisi &c.
35	1	8	Hoc.	Hæc.
-	3	12	assequibilis.	assignabilis.
-	-	16	termino atque.	termino : atqui.
-	4	1	amor concupiscentiæ. quam.	amor concupiscentiæ. quem.
-	-	2	spei. Respondeo.	spei : ergo etiam amor concupiscentiæ in patria. Respondeo.
-	5	14	visionem.	non visionem.
-	-	2. & 4.	divinum.	directum.
36	Sumar.	13	charitatis.	claritatis.
-	n.2.	23	volunt illas in actu.	volunt illas consistere in actu.
37	5	4	pertineant.	pertinent.
-	-	11	per nostram operationem significativam.	lege : per nomina operationem significantia.

Pag.	N.	Lin.	ERRATA.	CORRIGE.
37	5	13	per nostram.	per nomina.
-	8	3	habebunt.	habeant.
38	col.2.	2	imò.	primò.
-	n.13.	9	etiamne.	etsintne.
-	14	13	materialis.	materiales.
-	15	7	1 Trin. 4.	1. Tim. 4.
-	-	12	tum.	tamen.
-	-	15	contra.	cujus.
-	-	18	supponi.	superponi.
-	16	7	si etiam.	hoc est.
39	16	26. & 29.	tollatur.	toleratur.
-	17	10	quo.	quia.
-	19	34	voluntariam.	violentam.
-	20	26	gratia secundùm.	gratia, nisi secundùm.
40	21	19	dilectione vivacissimâ.	dilectione, & vivacissima.
-	22	15	incomparabilitatem.	incomparabiliter.
-	24	3	diminatum.	diminutum.
41	col.2.	12	propositionem.	propensionem.
-	n.8.	2	dividi.	dividitur.
42	col.1.	3	interupta.	interrupta.
-	n.11.	24	alliciendum.	alienandum.
-	11	11	relaxentur.	relaxetur.
43	4	10	in situm nocumentum.	in seram noctem.
-	5	12	peccaret.	peccet.
-	-	16	supposito.	suspenso.
-	-	19	quia reperiuntur.	reperiuntur.
47	col.1.	3	tantùm.	bene.
-	n.24.	13	nec & sua.	nec se, & sua
-	-	28	actum præceptivum.	actum præceptum.
-	col.2.	2	voluntate, omittendi.	voluntate omittendi
48	col.1.	13	motivum.	mortuum.
-	-	19	à principiis.	ac principiis.
-	n.29.	18	non.	nam.
-	30	3	non omittendo.	omittendo.
-	-	4	proinde.	inde.
-	-	19	rationabiliter : ergo.	rationabiliter : sed purè omittendo non agit rationabiliter : ergo.
49	4	26	impossibilem.	incompossibilem.
-	-	48	malus, nisi.	malus ; nec potest concipi bonus, vel malus, nisi &c.
51	9	7	directè;	dicere.
53	col.1.	12	omnimodum.	omnimodam.
54	n.12.	3	entitularum (quam.	entitatularum modalium (quam
55	3	12	Consilium.	Concilium.
56	col.2.	2	examinare.	exterminare.
57	n.9.	23	p. 109.	q. 109.
60	24	17	Thomistæ.	Thomista.
61	29	15	præveniri.	perveniri.
62	col.1.	13	causaliter, & ut quod.	causaliter, & ut quo concedo: tantùm formaliter.
-	col.2.	56	bonitatis.	Bonitas.
-	-	59	propositione, quæ.	propositione (quæ
65	n.10.	22	cognitione : non enim.	cognitione : sed non dirigeretur aliquâ cognitione : non enim.
71	10	3	ex dictis quidem est.	ex dictis est : quod est à principio.
72	Sumar.	10	permissionibus.	promissionibus.
-	n.2.	9	pro illo.	præ illo.
74	col.1.	27	p. l. dolo.	per l. dolo.
-	-	30	per doti.	per doli.
-	n.14.	3	Obligare.	obligare.
-	15	2	metum mortis incutientis.	metu mortis imminentis.
-	-	13	promittit.	permittit.
75	4	1	voluntarium.	involuntarium.
-	Sumar.	8	involuntarium.	non voluntarium.
77	n.13.	6	Si existimas.	Si existimans.
78	col.1.	2	Mich. David.	Mich. Baium.
-	n.4.	5	partialiter directis.	partialiter directivis

79 col.

ERRATA. CORRIGE.

Pag.	N.	Lin.	Errata	Corrige
79	*col.1.*	1	quem.	quod.
80	*n 5.*	*ult.*	de objecto indirectè judicare.	de objecto judicare.
-	6	3	abſtractam,	abſtractivam,
81	*Sum̃ar.*	9	directè.	directivè.
-	*n.6.*	3	non ſubjiciuntur,	non ſubjicitur,
82	9	8	directè.	directivè.
83	6	6	initiato.	initiativo.
-	11	8	ſui.	termini.
87	*col.1.*	3	voluntas.	utilitas.
89	*n.1.*	*ult.*	de moralitate.	De moralitate actûs humani.
91	*col.2.*	8	abſtractivè.	abſtractè.
92	*n.21.*	2	in bonum, & malitiam.	in bonitatem & malitiam.
-	-	15	regulis morum : quia.	regulis morum ; ſed actus indifferens ſecundùm ſe liberè tendit in objectum ſubſtans regulis morum : quia.
93	8	4	naturæ rationali quatenus	naturæ rationali quà tali, vel bonum honeſtum ſupernaturale, conveniens naturæ rationali,quatenus.
-	9	16	ceu.	ſeu
94	14	14	inducit.	indicat.
-	15	3	poſſe. Hoc.	poſſe, hoc
95	*col. 1.*	2	quadruplex bonitas naturalis.	quadruplex bonitas in uno actu reperiri poteſt. Prima eſt bonitas naturalis.
96	*col.2.*	2	per conventionem.	per intentionem.
98	*n.4.*	14	habeat ſe.	habebat ſe.
-	7	19	aut.	autem.
100	7	7	per quam.	per quem.
104	7	12	proximam.	paternam.

Ex Tract. De Conſcientia.

Pag.	N.	Lin.	Errata	Corrige
108	*Sum̃ar.*	7	conſcia,	conſcientia.
-	*n.3.*	18	in qua.	in quo.
116	1	10	ſive per ſe.	ſive in per ſe.
-	-	22	Divus de.	Divus Paulus de.
119	1	9	probabilis eſt ex.	probabilis ex.
120	6	35	eſſet planè	eſſet bona ex objecto, tamen bonitas reſpectu voluntatis dubiè operantis eſſet planè.
-	7	14	licita.	illicita.
121	*col.2.*	7	conſtat,me conſenſiſſe.	conſtat me feciſſe : ſed ex nullo fundamento mihi conſtat, me conſenſiſſe.
124	2	43	violeudæ.	violandæ.
127	12	13	obſcure.	obſcura.
128	*col.1.*	10	conſequetur.	conſequitur.
-	*n 22.*	23	ad opere.	ab opere.
-	-	35	ex quid.	& quid.
129	1	4	a. diſp.	a. 5. diſp.
139	3	3.&5.	circa.	citra.
145	9	1	diſponit.	deponit.
-	10	13	in eo.	ineo.
146	11	7	prudenter.	prudentiæ.
-	-	14	Hinc.	Huic.
147	18	3	vincibili, qui.	vincibili, quia is peccat ex ignorantia vincibili, qui.
156	19	2	probabilem. quam.	probabilem,quæ ſpectatis omnibus motivis, tam intrinſecis, quàm
-	20	4	ſuam.	ſuum.
-	-	9	fecit.	facit.
157	*Sum̃ar.*	9	venialem.	materialem.
165	*n.5.*	27	aſſenſit.	aſſentit.

Ex Tract. De Peccato Perſonali.

Pag.	N.	Lin.	Errata	Corrige
176	1	10	debita.	debitæ
179	1	7	idololatria:	idololatriæ.
	in marg.		7.	6.
-	6	13	DDI.	DEI.
-	-	23	averſiones.	averſionis.
180	7	24	oſtendit.	offendit.
188	23	12	phyſicam.	phyſicum.
193	3	*antepen.*	explicatam.	explicitam.
194	9	5	prohibito.	poſitivo.
195	*Sum̃ar.*	2	vitatur.	vitiatur.
197	*Tit.*		quodnam.	quandónam.
202	*Sum̃ar.*	5	internam, &c.	inter actum internum,&c.
205	1	2	connexio. qui.	connexio, ut qui.
229	*n.6.*	27	nam ab habitualis.	nam habitualis.
231	7	9	interrupto.	non interrupto.
-	3	14	indirecta.	indirectè.
233	2	19	u	ut
235	*Sum̃ar.*	7	non tetractionis.	non retractationis.
236	3	9	contractus.	contactus.
237	8	10	intrinſecum.	extrinſecum.
238	4	17	ſignificantem.	ſanctificantem.
241	5	16	ſubeundem.	ſubeundum.
244	3	10	remiſſio.	remiſſo.
249	6	5	inordinatâ.	inordinatâ.

Ex Tract. De Peccato Originali.

Pag.	N.	Lin.	Errata	Corrige
262	9	3	per	pro
-	8	27	magis.	minus.
-	11	2	a.	ad.

Ex Tract. De Legibus.

Pag.	N.	Lin.	Errata	Corrige
279	*col.1.*	3	quid coinquinatius.	quid incoinquinatius
284	6	46	indicati.	judicati.
291	2	6	virtualiter negativum.	virtualiter affirmativum reſpectu poſteriorum.
299	8	15	temparantiæ.	temperantiæ.
304	4	4	externam.	æternam.
306	20	1	Carpinales.	Cardinales.
312	16	1	lges.	leges.
318	11	16	ideque.	indeque.
322	13	24	ſi præcepto.	ſi de præcepto.
329	29	17	tenebris.	tenebris.
-	34	7	Gregorii.	Georgii.
337	8	13	aliquin.	alioquin.
342	*Sum̃ar.*	15	ænit pentiæ.	Pænitentiæ.
348	8	2	eſſe primò, quòd.	eſſe, quòd
369	*Sum̃ar.*	14	Benedictionorum.	Benedictinorum.

